Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS MANARDI

MEDICI FERRARIENSIS, HAC AETATE
omnium medicinæ professorum per uniuersam Italiam,
in Galeni doctrina & Arabum censura
celeberrimi, & optime
meriti,
EPISTOLARVM Medicinalium
libri duodeuiginti.

Hi partim infinitis in locis & ab ipso autore iam recens castigati sunt, partim iam primum in lucem æduntur.

EIVSDEM annotationes & censura in medicamina simplicia & composita
MESVE.



BIBLIOTECA DE BILBAO

Cum gratia & priuilegio Cæsareo,

BASILEAE
M. D. XXXV.

EST. 123 PLUT. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

NOVISTI optime Lector, nihil magis in animo, ac curę ueteribus fuisse, quàm ut medicam artem posteris absolute integram ac puram, atq; sibi ubiq; similem, ueluti diuinũ quoddã munus, ut mortalibus admodum necessariũ, relinquerent. Quæ paulò post per socordiam hominũ, maximo contemptu miserè ac frustulatim discerpta, omnibusq; iuncturis eius dissolutis, alienisq; mẽbris inuerso cõpacta ordine, monstrosum corpus induit, tam horridũ ac turpe, ut meritò ab eius conspectu, ueluti à nocentissimę feræ oculis, acutioris ingenij iuuentus diu se proripuerit. Vnde & stupidis, insensatis, auaris, solum lucro inhiãtibus, hactenus ferè locus datus: quorum insciția non dubito accidisse, ut eius studiosos, tum morionũ, tum histrionum, turpiumq; hominum titulis passim uulgus appellitet. Cæterum illam ut omnium disciplinarum certissimam, ita impostoris maxime esse obnoxiam, nemo facile inficias ibit. Cuius tamen rei causam si exacte disquirere coneris, non est ut infelici seculo, aut linguarum imperitiæ, uel librorum penuriæ tribuas. Nam Hippocrates, Galenus, alijq; penè omnes, non sua modo, uerumetiã Romana nobis loquuntur lingua. Nec desunt insuper qui ueterem medendi artẽm affectantes, non accurate ex præscripto illorũ præcepta non proponant, tanto etiam studio, tantaq; simplicitate, ut uel inter medicos hodie Grammaticam pueri ediscere possint. Ad hæc, quis non persuasum habet, tantæ maiestatis uiros, ex doctorum albo, non ad amussim cæteras quoq; uniuersas, aut saltem adminiculantes tenere disciplinas: quarum scilicet ope & genuinum autorum sensum assequi, & abstrusa quæq; depromere queant. Non igitur in magna illa perfectione impostura locum habebit. Porrò in studiosa quoq; iuuẽtute hac parte nihil desiderabis, quę linguis, ut quidem necessario instrumento ad omneis disciplinas, tam anxie inhærens, atq; lepide instructa artis admodum sitiens, medicorum castris tenera ętate se adstringit: ubi uero per ætatẽ nacta iudicium, etsi hoc studiorum dispendio, planis facile renunciabit. Sed quanto felicius quum sub duce militare contingit, qualis hic IO. MANARDVS, cuius næ ingenij perspicuitatem ac singularem autores interpretandi fidem, satis abunde hoc unum Epistolarum opus comprobat: in quo uel hoc dignum admiratione, ut quæ usu quotidiano medendi illi obuia, iustam libri formã nacta, & ueluti ex industria composita uidentur. In eo utriusq; ualetudinis cognitio, eorumq; cõmoda atq; incõmoda, omnesq; circuitus, morbiq; symptomata, tanq; ab elementis suo quæq; ordine profecta, ueræ methodi habitum induunt. Hic rarus rerum usus, ueteribus tamen non ignotus, qui hactenus per temporũ iniuriam, seu potius ob hominum ignauiam in desuetudinem abijt, felicissime ualetudini suæ accõmodatus. In his uniuersis, quæ perperàm ex Græcis uersa aut sinistre percepta, unumquodq; admodum scite in suum locum reductum uidemus. Hic, ut simul dicam, omnia adeò concinne cohęrent, ut ne Momus in eo quicquam calumniari possit. Hic spiritum Galeno, aut si mauis Hippocrate cuiusdã maioris deprehendes. Solus hic celeberrimus ille Apollinis mystes, Homerica illa, ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, laude dignus: quẽ hodie uel præcipuis quoq; præferendũ maximus ille ERAS. ROT. doctissimusq; SIMON GRYNAEVS non dubitarunt. Nunc & IO. SINAPII, uiri tum in linguis tum disciplinis ad miraculum usq; docti, suffragiũ, ad quod nos impares, meritã sui præceptoris laudi coronidem apponet: qui uel unus, imitatione atq; præceptis Manardi fretus, Germaniã ab impostorũ technis uindicaturus est. Habes tandẽ prẽter innumera alia in eius libris nõ solum dictionis, uerum etiã rerum proprietatẽ ac copiam, atq; medicinã omnino ad ueterũ institutum renatam, nouoq; habitu cultam. Rursus, quod omnium eximiũ est, hic multarũ rerum experientiã cum ratione coniungens, medicamq; ex methodo exercens, impostо-

ribus uiam præcludere ſtuduit. Quapropter, candide Lector, ſi tibi ſtudiũ Medicinę eſt cordi, ſi à fece barbarorum purgatam, ſi appoſite ex ueris principijs traditam, ſi denicꝙ omnibus partibus abſolutam quæris ſcientiam, hunc Epiſtolarum librum legito, & nunquam ſpe futuræ eruditionis fruſtraberis. Hæc enim non medicis ſolum aut cæteris ſtudioſis, ſed uniuerſo mortalium generi uſui futura perſuaſum habeo. Quid unquã omnium rerum nobis optabilius ac præſtantius euenire potuit, quàm ut ueris ac optimis repertis, miſeram illam circumforaneorũ turbam, unius MANARDI exemplo ducti, cõtemnere diſcamus? quorum recenſere genera ac numerũ, non eſt tutum. Alij à nuda linguarũ cognitione multum ſibi laudis uenantur; quæ certe ut medicis planè neceſſaria, ita ſola medicum non reddit: qua tamen plericꝙ hodie interpretum utcunꝙ inſtructi, mire ſib placent, qui nec rem nec uſum obſeruantes, coniecturis pro ratione utuntur: hinc ſplendidi uulgo literatorum ac rudibus ſeſe uenditant. Vnde fit non raro, ut Latini ex alijs linguis uerſi autores, uix ſeipſos intelligant, maxime quod nulla rei ęſtimatione, dictioni ſolum interpres inhęſerit. Porrõ hæc non eò pertinent, ut quempiam à ſuo conatu auocare, aut perſtringere uelim, ſed ut collatione utrobicꝙ facta, quantum alter in tractandis medicis ab altero diſtet, obſeruemus. Plures ſcilicet hodie doctores, plures græce & latine, & ſi uoles chaldaice docti, ſed pauci admodũ medici. Hic obiter iuuentutem admonitam cupio, quæ per ætatem impoſtorum fraudem non nouit, ſed ad uulgi ſententiã, quem popularis aſpirat aura, hunc & medicũ ſalutat. Tandem ne quiſquã me hæc abſcꝙ iudicio dixiſſe putet, hic ſciat, heu quanta temporis iactura, ad eorum formam me transformatũ, quo rectius ſingulorum impoſturã deprehenderem. Reliquũ eſt ut meam tenuitatem excuſem, qui (crede mihi) nihil minus in animo habui, quàm ut meis ineptijs chartas oblinire uoluerim. Quare ſi quid, ut ſanè plurimũ, eſt admiſſum, Michaële Iſingrinio autore, uiro, ut citra omniũ iniuriam dixerim, typographo, alioquin diligentiſſimo, ac ſingularis iudicij, factum ſcias: qui me, ut ſolent candidi & ſynceri amici, non rogauit, ſed potius coëgit, ac tandem ut me ridiculo exponerem peruicit. Cuius operam ac ſtudium in excudendis non niſi ſelectiſſimus autoribus nemo ſatis extollere poteſt, adeò ut nõ raro uel ipſi ſua lima purgatiores facti, ac ueluti ſplendidiſſimo typorum ornatu circundati, non parum gratiæ apud optimos quoſcꝙ merentur.

Tu igitur ſtudioſe Lector utriuſcꝙ conatum boni conſule. Vale. Datæ Baſileæ,
v. Calend. Martias,
Anno D. M. XXXV.

REVERENDO AC MAGNIFICO ALPHONSINO TROTTO, EQVITI HIEROSOLYMITANO, COELIVS CALCAGNINVS S.

DISCITARIS à me uir Magnifice, quid de commentationibus Manardi noſtri ſentiam. Ego uero cunctanter tibi reſpondendũ exiſtimarem, ſi aut res eſſet obſcura, aut ego prius hominẽ amare, quàm admirari cœpiſſem. Sed quom iam publico doctorum omnium conſenſu dijudicatum ſit, Manardũ in omni diſciplinarum genere longe præcellere, omnesꝙ præclaras artes feliciter hauſiſſe, uideor mihi abdicata omni iudiciorum ſolennitate etiam ſtans de homine bene merito poſſe pronunciare, eum poſt homines natos longe eſſe clariſſimum: ſeu tu quæ ad naturam, ſeu quæ ad matheſin, ſeu quæ ad diuinitatem pertinent, explora ueris. Nam quid ego de ea parte, quæ ad mores ſpectat, mentionem habeam? quam ita quotidianis actionibus exprimit, ut facile intelligas, hominem ſanctiſſimũ, iuxtà & doctiſſimum, non ſolum lingua, ſed uita, atꝙ hac in primis philoſophiã exercere, ut ex eo poſſint aptius noſtriciues uiuendi exemplum, quàm documentum mutuari. Et ſanè qui eius cõmentationes non oſcitanter perlegerit, in ijs haud difficulter utraꝙ & animi & ingenij ornamenta perſpiciet. Et profectò non aliunde factum eſt, ut homo minime ambitioſus, animum ad ſcribendũ & ad eorum quæ ſcripſit æditionem appulerit, niſi ut promiſcue bonis ac bene ſtudioſis ſuo labore ſuaꝙ diligentia plurimum prodeſſet. Nam uir fœcundiſſimi ingenij, & qui quotidie ſe dignum aliquid meditetur, eorum maxime abhorret conſuetudinem, qui ſuos theſauros ita recondunt ac diſſimulant, ut nemini impartiendos arbitrentur. Quippe alij ſe intelligunt ad ſummam inopiam peruenturos, quom primum reconditas illas opes inuulgarint: alij perſpectum habent multa eſſe in hominum opinione tantiſper dum ſupprimuntur: quæ ubi publicum acceperint, tum mirifice expectationem fruſtrari. Contrà uero Manardus noſter, uel quod uirtuti ſuæ plurimum cõfidat, uel quod optima quæꝙ in publicum uſum depromenda cenſeat, nihil habet tam reconditũ, aut tam precioſum ex Muſarũ ſacrarijs erutum, quod non amicis, id eſt ſtudioſis omnibus, obuia manu impartiatur: plagiarios quoſdam minime ueritus, qui ſæpe capita libera, pro ſuis uernaculis uenditant. Eo enim eſt ingenio natus, ut nullius uitio uelit ſuam uirtutem labefactari. Emiſit annis proximis libros ſex Epiſtolarum medicinaliũ (ita enim titulum præſcripſit) qui ſunt in manu hominũ, amantur, leguntur, expetuntur. Indoctiſſimus eſt, qui ſe non ijs multum debere fateatur: præſertim quom plurima in maieſtate naturæ abdita, & à noſtris hominibus ignorata, atꝙ ad uitam impenſe neceſſaria, ille aut primus oſtenderit, aut, quod proximũ eſt, in diſquiſitionẽ uocauerit: ut qui antehac uenena, aut cer-

te ignota pharmaca, pro remedijs depromebant, hi nunc admoniti cunctantius, & non sine religione miseris mortalibus medeantur. Sex alios mihi nuper ostendit, quos in ordinem digessit, opus dij boni quàm uarium, quàm emunctum, quàm bonæ frugis plenum. Nam quod ad elocutiam attinet, tantum in hos libros contulit, quãtum existimauit necesse. Illud possum certò affirmare, eum ijs in cõmentarijs nihil prius habuisse in consilio, quàm suo seculo prodesse, & literis laborantibus opem ferre. Certe oratio ita perspicua est, ut neminem torqueat: ita pura, ut neminem, nisi paulò delicatiorem, offendat. Nam quod ex consuetudine medicorum, nonnulla in eorum libris protrita interseruerit, quæ aliquis fortasse morosus auersetur: par est ut, quisquis ille est, secũ cogitet, nõ modo à quo, sed ad quos etiam scribatur: & orationẽ non in dicentis, sed in audientis multo maxime gratiam repertam esse. Ob id frequens fuit apud ueteres illud Aristoph. ἀμαθὲς σόφ᾽ πῶς εἶπε καὶ σοφὲς σόφ. Illud habeo compertum, Manardum parabili oratione contentũ, accersitos cultus, & uerborũ anxios delectus alijs reliquisse. Vtcunq; tamen cæteri sentiant, mihi profectò frequenter ita adsurgit, ut non in Lyceo, sed in foro, aut in basilica uersari uideatur. Nec sanè quispiã putet Galenum, Oribasiũ, Aeginetã à Manardo accuratius excussos, quàm Ciceronem, Demosthenem, Pliniũ, cæteros q; elegantioris notæ. Sed enim eruditionis est uerba inuenire: suis autem locis accõmodare, & temporibus inseruire, prudentiæ. Cæterũ quod tibi recentissimũ hoc opus dicauerit, non possum non eius optionem plenam sapientiæ approbare: Tu enim unus es omniũ, uir clarissime, qui literas ac literatos soleas liberaliter amplexari: qui recta studia, omnibus fortunæ bonis anteponas: qui cætera omnia in rebus humanis incerta, fluxa, procidua existimes: solam autem esse literarũ prærogatiuam, cui uera laus & perpetuitas nominis debeatur. Bene uale.

Ferrariæ, ad XII. Calend. Nouemb.

M. D. XXIX.

INDEX MIRA BREVITATE MAGNAM COPIAM COMPLECTENS, QVI VLTRA QVÀM quod medicinæ studioso ceu instructũ pharmacopolion esse potest, utriusq; linguæ Lexici munere fungitur, magna nimirum cognitionis rerum studiosi commoditate.

ABORTVS causæ. 4.31 & 208.42. & 213.23
Abrotonũ. 166.48
Absessus curatio triplex 131.35
Absinthium in Illyrio frequens. 50.2
Absinthiũ marinũ. 26.21
Absinthitis uini commoditas. 244.17
Abulis. 102.12
Acantha Arabica. 227.7
Acacia uera. 76.18
Acchia pisces. 224.14
Acerbus, sapor. 5.45
Acetabulum quid. 276.8. & epist. 1. lib. 12
Achores. 15.8. & 97.47.50. & 282.38
ἀχλύς. 195.2
Achymon morbus oculi. 98.39
Acini. 153.12. et seq. & 227.35
Aconitum ubi gignatur. 198.5
Acorus. 76.13
Acrain. 103.42
Acrochordones. 101.20
Acruo, quæ & Noto, casiæ species. 129.44
Actio læsa 371.4
Acumen. 99.3
Acutos morbos quatuor decim 14. diebus udicari posse. 55.8 8. & 346.44
Adeps sanguis coctus. 327.36
Adipinus nodus. 107.2
ἄδιψον. 231.49
Adrachnes arbor. 254.45
Adustiuum. 98.42
Aegineta Galeni simia. 10.40
Aegritudo quid. 46.11
Aegritudo corporis ab ægritudine nascit. 47.14
Aegypti temperies. 95.36
Aequalis. 141.44
Aequinoctialis utrũ habitabilis. epist. 1. lib. 7. & 351.23
Aequinoctialis habitatio an sit temperata. 93.18
Aequinoctialẽ circulum habitantes quam æqualitatem habeant. 17.34
Aequinoctialis noctes diesq; semper æquales habet. 92.24. & 93.22
Aequinoctialis motus tãto est arctico uelocior, quanto ambitus est maior. 89.3
Aëris in morbis cautela. 51.22
Aër qui tranquillus, quis item serenus & tepidus. 3.46
Aëris sphæra nunquam tota motu calescit. 91.30
Aëris regio media semper frigida. Ibid. 32
Aëreæ corruptionis causæ. 17.50
Aëra in quo degimus nõ celeri motu circumagi. 91.34
Aestates sub æquinoctiali duæ. 92.33
Aestus sub cancro & capricorno uehementior quàm sub æquinoctiali. 92.51
Aestus quare sit in Iulio q̃ in Iunio uehementior. 92.7
Aethiopes sub Cancri circulo habitant. 88.46
Affectibus turbatis quibus remedijs mederi queas. epist. 5. lib. 4
Agallochi uirtus. 133.7. & 319.24
ἄγαγ. 136.36. & 190.14.
Agarici in febribus usus. 232.18. & seq.
Agilops. 83.38
ἀγκυλώσεις & ἀγκύλαι. 114.40
ἄγμα. 113.12.28
Agria Sarmatiæ regio. 165.8
Agrimonia. 175.31. & 374.7
ἀγρυπνὸν κῶμα. 134.38
αἰδοῖα. 180.39
ἄγγειρος. 10.7. & 11.22
αἰγίλωψ. 83.37. & 100.17
αἴθριος. 208.47
Aiuga. 360.1
αἰφνιδίως. 169.43
ἀίζοον. 180.21
ἀκανθώδεις. 166.13
ἀκαθαρσίαι 150.4
ἀκμή. 125.24. & 143.46. & 144.23. & 146.39
ἄκοπα. 155.26
ἀκρατίσιτον. 189.9
ἀκροχορδίωνες. 109.9
ἄκως. 187.38

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alarum nomine quid autor uelit intelligi. 68.14
Albara nigra. 108.23.30.40
Albedſanem. 112.33
Albeſed. lib.3.epiſt.4.
Albaræ temperatura. 11.25
Albugo. 99.30
Alcarnabet. 101.42
Alcaſim animal. 26.44
Alcea herba. 79.18. & 243.44
Alcola. 102.21
Alcuzen. 103.22
Alexipharmaca. 183.27
Alfalfa herba. 226.4
Alfaſafat herba. 226.5
Algidra. 109.49
Algor. 126.42
Alguaſen. 103.3. & 112.33
Alhuſar. 231.43
Alhaſaphum. 111.16.23
Alhaſpa. 109.43
Alhanſegi. 221.46
Alhoſor. 22.20
Aliar. 33.36
Alica. 268.19
Alimentorum temperaturę inueſtigandi ratio. 291.37
Alindaracaron. 74.6
Alintiſar. 99.45. & 107.13
Aliſtiſcat. 226.5
ἄλιβος. 194.9
Almiſmar. 109.13
Almocatis, id eſt caluaria. 65.22
Aloës lignum. 319.24
Aloës doſis. 262.34
Aloës uirtus. 2.30. & 230.9. & ſeq. & 266.49. & 267.20. & epiſt.3.lib.12
ἀλωπηκία morb. 97.36. & 140.2
Alphitidon. 114.11
Alphiton. 83.9. & 163.7. & 168.31
ἄλφος. 108.39. & 165.4
Alphonſi ducis Ferrariæ laus. 96.14
Alſarnac. 101.7
Alteratio priuſquam euacuatio facienda. 317.50
Aluus quotidie bis eat. 77.35
Alzarur. 234.21
Amaracus. 218.50. & 227.30. & 336.28
Amaracini uirtus. 136.17
Amygdalæ oris uitia. 102.
ἀμαυρωσις ὀμμάτων. (27 83.44. & 202.42
ἀμβλυωπία. 83.43
Ambra. 152.21
Amelic. 6.5
Aminea. 137.34
Ammion. 37.8.18. & 192.49
ἀμφιλαφής. 184.41
ἀνάβρωσις. 113.22
ἀναβλάκνων. 196.2
Anagallis. 33.38.42
ἀναληφθές. 185.37
ἀναπλασέον. 192.26
ἀναπάομαι 202.44
ἀνασωμωλική. 150.50
ἀναθήματα. 14.22
Anaxionis pleuritici curatio per Hippoc. 271.20
Ancyloglosſus. 101.44
Andacoca. 226.7
ἀνδρικῶς. 140.40
Andromachus theriaces inuentor, Neronis medicus 73.33.42
Androſæmon. 173.47
Anemon herba. 9.32
Aneſcen. 222.31
ἀνδύρυσμα. 106.32
ἀνδυρισμός. 130.27. & 148.43
Animales uires cerebri. 238.27
Animi motus abigendi. 78.1
Animæ uera ſpecies. 326.16
Animę tres diuerſę. 326.20
Anima plantarum nutritiua. 326.22
Animæ deorū cuiuſmodi. 326.23
ἀγκυλοβλέφαρον. 100.45
Anni partes per ortus & occaſus antiqui diſtinguebant. 342.23
Anni circuitus iuxta Alphonſum. 349.10
ἀνώδυνα. 142.12. & 145.49. & 161.10. & 163.34
ἀνώτατος. 196.18
ἄνθος χόδε. 45.19
ἀνθησις. 187.46
ἀνθιδιον. 233.29
Anthera quid ſignificet, epiſt. 3.lib.4. & 142.32
ἄνθραξ 106.25.30
ἀνθράκωσις. 100.12
ἀνλάκλου. 102.26
Antimelum. 179.21
ἀνλιπάθεια. 203.17
Antiquis plura incognita, quæ à recentioribus perueſtigata. 70.27
ἀντίασασις. 270.36
ἀντλάω. 177.49
ἄντλημα. 177.48
Antonius Cæſar quotidie pharmaco utebat. 76.36
Anulus oculorum morbus. 68.37
ἀπιπόστατος. 196.44
Aphace. 226.8. &c.
ἀφαιρεβώτα. 187.43
ἀφεψημένος. 189.8
ἀφλαὶ ulcera. 67.18. & 101.18. & 315.37
ἀφίεσμα. 144.13
Apĩ uirtus & qualitas. 258.23
Apium hortulanum hodie Petroſelinum. 63.18 & 67.38. & 75.31
ἀποβραδές. 185.40
ἀπόχημα. 113.46
ἀποκρουστικά. 153.38
ἀποκοπή. 114.13
ἀποκρουστικόν. 145.24
ἄπνοια. 207.38.47
ἀπόνια. 202.2
ἀποφύσεις. 176.4
Apoplexia.
ἀποφύσεις. 176.4
Apoplectici. 198.44.
ἀπόσεισμα λιβανώτου. 9.4
ἀποσκιπαρνισμός. 113.37
Apoſpaſma. 113.13
Apoſtema uetuſum. 105.
Apoſtema intercuta (35 neum. 95.10
Apoſtemata res uarias cõtinent. 107.4
ἀποσύρματα. 116.31
ἀπόθρωσις. 114.13
ἀπυρία. 201.20
Aqua extra craneũ. 98.9
Aquæ intercutis indicia. 62.50
Aqua congelata uim humectandi retinet. 217.22
Aquæ herbis per ignem extractę ſapore non reſpondent. 353.24
Aqua pro oculis. 79.3 pro dentibus. Ibid.12
Aquã fumo carere. 189.37
Aquilo morbis aduerſus.
Arabũ præceps ex (51.26 imitatione error. 68.48
ἀραιός. 186.1
Arantia. 254.47
Arbutum. 234.37
Archigenis epiſtolę medicinales. 3.14
Arction. 318.21. & 360.45
Arctous circulus à polo quantum diſtet. 96.29
Argemon. 98.38. & 275.35
ἀργέματα. 159.6. & 164.36
Argentina herba. 318.48
Argentũ uiuũ quantum cerebro officiat. 315.33
Ariſaron. 226.41
Aris herba. Ibid.
Aromatũ nomine quid intelligendum. 68.32. & 130.14
Aromata quæ amaritudine careant. 148.33
Aromaticæ poteſtatis medicamenta. 164.19
ἀρωματίζειν. 130.10
Arnion. 233.29
Arquatus morbus. 67.2
Ars medicinalis Hippoc. olim non intellecta. 1.41
Arſacon. 103.42
Arteria. 136.10. & 139.5. & 157.17
Arteria aſpera. 23.37
Aſtes omnes experimento & ratione conſtare. 266.13
ἀρτηριοπυθόντα. 179.50
Artritis. 189.47
Articulorum dolores antiqui quibus rebus mitigentur. 123.28
Articulorum doloris cauſæ & cura. 322.1
Articularibus doloribus conſilium. epiſt.3.lib.16
Artuũ dolores unde. 66.
Aruenſis. 67.45 (49
Arũdinalis fractura. 114.6
Aſarum. 128.40. & 147.48
Aſcarides. 34.45. & 256.33. & ſeq.
Aſiatici inediam fortius quàm Europæ incolæ ferre poſſunt. 54.49
Aſcachilon. 106.22
ἀσκέω. 45.47
ἀσκαρίζω. Ibid.
Aſpanac. 67.47
Aſphaltus quid. 76.11. eius uis. 132.42
ἀσωτιδιον. 178.22
Aſplenium. 318.48
Aſpritudo. 101.2
ἀσώδη. 162.26
Aſtrologiæ fides eleuatur 17.20. & epiſt.5.lib.15
ἀθήρωμα. 107.3. & 116.48
Athletarum diæta. 282.7
ἄτομον. 138.45. & 152.28
ἄθρωυσος. 150.25
ἀθρόως. 202.49. & 328.16
ἄτροφον. 163.32
Attoniti. 198.44
Atra bilis cõſideratæ. epiſt. 5.li.17. & 214.42. & 216.13
Atræ bilis ſpecies quinq. 216.47
Atrębilis notę. 30.34.31.40 incõmoda. 309.26. euacuatio. 218.20. genimina
Atriplex. 224.36 (382.38
ἀτρίπι. 104.32
Atrophos. 144.47
Atrophia. 100.8
Auellanæ hepati cõueniunt. 68.3
Aufume oculi mor. 98.42
Auicẽna rex in medicina dictus. 17.12. erroribus caliginoſus. 147. ſuum de medicina librum ab alijs tranſcriptſit. 33.18 quid illi intelligẽdo adiumẽto eſſe poſſit. Ibid. 20. Paulũ ſequutus. 33. 30. ſuis operibus ſupremã manũ nõ impoſuit. 222.43. inter claſſicos non numerandus. 231.31
Auralis. 102.12
Aurium morbi. 101.26
Auriũ ſibilus ſymptoma. 317.10. & epiſt.2.lib.17
Aurium ſonitus unde.
Aures à ſordibus (309.25 bene mundandæ. 77.33
Aurigo. 113.6
Auricula muris. 26.15
Auſter morbis aduerſus. 51.26. & 78.3
Auſter uehemens utrum calidus. 209.5
Auſter paruus nullas nubes obducit. 207.43
Auſtralia, medicina magis quàm aquilonaria amat. 125.37. & 146.45
Auſtrinus annus. 207.18
αὐχμόν. 213.11
Axillariũ uenarũ origo. 273.13
Azarolum pomũ. 233.22

B

Baccharis. 227.420
Balneãdi ratio. 77.48

Universidad de Deusto
Biblioteca

Balneum Mariæ.369.31.& 374.42
Balneum utero tumentibus.243.42
Balliris. 181.5
Balſamo hodie caremus. 74.8.15.28
Balſami uis. 132.28
Baptiſtæ Guarini laus. 312.9
Baræ. 105.20
Barba preti. 225.12
Barba petræ uel hirci. 27.38
Βαρύοσμος.185.49.& 165.44
Βαρύζος. 193.41
Batis. 161.41
Βάτραχος linguæ uitium. 101.48
Batrachij radix. 123.18
Bdellium. 152.24
Benedicta pharmaca. 69.45
Beralis. 102.12
Berbena. 58.33
Betæ folia. 148.20
Bezed. 33.12
Bilis tranſmutationes. 217.11. Vide Atra bilis, & in Melancholiæ nomenclatura.
Βλάσυ. 171.40
Blatta Byzantia. 299.6
Blephara. 172.7
Bolus Armenius. 62.14
Βωλῶδες. 193.34
Borago. 59.12.& 318.18
Botor. 99.37.& 109.39.& 111.34
Βόθρυον. 98.37.& 131.17
Βότρυς. 149.13
Βοτρυῶδες. 74.20
Botium. 103.13
Βουβωνοκήλη. 104.25
Brancha urſina. 227.9
Braſſica arboris inſtar. 222.5
Braſſicæ marinæ folia. 161.17
Breue, relatiuum. 328.43
Breuitas clara laudabilis. 208.11
Βρογχοκήλη. 103.12
Βρόχος. 190.8
Βρωμῶδες. 107.35
Βρῶμος 197.2
Bryonia. 131.20.& 220.39
Βρύον. 180.19.& 257.11.& c.
Βρωμωδέστερον. 193.18
Bubo. 106.4.& 141.39
Bucantiæ. 105.23
Bugloſſus.269.20.& 318.18
Bunias. 58.18
Bunion. 318.2
Burugi. 226.27

C

CAdmia. 274.37
Cæparum natura. 364.5
Calaba. 102.21
Calamintha. 275.49
Calamus aromatites. 76.12
Calamus odoratus. 132.20 & 149.40
Calculi renum & ueſicæ non iiſdem rationibus ranguntur. 147.15
Calculi in ueſicam incumbentis notæ. 265.24
Calculi curatio. 127.21. & 359.30
Calefactoria ad curationem pertinere. 306.4
Calix roſæ pars. 45.5
Calor innatus. 330.4
Calor cœleſtis uiuificus. 90.46
Calor quàm frigus naturæ amicior. 350.4
Calor poſitiui, frigus priuatiui rationem habet. 89.21.& 90.46
Calor quatenus magnus exiguusq; dici poſſit. 318.48
Calor humorũ turgentiæ cauſa. 285.34
Caloris tertianarius circuitus. 370.42
Caluitiũ morbus. 97.44
Canella. 149.41
Cancer. 107.23.27
Cancer ulceratus. 116.21
Cancri mamillarum remedium. 32.23
Cancri tropicus difficilem habitationẽ habet. 90.17
Cancri circulus ab æquinoctiali quantum diſtet. 96.28
Candrel her. 225.7
Candum quid. 22.30.34
Canis ſydus an aliquam uim habeat. 342.4
Cannæ mellis. 23.2
Capis. 101.7
Capnion. 71.21
Capnij doſis. 2.43
Capillus in Roſis. 45.1
Caput roſæ pars. 45.3
Capitis affectiones. 371. per totum.
Capitis grauitas ſymptoma.317.20
Capitis dolor unde. 309.24
Capitis morbi in cute. 97.30
Capitis antiquus dolor quam diætam exigat. epiſt.3.lib.7
Capitis lauãdi ratio.77.44
Caput purgari nõ poteſt niſi totũ corpus ſit purgatum. 85.30
Caput quomodo purgandum. 123.16.& 323.23
Caput ante corpus nõ euacuandum. 333.22
Capreolum. 182.9
Carbunculus. 106.25
Carbunculus oculi.100.12
Cardamomum. 37.41.& 75.21.& 256.26
Cardamomi nomine multa ſemina circumferri. 257.1
Cardamomum, id eſt cor dumeni 26.21
Cardamomi uirtus 127.28
Cardiaca. 128.27
Cardiogmos. 128.3.12.28 & 147.42.& 155.50
Caries. 116.49
Carlina. 227.3
Caro addita. 102.12
Carnes duriores tardius nutriunt. 292.19
Carnis & ſanguinis eadẽ temperatura. 292.50
Cayrites. 185.9
Caſei bonæ concoctionis notæ. 68.23
Caſia. 10.25.& 148.26
Caſiæ qualitas. 258.44
Caſię genera tria. 129.42
Caſia fiſtula non idem quod ſiliqua Aegyptia. 12.34.& c.
Caſia fiſtularis iutilis. 75.5
Caſiæ altitudo. 74.35
Caſia aromatites. Ibid.41
Caſia uulgaris à uera quãtum diſtet. Ibid.38
Caſia lignea alia eſt ab ea quæ ab autoribus celebratur. 129.46
Caſia dilationi uteri cõducit.130.35
Cataracta. 99.49
Cathartica.156.22.& 251.46
Cauetur fruſtra quod uitari non poteſt. 110.42
Cauſarum ablationẽ curationẽ non eſſe. 308.10
Cauſus. 162.10
Celſus bonus Hipp. interpres. 209.37.& ſeq.
Celſus Hipp. æmulator.
Celtes arbor.222.47 (6.38
Centaurium. 267.15
Cephaleæ medela. 369.9
Cephalica uena. 78.9
Cerebrum. 144.16.19
Cerebri definitio. 46.1
Cerebrũ quomodo purgandum. 300.5
Cerebrũ roborãtia.376.42
Cerebrum aëre æſtiuocalidius. 217.20
Cerebra omnia natura frigida. 368.18
Cerota. 237.44
Certamen Heſiodium. 228.83.& 302.42
Cereuiſia & ſaluberrimos & pulcherrimos homines facit. 57.17.& 364.17
Χαλάω. 136.34.& 180.39
Χαλάζιον. 167.81.& 190.19
Chalaſis. 114.31
Χαλάζιον. 101.11
Χαλαστικὴ. 150.50
Characias. 180.24.
Charatim. 34.41
Chamæleę præſentiſs. uis 199.5
Chamęmelon oleũ 295.45
Chamæpitys. 123.37
Χαμαικλινὲς. 179.5
Chebula. 29.22
Χαρώνια. 116.4
Χιλιοδλιώαμις 553.20
Χίμιλαι. 105.23
Χλιαὔγατα. 198.19
Χλωρος. 180.29
Χνοώδη. 177.44
Χοίνικι. 190.35
Chœrades. 107.20
Chondrilla. 225.7
Χονδροιῶντες. 103.27
Χονδυομὴν. 192.22
Χορτῶδες. 178.43
Χρυσίζων. 176.13
Chryſolachanum. 224.38
Chryſolithos uirtus. 302.
Χυδαῖος. 195.4 (10
Χυλός. 143.23.& 160.11.&
Χυλοδίη.160.3 (170.16
Chymici. 217.5
Χύμωσις oculorũ mor.98.23
Ciborum uarietas nõ ſimplicirer dãnanda. 54.30
Cibus nimius morbi cau
Cibi in humores (ſa.43.19
digeſtio. 45.43
Citatrices nigræ. 112.49
Cicerbita. 67.45
Cicorium. 121.43.& 162.3
Cimicus arbor. 253.34
Cinnabaris quibuſdã minium. 37.12
Cinamomum. 74.25.& 148.48.& ſeq. Eius raritas.74.21. qualitas. 258.44
Cinamomi ueri notę.130. 46. eius odor inenarrabilis. 131.41
Cinamomũ paſſim cinamomi nomine uenale caſiam eſſe.129.50.& 130.38
Cingulus uermis. 36.9
Circuli ſinguli CCCLX. gradus habent. 94.20
Cirſion Bugloſſus uulgo 269.19
Ciſampelos. 116.21.25
Ciſtos. 142.6
Cicerum uis. 160.28
Citrat. 318.49
Citrachia. 172.19
Citrangulum. 255.23
Citri ſemen. epiſt.3.lib.11
Citrinitas. 370.46
Clauſæ. 104.32
Clauí. 109.10.& 117.36
Climia. 274.37
Clima quartum non eſſe medium. 94.46
Clima quintum διὰ βώμης temperatum minime. 59.42
Climatis ſepti tẽperies & cõmoditas.94.15.& 96.3 & 150.1.& ſeq.
Clima διὰ βόδου. 95.34
Clyſter contra uertiginẽ.
Clyſteridion.38.50 (235.21
Cneorum. 261.43
Cochleare. epiſt.1.lib.12 & 262.46
Cœlum pro aëre. 18.18
Cœli pars maxima uelociſſime mouetur. 90.1
Cœlũ ibi tardius mouet ubi eſt cõtractius. 89.46

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cœlum quomodo motu calefaciat. 91.13
Cœlestia corpora accessu calorẽ afferre. 342.36
Cogitatio & imaginatio quid differant. 381.42
Coi temperies. 94.5
Colli morbi. 103.10
Columella oris. 102.26
Columbinus pes. 123.18
Colymbades oliuę. 143.21
Comarus. 234.36
Comitialis accessio ieiunũ occupetstomachũ.301.32
Comitiali morbo laborãtes per Manardum curati. 298.20
Comitialis morbi definitio.289.27
De comitiali morbo plura epist.6.lib.13
Compendium medicinæ epist.4.lib.4
Composita potio. 78.19
Compositio mala in quo consistat. 46.21
Cõcoctio. 27.86.& 280.19
Concoctio humorum redundantium triplex. 284.3
Condes. 226.32
Condylus. 143.35
Coniunctiuæ oculorum membranæ. 99.15
Consolida. 82.38
Consuetudo altera natura.53.45
Cõsuetudinis in diæta habenda ratio. 53.47
Cõturbatio, morbus oculi.98.18
Contusio. 114.46.& 115.3
Contrariorum locus tractatur. 89.32.& 90.10.& 270.17
Conuoluolum. 229.4
Conuulsa. 115.12
Cor uitæ fons. 46.5
Cor affectũ curari posse. 651.1
Cor quondã os uentriculi.128.8
Corallium anagallis.33.46
Corallium contra morbũ comitialem. 302.10
Corallina. 26.23.& 257.9
Cordumeni.37.41.& 256.25
Corneæ affectus. 98.31.& 75.21
Corneæ ulcera. 98.53
Cornu ceruini usus.26.16
Cornus arbos. 145.38
Coronarũ usum habent etiam capur infestantia. 148.1
Corneola. 277.15
Corpora cœlestia quomodo inferiora immutent. 386.14
Corporis humani partes. 45.33
Corporis partes principes tres. 314.19
Corpus unde sanum, ægrum ue. 46.9
Corpora temperatissima in temperatissimis locis. 94.3.& c.
Corpus penitus mundũ custodire neminẽ uelle 324.4
Corrupta operatio. 322.2
Coruus,oculi morbus. 100.20
Corui caput apud alkimistas.217.6
Cossi. 110.48
Costus. 149.26
Cot. 226.7
Cotonea. 145.8
Cotyla. 236.30.& 260.27.49
Cotylæ species tres.263.19
Cotyledones. 260.32.& 261.28
Coxendicis curatio.epist. 3.lib.10
Crapula oculis nocet. 79.33
Cremor. 170.16
Cretæ insulæ herbę in medicinis cõmendantur. 125.37
Criniti de honesta disciplina liber. 7.50.& seq.
Crisimorũ derum æstimatio.epist.3.lib.15
Crocodilon. 227.3
Crocus. 130.16
Croci optimi notæ. 133. 29. odor.155.8
Crucialis. 170.29
Crura roborandi ratio. 360.35
Crusta,morbus. 377.7
Cubitus. 114.35
Cucurbitini lumbrici. 35.39
Cuniculosum ulcus.116.15
Cupressi foliorum uirtus. 140.10
Curatio & præseruatio quid differant. 308.10
Curæ sanitatis studioso abigendæ. 78.2
Curta aurium uitiũ. 101.32
Cutis uitia. 112.41
Cuzen. 103.22
Cyanea lachryma. 76.18
Cyaneus lapis. 32.33
Cyaneum beneablutum non lædere. 335.23
Cyaneus color. 328.23
Cyathus. 263.35
Cynosbati spinæ. 141.47
Cyperi folia. 155.37. potestas.127.20.& 147.15

D

DAcię dies quanta,& eius temperatura. 595.31
Dactyli. 178.49
Dactyli Indi. 281.21
Δάδιον. 139.24
Δάκνον. 141.45
Δάμαλις. 158.14
Danubius aquas calidas scaturiẽtes habet. 367.13
Daphnitim Casię species. 129.44

Definitio-

Definitionis lex. 150.95
Definitiones medicas Galeni non esse. 108.7. & 128.32.& 150.38. & 157. 37.& 186.49.& 190.1
Defœdatiões cutis. 109.39
Deiecti. 115.10
Δηκλικά. 162.23
Delachrymatiões. 100.27
Demetrius Antonij Cæsaris medicus. 73.43
Δημοφοδίης. 166.39
Dentiũ pręseruatio. epist. 4.lib.6
Dentes abstergendi. 77.32
Dentium corrosio unde. 309.27
Dentibus conferentia.79. 12.38. nocentia. Ibid.43
Δέρματα. 157.44
Descensorium. 363.29
Desquamata ulcera.116.32
Destillatio quid. 380.21.& epist.5.lib.18
Desudationes secundum Auicennam. 111.29
Diaboli morsus. 117.19
Διαχύλικὴ Δωάμις. 168.14.
Diacorallion, αὐτίδοτος. 33.31.45
Διάγλφ. 11.31
Διαῖτα. 77.11.& 169.45. & 186.21
Dięta articulorum dolore laborantis. 324.15. chiragræ.362.41. comitialis morbi. 301.19. fluxu sanguinis laborantium. 49.45. hypochondriacæ melancholiæ. 239.62. elephantiasi præseruandæ. epist.3.lib.7. naturalia membra roborãs. 253.8. diæta pesti præcauendæ idonea. 59.5 pituitæ & atræ bilis.309. 39. diætę tenues.40.16. uertiginosorum. 235.31.
Diæta quæ seruanda ebeno utentibus. 379.20
Διαγόνατε. 187.28
Diagridion. 58.12
Διάπλυσμα. 143.24
Διαπύησις. 113.19
Διαφορητική. 153.38.& 230.19
Διαπνοικὸς. 181.48
Diapompholygos descriptio.295.40
Diatrion pipereon.252.44
Dictamnum. 75.24.& 276.27
Διδακτυλιαῖον. 182.40
Dies quot horas habeat. 345.49
Dies decretorij. 346.44
Dierum quantitas quantum ad calorẽ per se faciat.95.18
Δίεσις. 169.37
Διϋθρῶντα. 198.20
Δηκλική. 130.8.& 148.32
Δίνος. 370.49
Διυφώδη. 162.25
Dirchæa. 179.21
Dirdar arbor. 253.33
Discutere quid à repellere differat. 153.38.& seq.
Discutiẽdi uim calida tantum habent. 145.24
Dislocatio. 114.24
Disciplinæ quatenus medico necessariæ. 19.30
Disputaturi, de nomine conueniant. 268.49. & 278.42
Diuersio quæ utero tumenti conueniat. 243.21
Diuretica ne omnia mentrua prouocent. 258.15
Diuretica uterũ tumentẽ iuuant. 243.26
Δοκὲ. 162.18
Dolychos. 7.6.34.& 161.7
Dolor & uoluptas quid differant. 328.28
Dolorem in omnibus sensibus fieri. 328.25
Domi syderũ. 341.28
Dorsi morbi. 103.31
Δρίλιῶτες. 106.10.& 117.36.& 163.11.& 194.21
Δρακόνλιον. 109.30
Dracunculus. 172.26
Δριμυφαγία. 203.35
Δρυμᾶις. 147.45
Dubeleta pituitosa. 107.9
Dulcia non omnia calida. 293.38
Dura non omnia sicca. 292.26
Durities. 105.40
Δυσδιάπνοος. 188.21
Δυσώδες. 116.10.& 165.28

E

EBeni Indici electio & usus. epist.3.lib.17
Echin & Echidnam differre.202.16
Effectus an ab uno uarij prodeant. 271.2
ἀγγίσωμα. 113.41
ἐγκάνθις. 100.23
ἐγχύμωσις & ἐγχύμωμα. 113.17
ἐγκάθισμα. 157.19
ἐγκιρρον. 180.13
ἔγκλυσμα. 174.18
ἐγκύμωμα. 115.7
ἐκβράζω. 192.43
ἔκβρασμα. Ibid.42
ἐκζέματα. 151.21
ἐκθλιβῆς. 158.43
ἐκθύματα. 110.21
ἐκκοπή. 113.36
ἔκλυσις. 198.31
ἐκμύρος. 194.31
ἐκνίπτω. 197.23
ἔκπίεσμα. 113.39 & 134.31
ἐκπισμός. 100.10. & 195.46
ἐκπώσεις καὶ ἐκπώματα. 114.18
ἐκφράττω. 167.7
ἐκτρόπιον. 100.48
Elaterium. 281.3
Elaphoboscum. 228.4
Elaphros. 166.9
Elate. 144.13. & 153.10

Universidad de Deusto
Biblioteca

Electuariū regium Mesues. 48.8
Elementa quatuor corporis humani. 45.35
Elęomeli. 134.25
Elephantia quid ſecundū Galenum. 107.36.41
Elephantiæ præſeruandę diæta. epiſt.3.lib.7
Elephantiaſis. 15.1
Elephas,morbus. 15.18
Elephantus uel Elephantiaſis. 107.31
Elleboriſmus. 201.33
ἕλος. 99.8.& 109.13
ἐμφερὲς. 174.50
ἔμφυσημα. 100.41.& 105.35
ἐμφυσήματα. 173.23
ἐμπυλιαδὴ. 199.26
ἐμπλάττω. 158.6
ἐμπλαστικὴ. 158.7 & 192.16
Emplaſtra & unguenta uarij generis eſt uidere pag.456.& ſeq.
Emproſthotonos. 103.21
ἐμπόφυσον. 129.19. & 148.18
ἐμπυήματα. 139.49
ἔμπυοι. 163.21
γύαιμον. 189.40
γύαργῶς. 157.10. & 174.20
Endiuia. 63.15.& 67.45. & 121.43.& 374.7
Entaſis. 201.41
γύτρα γῆς. 25.18. & 34.40
γύτρον ὑλη. 104.10
γύτρον. 138.44
Enunciatio diſiunctiua neutri ſuarum partium aduerſatur. 277.30
γὺ τῷ καβάπαξ. 200.21
ἐφηλίδες. 103.2.& 111.38
Ephemera febris. 46.20
Ephialtes. 26.11.& 38.36
Epicauma morbus oculi. 98.41
ἐφθός. 160.23
ὠὴχέων. 192.5
Epidemialis morbus. 14. 50.& 119.7
ὠὴκρατυλικὴ λοίμεις. 157.49
Epimelis. 233.31. & 234.26
Epinyctides ulcus aciem hebetans. 100.20
Epiphoras oculorum nō ſemper inflāmari.148.23 & 100.26
ἐπιπλοκὴλη. 104.12
ἐπιπλοψωτεροκὴλη. 104.22
ὠὴνυκτίδες. 111.1.188.6
ἐπιφοραὶ. 129.27
ὠὴπολύ. 203.21
Epiſpaſtica. 150.1
ὠὴωάω. Ibid.
ὠὴωασκαὶ. 163.8
Epithymum. 262.10
Epiſtolis medicinam docere,ueterū exemplo, licet. 3.13
ἐπόμβρ&. 213.18
ἔπυλις. 102.5
Epithymi doſis. 2.38
Epſema. 194.44
Eraſiſtratus ægrotos fame cruciabat. 43.34
Erbum uel eruum. 6.7
Eridanus rex fluuiorum. 96.6
Erigeros, id eſt ſenection. 27.33.& 39.5
ἐρυθιζόμενος. 197.38
ἔρπης ἐδιόμελ&. 115.49
Erodere. 130.5
Eryngion. 269.8
Eryſimon. 226.25
Eryſipelatodes phlegmones.117.6.& 150.29
ὀρυσίπελας. 105.38. & 150.29
Erythrodanus. 243.28
Eruſilia. 5.24.& ſeq.& 161. 7.& 225.42.& 226.26
Eruum. 224.27
Eſcæ quid à medicinis differant. 291.41.
ἐσχάραι. 162.21.& 166.17. & 193.13
ἐσχαρῶδες,ulcus. 117.35
Eſſere. 111.6.14
Eſtiomenos. 106.23
ἔσωθεν. 184.37
Euacuationum diuiſio. 317.36
Euacuatio quo modo euenīat. 272.2
Euacuationē κατ' ἴξιν ſemper fieri oportere. 305.2
Euacuationis catholica. 333.23
Eulogium. 109.47
εὔλιον. 210.10
Euparorium & eius uis. 2.50. & 3.2. & 275.31. & 324.38.& 354.50. & 374.6
Euphorbiū à Iuba inuentum.170.11
Euphorbij medicamentum.368.22
Europa tantam inediam ferre non poteſt quantam Aſia. 54.49
ἐξανθήματα. 14.24.32.& 67.5. & 97.49. & 98.6.& 109.47. & 110.11. & 135.31. & 142.49.& ſeq.& 152.36 & 193.2
ἐξανθίω. 165.30.& 168.30
ἐξαρθρήματα. 114.18.& 23.29
ἐξαρθρώσεις. 114.18
Excrementa quotidie egerēda. 77.27.uide Aluus.
Excrementorum mutatio ſymptoma. 258.21
Excoriatio apud Auicennam quid. 116.31
Exercitij ratio. 77.24
Exercitium non quilibet motus purandus. Ibid.
Exedere. 130.5
Exitus oculi uitium apud Auicennam. 100.10
ἐξόμφαλος. 104.26
Exorbitare. 267.33
ξυλάδορες. 158.45
εὔλιον

εὔλιον. 4.46
εὐλίως. 5.1
εὔλιν&. 5.2
εὔλιον. 205.43.49.& 206.5. & 207.30
εὐθαλὴς. 171.12
εὔθηπος. 168.1
εὐκαίρως. 201.28
εὐκοίλια. 145.5
εὐκοιλιώτερον. 158.36
εὐμενὶς. 199.35
εὐπνοί&. 171.37
εὐπνὸς. 191.19
εὔστομον. 168.5
εὐτροφον. 158.46
εὐφύμ&. 198.25
εὐχρηστος. 166.30
εὔχυμον. 158.30

F

FAcici affectus. 102.30
Fames ægrotis quām ingurgitatio magis cōuenit. 43.34
Fama uulgi non omnino inanis. 110.39
Fauonius morbis nō inſalubris. 51.25
Fabæ natura. 6.22
Fauces. 136.11.& 139.6
Febris quid, & eius ſpecies. 46.20.& 280.17
Febris qualitas. 361.46
Febris & lumbricorū eadem cura. 26.12
Febrium acceſſionibus quid præmittendum. 232.18
Febri ſyrupus. 381.21
Fellis ſuffuſio. 113.6
Ferrariæ amœnitas. 96.8
Ferri qualitas. 367.43
Ferrum & ignis extrema remedia. 375.37
Ficus morb. 97.49.& 98.3. & 102.47
Fiſtula. 116.17
Fiſtula caſiæ ſpēs. 129.45
Flaua bilis. 216.7
Flos moſchatus. 178.49
Flos roſæ pars.45.1.198.40
Fluxus,oculorū morbus. 100.25
Fluxus muliebris. 257.49 eumq; curantia. 238.8
Focilia brachij. 114.35
Folium,morbus. 117.41
Formicæ. 106.41
Formicæ corrodentes. 116.23
Formicalis. 99.5
Fornix morbus. 117.23
Fœtus primis menſibus mollior. 331.38
Fœtunticeta. 34.39.41
Franciſcus Bencius aſtrologiæ negligēs medicus Manardi præceptor. 20.29
Fraxinus arbor. 141.6
Fraxinella. 51.18.& 229.31. & 253.30
Fricționum ordo quis ſeruandus. 300.23
Frigida & humida diſtemperantia quo modo pelatur. 252.25
Frigus res uitæ contraria. 89.18
Frigoris indicia. 396.14
Frontis calor unde.309.26
Fumariam non eſſe frigidam.275.17
Fumus terræ.275.25. eius uſus.24.3
Furfur morbus. 97.32
Furunculi. 106.15.& 117.37

G

GAda. 100.25
γάγγλια. 107.10
γαγγραίνα. 106.17
γαγγραινικὰ. 180.42
Galbega herba. 353.13
Galenus quando uixerit. 351.31. Latinæ linguæ ignarus. 209.44. ab Hipp. receſſit aliquando. 307.34. in legumini-bus aliquando hæſitat. 6.50. eius in componendis pharmacis ſedulitas. 76.36. eius autoritas in emendando Dioſcoride magis ualet quàm codicum antiquitas.149.28
Galenomaſtiges male audiunt. 294.35
Gallinarū caro uſui: ſanguis reſpuitur. 369.1
Gallorum iuris uirtus. 158.2
Gallici morbi origo & curatio. 14.16.& 18.1.& 107.38.& 117.50.& 118.28. & ſeq.120.30.& ſeq. 314. 26.& 377.43
Glandulæ. 107.10
Garab. 100.18
Gargareon. 102.23.27
Gargarizandum mane. 77.32
Gaza bonus interpres. 210.2. contra Leonicenum defenditur. 205.37
Gelatina. 59.15
Generi & ſpeciei eadem conueniunt. 353.1
Generoſus quis Ariſtotili. 48.26
Genethliacorum error. 17.30
γενικώτατος. 164.38
Genicula & genichella radix.253.29
Geniculata. 51.18
Genitalium pruritui quid proſit. 73.17
Genitalium roboratio. 253.24
γῆς γύτρα. 25.18.& 34.40
Geſſe. 100.38
Gibbi. 103.34
Gingiuarū affectus. 102.4
Gizi. 74.44.& 75.2.& 129.43
Gladiolus radix. 253.42
Glandis uitia. 103.49
Glandium ſapor. 5.45
Glaucedo. 100.3
γλαύκωμα. 100.1

Universidad de Deusto
Biblioteca

Glycysis. 173.10. eius radix. 29.18
γναφάλιον. 184.40
Gnaphalion. Ibid. 42
γναφαλιώδης. 276.27
Gnidi temperies. 94.5
Gnomeusili. 181.5
γονορρόια. 104.1
γωνατώδης. 153.2
γωνιοδύης. 148.8. & 161.48
Gramma, ponderis genus. 263.29
Grammarium, pondus. 38.27. & c.
Grando in palpebris. 101.12
Granum uiride. 111.45
γρᾶες. 327.21.30
Guadum. 226.43
Guaiacum lignū. 378.10
Guada herba. 226.40
Gula. 23.29. & 24.7
Gummi σμυρνίζον. 138.15
Gummi pruni & amygdalæ. 145.40
Gutta rosea. 117.21
Gutta rubra uel rabida. 117.2
Guttur. 23.37. & c.
γυναικεῖα. 126.48. & 135.25. & 147.8. & 155.9. & 159.4

H

HAbitus mali argumenta. 48.47.
Habitus ægrotantiū malus soluendus. 284.44
ἁδρός. 132.4. & 145.39
αἱματώδεις ὑποχύσεις. 99.19
αἱματέμεσα ὦπα. 101.28
Hæmorrhoidæ. 49.10. quibus aperiant. 151.31. utilitas. 136.3 diæta. 49. 45. & c. in melancholia ratio. 218.36
Hærere. 169.49
Halimon. 221.27
Hausegi. 221.33.42
Hastalis fractura. 114.6
Haurus romi, id est populus nigra. 10.6
Hectici. 198.48
Hedychroi compositio. 136.28
Helxine. 176.20. & c. 180.15
ἕλιξ. 182.9
ἕλκη ψωρώδη. 135.14
ἕλκος. 113.10
ἑλκώδεις. 111.46
ἡμέραι ἱκαναί. 157.40
Hemerocallis. 229.7
Hemicraneæ medela. 369.9
Hemina. 260.50
ἡμιψυγίς. 170.17
Hepar cōfortantia. 244.7
Hepatice, uena. 71.12
Hepatici. 163.44
ἡπατούμενοι. 198.47
ἕψηθεῖς. 171.45.
Herbum. 224.28
Helcodes pustulæ. 106.4
Hermaphroditæ. 105.3
Hernia. 104.11
Hernia gutturis. 103.12
Herniosa caro. 104.17
Hermolaus à Marcello male accusatur. 198.20. cōtra Marcellum defenditur. 155.1. & seq. 233.45
Herophili dictum. 127.9
ἑρπετά. 135.10
Herpetes. 106.36. & 151.13. & 159.18
ἕρπης ἰδιόμελος. 106.37. militaris. Ibid. 39
Herpetes magni. 110.29
Hesiodi lis pulcherrima. 228.43
Hiberis. 222.50
ἱδρῶα ἐξανθήματος genus. 143.10
ἱκανῶς. 160.10. & 188.11
Hierabotane. 177.26
Hieronymus Sauonarola contra astrologos scripsit, eiusq; laus. 18.27
Hippocratis patriæ temperatura. 386.37
Hipposelinum. 220.39
Hirundinis pulli lapidis uirtus. 302.8
Hispanicus morb. 117.50
ὁδλοί. 173.18
ὁμολογεῖται. 158.28
ὠραῖοι fructus. 188.12
Hordeum. 277.10
Hordei aqua. 56.34
Humeralis uena. 273.4
Humida res. 313.33
Humida actu, potestate siccantia. 149.27
Humiditatis indicia. 315.39
Humoris uox apud medicos. 132.37
Humores corporis humani. 45.41
Humorū in uesica redundantiū αὐτίδοτον. 265.34.
Humores abundantes quomodo uacuandi. 310.43. & seq.
Humores quomodo elemētis respondeāt. 45.45
Hyacinthus. 177.37
ὑακινθίζον. 166.2
ὑακινθώδες. 166.13
ὑβοί. 103.33
Hycca piscis. 224.19
ὑδλατις. 101.7
Hydrargyri malignitas. 314.25
ὑδροκέφαλον morbus. 98.9
ὑδροκήλη. 104.14
ὑδρομέλι. 177.12
ὑδρῶα. 111.16
ὑελίζον. 192.12
Hyemes ubi duæ. 92.38
Hyemis prima pars autūmno cōmunicat. 206.18
Hyemis & ueris qualitas quos languores causet. 211.10. & seq.
ὑγιεινόν. 190.13
ὑγρασία. 132.36
ὑπόπυα. 102.37
ὑπώπια. 102.
ὑπὸ præpositio. 150.32
ὑπάγχη. 145.4
ὑπόζωματίζω. 165.47
ὑπόχαρκωῦντα

ὑποσαρκοῦντα. 115.34
ὑποσαρκῶντα. 101.31
ὑπέρυθρον. 131.26
ὕφαλμύρα. 172.42
ὑπόχλωρον. 131.24.
Hypochondria. 49.3. & 189.10. & 115.13
Hypochondriaca. epist. 1. lib. 17. & 238.19
ὑπόχυσος. 202.45
ὑπόχυμα. 99.48
ὑποδιακνώ. 183.26
ὑπόκιρρον. 150.33
ὑπόκυρτος. 174.4
ὑπόλευπα. 175.35
ὑπόλδυκον. 150.33
ὑπόνομα. 116.15
ὑπόνομος. 165.23
Hypophoræ. 186.23
ὑποπνον. 99.9. & 113.2
ὑποποίκιλον. 133.6
ὑπόπυρρον. 187.36
ὑπόπυρον. 176.7
ὑπόσφαγμα. 99.16
ὑποτραχύς. 181.21
ὑποξάνθος. 159.27
ὑστερικὰ πάθη 173.43

I

IAbrol. 103.7
Iaspidis uirtus. 302.9
Ichneumonos pili ad quid conferant. 26.47
ἰχώρ. 163.9. & 202.5.11. & 258.1
ἰχωροῦντα. 101.29. & 166.35
Ictericia. 113.6
Idæi dactyli. 173.11
Idem trib. modis dici. 260.
Idiota. 13.25 (40
Iecinoris officium. 46.3
Iecur sanguinis fons. 289. 30. & 326. 26. Concupiscentiæ sedes. 326.15
Iecur roborantia. 360.22
Ignis S. Antonij. 117.44
Ignis sacer. 105.32. & 116.22 & 150.31
ἰκτερός. 113.4
Ilia. 189.13
Imaginatio & cogitatio quid differāt. 831.42
Impetigo. 108.1.11. & 112.7
Incubus studiosis uerendus. 28.9 eius morbi symptomata. Ibid. 14
Infantiū morbi unà cum infantia septimo anno abeūt. 377.23
Inflatio. 105.33. & 129.29
Inflatio, palpebrarum uitium. 100.42
Inflationis dissolutio. 252.38
Inium. 375.34
ἰνῶδες. 175.20
Intemperantiæ commissa quo modo resarcienda. 220.1
Intybū. 374.7. quomodo macerandum. 71.35
Intentiones curatiuæ sub tribus generibus comprehenduntur. 317.32
Interpretis officium fides. 126.23. & 133.5. & 141.18. & 145.42. & 147.28.37. & 148.15. & 151.44. & 154.3. & 190.29
Interrigines. 116.30
Intinctus. 59.34
Inuiscatio. 100.45
Ioannes Picus medicinæ non insciens. 17.11. cōtra astrologos scripsit. 16. 22. & 18.27
Ioannes Heymus. 5.6
Ionia. 198.5
ἴονθοι. 102.46. & 110.47.50. & 135.37. & 151.25
Iranis. 181.5
Iris Illyrica. 125.33
Iridis uirtus. 147.9. flores. 126.1. & 146.45
Isatis. 226.43
Ischiadici. 267.42
ἰχνός. 183.37
ἰχυρός. 171.20
Iuba rex Euphorbium inuenit. 170.11
Iudaica herba. 224.27
Iuniperus utrum cupresso similis. 140.17
Ius album. 295.21

K

KAθαίρω. 156.20
καίω. 129.34
κακοήθη. 14.42. 115.37
κακοχροίαι. 174.13
κάκτος. 209.4
καλῶς. 961.48
καλαμηδλόν. 114.7
καμάρωσις. 113.43
κάπνιον. 275.27
καρδία. 128.3. & 147.42
καρκινώματα. 99.13. & 107. 24.27
καρπός. 141.29. & 336.38.
καρυηδλόν. 114.11
καταῤῥῶ. 194.27
κάτεγμα. 113.11.28
κατάγραφος. 174.2
καταιονάμενος. 194.1
κατακορῆ. 192.45. & 193.37. & 195.44
κατακλάσονται. 197.24
κατάῤῥους. 152.16. & c.
καταῤῥιζόμενος. 190.48
κατάσπασις. 200.20
κατασυγκριτικόν. 194.36
κατάψυξις. 191.11
καυληδόν. 114.3
καυλιοδλόντες. 128.50
καύσων. 144.8
καχεξία. 63.2. & 48.47
Kebikengon. 103.6
Keiri. 33.7
κεκαύμενος. 194.16
κελυφός. 143.33
κέρκωσις. 104.49
κεφαλικά. 155.21
κήριον. 97.47. & 98.1. & 117.7
κιῤῥός. 188.20
κιῤῥοειδής. 202.38
κιρσοειδής. Ibid. 39
κίσσα. 256.1
Kitram. 45.34.
κίων. 102.25
κνησμώδεις καύσοι. 100.50
κοῖλον. 180.37

Universidad de Deusto
Biblioteca

κωλώματα. 96.37.& 139.10
κωκκία. 203.28
κολοβόστιχος. 127.39.& 147.29
κολοβόω. 127.36
κολοβώματα. 101.32
κόλπος. 116.12
κονία. 160.25
κονδυλώδης. 152.46
κονδυλώματα. 104.43
κόπος. 175.3
κοπάρεια. 187.22
κορυφή. 191.30
κόφω. 162.7.& 186.40
κριθή. 101.9
κροκίζω. 164.1.29.40
κυάνου χρῶμα. 192.34
κυβοί. 103.33
κωνικὸς σπασμός. 102.33.
κωνόσπαστα. 115.15.& 157.22. & 161.28.& 182.35
κυόσαι. 331.49
κυρτοκύλη. 104.18
κυρτή. 103.33
κύστις κεκραμωμένη. 159.30
κώματα. 119.48

L

Λάβρα. 213.19
Labrusca. 131.21
λαχανοδύτης. 168.45
λαχανώδης. 150.26.& 161.24
Lachrymæ. 100.30
Lachrymalium, carnis diminutio. 100.24
Lachrymarũ stillantiũ curatio. 316.33
Lactis tres partes. 366.21
Lac generantia. 258.29
Lactis bonæ coctionis notæ. 68.23. superfluitas & caseatio. 103.28
Lac asininum. 367.49
Lactumẽ morbus. epist.2 lib.17.& 117.11.& 377.3
Ladi foliorũ uirtus. 142.11
λαγοφθάλμοι. 100.46
Lapides renum & uesicæ quo modo generentur. 289. quid differant. 290.8
Larbason. 192.15
Lasuli pilularũ dosis. 32.16
Lauri species. ep.4.lib.7
Laurini olei uires. 134.42
Lauritis. 274.13
Laxare aliud quàm aperire. 162.28
S. Lazari morbus. 107.30
Lazuli lapis. 32.33
Lectuli uermium. 34.23
Legumina agnoscere laboriosum. 6.47
λέαι. 165.39.& 170.14.& 191.32.& 276.20
λειχλώης. 108.3.10
λεληθότως. 180.37
Lemnia terra. 37.21
Lemnium sigillum. 62.7. & 75.17
Lenticulæ. 102.49
Leonicení laus. 33.24. & 106.45
Lepidion. 223.3.& 338.8
Leporinę carnis consideratio. epist.4.lib.13.& 368.27
Leporinũ sanguinem nõ esse melancholicũ. 293.2
Lepra. 15.19.& 107.30. & 108.13.45
λέπρα & ψώρα quid differant. 107.46
Lepræ apud diuersos tria significata. 108.46
Lepra Græcorũ alia est à lepra recentiorũ. 107.41
λεπροὶ unguium. 105.19
λεπτόκαρπος. 167.1
λεπτόκαρφος. 173.49.& 174.8
λεπτογιδλίστρα. 164.23
Lethargus. 178.7
λδυπώδη. 164.46.338.41
λδυπώς. 166.12
λδύκωμα. 99.34.& 159.6
λίβανον, uel λιβανώτου. 8.49
Libanotis, id est ros marinus. 7.41
Liberalitatis cõmendatio. 87.8
Libysticum. 256.16
Lichenæ. 112.7
Lignum sanctum. 319.49. & 377.45.& 378.14
Lignum Indicum. 353.5. & 362.19
Ligni Indici decoctum. epist.4.lib.16
λιγνύη. 191.29
Ligustrinum unguentũ. 141.49.& 135.40.& 151.26
Ligusticũ. 228.4.& 256.14
Lilimie. 98.38
Lilium conuallium. 228. epist.4.lib.noni.
Limonium. 336.33
Linealis fractura. 1143.
Lingua auis. 253.13
Linguæ affectiões. 101.48
Linguæ abbreuiatio. 101.47
Lippitudo. 180.27.& 129.28
Lippitudo quibus modis tollatur. 72.35
Literis tantũ diuinis abscp ratione credendũ. 20.1
Lixiuij nobilis confectio. 323.31
Lobos. 226.1
Lotium medico mągis cẽs astra inspiciendũ. 20.39
Lolij caliditas. 10.50
λόρδοι. 103.35
Lotos arbor. 145.34.& 222.27
Lucanica. 02.39
De lumbricis. 24.35.& 26. 1.12. & 27.14. & 35.41.& 36.19
Lunaris fractio. 114.10
Lunæ motus & potestas. 344.24.& seq.
Lupulorũ natura. 364.14
Lupulus. 50.5
Lupus, ulcus. 117.28
Lusitanorũ peregrinatio. 88.31.& 92.48
Luxata. 114.28
Lysimachia. 277.13
Lysimachus lapis. 277.43
λυσσοδηκτά. 115.16

Macerones

MAcerones herba. 228.12
Macis, flos muscatus. 51. 5.& 52.45
Macies sub cõpositionis morbo cõtinet. 370.37
Maculæ. 112.41
Maculæ albæ. 112.48
μαλάρωσις. 101.22
Mænulæ pisces. 224.24.
Magnesiæ aquæ. 367.8
Magnum & paruũ relatiua esse. 261.15
Maiorana. 223.6.& 227.30. & 319.30
Malobathrũ hodie uix cognoscitur. 75.17
μαλάσσω. 145.4
μαλακίνω. 156.17
Mâlum. 99.7
Malum mortuum. 117.33
Mammarũ morbi. 103.25
Manardo quæ causa scribendi epistolas fuerit. 205.12
Manardo falsarij nomen falso impingi. 211.3
Mandragoras. 179.21
Mania à flaua bile exusta. 216.25
Manna. 8.9.& seq.& 22.10
Mannæ uirtus. 385.17
Manum aliquando totũ brachiũ significare. ep.3. lib.13
μαρασμός. 170.19
Marcellus in poëticis frequentius quâm in medicina uersatus. 154.40
Marella. 219.1
Mariæ balneum. 79.6
Martegonium. 170.29
Marum. 76.13.& 227.29
Martij panes. 68.38
Martini Hunni laus. 302. 26
Masticches facultas. 135.3
Mathias Syluaticus non tam intelligit quàm colitur. 1.50
Matricis augmẽtũ. 104.34
Matricaria. 173.6.219.2
Matronalis uiola. 33.8
Maturare. 149.48
Maturatio quid. 279.17
Maturitas. 153.3
Mauritanię temperatura. 95.36
Mecon rhœas. 177.40
Mediana uena. 78.9
Medica herba. 226.3
Medica malus, arb. 254.50
Medicamen aduersus adfectus turbulentiores. epist.5.lib.4
Medicamẽta manus Dei sunt. 127.9
Medici ex commentario. 97.6
Medicorũ antiquorũ cõmẽtaria deprauata. 1.34.
Medici quatenus ægrotantibus adulari possint 54. per totum.
Medici cura inde ordiet, in quo desinit resolutio. 52.15
Medicis nostratibus ęque ut antiquis licere libros ædere. 1.20.
Medico quatenus astrorum cursus necessarius. 341.44
Medicinæ definitio. 45.31. & 46.45
Medicina antiqua & uera hodie se exerit in lucem. 80.10
Medicina è græcorũ fontibus haurienda. 80.18. & 81.4
Medullæ plerunq; alia cẽs corticiuis. 151.4
μεγαλόκωλος. 158.9
Meiendi difficultatis præsidium. epist.2.lib.13
Mel syluestre. 22.16
Mel aërium. 281.20
Mel roris uel aëris. 22.13
Melancholiæ tractatus. epist.2.lib.9.& epist.5. lib.17
Melancholia à pituita fieri nequit. 216.35
Melãcholiæ definitio. 371. 47. diuisio. Ibid.48. materiæ. 215.45. affectus tribus modis fit. 215.16. symptomata. 215.32.& 216.2.& 218.3.& 238.40. in cerebro resoluendæ intentioẽs. 218.11. cura. 217.50. phlegmatica. epist.5.lib.16
μελανίαι. 112.49
μελανθιον. 175.43
μέλια. 124.11.& 173.35
Melicratũ aquosum. 357.2
Melicrati humectandi uirtus. 313.35
μελικήρεις. 107.2.& 131.34
Meliloton. 245.25
μηλίζω. 159.36
μῆλον. 99.7
Melleus nodus. 107.3
Membra naturalia. 243.11
Membrorũ externorum morbi. 105.11
Membra principalib. mẽbris ministrantia. 46.7
Membrorũ robori utilia. 320.22
Membra similaria & instrumentalia unde componantur. 45.46.
Memoratiua morborum. 46.34
A mensa cum fame recedendum. 52.3
Mensis secundum Galenum. 345.2
Menses Hippocrat. quot dies habeant. 332.8
Mensium numerus & nomina apud antiquos nõ eadem. 342.25
Menstrua prouocantia. 258.21.& 26.7
Menta. 275.50
Mentagra. 112.11

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mentastrum. 276.1
Meon. 127.16.& 147.13
Meridionales medicinæ, septentrionalibus præferuntur. 125.38
Merin. 23.30
Mes granum. 5.38. Idem quod pisum. Ibid. 47. & seq. & 6.21
Mespilum. 233.22
Mespilorum quantitas & forma. 145.30
Mesue medicorum euangelista. 2.4. eiusq; errores. Ibid. & seq. non tantæ autoritatis ut dicta eius præiudicij uim habeant. 230.13
μνεῖ γνιαυτόν. 188.40
Methodici. 200.31
Metopium lignū. 136.30
Metus melancholiæ symptoma. 215.32.& 216.2.& 238.40
μεζέρεον. 261.45
μικρόν. 42.8
μίλος. 124.11
μίλφωσις. 101.22
Milton quid. 36.39
Miltus. 37.1.18.20
μιλτοπτέρδαι naues. 37.3
Minium. 36.46.& 192.49
Misy. 193.22
Mœstitia melancholiæ symptoma. 215.32.& 216.2.& 317.21
Mœstitia atræ bilis genimen. 382.38
Mollificatio testium, morbus. 104.7
μονοκέφαλον. 162.37
μονοπώλιον ad cumulandā pecuniam ualet. 342.48
Morbus quid. 46.31
Morbus quibus ex causis uehemens dicat. 65.44
Morbus genere triplex. 46.14
Morbus signis agnoscit. 46.33
Morbis extremis extrema remedia conueniūt. 44.15
Morbus mortalis. 65.31
Morbi incertarū sedium. 105.25
Morbi longi longam curationē desiderāt. 121.18
Morbilli. 109.46.& 110.26
Morbū q̄ imbecillitatē curare præstat. 42.15
Morbo urgente audendum. 31.47
Morborū noua nomina apud recentiores medicos. 116.37
Morphæa. 108.39
Morsus bestiarū propriā curam desiderant. 155.32
Mortis meditatio ueraphilosophia. 47.27
Morus palpebræ uitium. 101.14.
Moschata nux. 79.24.
Moschon suauissimū aroma esse. 130.17
Mosyleticus rubus, uel Musylitis. 130.22
Motus species. 310.17
Motus quis exercitium dici debeat. 310.20
Mucarum syrupus. 377.25
Mugæ. 105.23
Muliebrium locorū morbi. 104.29
Mulsæ aquæ uirtus. 189.7
Muscus marinus. 257.11
Murarū symptomatis genus. 316.33
μυδρίασις. 99.45
μύδλωσις. 101.22
Myocephalus. 99.5
Myotis. 26.15
Myracopū. 9.26.& 11.20
μυρμηκίαι. 106.42.& 109.10
Myrrhæ bonæ raritas. 74.16
Myrrhæ uirtutes. 137.31
Myrrhis Cerfoliū. 269.19
Myristica nux, id est moschata. 79.24.& 244.14
Myrobalanus. 29.21
Myrroraphanus. 223.22
Myrsinites. 185.10
Myrta. 190.31
Myrtus. 145.1
Myrtites. 185.9
μύσις. 104.33
Mystrum. 263.35
μυξαίθεια. 213.16

N

NAbac. 222.40
Narantia. 59.20
Narcoticorum utilitas. 244.50
Nardus. 127.32.& 151.47
Nardo Indica nos caremus. 75.7
Narū affectiones. 101.34
Narium crustis quo modo medeatur. 72.46
Narta. 221.19
Nascaphthon. 221.15
Nasturtium. 226.22
Nasus mane bene mungendus. 77.28
Natura. 43.20
Natura pro anima accipitur. 326.13
Nata & Napta. 117.38
Nebula. 99.34.
νεφελικός. 147.21.& 127.27
Nepeta. 275.50
Nil, id est Pompholyx. 78.40. oculis confert. 226.45.& 274.43
Nisculi. 34.40
Nobilitas quæ Aristoteli. 48.27
Noctis ludibria, morbus. 28.13
Nodi. 106.50
Noli me tangere, morbus 117.24
Nominum notitia quatenus medicis necessaria. 97.23.& 12.27
Nomia morborū externorum explicantur. epistola 2. lib. 7
Noto casiæ genus. 129.44
Nubes urinę. 327.32
Nucleus. 153.13.& seq.
Numero eadem. 260.44
Nux unguentaria, id est moschata. 60.22
Nyctalopæ. 157.36
νύμφη. 104.48

O

OBscœnitatem in uerbis non esse. 105.10
Obscœnarum partium morbi. 103.37
Obstructio, morbus. 370.48
ὠχρά. 126.4.& 186.25
Ocimum. 227.35
Oculus imminutus. 100.9
Oculorum grauitas unde. 309.25. profunditas. 100.9. siccitas. 100.39
Oculus dexter sinistro debilior. 315.27
Oculis uenarū sectio mimine inimica. 71.15. quibus obiectis moueātur. 338.18
Oculis conferentia. 79.3.22.32. lædentia. Ibid. 32. præseruatio. epist. 4. lib. 6
Oculi à sordibus mundandi. 77.33. frigida abluendi. 72.15
Oculi, populi fructus. 9.31
Odorum nomina ad sapores non transferuntur. 130.11
ὀδμαξῶδες. 197.6
Oedema. 151.44.& 105.39.& 136.21.& 141.33
Oenanthe. 188.8
ὄγκος ἀσύγκος. 202.24.
οἰκονυμφίη, continens. 94.32
οἰνώδης. 173.50
οἰσοφάγος. 23.29
Oleastelli præsentia. 199.5
Oleum quid ab unguine differat. 150.47.49
Olei penuria quondam prædicta. 342.40
Oleum omphaciū. 244.27
Oleraceum. 150.25
Olus unde dictum. 224.48.& 269.2
ὀλίγον. 42.7
ὀλιγοκρατία. 264.19
Olusatrum. 269.17. eius folia. 129.21.& 269.17.& 148.20
ὀλώθοι. 199.24
Olyra. 277.11
ὠμήλυσις. 160.5
Omphacitis galla. 143.35
ὀνειρωγμός. 104.2
Onisculi. 25.18.& 34.38.
ὀνυχίτης. 191.26
ὄνυξ. 99.11.& 152.24
Ophiasis morbus. 97.36
Ophthalmia. 98.23.& 129.29.& 180.27
ὀφθαλμῶντας. 180.26
ὀπιδόστονος. 103.21.& 169.48
Opopalsami preciū atq; raritas. 74.8
ὀπός. 136.31.& 185.33.44.& 280.13.
Opposita passiua. 278.49
ὀπώρα. 144.3
Orbon herb. 6.7.& 224.27
ὄρχεις πεφυσωμένοι. 178.36
Ordeolum. 101.9
Ordine certo omnia esse constituta. 343.35
Ordine carent, quæ contra naturā sunt. 343.44
Oris distentio. 102.33
Oris interna uitia. 102.16
Oris lauandi ratio. 72.20
Ornithogalon. 225.19
Os uentriculi quondam cor. 128.8
ὀστοῦ ῥάκωσις. 104.8
Ossa dupliciter à suis sedibus mouentur. 114.13
Ouorum recentium cōmoditas. 245.17
ὄξος & ὀξύς. 192.10
Oxybaphum. 261.31.& 262.30.& 263.28.35.& 276.8
Oxyacantha. 141.43
Oxylapathon. 121.45
ὀυλή. 192.29
ὄλαι μυδῶντα. 190.4.
ὄλαι μέλαιναι. 112.50
ὄορ. 129.24.
ὀυραγός. 186.41
ὀζύνα. 67.17.& 101.37

P

PAliurus arboreſcit quandoq;. 222.8.20
Palloris symptoma. 370.45
Pæonia radix. 173.10
Palpebra fiscosa. 101.3
Palpebrarum affectus. 100.32 casus. 100.36. inuersatio. 100.47
Palpebrarū crassities curanda. 317.2
Panacis genera tria sunt. 227.46
Panaricium. 105.14
Panis crudi efficacia. 159.42
Panis ex aqua usus. 55.25
Panis odore uita triduum prorogata. 403.41
Panus quid Plinio & alijs significet. 105.50.& 112.42
Papulæ. 112.18
Papulæ sudorum. 111.16
Papularum eruptiones. 110.33
aradysus ubinam gentium sit. 95.26
παράλυσις oculorum morbus. 100.15
παραπλήσιον. 129.16.& 148.12
παραφύσες. 134.12
παρασίζω. 192.28
Pararthrema. 116.30.& 236
παρεμπλάσσω. 192.6 (46
παρεμπλασσικὴ. 166.21
παρίδμια. 102.24.
παροχέτευσις. 270.37
πάρασις symptoma. 337.
Parthenium. 336.20 (48

Universidad de Deusto
Biblioteca

παρουλίς. 102.5
Paruum πρός τι. 328.43
παρωνυχία. 105.13
παρώτιδες. 101.32
Passæ. 253.12
Passulæ. 59.19
Pater noster de ambra, lapilli. 79.13
Pathognomica. 66.15
Paulus Iouius medicus. 223.30
πελιώματα. 112.50
Pentaphyllo utrum locus in theriaces compositione. 76.2
Pentoboron. 173.10
πεπαίνω. 132.2
πέψις, digestio. 278. 6. ea duplex. 279.30
πεπτικός. 149.48
Perforatū à fistuloso differt. 194.35
περίαπτα, id est amuleta. 302.6
περιδεδραμένοι. 100.31
περίεδρα. 197.5
περικάλυμμα. 153.11
περικάρπιον. 279.17
Periodica afflictio. 264.41
περιφέρεια. 168.28
περίφιμωσις 103.50
περίψυξις. 147.7
περιψυχόμενοι. 147.4
περιῤῥέω. 202.30
Peristereon. 177.27
Perniones. 105.22
Persica arbor & Persea quid differant. 145.12
Pestilentiæ præseruatio. epist.3.lib.5.
Peste grassante aquæ calidæ non laudantur. 59.1
Pestis initio euacuandū. 286.25
Peste laborantibus quæ uenæ secandæ. 61.5
Peste laborantibus quis cibus conueniat. 61.39
Peste infecti quibus remedijs uti debeant. 60.46.& seq.
Pestilentum morborum ingenium. 16.41
Petrella. 27.36
Petroselinum. 63.18.& 388.38
Petroselinum hodie desideramus. 75.30. ab autoribus quomodo appellatum. epist.4.lib.12
φαγεδαίναι. 115.44
φάκοι. 102.50
φαλάκρωσις morbus. 97.45
Pharmaca quāta diligentia componenda. 76.32
Pharmacopolæ arbitrio medicaminum compositiones non permittendæ. 73.32
φάρυγξ. 136.11.& 15.36
Phaselus. 7.27
Phaseli herba. 5.42
Phaseolus. 76.& 225.22
Phasioli nomen unde. 182.8
Phasiolum aliud à phaselo. 161.6
Philosophus temperaturas aliter considerat ac medicus. 48.291.38.& 294.& seq.
Philosophorum uitæ ad Galenum autorem nō referendæ. 343.2
φίμωσις. 103.49.& 104.32
Phlebotomiā incubo prodesse. 31.10
Phlebotomiam qui colores prohibeant. 31.16
Phleborομia preseruatur pestis. 57.47
Phebotomiæ ratio. 71.13 289.24. an oculis officiat. 71.15
Phlebotomiæ usus in uictus ratione. 78.9
Phlebotomia morbo comitiali. 299.26. Pleuritidis. epist.1.lib.14.& lib.12. epist.5.& 308.27. & 387.11 capiti purgando. 333.34. dolori membrorum. 324.30. utero tumenti. 243.8 Melancholiæ. 218.22. uariorū symptomatum. 317.42
φλέγμα. 169.6
φλεγματῶδες. 167.4
φλεγμονή. 105.36.& 129.29 & 160.21.& 192.48
Phlegmone erysipelatodes. 105.43.& 117.6.& 133.46
φλυκτίς. 202.6
φλυκταίναι morb. 98.5.32
φλύκταιναι. 106.47
Phrygepanorū familia. 48
φρίκη. 147.7 (31
φρῶδες. 200.2
Phthisis. 99.96.& 139.40
Phthisici. 198.48
φθόη. 139.46
Phu. 148.14
eius folia. 129.21
Phycus. 181.14
Phygethlon. 105.48.& 112.45.& 141.40
Phyllitis herba. 172.23.33.& 394.2
φύμα. 106.1.& 141.39
Picra Galeni. 241.1
Piceæ folia. 139.19
Picris. 162.2
Pilaris morb. 103.30
Pilo hausto māmas dolere. 103.28.
Pilorum dedecora. 101.21
Pilulæ cōtra uertiginem. 235.12
Pilularum Rufi compositio. 58.35
Pinguedo sanguis coctus 387.37
Pirorum qualitas. 145.25
Pisces gutture & collo carent. 24.2
Pistaciorum uirtus. 146.2 & 164.12
Pisum. 5.47.& seq.
Pituitę omnes albę. 216.16
Pituita gipsea. 217.24
Pituita tam assari nequit, ut nigra fiat. 216.39
Pituitæ incōmoda. 309.20
Pituita in cerebro congelari non potest. 217.17
Pituita ex capite per nares euacuanda. 398.46 congelata in atram bilem non uertitur. 217.21
Pituitæ cursus. 100.27. eruptiones. 110.33
Pituitæ purgandę ratio. 52.15.& 323.9.& 333.28
Pituitosam materiā in cruribus discutientia. 360.7
πίτυρα, uel πιτυρίασις. 97.31
πλασλαρά. 116.10.& 143.24
Plaga. 113.11
Planta noctis. 111.8.16
Plantaginis folia. 161.23
Plantaginem oleraceam esse. 161.30
Platani uirtus. 141.3
πλατανώδη. 179.15
Platyophthalmon. 192.14
πλατύφυλλον. 161.24
πληκτικόν. 131.25
πληρόω. 192.7
Pleuritis ubi nascatur. 364.46
Pleuriticus quis. 307.22
Pleuritidem quæ phlebotomia deceat. epist.5. lib.12
Plinij patria. 224.1
πνεύματα. 197.46
πνιγαλίων. 28.13
πνιγμὸς ὑπὸ ἐφιαλτῶν, morbus. 28.12
Polenta. 83.8.& 160.7
Polygonaton. 51.19.& 229.38.& 253.31
πολύκνημον. 194.8.& 195.14
Polypus narium. 101.37
Polypodij potio sanguinem per urinam elicit. 266.30
Polypodij dosis. 2.49
Pompholyx. 72.17.& 78.50.& 273.45
πομφολυγώδης. 193.42
Ponderum aliquot notæ. epist.4.lib.18.
πόνος. 202.1
Ponticitas sapor. 5.44
Populus utrū calida. 9.35
Populus alba. 141.10
Populi nigræ folia. 141.20
Populeū unguentū. 9.27
Porcina caro humanę maxime similis. 292.32
πόρος οὐρητικός. 157.28
Porrigo morbus. 97.31
Posca. 319.43
ποσῶς. 164.2.& 195.37
ποσία. 101.9
ποτήριον. 140.46
Potestas animalis duplex. 46.2
Potus contra Melancholiam condiendi ratio. 240.1
Præcordia. 189.11. Celso hypochondria. 238.32
Præseruatio æque ac curatio diæta & medicamentis constant. 67.30
πρασίζων. 169.27.& 148.38
Prasium. 186.24
πρασσω. 140.48
πρίασπισμός. 103.45
Principia morborum unde sumenda. 271.30
Priuatiuæ uoces non totam formā tollūt. 207.40
προηγουμένως. 200.45
Prognostica morborum. 46.33
προκατέξαντες. 200.44
πρόκλυσμα. 145.7
Pruritus uel prurigo palpebrarum. 100.50
πρόπωσις. 99.2.& 104.35.& 195.46
προπότισμοι. 163.41
Proprietates quid à natura differant. 16.18
προσκαίρως. 177.19
προσυφήματα. 187.21
πρόφαγος. 151.48
προσπλασική. 191.34.
πρωτοπάθεια. 156.1
ψαφαρόν. 71.38 1
ψυδράκια morb. 97.48.& 985.30.& 112.4.& 158.47
ψώρα. 107.46.& 105.14
ψωρώδη. 151.20
ψωριῶντα ἐλέφαρα. 100.50
ψωροφθαλμία. 100.49.142.
Ptarmice frutex. 226.30(19
Pteris. 26.20
πτερόν. 137.48
πτερύγιον. 99.20.& 105.18.
πτίλωσις. 100.36.& 139.26
Ptisana. 160.8.& 387.38
Ptisanæ usus. epist.2.lib.5 uirtus. 159.48. à recentioribus, nō rite parari. 55.35
πτῶμα. 115.10.& 165.12.& 195.7
Pudēdagra. 118.3.& 394.15
Pudendorum utriusq; sexus cōmunes affectus. 105.2
Pulegium. 275.43
Pulsuū differentiæ. epist. 1.lib.11
Pupilla. 99.45
Purgatiōis catholica. 31.41
Purgandi corporis ratio. 57.43. in Melancholia. 363.45.& seq. per omnes anni partes. 78.15.
Purgationes potius crebræ sint q̄ magnæ. 85.33 sub Cane cur molestæ. 342.4
Purgatio pleuriticis ab initio molienda. 307.20
Purgatio pudendorum. 132.45
Purgatorijs utrum pharmacis utendū sit in materia minime turgente. epist.1.lib.13
Purgatoria medicamina. 2.11.& 181.1
Pustulæ. 109.38.& 143.16

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pustularum nomen generale.14.27
Pustula oculorū morbus. 98.35
Pustulæ liuentes. 111.3
albæ uel lacteæ. 111.35
glandosæ. 111.47
oris. 73.7
Putrilagines. 150.5
πυλωρός. 309.21
πυορρόαντικῶτα. 101.29
πυρά. 139.28
πύρετος. 151.16
πυρλώ. 153.12.& seq. 233.46. 234.2
πυρλῶις. 244.38
πυρία. 132.6.& 189.28.& 194.15
πυρίκαυστα. 115.13
πυρώμενος. 189.27
πυρράν. 193.37
πυρρός. 180.13
πυρωδικός. 136.17.& 151.37 & 184.21 Q
QValea coturnix. 50. 15.& 68.13
Qualitas humorū. 285.30
Qualitates primæ actiuæ & passiuæ. 214.19
Quintilis quare calidior sole in Cancro uersante q̄ in Geminis. 92.7
R
RAcosis. 104.8
Radicula. 67.45
Radius. 114.35
Radix pontica. 69.36
Ramix omenti. 104.12.14
Ramix uaricosus. 104.19
Ramis inguinis. 104.25.& 164.10
Ratio utrum plus an autoritas ualeat. 307.9
Rauedseni. 69.36
Ramnum. 221.42
Rancula. 117.45
Ranula liguę uitiū. 101.49
Raphanus. 223.20
Raphani duæ species. 67.
Raphanalis. 114.5 (42
ῥαφανηδόν. 114.3
Rapi semen quomodo terendum. 76.30
Recipiens, genus uasis. 374.43
Reduuia. 105.14
Regibbi. 103.35
Regius morb. 62.46.& 113.15 præsentem medicum requirit. 73.21
Resina laricea. 237.49
Resolutio. 100.15
Reuulsio à uacuatione nihil differt. 270.26. quomodo facienda. 306.14 cum euacuatione fit. 270.49
Reuulsionum mensuræ.
Rha. 69.36 (304.24
Rha fluius. 64.14
ῥαδδίον. 117.10
ῥαβδοειδής. 170.46
Rhagada linguæ humor. 102.1
ῥαγάδια. 116.28
ῥαχῶδες. 116.14
Rheon. 69.38.& 74.17
Rheon radix. epist. 5. lib. 5
Rheon barbarum. 63.44. & 165.19
Rhei barbari cōsideratio. epist. 6. lib. 17.& 388.5
multa nomina. 69.35
uirtus & usus in febre. 232.10.& seq. uires innocuę. 70.36 dosis. 2.38
Rheo bar. epoto quibusdam ani uenas reserari. 266.23
Rhecoma radix. 63.43.& 69.38
Rheumatica ulcera. 115.35 & 195.21
ῥευματισμὸς ἀρτηρίας. 177.50
ῥευματιζόμενος. 190.36
ῥῆγμα. 113.14.& 202.36
Rhian. 69.38
ῥικπαρόν. 115.36
ῥίγος. 126.37.& 147.6
Rhodi temperatura. 95.34.
Rhos. 8.20
ῥοφούμενα. 198.16
ῥωγμή. 113.32.& 115.3
Rhus. 70.16
Rhus coriaria. 143.43
Rhu, id est sumach. 27.40
ῥοῦς. 132.41
ῥυὰς. 100.24
ῥυτίδες. 112.50
Rigor colli morb. 103.22
Rigor & rigere. 126.17
Rima. 116.50
Rimę, scissa uel fissa ulcera. 116.29
Robur in acutis non augendum. 43.30
Roris marini seminis usus
Ros Syriacus. 8.31 (219.9
Rosæ exungulatæ. 44.48
Rosæ partes sex uirtute differentes. 44.44
Rosarum uirtus. 142.23
Rouilia. 6.45
Rubus. 130.24.& 221.46
Rubrica. 37.2.18
Ructus unde. 309.25
Ruellius defenditur contra Marcellum. 189.35
Rugæ. 112.50
Rumex. 172.26
Ruptura. 104.11
Ruptura coronæ. 99.3
Ruscus. 318.19
Ruscі radix. 183.33
Ruta capraria 353.37
S
SAbinæ uires. 140.25
Sacchar. 351.50
Saccharum quid. 386.46
Sacchari cōsideratio. 230.
Sacchari uirtus. 231.47 (32
Saccharū mellis species. 21.3237.& 231.11
Sacchari nostri & antiqui differentia. 230.43.& c.
Saccharum quid à manna differat. 22.16.27
Saccharū et Zuccarū utrū differant. epist. 2. lib. 2
Saccharum rosaceū quomodo conficiatur. 68.41
Saccharum uulgatum antiquis ignotum. 351.28
Sadar. 222.41
Saire uel sere. 111.6.15
Sal Indus saccharū. 232.4
Sauic. 83.9
Sampsucus. 123.5
Sanchia. 114.12
Sanctulina. 26.22
Sandonicum. 26.21
Sanguis uigoris naturalis fons. 49.17
Sanguinem nō nisi abundante cibo, supra modum crescere. 52.1
Sanguis retentus obstructiones facit. 382.27
Sānguis calidissimus & nō calidissimus quomodo dicatur. 329.2
Sanguinē crassum & atrum, atræ bili participare. 31.39
Sanguinis purgandi ratio. 122.27
Sanguinis thrombi. 140.6
Sanguinis sputo laboranti consiliū. epist. 4. lib. 17.& 381.21
Sanguinis mictu laborantium diæta. epist. 3. lib. 7
Sanguinis missio Latinis uenæ sectio. 270.33
Sanguis mortuus. 117.19
Sanies in siphac. 99.10
Sātonis regio galliæ. 38.16
Santonicon. 38.2
Saphatum morbus. 97.48
Saphena uena. 61.9
Saporum nomina ad odores transferuntur. 130.11
Sapor rex Persarū. 78.33
Sapor acerbus. 385.5
Saporis syrupus. 78.32.& 369.19
Saraca urbs. 138.19
Saraceni à Saraca urbe nomen adepti. 138.20
σαρκοβλάβις. 169.41
Sarcoma. 101.42
Sardonion. 38.16
Sardonius risus. 38.17
σαρκοκήλη. 104.16
Satiua natiuis nō deteriora esse. 133.40
σατυρίασις. 103.38.48
Sauina. 258.40
Sazenea cōpositio. 245.2
Scabies. 107.50.& 108.15
Scabies palpebrarū. 110.50
Scabies arida unde. 309.27
Scabiosa herba. 61.47
Scabri ungues. 105.19
Scammonij dosis. 2.45
Scarificādi præceptū. 78.11
Scea. 26.22
σκιλακηδόν. 114.7
σκίνοντες. 191.2
σκιζόμενα 180.49
σκοινώδη. 177.43
σκοινοκύβος. 58.19.& 75.13
Scillæ succi extrahendi modus. 300.42
Scissura. 101.7
Sclauæ. 59.19
Scolopendria. 172.15.& 393
Scolymus. 269.7 (46
Scolymi radix. 253.39
Scopuli. 110.25
Scordion. 62.21. & 75.45
Scroffulæ. 107.18
Scroffularia. 180.46
Sebardi. 38.19
Sebestis. 26.13
Secacul. 51.18.& 229.39.& 253.29
Selaa. 106.50
Selinum. 193.4.& 268.39
Seminis defectus ex naturalib. membris pendet. 251.11
Semperuiuum. 394.40
Sena herba. 29.33
Sensus principales. 298.29
Separatio iuncturę. 114.25
σκπιδόνες. 115.43.& 145.46. & 164.50.& 190.6.& 202.
Sephiri. 105.40. (18
σκπτικ. 130.7
Septica uis. 193.38
Septimana quot horarum sit. 345.41
Serapion colitur magis quàm intelligitur. 48
quanto tempore Galenum sequutus. 352.16
erroribus scatet. 266.40
Seris. 162.2
Sereos species. 59.12
Seres quales pustulę. 67.5
Serenum. 205.18.& seq.
Serenitas exacta sicca. 206.46
Serenitatis incrementum unde. 212.45
Serum caprinum. 368.10
Serum frigidum. 366.30
Seriphio pecora pingue scere. 166.37
Seriphum. 26.20.& 38.2
Sesami natura. 160.15
Setanion. 233.31
Siccandū plus nimio non esse. 375.27
Siccitas membrorū quibus remouenda. 373.1
Sicci morbi. 55.11
Siccitatis indicia. 315.39
Siciliæ temperies. 95.36
Sideritis. 198.5
Sidum. 394.40
Sigillum sanctæ Mariæ. 253.30
σκίνα. 186.35
Silac. 100.36
Siligo. 277.12
Siliqua. 7.7
Silurus piscis. 223.29
Similis quid ab æquali differat. 141.44
Similitudo, relatio est inter diuersa. 15.12
Simplicīū ignorantia magnos medicis errores præbet. 73.30
Sinopice. 37.23
Sinopis. 37.1.18
Sirmium ciuitas. 227.23

Universidad de Deusto
Biblioteca

σκιλλιτικὴ. 191.47
σκιλλοποιέω. 225.32
σκίῤῥος. 104.38.& 105.41
σκιῤῥωμα. 104.39
σκληρόν. 196.49
σκληροφθαλμία. 100.37
σκοτόδινος. 370.49
σκολιώμενοι, uel scolioſi. 103.35
σκύβαλα. 162.34
σκωληκιῶντα ὦτα. 101.30
σκωληκῶδες. 115.36
Smarides piſces. 224.23
σμύγματα. 194.33
Smigma feruidum. 142.1
Smilax. 225.46
Sminium. 228.11
Smyrnium. 269.17
Solanum hortenſe. 269.17
Sol morborum curatio= nes agit. 344.4. qua ra= tione caleſacere dicatur 91.41. bis in anno ra= dios ad perpendiculum in æquinoctialem habi= tantes mittit. 92.10. calo rem non actu ſed pote= ſtate habet. 91.19
Solis poteſtas. 344.22.
Solis acceſſus generat, re ceſſus corrumpit. 90.4
Solutiones continuitatis. 113.7
Somnus à cibo pernicio= ſus. 121.28
Somnus nimium profun dus, ſenſus priuatio. 322.38
Somni profunditas quo= modo remoueat. 323.43
Somni ſpacium. 77.20
σπαργῶντες. 103.26
σπάσμα. 113.12
σφάκελος. 106.21.& 115.50. & 117.44
σφακελίζοντα. 181.24
σφακελισμός. 14.4
σφυγμός. 188.28
Saphatus. 15.1
Spicæ nardi radices utilio res. 127.39
σπίλοι. 112.40
Spina. 117.36
Spina ceruina. 222.1
Spinæ uentoſitas. 113.22
Spinacium. 67.46
Spinacia herba. 224.40
Spiritus unde exeant. 197.47
Spiritus naturalis utrum ſit. 326.6
Spiritus uiſualis tenuis & imbecillis duæ cauſæ. 556.11
Spiritus uiſuales in ocu= lis multiplicantia. 556.45
Spodium quid. 273.40. & 226.46
Sputum ſanguinis. 308.6
σπλῆκή. 191.50
σπάφις, ἄσπφις. 184.18
σπφυλή. 102.26
σπφύλωμα. 99.6
στάτωμα. 107.2
στέλεφ. 164.8
στέλεον. 190.5
στῤῥός. 179.19
Stibi. 192.14
στιχηδόν. 175.21
Stigma. 103.3.& 112.35
Stœbe herba. 61.47
στιχηδόν. 185.23
Stomachici. 144.6.& 157.45. & 165.24
Stomachus quid 23.22
Stomachum roborantia. 244.7
Stomachum lenientia uo mitus ſedant. 140.49
Stomachi imbecillis con= ſuetudo. 370.18
σραβισμός. 100.13
Straboſitas. 100.13
Stranguria. 264.7
στρίμματα. 114.26.& 178.47
Strobili. 67.50
στρογγίλοι, lumbrici. 25.17
στρόφοι. 119.48.& 133.11 & 202.10
στρυφνός. 5.45.& 190.24
στυφόν. 5.4.
Strichnon. 269.19
Strumæ. 107.21
Struthion. 226.32
Studioſi plerung; melan= cholici. 239.10
Sturio piſcis. 223.29
Styptica. 153.45.& 174.42
Styrax. 152.21
Styrax calamites. 138.10
Sucutum quid. 82.20
Succudus. 274.34
Succus. 170.16
Succi aquei ex herbis ex= trahẽdi modus excellẽs 553.34
Sudamina. 111.15 (
Sudores an naturales. 329.13
Suffuſio, oculorũ affectio 99.49
Sugillata. 102.41
Sumac. 70.16
Suppuratio. 131.39
Superlatiui interpretandi ratio. 149.46
Suſati. 101.15
Sutura ſagittalis. 65.10
Sycomorus. 146.4
Syderatio. 106.22
Syderũ curſus quatenus medico conſiderandus.
Sydia. 27.48 (341.44
συκυκηδόν. 114.3
συκώδεις. 102.46
σύκωσις. 101.2
Siliqua Aegyptia. 281.19
σύλλημα. 201.42
συμπίσσω. 160.2
συμφιῶντες. 100.44
Symphyton quid. 82.21
σύμπλωμα quid. 46.12
σωχύσεις. 99.37
Syncope. 128.16. &382.12
σύριγξ. 116.17.& 186.2
Syrupus aceroſus. 58.8
Syrupus electus. 244.39
Syrupi utrũ uim coquen di habeant. 280.24
Syrupi etymon. 280.12
σύρω. 280.13

Tabaiſir.

TAbaiſir. 274.27
Talpa. 116.46
Talpæ morbus. 98.12
Tamarix. 141.24
Tamarindi. 281.20
ταφροι. 116.42
τάρακξις, oculi morb. 98.18
Tarſecum. 109.20
Tarſati. 99.17
Taurus animal calidũ. 293.
Taxa. epiſt. 4. lib. 7 (30
Tectonice. 37.23
Tedæ folia. 139.19
Tegnamen. 221.26
τελείως. 166.31
τελειῶσις. 179.7
τηλιφια. 116.4
Temperatura quę tẽpera tiſſima. 350.12
Temperatura mala. 46.14
Tẽperaturæ malæ incom moda. 52.5. & cauſæ. Ibid. 12
τένοντες. 157.14
Terebinthini olei uis. 134.
Termẽtina. 75.40 (45.139.1
τέρμινθος. 106.2.& 111.43
Terra ſigillata. 62.8.11
Terra armeniaca. 62.8.14
Terræ inteſtina. 25.18.& 27.29.& 34.40
Teſtudo. 116.40
Teſtudines, morb. 98.12
Teſtium morbi. 104.4
τίτανος. 103.21.& 126.19. & 169.47
τιτανώδης. 183.44
τιτρημένα. 182.43
Teucrion. 394.3
θαμνίσκος. 179.49
θάμνος. 166.39
θανάσιμα φάρμακα. 139.38
θδραπδυτικὴ. 183.46
Theriaces cõpoſitio. 137. 31. epiſt. 3. lib. 6
θερμανλικώτατον. 132.28. & 139.46
θήριον. 172.13
θηριώδη. 195.42
θηρίωμα. 115.42
θηριοδηκτά. 115.15.& 155.35. & 157.12. & 170.4. & 173.22
Thlaſpi herba. 62.17.& 76. 6.& 226.21.
Thlaſpij ſemen quomo= do terendum. 76.30
θλᾶσις καὶ θλᾶσμα. 113.15.44 & 114.45
θρίγκος. 163.18.& 189.50
Thus. 8.49
Thus ſtagonias. 152.28
Thus ἄτομον. 138.32
Thuris manna. 139.12
θυία. 178.11
Thymelæa. 261.40
θύμοι. 104.41.& 159.19
Thymum uel Thymium. 109.18.& 116.21
Tiliæ foliorum uis. 142.3
Timor frigiditatis ſignum 293.29
Tinea morbus. 97.48
Titillatio. 103.48
τμηλικώτερον. 186.18
τοῖχος. 163.18
Tonſillæ. 101.29
Tormẽtilla ſeptifolia. 76. 4.& 79.40
τορθηδόνες. 194.17
Tormina. 133.9.& 150.12
Torſio piſcis. 224.18
Tragoriganum. 227.14
Tracon uel tarcon. 227.16
Tranquillum. 205.18
Tranquillitas. 207.46
Trepexum herba. 224.37
τριχισμοὶ, τριχίασις. 103.30.
τριχοειδὲς. 169.3 (113.34
τριχιῶντα βλέφαρα. 101.24
τρόμος. 126.37
Tuberculum. 106.1
Tumor. 141.33.& 151.42 & 153.35.42
Tumor laxus. 105.39
Turbit. 3.3
Tuſsium. 109.20
Tuſſim ſedãs ſyrup. 381.21
τύλωσις. 101.3
τύλοι. 109.27
Typha. 177.4
Tyria morbus. 97.42
τυρῶδες ἀποπνέω. 193.48

V

VAcillatio, oculorum morbus. 98.19
Valeriana herba. 119.23
Vari. 102.46.& 135.33
Variolæ. 109.46.& 110. 1.25.46
Vehuen. 219.2
Venarum humeralium axillariũq; origo. 273.13
Venæ capillares quæ. 66.50
Vena baſilica, cephalica, nigra. 289.24 ciuilis. 109 30. ſecoraria. 308.48. me deni uel ſanioſa. 109.29
Veneni mali odores quo modo auferantur. 196.33
Venetiarũ urbs quaſi no ua Roma. 73.46. cõmu= næ Europæ emporium Ibidem.
Ventriculi intemperies quib. modis diſcutiatur. 372.16
Ventriculi os quomodo fouendum. 311.33
Ventriculi temperatura quomodo cõſeruetur. 239.20
Ventriculi curatio & præ ſeruatio. 373.18. & epiſt. 4. lib. 14
Veneris intempeſtiuæ in cõmoda. 250.49. & ſeq.
Ventris lubricitati curati= uæ intentiones. 251.31
Venus oculis nocet. 79.33
Venerem iuuantia. 139.31. & 253.29
Veneri ciendæ. 269.8
Venus imaginaria. 104.3
Ver una dies non facit. 211.43
Veneris modicus uſus à Galeno commenda= tus. 310.30

Universidad de Deusto
Biblioteca

Veris qualitas & temperatura.206.21
Verminosæ aures. 101.30
Vernicata. 103.6
Verrucæ. 109.3
Vertigo. 370.49
Vertiginis cura. epist.2. lib.10
Vesicæ, oculorū uitium. 98.33
Vesicæ munus. 264.27
Vesica palpebræ. 101.7
Vestigia percussiōis. 113.1 sanguinis. 113.2 nigra. 113.4
Vibices. 113.1
Victus ratio in quo consistat.77.11
Victus ratio medicamentis præstat.67.30 quas cōmoditates Melancholiæ afferat. 220.3
Victus ratio studiosorum 28.41. uulneratis cōmoda. 6.13 bilis rufę.67.34
Victus parcior.363.4. plenior. 44.18
Victus tenuis quis.40.16. & 44.8
Victus exacte tenuis incōmoda. 43.34
Victus crassior robur auget. 43.29
Vina & cibi & medicinæ officio funguntur. 313.4
Vini color. 131.13
Vini temperatura. epist.3 lib.14.
Vini aquosi facultas. 404.15
Vinum cestrites. 59.42 Maluaticū, id est cretense.310.5.moschatula.130. 17. & 148.39. pauciferū. 59.40. stryphna. 312.34 Trebiana dulcia. 294.22
Viola alba. 33.8
Viridis color oculis confert.79.26
Virorū purgatiōes. 150.6
Visionis deminutę causę. epist.6.lib.6. deminutæ curatio. epist.2.lib.16
Visualium neruorū obstructio. epist.4.lib.15
Visus hebetis symptoma 333.22
Visus defectui ἀνιδίοπτε. epist.2.lib.15
Vitex. 142.45
Vitis cum brassica inimicitiæ. 225.28
Vitiligo. 108.33
Vitriolum. 27.43
Vlcera. 113.10.& 153.33
Vlcera maligna. 115.37
Vlcus palati. 380.22
Vlcerum catalogus.115.18 differentiæ.Ibid.22 denominationes.Ibid. 31.
Vlmus arbor. 253.43
Vlmi cortex quibus conferat.141.14
Vmbella. 1693.
Vmbilici augmentum. 104.26
Vmbilicus prominēs uel prociduus. 104.27
Vnedo. 234.40
Vngarica herba. 79.18
Vnguen. 150.48
Vnguis pars rosæ. 44.47
Vnguis oculi affectio.99. 24.eius genera. Ibid.26
Vnguium uitium. 105.13
Vocis iter. 23.41
Volatica morb. 394.9
Vndimia. 105.39
Vomitus uentriculo utilis.373.29
Vomitoria quædam leuia 373.37
Vrinæ οἴνωπες. 131.13
Vrinæ ardor. 287.38
Vrinam cientia. 258.31. & 404.15.
Vretica & diuretica.404.
Vsta.115.13 (22
Vstio linguæ. 102.1
Veteri pruritus symptoma epist.5.lib.3. Curatio eiusdem. Ibid.uer.33
Vteri tumentis symptomata. epist.5.lib.10. eiusdem curatiuæ intentiones.242.42
Vuea oculorū mēbrana, & eius affectiōes. 99.43
Vua. 102.27
Vuatio. 99.6
Vuæ Corinthiæ. 253.13
Vuarū siccarū usus.364.8
Vulnus. 113.11
Vulnera letal a quæ. 66.1
Vulneratorū diæta. 6.13
Vuluarum procidentiæ. 104.36

X

Xylobalsamū. 76.19
Xyphij radix.253.41
ξηροφθαλμία. 110.39

Z

Zarer. 234.16
Zea. 268.20
Zerma. 117.17
Zirbi. 104.12
Zizyuæ. 59.19
Zomerysis. 38.43.& 27.11
ζωρότερον. 201.29
Zuccharum quid,& quo modo conficiatur. 21.17 & 231.41. 352.18. 386.46
Zuccharū & Saccharum an differant.epist.2.lib.2

Indicis finis.

ERRATA.

Pag.2.uer.28.ben.111.29.desudationes. 161.50.forma. 202.2 ἀηνοvίαε. 230.9.urina. 313. Custos non repetitur, cætera recte respondent superioribus. 318.17. iuribus gallorum. 330.4. caloris innati. 351.38. pertractant. 364.5. rosaceum solutiuum. 375.50.nomen. 377.50.cum tamen. 378.5.conabor ostendere.

IOANNIS MANARDI FERRARIENSIS MEDICI, EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER PRIMVS.

EPIST. I. ad Florianum Montinum, uirum doctissimum, in qua excusat se de horum librorum æditione.

VLTOS futuros esse arbitror, qui meam hanc Epistolarum medicinalium æditionem adeò nō probent, ut etiam ualde reprehendant: partim, quia in uniuersum eos dānent, quicunq; noui aliquid post tot, tamq; celebres autores moliri hoc tempore audent. Superfluum enim esse, ea scribere, quæ sint scripta. Temerarium, putare se uidere, quæ oculatissimi illi non uiderint. partim quod hanc operam, ut in quibusdam artibus fortè tolerēt, in medicina tamen nullo pacto admittent, ut quæ diuturnitati temporis, & antiquorum obseruationibus, longissimæq; experientiæ innitatur, & quasi diuina beneficentia selectis quibusdam hominibus sit condonata. Nec deerunt alij, qui me insolentiæ insimulent, quod nouus homo, & uix intra proprios lares (ut dici solet) cognitus, audeam cōtra eos insurgere, qui autoritatem sibi iam multis annorum seculis præscripserunt. Damnabunt plerique stylum: aliqui tāquam minus, aliqui tanquam nimis exquisitum culpabunt. Nonnulli docendi modum per epistolas, ceu in medicina non usitatum. Alij ut cætera ferant, hoc certe uitio dabunt, quod nominis aucupandi gratia, res tam exigui momenti inuulgādas, uel ipsemet curauerim, uel permiserim. Ego (ut multis simul respondeam) rem, si ullo unquam tempore, in primis nostro seculo summè necessariam puto, hac in arte scribere, eaq; ingenuitate & audacia, ut ueritate præ oculis habita, neq; autoritatis, neq; antiquitatis, propter mille etiam annos, ulla ratio habeatur. Ex ignauia enim, & nimia in seniores obseruantia factum esse cognosco, cur hactenus non solum nihil arti à nostratibus sit adiectum, sed & priscorum commentaria sine delectu ueluti oracula suscepta sint: licet quādoq; ita fœda & barbara, ut intelligi non possint: ita mendosa, ut quiduis aliud potius significent, quàm quod autores uoluerint. Vnde factum est, ut ea pro arbitrio quisque ad proprium dogma trahat, unaq; pro alia regula, uno pro alio remedio, & sæpe pro salubri mortifero, magno cum humanæ uitæ discrimine utatur. Nec tantum à uulgaribus & sequioris generis medicis hoc peccatum est, sed & ab his qui primæ notæ atq; autoritatis apud primates & reges fuerunt. Quis enim extitit superioribus abhinc annis plus minus quadraginta, qui tum uulgata illa Hippocratis opera, cum Galeni expositione, & libello qui Ars medicinalis inscribitur, uno uolumine comprehensa, cui Articulæ nomen indiderunt, instar Mosaicarum tabularū non coluerit? In quibus tamen innumerabiles esse errores, ex nouis modo interpretationibus & aperte iam patet, & paulò post euidentissime manifestabitur. Quis Auicēnam ceu cœleste numen non adorauit? in cuius tamen libro præter densam caliginem, infinitum esse ambagum chaos, & cōmentaria quædam nuper (ut audio) de Auicennæ erroribus ædita, & alia non multo pòst ædenda, luce clarius (bonis tamen oculis) demonstrabunt. Quis Serapionis aggregationes, in simplicium medicamentorum & figuris & uiribus dignoscendis, Mathiamq; uere Syluaticum, in eorum & aliarum rerum medicinalium nominibus exponēdis, non

Id hodie præstat academia Florentina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est summopere ueneratus? in quibus tot ferè esse errata quot uerba, & Dioscoridis nouæ castigationes, & nostræ aliquot epistolæ palàm faciunt. Sed ut Galeni, Haliabatis, Razis uolumina præteream, quorum non adeò frequens usus, nónne Ioannes cognomento Mesue, tantæ & extitit & adhuc extat apud multos existimationis, ut nonnulli magnæ autoritatis medici suum appellare euãgelistam non sint ueriti? cuius librum, præter multa Sibyllæ folijs obscuriora, quædam aperte falsa continere, nostræ in eum marginales annotationes ostendunt. Quod si quis fortè non credit, librum eius aperiat, primáq; statim pagina me non falsum dicere, nisi penitus careat iudicio, manifestissime cognoscet: ubi scribit, non ideo purgatorium medicamentum, humorem certum purgare, quia sit ei simile. In quo dicto aperte Galeno contradicit libro tertio de simplicibus medicamentis dicenti, purgatoria medicamina esse attractis humoribus similia, sed fortiora aliquo modo: & propterea trahere, non trahi. Per quæ uerba argumentatio diluitur, quam subobscure Mesuas innuit: Si similitudo, inquit, causa esset, quare medicamentum humorem traheret: ita humor traheret medicinam, sicuti medicina humorem. Huic enim occurrens Galenus, rationem reddit, quare cum duo sint similia, hoc potius trahat, illud trahatur: id scilicet eorum trahere dicens, quod sit potentius: illud uero trahi, quod sit imbecillius. Quare si Mesuas à Galeno prudens & sciens recessit, debuit utique uel sententiam eius refellere, uel nouam contrà argumentationem excogitare. Crediderim ego facilius Mesuen locum eum non uidisse: quando & alijs in locis se Galeni libros uel non uidisse, uel conniuenter euoluisse palàm prodit: ut cap. de centaurio, ubi maius cum minore confundit, & minus omni in re præfert: cum tamen multis in rebus, maius à Galeno celebretur, & minoris radix penitus dicatur inutilis, radix autem illius in multis cõmendetur. Porrò de manna & sena quædam adscribit Galeno, quæ ille ne somniauit quidem. Picram & Calaminthes antidotum non bene ex eiusdem sententia describit. Medicamen de acetosis uocatum, & quandam tripheram, quasi Galeni, recitat: quas eius non esse, faufel, sandali, camphora, been, ambra & moschus ostendunt, illius temporibus incognita. Multa similia possem afferre, per quæ non bonus Galenicus, sed nonnulla potius notanda, per quæ non bonus medicus conuincitur: quale est illud: Aloën aperire uenas, & sanguinem ciere: cum, ut Plinium taceam, Dioscorides, Galenus, ratio & experientia contestentur, quod sanguinem undequaq; fluentem sistat, etiam si per screatum emittatur; quare si aliquando sedis uenas aperire uidetur, ex accidenti hoc fit, quoniam excrementa acriora agentia ad ea loca mouet, quæ uenas recludunt: sicuti ab alijs quoque fieri medicinis scribit Galenus aphorismo 47. lib. 6. Mixtam item melli minus purgare ait: cuius contrarium scribit Galenus, & ratione ac experientia est comprobatum. Verum hæc non propria eius errata, sed Auicennæ potius, quem est sequutus. In rheo uero barbarico cauere operæprecium est, ne ipsum sequẽtes, ad decem usque drachmas semel demus, quod nonnulli peccantes ad extremum periculum ægrotantes deduxerunt. Sed Dioscoridi & Auicennæ potius accedentes, non transcendamus duas drachmas: sicuti nec de epithymo plus quinque, uel ad summum sex dabis, & hoc paucis: dante interim ipso septem drachmas pulueris, & decocti drachmas uiginti. Tum capnij, quam fumariam, uel terræ fumum dicunt, nisi supra duas, quas idem Mesuas iubet, uncias dederimus, nullam purgationem consequemur. Scammonij etiam ultra duodecim grana dare, non est cur ob eius autoritatem uereamur, cum à Dioscoride ad quatuor usque obolos accedat, & nostro tempore in Italia multi scrupulum integrum sine noxa biberunt. Apud Sarmatas uero & Turcas modus etiam Dioscoridis tutò longe exceditur. In Polypodio quoque eius sententiæ standum non est: siquidem integra uncia per se parum purgat, cum ille quatuor aureos non transeat. Eupatorium, quod ipse pingit, tam est simile

Rhei barbarici dosis.
Epithymi.
Capnij.
Scammonij.
Polypodij.

est simile uero, quàm centaurij folia canabinis, & subluteus color albo. Nullus quoque antiquorum, uim huic adscribit purgandi: imò Dioscorides potam ex uino dysenteriæ dicit opitulari. Iam quid per turbit intellexerit, difficile est diuinare. Neque enim cum Serapione conuenit, tripolium intelligente: nec cum Dioscoride, radicem pityusæ sic uocante: folio enim hæc pini, illud isatidis constat, non ferulæ. Sed neque id pingere uidetur quod passim in officinis nunc pro turbit uenditur: siquidem, ut à fide dignis intellexi, ex planta illud accipitur, quæ folio myrti constat. Alia permulta possem addere, sed satis hæc sunto ad eius autoritatem conuellendam: atque ut id demum constet, ad extirpandos receptos errores, necessarium esse libros non solum cudere, sed etiam in lucem ædere: cum paria sint, nihil scribere, uel quæ scripseris domi premere: nulliusq; nomini quantum ueritati deferendum: quãdo & Galenus Hippocratem, erga quem summopere afficiebatur, nonnunquam perstringit. Modus autem hic scribendi per epistolas, præter id quod uitari uix potest, interpellantibus amicis, non est nouus. Archigenes, Galeno teste, undecim libros Epistolarum medicinalium scripsit. Et Themison, Paulo teste, decem. Consilia etiam à recẽtioribus uocata, non aliud certe sunt quàm epistolæ. Nemo autem legẽdis fortasse barbaris assuetus, mihi uitio det, si homo in Latio natus, latinius aliquando loqui uideor: rursus idipsum si ubiq; non planè assequutus sum, uitio temporum excusandus uenio, quæ talia fuerunt, ut non potuerint bonæ artes disci, nisi à barbaris & libris & professoribus: quanquam sanè non latinam linguam, sed medicinã discere cupientibus hæc scripta sunt. Quod uero excudi hæc à typographis tulerim, non famæ aucupãdæ gratia factum fuit, cum in his plus laboris à bonis cognoscendum, quàm ingenij scirem: ab alijs uituperium & risum, non laudem expectarem. Sed quia iam pleraq; epistolas me inscio, non sine multis erroribus publicatas uideram, ideo uetus meum institutum, quo nihil ad hunc modum euulgare statuerã, sicut sæpe tecum cõmunicaueram, mutare coactus sum. Quod nec feci̇ssem, nisi sperarem aliquos bonæ mentis iuuenes, ex harum lectione ad meliorem frugem excitãdos. Seniores autem, si quis modo senior hæc legere non dedignabitur, hoc saltem ex harum lectione posse lucri capere, ut sentiãt quod prouerbio dicitur: Nec omnia, nec omnibus, nec passim esse credenda. Quod autem à primo limine præfixo tuo nomine in publicũ illas prodire fiuerim, præter antiquam inter nos amicitiam, singularemq; tuam eruditionem optimis moribus, quod hoc seculo rarum est, coniunctam, illud quoq; in causa fuit, ut me cur sententiam mutarim, apud te excusarẽ, ac rationes quibus impulsus fuerim, tibi significarem. Vale. Ex Iaurino Pannoniæ superioris ciuitate, pridie Idus Sextiles, M. D. XVIII.

EPIST. II. Io. Mariæ Pacto. Castigatur aphorismus XII. libri tertij.

MIraris Pacte, quod aphorismi duodecimi libri tertij Hippocratis, tot legantur interpretationes, quot fuerunt in latinam linguam interpretes. In uulgata enim æditione legebatur: Si austrina hyems, & pluuiosa, ac trãquilla fuerit. Laurentianus, cuius interpretatio à multis etiam Theodoro Gazæ adscribitur, pro uoce trãquilla, tepida scripsit: Leonicenus, serena: quæ uerba non minus significato, quàm sono ipso uocis euariant. Tranquillus enim aër est, qui uentis: serenus, qui nubibus ac nebulis caret: tepidus, qui non impense aut calet, aut friget. Quid igitur, ais, sentiemus? aut cui ex tot traductionibus præ alijs potissimum inhærebimus? Mihi certe Pacte (ueritas amicitiæ & autoritati præferatur) nulla earum probatur: tolerabilius tamen uidetur, ut tepida, quàm ut uel trãquilla, uel serena legatur. Nam si australis est hyems, quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo trāquillæ si pluuiosa, quomodo serenæ? Nisi fortè quispiam dixerit, fieri posse, ut alijs atq; alijs diebus, imò uno eodemq; die, modo austri & pluuiæ ingruant, modo trāquillitas aut serenitas appareat. Sed uideant qui sic dicunt, quomodo consentanea Hippocrati & Galeno loquantur. Non enim est illis in hoc aphorismo sermo de ea mutatione quæ in una ex quatuor anni partibus, uel in uno die de una qualitate in aliam fit, ut de quibus superius, primo ac quarto aphorismo eiusdem libri disseruerint: sed Galeno etiam ipso teste in expositione aphorismi, de uarietate quæ in temporibus contingit, hoc est, in una ex quatuor anni partibus inuicem succedentibus, dum uidelicet propriam non habent qualitatem, sed eius loco aliam: alioqui non australis & pluuiosa, sed inconstans ac uaga hyems diceretur, ut quæ minime sibi constaret: sed ex pluuiosa in serenam, ex australi in tranquillam labereretur. Quod uero nec tepidam legendum putem, facit Galeni autoritas, qui ab initio commentarij eius aphorismi statim ait: Econtrario se habet hæc temperatura, duobus in priori aphorismo dictis tēporibus: qualis enim prius in illo erat hyems, tale nunc est uer: qualeq; uer in illo, talis nunc hyems. Ver autem priore aphorismo, non magis tepidum, quàm serenum aut trāquillum dicebatur, sed australe tantummodo & pluuiosum: ergo & hyems in hoc aphorismo australina tantum & pluuiosa intelligenda est. Idem quoque colligitur in expositione aphorismi decimitertij, ubi loquens de eisdem constitutionibus, quæ scilicet undecimo & duodecimo aphorismo supponuntur, nihil addit huic hyemi ultra pluuialem & australem. Ait enim: Post duas præscriptas constitutiones, unam quidem, in qua hyemem borealem & siccam esse uult, uer pluuiosum & australe: aliam in qua contrarium, pluuialem & australem hyemem, uer siccum & boreale. & reliqua quæ sequuntur. Quæ cum sint de Hippocrate dicta, in libro de aëre & locis inscripto, relinquitur, neque ipsum Hippocratem uocem νότιος addidisse, quod etiam legentibus manifeste apparet. Sed & nostram hanc sententiam confirmat Aristoteles, nono problemate primæ sectionis, ubi causam eorum perquirit, quæ in hoc aphorismo ab Hippocrate dicta sunt: non enim aliud & ipse huic hyemi epitheton apponit, quàm pluuialis & austrini. Celsus quoque bonus Hippocratis interpres, lib. 2. cap. 2. sic ad uerbum hunc aphorismum interpretatur: Si austri pluuiæq; hyemem occuparint, uer autem frigidum & siccum est, grauidæ quidem fœminæ quibus tum adest partus, abortu periclitātur: hæ uero quæ gignunt, imbecillos uixq; uitales ædunt: cæteros lippitudo arida, & si seniores sunt, grauedines atque destillationes male habent. Fides demum græci codicis non parum me confirmat, qui ab exemplari Demetrij Chalcondylis uiri doctissimi & integerrimi transsumptus est: in quo sic scribitur: ἢν δὲ νότος ὁ χειμὼν καὶ ἐπομβρος γένηται. & reliqua. Vbi patet duo tantum, nec plura epitheta, scilicet australis & pluuiosæ hyemi esse apposita. Verum quid aliunde testimonia mendicamus? cum Galenus ipse Hippocratis primum Epidemiarum librum enarrans, hunc aphorismum, uti nunc recitauimus, afferat, nulla adiecta uocula, per quam uel tranquillum, uel serenum, uel tepidum, possit intelligi. Sed unde, inquies, moti sunt interpretes, uiri & utraque lingua eruditissimi, & medicinæ peritissimi, ut uerbum superadderent, quod Hippocrates non dixerat? Id ego euenisse reor propterea, quod in codicem inciderint, in quo additum erat καὶ ὑδατώδης: nam & nos in quodam exemplari talem animaduertimus scripturam: uidentur tamen illi non ὑδατώδης, sed amoto ε elemento à secunda syllaba, ὑδηρὸς legisse, quæ uox Polluci Ponti malaciam, Aristoteli in Problematis modo serenum, modo tranquillum significat. Qua etiam usus est idem Hippocrates secundo Epidemiarum libro sic scribens: ἐς ψοφίνθου πρὸ ἡλίου τροπας ὀλίγου τὰς τροπὰς ἤλθομεν, ἐγένετο δὲ ὁ χειμὼν ὑδατώδης νότιος. Neutram tamen nos (ut suprà patuit) earum lectionum probamus, sed uel abradendum illud uerbum putamus,

tamus, ueluti suppositititium, uel legendum utrobique ὑδρώδης, penultima circumflexa, quæ uox humidum significat: uel ὑδαυρὸς, quæ procellosum. Vtrunque enim significatum sensui Hippocratico optime quadrat: non ὑδατώδης, cuius utrunque significatum cum altero prius dictorum uerborum (ut ostendimus) necessariò pugnat. Legitur & ὑδατώδης in antiquo quodam exemplari Romanæ bibliothecæ, ut mihi retulit Ioannes Heymus in Vienna superioris Pannoniæ inclyta ciuitate, iuuenis græce & latine non mediocriter eruditus. Sed & proximis diebus Celsius noster uir undequaq; doctissimus, in antiquo satis codice eandem sententiam & lectionem mihi monstrauit. Priorem tamen non propterea relinquo sententiam, ceu Galeno & Hippocrati ipsi magis congruam, utpote ut uerbum illud penitus ex hoc aphorismo deleatur. Porrò in alio codice opera Hippocratis continente, ὑδατῶδες legitur. Quid uero legerit Caluus, nescio, sed tulit tepida, quemadmodum Laurentianus. Meam autem iam tenes Pacte sententiam, quam si minus probaueris, meq; temeritatis accusaueris, culpam in te reijciam, qui arbitrum me inter tam celebres uiros esse uoluisti. Vale.

EPIST. III. Hippolyto Rufo. Quid sit Eruilia, & an bonis alimentis connumeranda.

ORtam esse ais proximis diebus controuersiam inter te, aliumq; percelebrem medicum, quod tu uidelicet, cōmunem sequutus sententiam, cuidā prope genu uulnerato, esum eius leguminis prohibueris, quod eruiliam etiam uulgò uocant: ille contrà ceu rem bonam, atque non modo uulnerato illi, sed & alijs plerisque ægrotantibus congruentem laudauerit: quæris q; propterea in hoc sententiam nostram. Ego uero, non quia tanti me faciam, ut de uestris discordijs iudicium ferre uel possim, uel debeam, sed ut tibi morem geram, scribam quid sentio: atque hoc ordine ostendam in primis, id quod nos eruiliam uocamus, non esse id legumen, quod Arabes, uel potius libri ex Arabico in latinam linguam quomodolibet uersi, mes, uel almes, uel meise uocant, neque id quod almelic, quorum utrunque præclarus ille uir (ut dicis) & primum recentiorum turba existimauit. Deinde, esto quod id esset, uulnerato tamen illi inutilem fuisse. Demum, ne id mihi crimen impingatur, quod scio nonnullos ἑλλωμάσιγας solere nobis impingere, quod scilicet dicamus quid res non sit, nunquam uero quid sit, aperiam, quo nomine hoc legumen uocatum ab antiquis putem: ex quo & illud constabit quod principaliter in controuersiam uenit, eruiliam uidelicet ipsam, non esse bonis alimentis connumerandam. Primum non est difficile uidere legenti Serapionem cap. 110. granum id quod mes appellat, oculum habere dicentem, cum pupilla nigriore, herbamq; eius esse phaseli. Euidentia enim ipsa rei ostendit, eruiliam oculum non habere: uel si quid habet, quod oculus à defendente proprium dogma fortè dici possit, id omnino nigriore pupilla non constare. Quantum uero phaseli herba, ab ea quæ eruiliæ, distet, ex utriusque aspectu quiuis potest edisscere. Si quis tamen uisui non credit, gustum consulat. Scribunt siquidem Auicenna & Isaac, in cortice mes esse ponticitatem. Ita enim ipsi appellant eum saporem, quem Græci στυφνὸν, nostri acerbum nuncupant: qui quidem est sapor linguam uehementer astringens & ueluti ligans, qualem glandes maxime præ se ferunt. Tam alienus est autem hic sapor ab eruilia, quàm ipsa à glandibus. Rursus mes est idem quod pisum (ut infrà probabo) sed pisa non sunt eruilia nostra. Scribit enim Plinius libro duodecimo, pisa habere angulos, ut cicercula, quos in eruilia certe nostra non uidemus. Libro quoque decimooctauo, de

Ponticitas qui sapor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eruilia & piſo ceu rebus diuerſis ait, quod folio conſtant longiore. Et Theophraſtus piſum multifolium eſſe dicit, terrenum, amplum, adeoq; uagum, ut locum totum impleat, etiamſi amplo interuallo ſit poſitum: quæ noſtræ eruiliæ minime quadrāt. Liquet ergo, quod eruilia non ſit mes. Quod uero non ſit id quod Arabes uocant almelic, non alio quàm Auicennæ ipſius teſtimonio probandum: is enim cap. 353. ſecundi libri, ex ſentētia propria aſſerit, almelic eſſe erbum, ut ibi legitur. Quod uero erbum, de quo ibi Auicenna (orobon Græci appellant) nos eruum, tam ſit ab eruilia noſtra, quàm mes Auicennæ diuerſum, adeò clarum eſt, ut probatione non egeat: iumentorum enim potius quàm hominum cibus eſt eruum, eruilia homines libentiſſime ueſcuntur. Hoc igitur ceu notum relinquentes, id potius aggrediamur, quod ſecundo loco propoſuimus, probantes rem quam mes Auicenna nuncupauit, maxime dum recens eſt (hæc enim in cōtrouerſiam uenit) non eſſe cibum uulnerato in neruis congruentem: quod ita colligimus. Ratio uictus ſiccior & pauca ſuperflua dimittens, in omnibus uulneribus, & potiſſimū neruorum, inſtituenda eſt. Sed Galeno teſte, primo alimentorum libro, capite de faba, omnibus fructibus qui uirides comeduntur, antequam maturentur, & exiccentur, hoc commune eſt, ut alimentum humidius, & multis redundans ſuperfluitatibus præſtent: igitur quicquid ſit mes Auicennæ (legumen enim certe eſt) non poteſt uulnerato, recens & immatura, qualis tunc erat, conuenire. Præterea conſtat conferenti quæ dicuntur à Serapione, capite de mes, ex ſententia Galeni, cum uerbis eiuſdem Galeni in lib. alimentorum, mes Arabum eſſe piſum Græcorum. Quod cum ſimile ſecundum totam ſubſtātiam fabis, rei non bonæ ſcribat Galenus, niſi quod minus inflat, & non abſtergit, uidetur tanto minus quàm fabæ in caſu noſtro conferre, quanto magis tergendi uirtute priuatū eſt. Parum enim ex minori illa inflatione fabis præſtat. Præterea cibi qui non conueniunt ſanis, minus conueniunt ægrotis, quatenus cibi ſunt: ſed nulla legumina quatenus cibi rationem ſubeunt, ſunt ſanis cōducentia, ex Auicennæ ſententia, capite de eo quod comeditur & bibitur: ergo nec ægrotis. Scripſit etiam Galenus primo libro de uictu morborum acutorum, ab idiotis etiam ipſis frumentacea omnia (nomine frumenti ad legumina extenſo) reſpui in acutis morbis, præter panem, alicam, & ptiſanam. At ſi mihi opponas Auicennam Serapionemq; dicentes, quod mes ſit boni ſucci: iterum Auicennam quibuſdam in locis libri ſui, cibum ex mes ægrotantibus exhibentem: dicam, non de uiridi & immaturo, ſed de ſicco ac plenè maturo fuiſſe loquutos. Alioqui, ut res boni ſucci ſit, non ſtatim ſequitur, quod ſit bonus cibus, cum poſſit & qualitate, & concoctionis duritie, & obſtructione, alia ue ratione multifariam obeſſe. Bonus enim cibus multa deſiderat: quorum unum ſi deſit, bonus eſſe non poteſt. Sed & lib. 4. de uictu morborum acutorum, legūmina uniuerſa ceu ſuam ſingula malignitatem habentia, penitus à conſortio bonorum ciborum eliminantur: cui ſententiæ Celſus, alioqui Hippocratis æmulator, libro ſecundo ſuæ medicinæ apertiſſime ſubſcribit. Notum quoq; & illud ex Epidemiarum libro, quàm male his ſucceſſerit, qui in Aeno legumina eſitarunt: quod etiam Galenus repetit in Aphoriſmis. Quicquid igitur mes Arabum ſit, & quicquid de eo ſcripſerint Arabes, uſum eius, præſertim recentis, in uulnere neruorū melioribus autoribus innitens non probauerim. Quonam uero nomine hæc res ab antiquis cenſeatur, quam eruiliam Plinij uoce nōnulli, uel parum ab ea (ut fieri aſſolet) deflectendo, rouiliam uocant, piſarelos Veneti, rodionos alij, hoc operoſius eſt ualde iudicare. Si enim uix poſſunt illa agnoſci, quæ ab antiquis ſumma arte effigiata, & ueluti ſub oculos poſita ſunt: quanto laborioſius fuerit legumina agnoſcere, quorum illi uel nomina tantum, uel naturam, non quali forma conſtarent, oſtenderunt? præſertim noſtro æuo, quo ſimul cum nominibus, multarum rerum cognitio interijt. Adde quod & Galenus ipſe ambigere in his

Victus ratio uulneratis conueniens.

his uidetur, anxie & ſcrupuloſe nōnulla eorum perueſtigans, & dubitanti demum quàm decernenti ſimilior. Quod non alia ex cauſa puto acciditſſe, niſi quod antiqui in eis deſcribendis fuere negligentiores, quæ in propatulo & aſſiduo hominum uſu eſſe cognoſcebant. Quod & Plinius quodàm loco animaduertit. Sunt tamen duo tria uę, quæ me mouent, ut credam eruiliam hanc noſtram eſſe id, quod Theophraſtus & Diocles dolichon uocauerunt, & Galeni tempore phaſeolus, uel lobus dicebatur, & à Theodoro ſiliqua appellatur: quanquam (ſi à tanto uiro diſſentire licet) ſiliqua exiſtimanda eſt aliud legumen iuxta latinos autores. Quod uero præter nomen ipſum, quod nulli alterius leguminis nomini magis quadrat, præcipue me mouet, eſt id quod de dolichis ſcripſit Theophr. 8. de hiſt. plantarum libro: Quod ſi iuxta longum lignum quis eos affigat, aſcendunt & frugiferi fiunt: ſi non, mali & uermiculoſi redduntur. His ſi addideris Galenum dicētem, dolichos in hortis conſeri, excrementa alui excutere, & uix ob redundantem humiditatem conſeruari poſſe: uidebis profectò huius dolichi proprietates adeò huic noſtræ eruiliæ congruere, ut nulli alteri legumini magis. Adde quoque, ſi placet, & aliud dolichorum proprium ex eodem Theophraſto, & Galeno, ſecundo lib. de alimentis ſumptum, quod ſcilicet ipſorū ſolorum, dum recentes ſunt, ſimul cum ſeminibus ſiliquæ quoque mandentur: ratione cuius proprietatis appellari eos lobos ſcribit Theophraſtus, & poſt eum Aëtius. Eruiliæ autem ſolius inter legumina edi ab hominibus ſiliquas ſimul cum ſemine, nemo eſt qui neſciat: cum & crudæ aliquando ab ocioſis, & coctæ à nobilibus, confecto præſertim ex eis delicato quodam pulmento, libentiſſime mandantur, aliorum leguminum ſiliquis in cibum iumentorum proiectis. Nolim tamen quenquam mihi de uerbo calumniam facere, quod dolichon dixerim Galeni temporibus fuiſſe nuncupatum phaſeolum, qui ſit aliud ab eruilia: dicimus enim, Galenum ſequuti, aliud eſſe legumen quod phaſelus, aliud quod phaſeolus, uel phaſiolus dicitur: & phaſeolum eſſe idem dolicho, ut Paulus poſt Galenum confirmauit: phaſelum eſſe, qui nunc uulgò phaſeolus, quem & Virgilius uilem nuncupauit. Quod ſi animaduertiſſet Serapio, ſub lubiæ nomine, quod certe à lobo græca uoce deflexum eſt, phaſelos cum phaſeolis, id eſt eruilia, minime confudiſſet. Quod & hi quoque peccarunt, qui noſtro tempore Dioſcoridem interpretati ſunt. Ex quo uidere licet, quantum ad res ipſas probè internoſcendas conducat nominum intelligentia, quam tamen nonnulli hoc tempore penitus aſpernantur. Si igitur (ut probauimus) eruiliæ ſunt dolichi, quis ambigat malas eſſe? cum ſcribat Galenus, dolichos multum eſſe fabis deteriores, quæ dubio procul malis cibarijs connumerantur. Hoc autem fuit id, cuius gratia uniuerſa hæc ſcripſimus: quod ſimul cum alijs ab initio propoſitis cum abſoluerimus, finem iam epiſtolæ faciamus. Vale, & ſi quid adhuc, uel in hac ipſa quæſtione, uel in alia quauis medica re ambigis, non te pigeat interrogare: nam me non pigebit (ut tibi morem geram) pro uiribus laborare.

Phaſelus, aliud à phaſcolo.

EPIST. IIII. P. Crinito Florentino, de Manna.

CVm heri ueſperi poſt ægrotorum uiſitationes ad ſeplaſiarium quendam de more diuertiſſem, accedit repente Florianus meus, & bonarū literarum & doctorū hominū ſtudioſiſſimus, manu gerens forma enchiridij libellum. Ego ſiſtor alioqui rerū nouarū, percunctor quid rei, undeq; acceperit. Ait dialogū eſſe de ſculptura, & emiſſe ex quodā bibliopola (tabernāq; indicat) qui illum ſimul cū nōnullis libris Florētiæ formis excuſis uenales haberet, inter quos recēſet Criniti neſcio quid. Audito Criniti mei nomine, ſtatim aduolo, magnaq; cum uoluptate librū tuū de honeſta diſciplina reuoluo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

capita percurro, uniuersa deuoro potius quàm lego. Deus bone, quæ copia, quæ uarietas, quàm multiplex lectio, quæ obseruationes, quàm pura castaq; narratio. Agnosco in his Criniti uiuax illud ingenium, profundam memoriã, acre iudicium: in mentem subeunt nostræ illæ propter Arni ripas deambulationes: crescit ardor (quoniam aliter non licet) uel in ipsis tuis cõmentationibus te audiendi uidendiq;. Librum igitur domum mecum porto, occipio legere cunctatius, modo hoc, modo illud caput: tandem, nescio quo modo, septimum caput libri ultimi offendo. Accensus nouitate tituli, magna attentione legere incipio: uideo inscios, improbos, ignaros uocari medicos, qui mannam, cuius nunc cõmunis usus, ante Galeni tempora ignoram Italiæ affirmant. Doleo hic simul & gaudeo. Doleo quidem, me in eorum numero hactenus extitisse, quos uideo proteri à te, & floccifieri. Gaudeo ignorantiæ nebulam per te mihi abstergi. Non enim ex his sum, qui sibi placendo malunt errare, quàm alterius cedendo ingenio resipiscere. Pergo legere, audioq;, Tiberio imperante mannæ usum à medicis probatum, licet alio nomine eam appellarint. Probari hoc magna animi propensione expetens, uniuersum caput perlego: eo tamen lecto, non minus ac antea probationes desidero. Siquidem quæ abs te ad huius rei probationem afferuntur (amico uera loquenti ignosce) mihi haud quaquam satisfaciunt. Nam Celsus tuæ sententiæ adstipulari (ut dicis) minime uidetur. Lectionem ego in primis deprauatam, ut alibi plerunque, ita eo loco puto: scribendumq; rhos, uoce quidem græca, sed quæ, ut inquit Plinius, latinum nomen non habet, significatq; eum fructum, quem Arabes & uulgus nunc medicorum sumac dicunt, olim obsonijs & pellibus, nunc medicinæ seruientem: de quo & Theophrastus libro tertio de historijs plantarum, & Dioscorides libro primo, & Galenus octauo, & Plinius libro 24. abunde scripserunt: aitq; Plinius quod ulceribus medetur manantibus cum melle: quæ ferè sunt uerba Celsi per te recitata. Galenus quoque ἀνὶβαλλομένας scribens, Syriacum eum nuncupat. Sed sit uera & genuina illa lectio, certe nullus in differendi arte uel mediocriter eruditus, ex ea id affirmabit sequi, quod tu contendis, rorem scilicet Syriacum eo loco oportere intelligi, quem Hebræorum monumenta, & recentiores medici, mannam uocant. Nihil enim uetat uel aliam quamuis rem, uel ipsum rhoun intelligi, præsertim cum in libris recentiorum medicorum pro rho, legatur aliquando ros Syriacus, sicut & apud Columellam & Palladium. Nec manna intelligi apud Celsum possit, nisi inscitia rei medicæ Celsus ipse notetur. Quæ enim uis mannæ huic nostræ, ut mala oris ulcera, de quibus inibi scribit, per eam sanescant? aut quod cum amaris nucibus consortium? Quanto igitur melius, peccatum unius elementi in librarium reijcere, rhunq; ipsum, rem à Galeno & cæteris in stomaticis pharmacis summe collaudatam, uel legere, uel intelligere, quàm Celsum ipsum facere, alijs autoribus, rationiq;, ac sibimet, parum consentanea affirmare? Dioscorides quoque in suo illo ad Arium περὶ ὕλης ἰατρικῆς libro, tam nominat eam qua de quæstio est mannam, quàm meam hanc quam nũc scribo, epistolam: sed eo ipso quem tu affers loco, hoc est cap. 84. de manna thuris, non de manna hac recentiorum scribit: quod profectò adeò est clarum Dioscoridem ipsum legẽti, ut mirari satis non possim, te, quem ocu latissimum semper agnoui, in tanta luce caligasse. Scribit enim cap. 82. περὶ λιβάνου, altero, id est 83. περὶ φλοιοῦ λιβάνου, deinceps uero 84. περὶ μαύνης λιβάνου, in hunc modum: μαύνα δὲ λιβάνου, δόκιμός ἐστιν ὁ λευκὸς καὶ καθαρὸς, ἐγχονδρος. Et paucis interiectis: μίσγουσι δὲ ἔνιοι δολίζοντες, ῥητίνῃ πιτυΐνῃ σησαμοειδέϊ, καὶ γύψῳ. Quæ ferè sunt uerbum ex uerbo quæ per te allata sunt, ex eius sentẽtia. E quibus non aliam mannam quàm thuris eum intellexisse nullus dubitabit, qui sciat idem esse apud Græcos λίβανον seu λιβανώτου, quod apud nos thus. Videatq; post hoc cap. 85. in quo de thuris fuligine tractatur, ita ut quatuor capitibus uniuersa thuris materia absoluatur.

Celsi locus emendatur.

Sumac, ros Syriacus.

Sed

Sed & Galenus qui nullibi hanc uulgarem mannam sub hac uoce nominauit, licet de ea in lib. de alimentis, cap. de melle, aliquid tetigerit, cum alibi pluries, tum decimotertio libro περὶ θεραπευτικῆς μεθόδου, mannæ libani mentionem habet, impleri ea docens suppuratos tumores post sectionem, quam & definit ἀπόσιτισμα λιβανώτου. Demum quam Orpheus inter thymiamata (ut scribis) refert, quis utranque internoscens, non potius credat esse excribrationem & puluisculum quendam thuris, ad suffimẽta idonei, & quem adoleri aris uetustissimum sit, quàm hanc uulgarem quæ penitus inodora, suffiriq; contumax ac inepta, & quæ in usus potius ægrotorum quàm sacrificia deorum uenire consueuerit? Neq; igitur Celsus, neque Dioscorides, uerum neque Orpheus, quorum testimonio niteris, id probare mihi uidentur quod contendis, Tiberio scilicet Cæsare imperãte, mannam hanc, quam nunc passim ad aluum nobilium (preciosa enim res est) leniendam exhibemus, in agnitione & usu fuisse medicorum. Quare si quas habes huius rei euidentiores demonstrationes, eas scribere ne pigeat, simul Manardo tuo rem gratissimam facturus, simulq; ueritati patrocinaturus: nisi enim fortiores rationes uidero, non sum ab Auerroë Cordubensi recessurus, qui mannam hanc inter ea reposuit, quæ post Galenum in usum uenerunt medicorum. Nisi fortè quispiam antiquitati fauens, mel syluestre, ut Sudas, uel mel roris aut aëris, ut Galenus, uocatam ab antiquis contendat, cui nec nos magnopere (ut aliàs ostendimus) repugnabimus. Vale.

EPIST. V. Pacto medico Mantuano, de temperatura Populi, & medicaminis ex ea parati.

QVæris quid sentiam de myracopi, quod populeum unguentum uocant, temperatura, cuius apud officinas communis est usus: quoniam apud uos disceptatio orta sit, alijs calidum, alijs frigidum affirmantibus. Scribam quid sentio, istud in primis præfatus. Ambiguitatis causam me putare, quoniam de Populo ipsa, rationibus infrà dicendis, pariter ambigatur. Nam si fructus illi populei, quos oculos uocant, uel frigidi, uel modice calidi statuantur, & pro papauere rubro, hoc est, ut multi putant, anemone, calida herba, ut corrupti habent codices, nigrum legatur, non erit ita frigidus medicus, qui frigidum non affirmet. At si Galeni communem traductionem, Petriq; Aponensis in suo Conciliatore autoritatem sequuti, Populum in tertio ordine calidorum locauerimus, res profectò digna erit, quæ in controuersiam ueniat, utpote uel supputatione calidorum frigidorumq;, & exacto utrorunque examine, uel experimento rationi innixo, decidenda. Sed missò in præsenti scrupuloso hoc scrutinio, quod quisque Alchindum, uel Auerroën, uel Gentilem, & Sauonarollam, uel Maiolum tuum sequutus, modo mediocri supputandi peritia non careat, cum stylo & abaco experiri potest. Illud potius quod te desiderare cognosco, quæ scilicet sit Populi temperatura, absoluere enitar. Vulgata igitur Galeni interpretatio, calidum in tertio ordine statuit: græca lectio, in primo: utra uerior, non facile est iudicare. Siquidem non uideo, dicet quispiam, cur hac in re, non tam Græcus quàm Latinus, uel Arabs librarius potuerit hallucinari (reijcienda enim culpa potius in scriptorem quàm in interpretem) cum non possit qui interpretandi munere quomodocunque fungitur, adeò expers esse literarum, ut γ literam quæ tertium, ab α, quæ primum denotat, non internoscat: aut si non per notas, sed per dictiones suas numeri exprimantur, quid πρῶτον, & quid τρίτον latine significent, non intelligat: alioqui necesse fuerat, eum simili

Universidad de Deusto
Biblioteca

errore alijs in locis semper lapsum esse. Augent suspicionem erroris græcorum exemplarium, Oribasius græcus & ipse medicus: tum Serapion & Auicenna, magni uterque nominis inter Arabas, quorum ille in prima parte suæ aggregationis, medicinis in tertio ordine calefacientibus haurum romi (sic enim ipse Populum nigram uocat) connumerauit. Capite quoque 276. secundæ partis, idem uerbis Galeni confirmauit. Intelligere autem ipsum per haurum romi Populum nigram, hoc est, eam quæ græce αἴγειρος dicitur, uerba Galeni & Dioscoridis quæ recitat, palàm ostendunt. Sed Oribasius in lib. 2. ad Eunapium, & lib. 15. ad Iulianum Cæsarem, inter calida tertij ordinis computauit. Auicenna autem cap. 344. secundi libri, sub nomine Hauri romani, & 510. sub nomine Nucis romanæ, de eadem scribens, ait, quod calefacit uehementer in tertio. Quanquã nescio si ulla in re tam uarius, tamq; parum sibi constans fuit. Nam præter loca superius allata, bis quoq; de eisdem rebus non eadem scripsit. Capite enim 311. sub nomine Hauri, confundit ea quæ de alba & nigra Populo à Galeno & Dioscoride diuersis capitibus scribuntur: dicitq; haurum æquale, & ad paucam declinare siccitatem, nec esse uehementis caliditatis. Capite 374. dicit, Carabe (quod quidem ipsemet cap. 351. scripserat esse gummi hauri romani) esse calidum parumper: & in libello de Viribus cordis, quod est calidum in primo gradu, quod tamen gummi cap. 344. dixerat calidissimum. Verum dissonantia hæc, tametsi ei deroget, ceu parum idoneo testi, in ea tamen parte, quæ Oribasio, Serapioni, & Galeni uulgatæ traductioni conformis est, quoniam testes tres habet secum sentientes, eius testimonium penitus reijciendum non uidetur. Quid igitur iudicãdum? An uni scripturæ magis credendum, quia græca est, quàm duobus, & quidem celebratis medicis? Profectò uereor, ne si pro Græco in hac lite steterimus, ab amicis qui nos de græcitate insimulant, iure meritò derideamur. Sed age examinemus, an Græco idoneus aliquis testis subscribat. Inuenio quidem multos Arabes à Serapione recitatos in cap. 176. quorum unus temperatæ caliditatis cum pauca frigiditate, alij frigidam, sicut & Haliabas, affirmant. Verum cum de succino loqui uideantur, quod ipsi crabe, uel carabe uocant, & quod falsò gummi Populi rentur, fabuloso scilicet errore, à Plinio & à re ipsa iamdiu explosо, parum dignos se monstrant quibus credatur. Consulendus igitur naturæ codex, cui refragari nec possumus, nec debemus: hoc est, Populus ipsa, quam utiq; non necesse est nos, qui propter Eridani ripas degimus, à longinquo petere. Sed certe naturæ hic liber, modo scias legere, ostendet, ad tantum caliditatis gradum hanc arborem nõ extolli, ut inter medicinas tertij ordinis debeat collocari. Nam quis rogo sapor, quis odor, quę demum qualitas, tam præcellentis eam monstrat caloris? Neq; enim multum odorata, neque eximio aliquo sapore prædita, sed dum gustatur, primo quidem modice astringit, postea amaritudinem quandam subobscuram inuehit, olfacienti quid non insuaue, uerum exiguum id omnino repræsentat. Si quis uero uia regia, quam Galenus monstrauit, incedens, experiri eam in corporibus temperatis, distemperatis, ægrisq; uoluerit, calefacientem non ualde inueniet. Paulus præterea Aegineta Galeni simia, calefacere eam scribit in primo ordine: cui Constantinus quoque monachus consentit. Volunt leges, eum qui semel malus fuerit, semper eodem in genere esse præsumẽdum malum: sed Arabica illa Galeni æditio, non semel tantum, sed ferè singulo quoq; capite multifariam labitur: unde fit, ut exigua illi fides sit tribuenda. Numeraui ego eadem pagina, qua de Populo scribitur, errores plusquam quinquaginta: inter quos capite de Lolio, quod Populum proxime præcedit, pro tertio ordine primus scribitur: ut minus mirandum sit in Populo pro primo scribi tertium: quod certe uidere poterat is medicus, qui ea Galeni uolumina castigauit, quæ sunt secundo loco formis excusa, nisi omnino cæcus fuisset: cum Galenus ab initio capitis dicat, lolium esse calidius iride, & proximum medicinis acutis in calore

& siccl

& siccitate. Mitto, quod in calce libri sexti deest pars capitis, ubi de gingibere agitur. Et deinceps capita uigintitria. Vide igitur quàm temere, ne dicam impudenter, bonus ille corruptor potius quàm correctior, manes Galeni sibi apparuisse confinxerit, & castigatum uolumen obtulisse. Et ne me etiam putes hæc fingere, subscribam capita quæ desunt. Ea sunt huiusmodi: De zytho, fermento, mentha, hedysaro, hemerocalo, hemionitide, herigero, eryngio, thalietro, thapsia, lupino domestico & syluestri, thlaspe, lactuca, thymis, idæa radice, uisco, uiola, cauda equina, equino fœniculo, isatide, isopyro, salice. Quis igitur græcæ lectioni non magis accedat, non tot errandi discriminibus subiectæ, quot communis illa, quæ ex græca ad Arabicam, ab Arabica ad nostram linguam peruenit? eoq; seculo quo latinæ & græcæ literæ pessum ierant. Quæ etiam græca lectio Paulum medicum grauissimum, & Constantinum non usquequaq; aspernabilem, consentientes habet. Adde, si placet, & græcum (quisquis ille fuerit) qui multorum capitum libri de simplicibus medicinis Galeni, summas collegit. Et Auicennam quoque ipsum cap. 351. ubi seriosius quàm alijs locis de hac arbore scripsit. Quod uero alibi calidum in tertio ordine dixerit, ex eadem puto radice natum, ex qua & Serapionis, & communis traductionis, & Oribasij litera pullulauit, ex uitioso uidelicet græco exemplari. Nam ipsa rei experientia cæteris omnibus antestans, græcæ lectionis ueritatem confirmat. Si ergo populnei fructus primum ordinem in calore non transcendunt, certe populeum myracopum frigidum iudicandum est, in quo præter Populi fructus & adipem, modice calida, reliqua omnia sint frigida, & bona eorum pars ad supremos usque ordines attollitur. Neque his in hac parte accesserim, qui non ægeri, hoc est, nigræ & communis Populi fructus, recipi in hoc unguento iubent, quoniam sit calida: sed leuces, hoc est, albæ, quam uulgò apud nos uoce parum, ut fit, mutata, albaram uocant, ad frigidum inclinantis. Ego enim leucem quoque ipsam calidam potius quàm frigidam puto, scribente de ea Galeno lib. 6. de simplici medicina, quod mixtæ est aliquo modo temperaturæ, ex aquea tepida, & terrestri tenuata substantia, & quod absterſiuæ uirtutis est particeps: quam ipse quinto tractatu eiusdem libri de simplicibus medicamentis, à calido fieri docuerat: & lib. de medicinis secundum loca patientia, secundo, ei uim discutiendi adscribit. Inuenio etiam apud Galenum & Paulum acopon διαχώρου, hoc est, per populum: διαλδύκος legisse non memini. Hæc sunt quæ de uestra controuersia mihi alioqui (ut nosti) occupato in præsentia occurrêre. Quæ si tibi satisfecerint, gratias age luci ueræ, quæ nostem meam radio suæ uirtutis illustrarit: si minus, imbecillitati meæ adscribito,

non uoluntati.

Vale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS MANARDI EPISTO LARVM MEDICINALIVM LIBER SECVNDVS.

EPIST. I. ad Martinum Melerstadium, Illustriss. ducis Saxonum physicum, apologetica.

DOSTRIDIE quàm defensio tua, Simonisq; Pistoris accusatio ad nos peruenit, fortè contigit, ut cum Principe meo in suburbanam uillam secederem. Tuli igitur utrosque libellos mecum, natura ipsa sititor alioqui nouitatis, ne in ocio penitus essem sine negocio. Hosq; cursim primo, atq; ferè sine interspiratione perlegi. Dehinc occepi legere accuratius, interq; legendum (quoniã non erat tunc in quo me melius exercerem) notaui quæcunq; in Simonis libro occurrerent, in quibus aliter atq; ille sentirem: non minori scilicet uenia reprehensurus Simonem, quàm ille reprehenderit Leonicenum. Has ego annotatiunculas ad te mitto, non quasi rem egregiã, aut te dignam, sed ueluti quoddam mei in te amoris monumẽtum. Conciliauerãt enim te mihi dudum communia studia, & tua in Ioannem Franciscum Picum Principem meum, uirum uel doctrina, uel moribus, uel utroq; incomparabilem, explorata mihi iampridem obseruãtia: nec aliud putabam deesse ad nostram amicitiam, nisi ut te amari à me cognosceres: non enim uerebar ne esses me æque redamaturus. Quod si mihi præsens præstiterit lucubratio, cum ex se non placeat, uel uno hoc officio erit gratissima. Vt igitur ab epistola sumamus initium, Simon Galeni, & Petri Aponensis, uulgò Conciliatorem quem dicunt, autoritati innixus, eos medicos redarguit, qui nominum curam habent: in qua certe reprehensione, ipse reprehensione carere non uidetur: siquidem Aristotele teste, qui nominum uires ignorant, & seipsos sæpenumero, & alios fallunt: & ut scripsit Auicenna, ad uocum considerationem duxit nos necessitas. Quot enim errata in medicina, in philosophia, in sacris literis, ob solam uocum ignorantiam uidemus accidere? Atq; ut ex multis & ferè innumerabilibus pauca afferantur, unde est quod recentiores medici ad diutinum puerperium & ciendos menses, siliquæ Aegyptiæ corticem exhibent, nulla adaperiendi, seu prouocandi facultate præditum, nisi quod cognominatione ipsa decepti, quod scilicet ea siliqua uulgò Casia fistula dicatur, aromaticæ uires, quæ sola & fistulæ & casiæ nomen habet, simul cum nomine in illam transfundunt? Quid Auicẽnæ secundum de medicina uolumen, Dioscoridis antiquam interpretationem, Serapionis librum de simplici medicina, fereq; ad unum omnes & autores & libros, qui in usu apud medicos uulgò habentur, tot errorum ambagibus inquinauit, nisi quod autores ipsi, uel eorum interpretes, uocum significantias parum habuerunt exploratas? Vnde errores circa cardamomum, apium maius, centaurium, rheon ponticum, innumerasq; penè herbas, in quibus non modo plebei & uiliores, sed & qui ætate nostra principes, atq; semidei sunt habiti, & peccant, & peccauerunt? profectò ex eadem radice pullularunt. Non igitur posthabenda sunt nomina, præsertim medico, cum humanæ uitæ præiudicio in his aberranti. Nam quomodo aut libros antiquorum, à quibus ferè accepimus quicquid in hac scientia habemus, aut magistros ipsos uiuentes, spreta ipsarum uocum significatione, ualebimus intelligere? Si potest Simon, quicquid hactenus aut humana industria uestigatum, aut diuina indulgentia reuelatum est, proprij ingenij uiribus excogitare, ut nec antiquorum lectione, aut præceptoris adminiculo, ita nec uocum cognitione indigebit. Nos profectò qui sumus rudiores, malumus de uocum ui esse soliciti, quàm in rebus ipsis crassissime

Siliquæ Aegyptiæ falsò Casiæ fistulæ dictæ.

crassissime pererrare. At nónne in sacris quoq; literis, & in philosophia multi errores sunt, qui à solis linguarum peregrinarum notitiam habẽtibus, & cognosci possunt, & castigari? Vidit hoc nostro æuo Bessarion inter Græcos, inter Latinos Picus, inter uestrates Ioannes Phorcensis, eius libri autor qui De uerbo mirifico intitulatur. Quis enim sciret legendum in Euãgelio, Si eum uolo manere: in Psalmo, fortem uiuum: in Euangelio rursus, Thabiti kumi: non autem, ut latina habent exemplaria, in primo loco, sic eum uolo manere: in secũdo, fontem uiuum: in tertio, Thabita cumi. Nemo profectò homo uocum neglector: nec communes hosce errores castigare quispiam poterit, qui non sit in perscrutãdis uerbis accuratus. Neq; illos quispiam ut parui momenti contemnendos dicat: quanquam enim unico elemento peccatur, tamen præter id, quod ne minimus quidem scripturæ sacræ apex, absq; spiritus sancti lumine est cõscriptus, occasio etiam data est uiris alioqui doctis, ut in distortas laberentur expositiones, quas non est precium operæ hoc loco recitare. In philosophia uero quot errores ex una hac radice exorti sint, longum esset in præsentia recensere: sed uno tantum apposito, alios ad librum nostrum Aristotelicarum castigationũ reseruabo. Legebam proximis diebus apud Aristotelem, quarto Moralium ad Nicomachum libro, ea parte qua de prodigalitate agitur, in antiqua traductione hæc uerba: Velociter relinquit substantia dantes idiotas. (quanquam & idiotis, pro idiotas corrupte legebatur) quod cum legerem, statim uenit in mentem, debere eius loci enarratores in ea dictione, idiotas, impingere: statimq; cuiusdam expositoris (nomen ob reuerentiam taceo) sumpto in manus codice, offendi quod præfagiueram, inconcinnam scilicet expositionem, & ab Aristotelis mente penitus alienam: ea est huiusmodi: Prodigos appellare eo loco Aristotelem idiotas, quasi irrationabiles, quoniam scilicet indiscrete substantiam dilapident. Quod si aut qui librum conuerterat, aut ipse expositor, per idiotam non aliud eo loco grece, quàm latine priuatum hominem significari, & ad aliquid aliud semper uocem illam dici, ut non uno loco docet Galenus, intellexisset, ille planiorem fecisset interpretationem, & hic (qua erat mentis sublimitate) philosophi sententiam plenè percepisset. Desinat igitur tuus Simon, nominum inquisitionem, quasi frustratoriam, & parum philosopho dignam, calumniari: è quorum ignoratione, tot in omnibus disciplinis sequi uidemus incõmoda. Neq; nobis obijciat Galenum: quamuis enim multis in locis, superfluum circa nomina studium redarguerit, atq; eos medicos qui ociosam operam in non necessarijs uerbis consumunt, ipse tamen & multos libros de medicinalibus nominibus conscripsit, & prognostica Hippocratis enarrans, atq; alijs in locis plurimis, non aspernandum hunc laborem docet. Sed quærenda eatenus nomina, quatenus in rerum nos perducunt agnitionem. Libroq; primo de differentijs pulsuum ait: Occupatio circa nomina, est inuitis nobis necessaria. Tanto autem est nobis quàm Galeno hoc studium magis necessarium, quãto medicinam, quam ipse partim sibi peperit, partim à propriæ linguę autoribus didicit, nos à Græcis barbarisq; nationibus mutuauimus. Et utinam satis fidi fuissent internuncij, qui eam ad nos uexere, & uersores tantum, non etiam peruersores extitissent. Vtinam non utriusque linguæ ignari, eius scilicet ex qua accipiebant, & in quam conuertebant: non enim præstitissent nobis medicinam non modo fœdam, incultam, puricamq; potius ac barbaram quàm latinam, sed & mancam, in plerisque mutilam, & interpollatam. Qui tamen, ut ob pium propositum, & temporis uitium excusandi, (præstiterunt enim quod potuerunt) ita sunt sine omni indulgentia illi accusandi, qui scaturientem iam undiq; ex ipsis fontibus, & per puros canaliculos transfluentem medicinam, turbare potius maledictis uolunt, quàm ebibere. Sed dimittendi sunt hi, non monendi. Idem quippe in literis quod & in moribus accidit. Vt enim qui se bonos putant, cum mali sint, nunquam ad meliorem frugem conuertuntur:

Nominũ inquisitio medico necessaria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita qui se putant doctos, nunquam ab ignorantiæ morbo liberantur. Conciliatoris uero hac in re autoritatem tam paruifacimus, quàm quod nihili: quandoquidem si dictionum ipse uim probè calluisset, non tot errorum ambagibus libros suos compleſſet. Atq; ut ex innumeris unum aut alterũ attingam, si uocis σφακελισμὸς, qua Aristoteles decimo primæ sectionis problemate utitur, multiplicè à Galeno secundo libro de locis affectis, & septimo Aphorismorum, expressam uim didicisset, non putasset dolorem capitis uehementem, & cum pulsu, de pituitæ redundantia fieri, & eo loci ab Aristotele intelligi: rem quidem ab Aristotelis mẽte, & forte ab ipsa ueritate non parum alienam. Melius quoque intellexisset nonum, trigesimum, trigesimumq; primum eiusdem partis problemata, aliaq; per multa, quæ non est necesse hoc loco recitare. Satis enim monstrauimus, multum in omni scientia conducere, rerum uocabula recte intellexisse, præsertim in medicina, ubi tanto cum discrimine in nominibus erratur, quanto cum discrimine & aliud pro alio medicamentum, & inexpertũ pro experto, & nocuum pro innocuo propinatur: quãto etiam cum periculo unus pro alio morbus intercuratur. Sed iam reliqua examinemus. In prima conclusione, morbum gallicum, sub pustularum anthematum, aut (ut ipse dicit) alhumere capite ab antiquis collocatum affirmat. In qua re id mihi in primis peccasse uidetur, quod neglectis his quæ in eo sunt præcipua, id est, articulorum doloribus, duris tumoribus, ulceribusq; pessimis, cutis defœdationem tantummodo considerauit. Verum hic error illi communis cum multis, quorum opiniones pecu liari tractatu late confutauimus. Ille uero Simonis proprius, quod aut propositum non manifestat, aut à ueritate ipsa discordat. Si enim idem penitus per anthemata & pustulas intelligit, quod & Constantinus, & alius Hippocratis interpres sensisse uidentur, dum aphorismum illum sextæ particulæ uertentes, τὰ πλατέα ἐξανθήματα ὀ πάνυ λεπτομόδεα, pro anthematis pustulas reddidere, non satis explicat quod intendit. Non enim ad certam speciem, præfinitumq; Caput (quod propositio eius uidetur profiteri) morbum hunc redigit, cum nomen pustularum late pateat, & uarias sub se species comprehendat. Sin autem Celsum sequutus, peculiarem quandam pustularum speciem intellexit, à uero longe seiungitur: siquidem nihil simile in hoc morbo his pustulis uisitur, quæ ex urtica, uel sudore nascũtur, qualia esse anthemata quæ dicuntur, Celsus definiuit. Si Paulum Aeginetam, non minus errat: definiuit enim exanthemata ulcerationes superficiales, subrubras, & asperas, quales in hoc morbo non semper reperiri, quiuis potest agnoscere. Nec illum à primo errore releuat, quod non simpliciter anthemata, sed cum adiectione epidemialis dixerit: quandoquidem ipse sibi hanc excusationem ademit, dum multos morbos fieri posse epidemiales affirmauit. Non maior fit igitur ad certam speciem limitatio, quando anthemata dicimus epidemialia, quàm si animal album diceremus. Taceat igitur Simon, nec pergat Leonicenum accusare, tanquam nõ definientem quid sit morbus iste: quem nec ipse multo plus declarauit, quàm si epidemialem simplici & absoluta ratione dixisset. Hactenus de conclusione. Ad corollaria accedamus, in quorum primo iniuria te accusat Simon, quasi improprie loquutum, quando pestem hãc καυσώδη nominabas. Ea enim uox, tametsi sæpe mala quædam ulcera Græcis medicis significare uideatur, si tamen ad latinum transferatur sermonem, maligum, uel mali moris significat. Qua quidem nomenclatura, nullam huic morbo dari posse decẽtiorem, quotquot illum patiuntur, malo suo (plus etiam puto quàm uellent) quotidie experiuntur. Sæpe etiam fit, ut pessima & maligna, uel male morigera appellata ulcera, illi morbo cõiuncta sint. Sed hæc leuicula sunt, & in quibus qui uersatur, suspicione curiosioris nominum indagatoris carere non possit. Illud uero inquisitione dignius, an recte in secundo corollario illi redarguãtur, qui hunc morbum nominantes, epidemialis adiectionem tacuerunt. In qua re, quanquam eos

Conciliatoris errores.

eos longe puto aberrare, qui elephantiasim, uel saphatum dixere, non uideo tamen cur meritò de taciturnitate epidemialis reprehendi debeant. Alioqui iuste taxauerit quispiam antiquos, qui de multis morbis scribentes, qui sæpenumero uagantes epidemici uerè fiunt, proprio tãtum nomine expresso, adijcere epidemialis uocem supersederunt. Quanquam si epidemiali uoce proprie utamur, non erit epidemialis uocandus, ut alibi demonstrauimus. Optarem autem definisset Simon, recte an perperàm illi sentirent, qui hunc morbum uel saphatum (sic enim ipse loquitur, Græci ferè achoras uocant) dixere, uel elephantum: probassem enim apertis (ut puto) rationibus, eum tota aberrare uia, si eos putaret non errare. Sed obfuscauit sese, ut arbitror, ex industria, more sepiarum. In eo enim quod se illis connumerat, eandem hæresim profiteri uidetur: in eo uero, quod simílem illis morbum hunc facit, uidetur facere diuersum. Siquidem (ut Aristoteli placet) similitudo relatio est inter diuersa. Sed scio quid ipsum tenuit, quo minus propriam aperte propalaret opinionem. Leoniceni rationes super ea re sensit, nec earum est ausus aggredi solutionem. At si hoc in causa fuit, utique suam debuit deserere positionem, malèq; rationibus cedere, quàm proprium errorem pertinaciter defendere. Non est quoque reticẽdum, errorem multorum sequutum Simonem, ubi affirmauit, elephantiasin esse lepræ speciẽ, cum sunt ægritudines longe dissimiles: est siquidem Elephas morbus tristis quoq; nomine dirus: Lepra inter faciles morbos cõputatur: imò si autori libri de affectionib. credimus, qui Galeno teste, uel fuit Hippocrates, uel Polybus eius discipulus, inter eos affectus numeranda est, qui dedecus potius sunt, quàm morbi: quem autorem, quisquis tandem ille fuerit, puto sequutus est Auicenna, cum primo canone dixit esse affectiones, quæ cum morbi non sint (sed supple, dedecora potius) morbis tamen connumerantur. Neque est illius libri de passionibus inscripti, uel affectionibus autoritas, quasi parum idonei respuenda, utpote ex quo Galenus tantus in medicina autor, integras sententias, uerbũ è uerbo interim usurpat. Quod si quis dixerit, lepræ nomen in sacris literis pro graui morbo accipi: obijciam ei Augustinum, coloris uitium, non ualetudinis, aut integritatis sensuum atq; membrorum, lepram esse dicentem. Sed & Galenus uicesimum tertij libri aphorismum enarrans, adeò leuem & absque periculo morbum putauit, ut licet uerni temporis proprius existat, non tamen tollit quin uer saluberrimum dici possit. Verum hæc suo loco exactius pensabuntur: nunc secundam conclusionem aggrediamur. Si uidisset Simon, nonnullos hunc morbum patientes, quales nos sumus intuiti, non puto tam asseueranter negasset, posse illum à pituita interdum generari. Vidimus siquidẽ hac peste fœdatos, quibus pustulæ apparuerunt crassæ, latæ, subalbidæ, quæ quoties uel suapte sponte, uel medicaminum auxilio arescebant, in crustas quasdam seu squammulas albicantes resoluebantur: exibatq; interdum ueluti aqua crassior, manifestissimum pituitæ indicium. At si mihi forte, tanquam parum idoneo testi, fidem abrogat, credat quæso rationibus, ac maiorũ autoritatibus, quæ fateri cogunt, non solum posse hanc pestem ab pituita fieri, sed etiam ab ea non infrequentius, quàm à succo nigræ bilis contingere. Quandoquidem eius non contemnenda portio, id est, artuum dolores, Raze medico teste, ab ipso nigro humore proueniunt quamrarissime: ut propterea existiment nonnulli non infimi nominis in medicina uiri, Galenum in libro de medicamentis secundum loca patientia, in catalogo humorum articularem morbum facientium, atram bilem non adscripsisse, utpote à qua dolores articulorum, non nisi insolenter & rarò fieri posse intelligeret: uetante scilicet eius crassitie, & terrea substantia, ne intime, ac in penitas ossium, membranarum, & compaginum partes adigatur: qui etsi interdum ab eo fieri possint, constat tamen hos qui in morbo gallico accidunt, tales non esse, ut inde semper credi debeant prouenire: quoniam Auicenna teste, debiles & occulti sunt,

Versus Sereni Sammonici.

Lepra dedecus potius quàm morbus censenda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

si qui à tali materia fiunt: hos autem manifestos & uehemẽtes esse, quotidiana mon
strant experimenta. Dicere autem aliam esse materiam quæ dolorem, aliam quæ re
liqua mala facit, hominis est dogma potius quomodolibet tuentis, quàm ueritatem
& rationem sectantis. Si enim ita esset, mala illa, dolor scilicet, ulcera, pustulæ, merè
ex accidenti, atque ut sequens est, rarenter & paucies in hoc morbo iungerentur.
Contrà autem euenit, ut nunquam, uel certe rarò, in toto morbo seperentur, sed se
rè ubi pustulæ delitescunt, dolores insurgunt: quod certe significat materiam illam
uel certe aliam ei similem quæ in cute pustulas faciebat ad intima accedentem, dolo
res excitasse. Incredibilem uero mihi admirationem parit hic uir, qui paulò ante epi
demiam hanc saphato (sic enim ipse loquitur) secit quamsimillimam, & eisdem disse
rentijs utrunq; morbum interstingui definiuit: nunc illos intantum separat, ut im
possibile iudicet hunc fieri ab humiditate, à qua primã saphati (ut uerbo eius utar)
speciem suprà dixerat dependere. Sed iam reliqua examinemus. Ad cõmune de
inde medicorum cõfugium sese recipit, quasi ad portum, uel tutelarem deum, cum
morbum hunc occulta fieri asserit proprietate, de cœlestibus corporibus emanan
te. At si Auicennæ sententiã sequamur, in eo qui de uiribus cordis inscribitur com
mentatio, quam etiam primo attigit canone, dicere poterimus, hasce uires occultas,
quas uocant proprietates, non differre à natura, nisi sicut minus commune, à ma
gis communi, aut figmento esse persimiles, commentumq; hominum ab innume
ris quæstionibus sese illarũ præsidio releuantium. Sed sint aliud à natura (non enim
id magnopere pernegabo) non certe à cœlo, præterquam sicut ab uniuersali causa,
proueniunt: quemadmodum Ioannes Picus, æui nostri splendor & gloria, in su
perhumano illo cõtra astrologos libro, quem à tenebris ad lucem magnis laboribus
reuocauimus, multis rationibus comprobauit. Quod si etiam gratis demus huic ui
ro, & esse illas aliquid, & fieri à cœlo, nihil tamen comparet in hoc morbo, quod in
manifestas causas referri non possit, uel quod ad occultiores illas proprietates, quasi
ad asylum fugere nos compellat. Videmus enim in eo pustulas, artuum dolores,
oris & pudendorum, & aliarum quoque interdum partium ulcerationes, ac præ
duros quandoque tumores: quæ omnia accidere ab humorum uel copia, uel fer
uore, uel putredine, nullus puto medicus dubitabit. Sed præter ea quæ diximus,
notaui ego aliàs sex in hoc morbo mirabilia: uidelicet, quod longus simul ac uehe
mens: quod noctu magis quàm interdiu affligens: quod ferè à pudendis incipit,
& non nisi rarò, & per longam ualde consuetudinem, per alia membra in alterum
transfunditur: quod in pustulas oris desinit, quæ etiam applicitis potentioribus re
mediijs concitantur. Hæc autem omnia non est difficile mediocriter in medicorum
libris exercitato, ad manifestas causas reducere. Nihil ergo in hoc morbo est, quod
nos cogat relictis manifestis, ad occultiora illa confugere. In secundo uero corolla
rio, præter id quod epidemiale genus pestilentialis tandem agnoscit, quod secum
reciprocare suprà statuerat, Gallicum quoque morbum ueneno ait & pestilentia
participare. Quod dictum (pace sua dixerim) hominis esse uidetur parum in medi
cina exercitati. Nam unde pestilentiam, aut uenenum eius deprehendimus? Pesti
lentes morbi magna ex parte febrem, & quidem nota dignam sibi associant, cor læ
dunt, difficultatem spirandi faciũt, & ad salutem rarò, ad mortem sæpe, exiguo sem
per temporis spatio perueniunt, facileq; & absque ullo contactu per solam com
munis aëris inspirationem ab uno in alium euagantur. In hoc uero morbo, cerebri
potius uel iecinoris, quàm cordis oblæsiones uisuntur, difficultas incedendi magis
quàm spirandi apparet, rarò interficit, longus est, nec ferè præterquã diuturna con
suetudine, aut per naturalia inficit. Causam igitur cur pestilentialis dici mereatur,
ego non uideo, uideant qui acutius cernunt. Parum Simoni uidebatur in te ac Leo
nicenum iactasse conuicia, nisi etiam Picum lacesseret: quem tamen puto non alia
causa

causa damnauit, quàm quod eius scripta non intellexit: malo enim illum insciti æ,
quàm maligni animi arcessere. Neque utique arbitror fore quenquam (modo diui
num illud contra mathematicos opus munda aure perlegerit) qui tam puerili su
perstitioni possit posthac fidem mancipare. Sed uide quàm sit solers & catus Simon
noster, quum astrologicæ uanitati (ut eius scripta præ se ferunt) sit supra modum
addictus, intelligeretq; in eam loãnem Picum duodecim libris, quasi duodecim ue
teranorum legionibus acerrime dimicasse, non ausus secum de astrologica re con
tendere, satis putauit & se, & facultatem tutaturũ, si illum de medicinæ insciti a insi
mularet. Sed unde in Pico hanc ignorantiam deprehendisti? Debebas saltem lo
cum mõstrasse, ne ex temeritate potius, quàm cum ratione iudicasse uidereris. An
quod princeps uir fuit, & medicinã non est professus, ignorasse eam illum uis conij
cere? Sed nónne simili argumento Auicennam (cui fortassis plus quàm par esset
in hac arte attribuimus) quem regem aiunt fuisse, & curandis infirmis operam non
dedisse, eadem insciti a damnare oportebit? Fuit Picus, ut omnium bonarũ artium,
ita & medicinæ studiosus, in eaq; arte (quod pace Simonis dixerim) multa & didi
cit & cognouit, quæ Simoni ipsi unà cum medicorum uulgo adhuc sunt inexplora
ta. Sed dimisso Pico, ad conclusionẽ reuertamur. Putat Simon ex hoc Auicennam
astrologiæ fauisse, quod pestilentiam causam dixit habere uniuersalem. Si quis ta
men diligenter examinet, quæcunq; ab eo uarijs in locis super astronomica re con
scripta sunt, cognoscet utiq; tantum abfuisse illum à fide astrologiæ, quantum abest
astrologia à ueritate. Libro enim quarto, si quis nucleum, non tantum uerborũ cor
ticem spectet, sub nomine eorum qui dixerũt, in pestilentia aliquid causæ eius non
proportionatum, (sic enim ipse loquitur) astrologos taxauit, peculiarem aliquam
uim pestilentiæ effectricem cœlo adscribentes, cum sint cœlestia causæ tantummo
do primæ & longinquæ, hoc est, uniuersales, non propinquæ & particulares ho
rum inferiorum. Qualis uero esset uis ista, meritò cuius cœlum uniuersalis causa di
ci mereatur, libro primo monstrauerat: ubi influxus declarans qui ex multarũ stel
larum coitu in nos proueniunt, non alterius influentiæ commeminit, quàm calo
ris, quem uertici nostro propinquantes, & frigoris, quod ab eodem discedentes, ex
accidenti, atq; non agendo (ut ita dixerim) in nostra hac agunt regione. Neutroq;
loco uides eum, aut multi ponderis planetarum, aut magnarum, quas uocant, con
iunctionum, aut maligni astri feciss e mẽtionem, uenenum è cœlo in terras iaculan
tium, ut Genethliaci putant. Sed & quo capite de temperaturis agitur, cum in re
gionis sub æquinoctiali circulo sitæ mentionem incidisset, homines, ait, inibi habi
tantes erunt certæ æqualitati ualde propinqui, nisi aliqua de rebus terrenis obuian
do impedierit. Quo loco, si quid astrologiæ tribuebat, non erat cœlestis causa reti
cenda, utpote à qua præter communem caloris influxum (si uera sit hæc superfti
tio) multipliciter possit temperaturæ æqualitas, imò qualiscunque habitatio, submo
ueri. Ex eo igitur, quod terrestrem tantum causam commemorat, floccifacere se cœ
lestem demonstrauit. Desinat igitur Simon, Auicennæ patrocinio astrologiam tu
tari, quam constet ab eo ubique uel dissimulatam, uel neglectam. Addit præterea
alia quædam circa eandem conclusionem, mihi parum credita: sed cum uideam lu
cubrationem hanc iam longius quàm præstitueram creuisse, ea nunc silentio præ
teribo, præsertim cum de his quæ ad astrologiam spectant, infrà quoque loquendi
præstetur occasio. Pari quoque ratione quæ in primo corollario dicuntur, conni
uentibus oculis pertransibo, firmatis aliquantisper uestigijs in secundo, ubi in occul
tas rursus proprietates (propter nescio quæ Auicennæ uerba) referre hunc mor
bum satagit. In qua re illud in primis peccat, quia quæ ab Auicenna de putredine
aëris dicuntur, dissimili nimis similitudine in hunc morbum transfert. Nam ubi, ro
go, sedet isthæc argumentatio? Corruptionis aëreæ interdum causa est res cœlestis,

Astrologiæ nul la fides.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominibus incognita: ergo morbus Gallicus ex occulta aduenit cœlestium proprietate. Sed & non parum nutat aliud quod innuitur, à corruptione scilicet aëris pendere hunc morbum. Quanquam enim non est prorsus à ratione alienum, potuisse illum in sui exortu ex aëris putredine uel coalescere, uel foueri, posse & nunc si cui absque contagione innascatur: superat tamen omnem dementiam, ut putetur quocunque per contagionem transferatur, eandem aëris putredinem secum ducere: cum & sub quolibet cœlo, & quacunque anni uel aëris constitutione, uideamus hanc luem debacchari. Nolim tamen quenquam existimare, ea quæ ex Auicenna hoc loco afferuntur, ad astrologiæ iudiciariæ adstructionem pertinere. Siquidem per rem cœlestem, ignotam hominibus, non aliud intelligere putandus est Auicenna, quàm quod alijs eiusdem libri locis explicauit: hoc est, certam & præfinitam qualitatum primarum mensuram, ex cœlestium accessu, uel recessu in aërem progenitam, animantibus interdum noxiam: quam quidem nominauit, occultam: quoniam sicuti certam, ac (ut ita dixerim) punctualem elementorum in ueris mixtis quantitatem scire (quod Auerrois optat) exacte non possumus, ita in imperfecta hac mixtione, quam aërem uocamus, exactam qualitatum primarum mensuram, certa & proba ratione metiri non ualemus. Neque enim nouum, aut inusitatum est, pro cœlo, aërem intelligi. Notum enim est illud Vergilij in 5.

» Hoc sperem Italiam contingere cœlo.

» Atque illud Celsi: Pessimum cœlum quod ægrum facit. Sed & Galenus quædam Hippocratis uerba primo libro Epidemiarum exponens, in quibus cœli mentio habetur, aërem intellexit. Ait enim: Cœlum dixit, iuxta uulgarem cõsuetudinem: » aërem, supra nos ad nubium usque regionem existentem. Possem equidem pariter impertinentem conclusionem in præsentia præterire, tum propter ea quæ superius notata sunt, tum relegans Simonem (ut Augustinum, Gregorium, Basilium, & alios prætereã, religione simul & doctrina celeberrimos) ad ea quæ nostris temporibus Ioannes Picus ex Mirãdulæ principibus, & Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis, ex Prædicatorum ordine, contra huiusce modi deliramenta nuper conscripsere, quorũ utercp doctrina, autoritate, scriptis, totam Italiam, ne dicã orbem uniuersum illustrauit: & hic præterea cõcionandi ui, fidei ac ueritatis intrepida ad mortem usque defensione, paupertatis dilectione, ardentissimo in Christum & eius religionem affectu, animi fortitudine & imperturbatione, primitijs illis Christianorum, & nascentis ecclesiæ inconcussis columnis meritò potest comparari: prophetico uero spiritu ideo illuminatus creditur, quia quæ nunc nos infestant bellorum turbulentiæ, plures ante annos tota in pace triumphante Italia, prout euenere, euenientcp quotidie, ab eo ad unguem fuerint prænunciatæ. Poteram igitur (ut dixi) ad utriuscp præclara uolumina Simonem non iniuria relegare, nisi ueritatis amor, & Christianæ religionis zelus, cui scio pestem hanc astrologicam uirus esse nocentissimum, me impellerent, ut quæ in eius assertionem adducuntur, hoc loco refellerem. Fascem igitur illum in primis mathematicæ, diuinatricisep astrologiæ, utpote male compactum, & ex rebus tantum inter se dissidentibus, quantum ueritas mendacio, & tenebris meridianum lumen aduersatur, ea facilitate dissoluimus, qua à Simone extitit coagmentatus: Mathematicam in consortium recipientes uerarum disciplinarum, diuinatoriam cum reliquis superstitionibus è philosophia & Christiana republica in totum relegantes. Ptolemæi testimonium ceu in hac parte de ueritate suspecti, penitus respuimus. Quæ autem ex libro quodam Hippocratis afferuntur, suspicionem non paruam mihi faciunt, non emanasse eum librum ex Hippocratis Coi officina, sicut nec quicquid aliud sub eius titulo efferatur, in quo astrologiæ iudiciariæ sit mentio: quandoquidem (si Galeno credimus) Hippoc. nuspiam librorum suorum aërem contemplando transgressus est. Quod adeò credidit ipse Galenus,

Laus Hieronymi Sauonarolæ.

Galenus, ut si quando diuini, pro quo tamen corrupte in uulgata Prognostici æditione cœleste scribitur, apud Hippoc. uel etiã cœli (ut suprà diximus) nomen inuenit, maluerit expositione parum coacta, aëris constitutionẽ intelligere, quàm illum de re non bene explorata facere loquẽtem. Vt uero librũ illum quasi Hippocraticum admiserimus, quid prohibebit eo loco, non cœlestem astrologiam intelligi, sed aëream illam tantummodo, de qua late libro tertio Aphorismorũ, & in Epidemijs disseruerat? Multa enim in tribus hisce libris leguntur similia. Quod si de cœlesti loquutũ Simon omnino cõtendat, non magnopere resistemus, dum & hoc nobis redonet, motricẽ, ut diximus, non diuinatoriã ab eo intelligi. Quemadmodũ enim sup rà monui, nõ paruã mihi fidem facit expositio illa Galeni, ut ne uerbũ quidẽ Astrologiæ iudicatoriæ apud Hippoc. legi putẽ. Quod tanto magis credimus, quãto constat Galenũ ipsum professioni fuisse non inimicũ, utpote cuius interdum in suis scriptis meminerit, & in quam crisimorũ dierum rationẽ referre studuerit. In qua tamẽ re, si non parum medicus, uel philosophus, certe parũ astrologus, testimonio etiam Aponẽsis, maximi astrologiæ patroni, iudicatus est. Afferrem quæ in ea re peccasset, nisi scirem à Pico in lib. cõtra astrologos, & inter medicos etiã à Petro Aponẽsi, alijsep nõnullis esse abunde demõstrata. Alioqui si uera sint quæ in libro de crisimis diebus scripsit, derogant potius fidem hodiernæ astrologiæ, quàm corrogant: siquidem alium lunæ motum credidit, quàm qui hodie supputatur. Quare si uerum ille motum agnouit, falsa est quæ nunc in usu astrologia, quæ alium sequitur: si minus, corruere suam dierũ crisimorum machinã necesse est, tanquã nulli fundo basicp innitentem. Quæ rursus ex Haliabate, Auicenna libro primo, & ipsomet etiam Galeno in arte curatiua, ad probandam astrologiæ necessitatem afferuntur, nihil prorsus de iudiciali concludunt, sed de alia duntaxat, cui paulò ante locum inter liberales artes concessimus. Nolim tamen quenquam existimare, hanc ipsam quæ motus metitur astrorũ, medico simpliciter necessariam: cum sit longe aliud, artem quampiam esse absolute necessariã medicinæ, & necessariã ad hoc, ut autores medicinæ, qui nunc celebres habentur, plenè possint intelligi. In horum quippe libris multa legũtur, quæ non sunt medico, qua medicus est, simpliciter necessaria. Si quis enim recto examine libret, is arbitror iudicabit, præter Dialecticam, & naturalis Philosophiæ quandam partem, ac Arithmeticæ exiguã portionem, quæ sunt medico necessaria, præterep Grammaticam, quæ ea solum ratione est necessaria, quod eam ignorantes antiquorum monumenta nequeunt intelligere: omnes alias disciplinas, decori esse potius medico, quàm necessitati. Nec Galeni uerba primo Therapeutices scripta, si bene & legantur, & intelligãtur, contrariũ ostendunt. Sed de hac re in nostro medicinali Isagogico, Deo concedente, ampliter disputabimus. Tecum autem sentio mi Martine (quod & superius dixi) nihil esse in toto Auicennæ uolumine, per quod credidisse illum iudiciariæ Astrologiæ, aut putasse medico necessariam, possit deprehendi: esse potius, quibus cõijciatur neglexisse, & inutilem penitus existimasse. Quod uel hoc cõstet argumẽto, quod nusquã nouilunium, uel interlunium, obseruari in uentris, aut uenarũ solutionibus, alijs ue medici operibus, docuit: rem tamen, si quid aliud astronomicũ medico obseruandũ, (quod certe mea sententia non est) summa obseruatione dignissimã. Nec quæ ex Canticis afferuntur, nostram infirmant sententiam. Nam de eo tantũ libro loquimur, quo se quinqp uoluminibus uniuersam complexum medicinam gloriatus est. Quanquã si Auerroi credimus, librum Canticorum enarranti, dogma illud astrologorum potius placitis, quàm ueritati & philosophiæ adstipulatur: qua docemur, omnes cœlestium corporum operationes laudandas esse, non maleuolas reputandas. Commentatorem uero illum Alexandrinum, si uniuersale tantum regimen cœlo adscripsit, non inuiti recipimus: si particulare, & præcipue malignum, in hoc repudiamus.

Locus mẽdosus in Prognostico Hippocratis castigatur.

Disciplinæ medico necessariæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Didicimus enim ab Augustino, hanc solam diuinis literis præstare autoritatem, ut illis absque ratione credamus: cæteris in his quæ rationi subsunt tantum credentes, quantum probant, uel quantum rationi loquuntur consentanea. Et quid mirum? Non enim filij sunt deorum, quibus, Platonis sentẽtia, sine ulla ratione credendum sit. Petrum Aponensem alijs quoque in locis errasse suprà monstrauimus: speramusq; (si tantum nobis erit ocij) olim dicato uolumine, infinita penè eius errata detegere, non ut uiro, satis quidem quantum illa ferebat ætas, docto, multæq; lectionis, detrahamus, sed ne ei fides in magnis, ut ipsi putant, & occultioribus artibus à simplicioribus præstetur, quem cõstet in manifestioribus & leuioribus multifariam præuaricasse. Vt ne longe exempla petantur, in problemate ipso à Simone recitato, in quo manifestius certe errauit, quàm ut ulla possit cauillatione defendi. Siquidem græcus codex, ad quem recurrẽdum est quoties dubitatio in translatione contingit, quod Augustinus etiam in sacris literis testatur, hoc pacto iacet: ὅτι διὰ τοῦτο ὅσα τῶν ῥόδων ὧν ὁ ὀμφαλὸς τραχύς ἐστιν, ἡδὺ λεῖον. Quod si uerbum uerbo reddatur, sic sonat latine: Propter quod suauius olent inter rosas quarum umbilicus asper est, quàm quibus læuis. Venia autem fortè dignus esset hic error in Aponensi, nisi omnem ipse sibimet ueniam ademisset, dum se ubiq; de græcorum librorum iactat interpretatione: quanquam errandi occasio non minus de latinarum insciti a, quàm græcarum prodijt literarum. Demum quæ in calce afferũtur, non difficilius est nobis reijcere, quàm fuerit illi adijcere. Quod enim quis uena cubiti secta, luna Gemi nos peragrante, læsionem incurrerit, potuit imperitia, potuit errore artificis, potuit instrumenti ineptitudine accidere: neque minus ex accidenti, quàm quod me ambulante coruscauerit. Vidimus quoque nos (si unusquisque suas referre habet uisiones) luna alteri signo supposita, nobilem quendam uirum Ferrariensem, ex uena secta, uitæ discrimen incurrisse. Quid plura? nónne quotidie cernimus, melius longe medicis succedere, qui astrologica uel ignorant, uel negligunt, quàm illis qui illa uel sciunt, uel sequuntur? Franciscus Bencius, Vgonis Senensis filius, præceptor olim in medicina meus (aliorum pace dixerim) medicorum in Italia, nostra æta te facile princeps, nihil unquam cœleste obseruauit: sed quoties occasio urgebat, in ipsis solis lunæq; cõgressibus, & purgationem, & uenæ sectionem imperabat. Vnde euenit, ut cum præstantis cuiusdam uiri curationi, unà cum Hieronymo Manfredo, astrologo sui temporis famosissimo, Bononiæ præesset, immineretq; simul & purgandi necessitas, & luminarium coitus, astrologo reclamante, & ægrotanti mortem minitante, potione ad Bencij imperium exhibita, infirmum è graui morbo cõualuisse. Quod si magis Ptolemæo docẽti, cœlum inspiciendum, quàm Hippocrati præcipienti, pharmaca eodem die in ualde acutis morbis danda, dum turgent, creditũ fuisset, fortassis uitam prius ille finisset, quàm cœlum coniunctionem. Recte igitur & sibi & ægrotis medici consulent, si quoties uacuandum uidetur, lotium magis quàm astrum inspicient, & uenarum pulsationem potius, quàm stellarum obseruabunt configurationem. Sed uide quomodo ab epistolari mẽsura, non Laconica modo, sed & Asiatica iam recessi. Finem igitur fecero, si monuero, potuisse me & plura, & hæc ipsa locupletius, atq; comptius in medium afferre: sed quod dixi ab initio, hæc ad te mitto qualiacunq; sunt, non ueluti rem tanto lectore, quantum te puto, dignam, sed ceu pignus quoddam sanctitæ inter nos amicitiæ: non aliud ex his quærens, quàm ut mutuò me ames: quod ut facias, te etiam atque etiam rogo.

Medico lotium magis quàm astrum inspiciendum.

Vale. Ex Mirand. M. D.

Ioanni

Ioanni Camerti Theologo insigni, & omnium bonarum disciplinarum eruditiss. de saccharo duplici,

EPIST. II.

CVm proximis diebus librariam tuam supellectilem euoluentibus, nescio quomodo sacchari mentio incidisset, dixissemq; aliud esse antiquorum medicorum saccharũ, ab eo quod nũc uoce parum (ut fieri solet) mutata, zuccharũ uocant, paradoxon dogmatis impẽdio admirari uisus es, & in contrariã pedibus manibusq; abire sententiam. Quare domum reuersus, quia rationes quæ me mouerent præ tẽporis angustia in mediũ afferre ad plenũ non potueram, operæpreciũ me facturum putaui, si eas colligerẽ, & capita in scriptis darem, quo mentẽ meam locupletius posses inspicere, & tuam pacatiore animo mihi significare. Ad astruẽdam igitur nouã hanc opinionẽ, in primis statuendum, quænam, qualis ue res sit, quam nunc passim zuccharum nũcupant. Deinde ostẽdendum, quæ de saccharo ab antiquis sunt dicta, ei minime cõuenire. Res zuccharũ dicta, tantopere nunc mensis expetita, ut in prouerbiũ abierit, non esse escã quæ zuccharo uitietur, nihil aliud est quàm succus, à proprij generis planta bene contrita expressus, calore ignis plus minus ue excoctus, coactus, & defecatus: in zuccharũ tanto candidius & durius euadens, quãto plus coctionis defecatio nisq; tolerauerit. Ex diuersa autem huiuscemodi defecatione & coctura, contingit uarios ei perfectionis numeros adscribi: ut quoddam summũ dicatur, & perfectissimum, à fine nomen uulgò accipiens, quia uidelicet ad finẽ bonitatis peruenerit, candore, duritia, suauitate præcipuũ. Aliud infimũ huic penitus cõtrarium, lentum, humidum, nigricans, insuaue, & feculentũ, primæ decoctionis uocatũ. Inter duo hæc extrema, duo quoq; sunt media, alterũ infimo proximũ, secundæ: reliquũ summo, tertiæ decoctionis nominatũ. Planta à qua exprimitur, humectis locis proprio semine furculis ue seritur, exteriore quidẽ specie arundini magnæ similis, interiore substantia ualde dissimilis: pulposa enim est, grauis, mollis, & succi plena: quum arũdo ecõtrario sit leuis, dura, uacua, & propterea milio potius Indico, quod melicã uocãt, quàm arũdini similis. Hæc de zuccharo nostro, à Siculis & Lusitanis cognoui: quæ an antiquis de saccharo scribẽtibus cõcinant, age perscrutemur. Dioscorides, Galenus, Plinius speciẽ mellis putãtes, de eo inter mella loquũtur, mellis materiã esse rorem omnes fatẽtur: à quo tam differre uidetur zucchari materia, quàm planta differt ab aqua. Forma quoq; quam illi adscribunt, minime huic nostro cõgruit: gummium enim modo cãdidum à Plinio, ac dentibus fragile dicitur: & à Dioscoride salibus quo ad consistentiã simile, & dentibus instar salis perfringi. Quibus & Alex. Problematũ lib. ij. in hæc uerba subscribit: Quod saccharum Indi appellant, mellis coagulum est, sole cogẽte, cõuertenteq; ad mellis dulcedinẽ: quod idem monte etiã Libano fieri certũ est. Fit saccharum id proximũ, salis glebulis cãdidum, fragile. Nostrum priusquam coquatur, colore potius nigricans, & subruffum, quàm candidum inuenies: nec dentibus fragile, sed per suctum, nõ per dentiũ attritionem deglutiendũ. Efficiens nostri primum, est forma uisq; ipsa plantæ: secundum, artifex calore ignis concoquens & desecans, & demũ in hanc quam uidemus metæ formam in ligneis quibusdam uasculis deducens. Illud noctis primo frigus agglutinat, dehinc superueniens solis calor obdurat. Nostrũ plantæ pulpa in Siciliæ & Cannariæ insulis latitat, effigie tantum (ut diximus) arundini similis. Quam certe plantam si Dioscorides & Plinius cognouissent, arundinemq; putassent, non erant silentio præteriturí, ubi multiplices arundinum species enumerant: sed sicuti aromaticæ & odoratæ arundinis, ita & dulcis huius seorsum mentionem habuissent. Illud supra arundinis ueræ folia in India, felicique Arabia, & monte Libano coagulatum inuenitur,

Zuccharũ quid & quomodo cõficiatur.

Zucchari planta.

Saccharũ mellis species.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Noſtrum gulæ proceribus ſuauiſſimas dapes miniſtrat: illud ad medicinæ tantum uſum teſte Plinio, uenit, bonum uentri & ſtomacho exiſtens, ut ſcribit Dioſcorides. Noſtrum pectori potius quàm ſtomacho utile experimur, cum nauſeã, teſte etiam Auicenna libro tertio, excitet. Illud non ſiticuloſum ſicut mel, ſcribit Paulus: noſtrum ſitim non minorem quàm mel facit. Quæ ſi uera ſunt, quis ambigat eſſe res diuerſas? quum forma, materia, efficiente, loco, uiribus, longe euarient. Si quis uero à me petat, ſaccharum illud antiquorum medicorum, an in totum perierit: & ſi adhuc in uſu eſt, quænam res ſit: Reſpondebo, rationi conſonum uideri, cum res mera naturæ fuerit, nullum cultum artemq; deſiderans, quod extet adhuc, & ad eam rem quam nunc mannam uocant, referatur. Quod ſi quis adhuc pergat quærere, quo nomine ea res quæ nunc manna dicitur, ab antiquis fuerit appellata: dicam: ſi ulla eſt eius apud antiquos mentio, eſſe inter mella. Mouet me primum Galeni autoritas, lib. de alimentis, mel roris, uel mel aëris, ſupra plantas dicens coagulari: & Plin. lib. 16. cap. 8. ſic ſcribens: Robora ferũt & uiſcum, & mella, ut autor eſt Heſiodus: cõſtatq; rores melleos è cœlo (ut diximus) cadentes, non aliis magis inſiſtere frondibus. Confirmat Sudas, licet in nomine non conueniat, mel ſylueſtre uocans. Mannæ porrò & ſacchari affinitatem, oſtendit eorum cõcinnitas, quæ de hoc antiqui, de illa Arabes reliquere. Firmat inter cæteros Auicẽna, cap. ult. libri ſecundi, zuccharum alhuſar (ſic enim ipſe loquitur) eſſe mannam ſcribens, cadentem ſupra rem, quam uocat alhoſor, ſimilem ſali: à qua fortè ſimilitudine interdum ſaccharum, ab eo ſal Indum nominatur, præcipue lib. 4. cap. de aſperitate linguæ, ubi tenere in ore docet ſalem qui ab India deportatur, colore ſalis, dulcedine mellis. Ex quo capite notari etiam poteſt differentia inter ſaccharum, quod ibi uocat ſalem Indum, & zuccharum: quoniam utriuſq; ueluti diuerſæ rei ſeorſum meminit: licet lib. 2. (ut aliquando in alijs ſolet) utraque eodem capite confudiſſe uideatur. Serapion de eodem ſcribens ſaccharo alhoſor uocato, ex oculis cognominis plantæ exire id ſcribit, plantamq; depingit. Crediderim igitur ego, antiquum illud ſaccharum, parum à uocata nunc manna differre, & utrunq; inter mellis genera comprehendi, ſolumq; proprie ſaccharum dicendum: ex India aliquando, uel felici Arabia portatum, nunc uocatum Candum: quia nimia ſolis excandeſcentia multum obduruerit. non portari hoc tempore, quoniã ex noſtro zuccharo quater uel quinquies excocto, lucelli maioris corradendi gratia, ſeplaſiarij Veneti rem ſimilem facere dicerunt, arundines quoq; ipſi immittentes, ſupra quas uideri poſſit conglobatum, & goſapio inuoluentes, ut naui ex oriẽtalibus regionibus inuectum putetur. Candum igitur naturale, antiquis ſaccharum nominatum, à nuncupata nunc manna differre non uidetur: niſi quod hæc ſupra alias plantas, & aliquando ſupra petras, uarijs in regionibus, etiam in Italia reperitur: illud tantum in felici Arabia & India in arundinibus, maioribus fruſtis, maioriq; duritia, ob uehementiores ſolis radios, aptioraq; ad id tolerãdum arundinum folia, coagulatur. Vnde etiam fit, quod non æque ut manna aluum leniat, quando & inter uocatas mannas, eæ magis citare aluum uidentur, quæ ſunt liquabiliores. Si uero adhuc interrogauerit quiſpiam, noſtrum hoc zuccharũ, quo nomine antiqui appellarint: dicã, nullam eſſe eius apud antiquos medicos (quod me legiſſe meminerim) mentionem. Medicos dico antiquos, quoniam medicis multis qui poſt Galenum fuerunt, de eo eſt crebra mentio, præſertim Punicis. Varronisq; uerſus de hiſce cannis fortaſſe loqui uideri poſſunt:

» Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
» Illius è lentis premitur radicibus humor,
» Dulcia cui nequeunt ſucco cõrendere mella.

Et Solinus in India naſci quaſdam ait cannas, è quarum radicibus ad ſuauitatem mellis ſuccus exprimitur. Quorum ſententijs conſentire uidetur Galenus lib. 4. de ſimplicibus medicamentis, molles radices

radices calamorum, maxime Aegyptiorum, dulces eſſe dicens. Verum non ex radicibus, ſed ex ipſis arundinaceis medullis, quas Cannas mellis uocant Siculi, noſtrum hoc ſaccharum exprimitur: ut propterea aliam rem illos intellexiſſe credi poſſit. Ex utriſq; tamen, radicibus ſcilicet & cannis, mel fieri Strabo commemorat. Sed & Statius quodam loco noſtrum zuccharum agnouiſſe uidetur, licet nomen tacuerit, quando inquit:

Et quas præcoquit Aebuſita cannas.

Fuit tamen hic Dioſcoride & Plinio iunior. Poſtremo etiam Serapion Arabs, omnibus his poſterior, inter quatuor quinque ue genera capite proprio enumerata, huius noſtri non meminit. Quod itidem argumento eſſe poteſt, medicis iſtis quos ipſe citat, illud fuiſſe incognitũ. Si cui autem res incredenda uideatur, de re tam nobili antiquos medicos non ſcripſiſſe: conſideret, quam multa ſint noſtro æuo precioſiſſima, antiquitati penitus ignota, ueluti moſchus, iubetũ, ambra, camphora, aliaq; non parum multa. Hæc ſunt quæ ad hoſpitium reuerſo, longe tamen à mea bibliotheca, pro dogmatis propoſiti defenſione ſcribenda occurrêre: quæ ſi à te probata fuerint, in lucem prodire non formidabunt: ſin minus, in tenebris perpetuò latitabunt. Vale. Viennæ Pannoniæ ex hoſpitio noſtro, quinto Nonas Sextiles, anno

M. D. XV.

EPIST. III. Cælio Calcagnino, uiro doctiſſimo, de ſtomacho.

Stomachus non ſolum uulgo, ſed Plinio quoque, & interdum Celſo, necnon pleriſq; Græcis, quorum in uarijs ſuarum commentationum locis meminit Galenus, eam corporis cauitatem ſignificat, in qua cibus recipitur, & prima cõcoctio celebratur. Galeno autem, & Græcis qui poſt Ariſtotelis ætatem, ad Galeni uſq; tempora ſcripſerunt, meatum illum indicauit, qui fauces & os uentriculi interiacet, per quem cibus & potus ad ſuperius memoratam inanitatem, cui cõmittitur, deglutiẽdo deducitur. Quem meatum Ariſtot. & ueteres Græci omnes οἰσοφάγον, Latini gulam, Arabes & noſtrates Arabum imitatores merin nũcupauere. Nec defuere ex antiquioribus, qui ipſius uentriculi os, ſtomachũ quoq; nũcupauerint. Non meritò igitur reprehendi debet, quiſquis cibum in ſtomacho cõcoqui aſſeruerit: ſicuti neq; qui per ſtomachũ uel appetẽtiam fieri dixerit, uel deglutionem. Qui uero ſtomachum non cibi, ſed ſpiritus gratia factum putat, is meo iudicio excuſari nullo modo poteſt: quoniã & antiquorum autoritate, & rei ipſius fide cõuincitur. Nam ut medicos prætermittam, qui ad unum in hoc cõueniunt, ut duas eſſe in collo ſemitas ueluti canaliculos dicant, alteram per quam ſpiritus defertur, quam guttur, ſiue aſperam arteriam: alteram per quam cibus & potus, quem ſtomachum & iſophagum, & gulam nuncupant. Pridem enim & ab Ariſtotele, & à medicis exploſa eſt illorũ ſententia, qui per hanc cibum, per illam potum tranſire crediderũt. Ariſtoteles ipſe primo lib. de animalium hiſtoria, per arteriam, quæ cartilaginea eſt, & priorem partem colli occupat, uocem tranſmitti & halitum docet: per poſteriorẽ, quæ ſpinæ iniacet & carnea eſt, cibum. Quam ſententiam libro tertio de partibus animalium fuſius declarauit: licet nonnulla uerba inibi legantur, quæ ſi ſeorſum conſiderentur, ſuſpicionem aliquam facere poſſint, quod gulam, inſtrumentum ſpiritus putauerit. Ea ſunt huiuſmodi: Cum igitur inſtrumentum ſpirationi accommodatum, longitudinem habeat neceſſe ſit, gulam inter os & uentrem haberi neceſſe eſt. Quæ tamen uerba, ſi totum caput legatur, eum ſenſum habere non poſſunt: ſed ita audiẽda ſunt, ut docere per ea uoluerit Ariſtoteles, his animalibus gulam inter os & uentriculum eſſe, atque ut ſequens eſt, oblongam, quibus guttur adeſt: longum enim hoc neceſſariò eſt, gula

Universidad de Deusto
Biblioteca

non neceſſariò, ſed in multis non manifeſta, quibus uidelicet uentriculus ori proxime adhæret: quæ cum pulmonem non habeant, gutture & collo carent, ut genus omne piſcium. Quibus uero pulmo, his & collum & guttur adeſt, gulaq; non ſolum longa, ſed & gutture longior: quoniã uentriculus ad quem tendit, ceu ignobilior, inferiorem ſedem pulmone & corde poſſider, à quibus etiam per tranſuerſum uocatũ ſeptum, diſpeſcitur, per quod tranſire gulam oportet, ſi portare cibum ad uentriculum debet. Liquet igitur ex Ariſtotelis ſententia, gulam non ſpiritus, ſed eſcæ uiam exiſtere. Cui & Galenus 8. libro de uſu particularum, cap. primo, ubi utilitatem colli explicat, apertiſſime conſentit. Quod euidentia quoq; ipſius rei apertiſſime demonſtrat, nec tantum in homine, ſed in uniuerſis etiam animalibus, quæ gulam habent. Eam enim eſt uidere, non ad loca ſpiritus, cor uidelicet & pulmones, ſed ultra (ut ſuperius dictum eſt) tranſuerſum ſeptum, in uentriculum deſinere. Hæc habui doctiſſime Cæli quæ in hac controuerſia ſcriberem: non quidem ut te docerem, ſus Mineruam, ſed ut ſententiam meam, quod optare uidebaris, aperirem. Vale, & me quaſi ueterno obſitum inter hoſce Scythas, aliquando ſimilibus quæſtionibus expergefacies. Iterum ac ſemper uale. Budæ, Nonis Ian.

Gula non ſpiritus, ſed eſcæ uia.

M. D. XVIII.

IOANNIS MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER TERTIVS.

EPIST. I. Io. Manardus Io. Pacto, medico Mantuano, de alui lumbricis.

DOSTVLASTI à me Pacte eruditiſſime, ut quæ ex Paulo Aegineta in meum Auicennam tranſcripta, de lumbricis alui, & ſigna, & remedia, dum iſtic eſſem perlegeras, ad te tranſmitterem: adderemq;, ſi qua eſſent per me longo uſu comperta. Ego uero, qui tantum tibi debeo, ut grandi etiam alieno ære conflato, uix portiunculam rationis poſſim expungere, arrepto calamo, ſtatim amicos, hoc eſt, libros, & opiſtographa cœpi conſulere, in quibus quid inuenerim pro tempore accipe. Leges enim non ſolum quæ petiuiſti, ſed & nonnulla ueluti auctariũ quoddam ſuperaddita. Lumbricorum tria genera tradit Paulus, Galenum, ut aſſolet, ſequutus: rotundos, latos, & aſcarides. Hippocrates Celſusq; duo: ille enim latos, hic aſcarides ſilentio pertranſiit. Galeno reliqui medicinæ autores, tam Græci quàm barbari aperte cõſentiunt, uno Auicenna excepto, qui adeò (ut ſolet) confuſe ſcripſit, ut nec quid ſcripſerit, nec quid ſenſerit, liquidò poſſit intelligi. In quibuſdam enim exemplaribus tres, in quibuſdam quatuor ſpecies proponuntur: in omnibus uero ita obuolutæ, ut non ſit facile eas extricare: ſi quis tamen diligenter introſpiciat, tres quoq;, non quatuor (ut eius narratores putãt) ab eo poſitas animaduertet, licet pluribus uerbis expreſſas. Per longos enim unam, per latos & rotundos alteram, per aſcarides & paruos tertiam intellexit: ita ut probanda ſint ea exemplaria in quibus tres, non in quibus quatuor in capitis titulo initioq; proponuntur. Quod certe conſtare poteſt, conſideranti ea uerba quæ ſtatim ab ipſomet Auicenna ſubnectuntur, in quibus cum uellet eorum differentias tum ex loco, tum ex materia generationis inuenire, non niſi trium meminit differentiarum. Sed & ſequenti capite, in quo de ſignis agitur, non niſi trium generum indicia conſcribuntur. In utroq; enim loco per latos & rotundos eos

Lumbricorum tria genera.

dos eos intellexit, quos latos Galenus, Paulusq; appellarunt. Nam quæ ſecũdo capite de latis & rotundis dicuntur, quod ueluu panniculo quodam integantur, ex Paulo, ut mihi uidetur, de latis loquente deſumpta ſunt, licet barbarie, ut fieri ſolet, obfuſcata. Sic enim ſcribit Paulus: Lati ſunt mutatio (ut ita dixerim) intraneæ inteſtinorum membranulæ ad animalis corpus, quæ quandoq; per partes, plerunq; tota ſimul excernitur, incredibilem ſpeciem magnitudinis præbens. Aëtius quoq; eadem ferè ſcribit ad hũc modum: Latus lumbricus eſt (ut quiſpiã dixerit) tranſmutatio mẽbranulæ tenuia inteſtina introrſum ſubcingẽtis ad animale quoddam corpus. Videntur autem utriq; autorem libri de morbis ſequuti, ſiue ille Hippocrates, ſiue alius fuerit. Hos ego lumbricos bis ter ue in tota uita, ſed præcipuæ magnitudinis Mirandulæ conſpexi, nec ſine magna ſpectantiũ admiratione. Indicia quoque latorum & rotundorum, cap. quarto recitata, quæ & ipſa ex Paulo deſumpta ſunt, clare oſtendunt, eoſdem eſſe qui apud Auicẽnam lati & rotundi, & qui apud Paulum lati abſolute dicuntur. Sed priuſquam indicia ſcribamus, aliud quoq; circa Auicennæ ſpecies notandum uidetur, ne fortè nomenclatura ipſa impoſturam faciat, eos uidelicet, quos Auicẽna longos uocauit, Hippocratem & Græcos omnes σφογγίλους, & Celſum teretes appellaſſe, paſſim in regionibus noſtris apparẽtes, non abſimiles uermibus in fœtunticetis naſcentibus, quos Graeci φῶτα γῆς, oniſculos uulgò uocamus. His ueluti in parerga prælibatis, ad ea accedamus quæ deſideras. Rotundos ſignificant, inquit Paulus, uentris & inteſtinorum morſus, exigua & ari- » *Teretũ lum-*
da tuſſis, ſed moleſta. Nonnullis & ſingultus adſunt, dormientes ſaliunt, & abſq; ra- » *bricorum no-*
tione eleuantur. Aliqui clamitando ſurgunt, ac rurſus concidunt. Arteriæ inæqua- » *ta.*
liter pulſant. Febres abſque ordine cum extremorum frigore, ter quater ue, noctu, »
aut interdiu ſine ratione inuadunt. Pueri ſuperuacue mandunt, & linguam exe- »
runt, dentibus ſtrident, conniuent oculis, taciturnitatem diligunt, excitantibus ira- »
ſcuntur, malæ per exigua interualla modo rubent, modo liuent. Si uero ad uentri- »
culum procurrunt, nauſeam, morſus, & inappetentiam faciunt: & ſi cibum cape- »
re patientes cogantur, uix deglutiunt: & ſi quid acceperint, euomunt: multas quo- »
que uenter corruptiones ciborum excernit, & inſtar tympani inflatur: reliquũ cor- »
pus non ex ratione macreſcit. Hæc ſunt rotundorũ indicia, quæ tamen non in om- »
nibus omnia quærenda, ſed quædam & potiora. Accidunt autem hæc tum ab ani- »
malibus ipſis in inteſtinis obuolutis, ac morſum inferentibus, cum ex febrili calore »
malos uapores ad cerebrum eleuante, ac coaceruata in uentre putrida humiditate. »
Hæc Paulus de rotundis: quæ ſi his quæ ab Auicenna de longis recitantur, fuerint collata, non erit dubium eoſdem eſſe, qui ab eo longi, & qui à Paulo rotundi nominantur. De latis ita ſcribit Paulus: Abundant interdum in non febrientibus, in- » *Latorum in-*
terdum febrientibus in longis morbis ſuperueniunt, morſus ſtomacho inferentes, » *dicia.*
appetitusq; ad cibum intemperatos. Eſcam enim ita deuorant, ut alia opus ſit: quæ »
niſi præſtò adſit, morſus uehemẽtes inferunt: tenuitas corporis cum imbecillitate, »
quadamq; inæqualitate contingit. Infallaciſſimum uero indicium eſt, quod cum alui excrementis, corpuſcula quædam cucurbitæ ſeminibus ſimilia excernũtur. Hæc »
Paulus de latis: à quo Auicenna ea accepit, quæ de latis & rotundis ſcripſit. Poteram his indicijs eſſe contentus, ſed adijcienda nõnulla ex Aëtio duxi, quo locupletius tibi ſatisfacerem: non quæ ille ſcripſit omnia, ſed quæ Paulus prætermiſit. Pulſus ait, ſit inæqualis, imbecillis, deficiens ac recurrens. Pueris dum dormiunt, os ad »
ſimilitudinem lactentium figuratur: nonnulli & deſides & abſq; pulſu fiunt, frigeſcunt, & tenue quid ac frigidum exudant: deſipiunt aliqui, & aliena per ſomnos loquuntur. Alij figuras decubitus aſſidue tranſmutant, ac ſeipſos proijcientes, locum »
ex loco demutant: loquuntur nonnulli, multi inuocales omnino perſiſtunt. Qui »
in ore uẽtriculi lumbricos habent, magna ex parte eos euomunt: qui in inteſtinis, »

Universidad de Deusto
Biblioteca

» per inferiora excernunt. Præcedens quoque uictus ratio lumbricorum tibi præsen
» tiam demonstrabit: si crassior, copiosior, difficilis concoctionis fuerit, si frumenta-
Lumbricorum causa & origo. » cea plurima esitauerint, balneisq; post cibum sint usi. Omnes enim lumbrici gene-
» rari ex multis ciborum differentijs consueuere, præcipue circa pomorũ tempus.

De lato eadem ferè quæ Paulus, nisi quod quos uẽtriculo infert morsus dicit esse continuos, atq; appetitum ad escam inexplebilem, & quod cibaria assumpta celeriter in excrementa commutantur. Hæc de indicijs satis sint.

In curatione, ait Paulus, interdum febri & lumbricis æqualiter occurrẽdum est: interdum exiguam febris rationem habentes, ad extrahendos à corpore festinabimus. Plericq; enim negligentes, ab ipsis comesti, conuulsi interiere. Nec desunt, qui exeuntes per inguina se uidisse attestantur. Expelles ubi interfeceris: interficies re-
Febris & lumbricorum causa eadem. bus amaris. Cõmunis autem febris, lumbricorumq; curatio est, ut chamæmeli decoctum, & myxariorum quæ uulgò Sebestem uocãt, præbibatur, uel myxaria ipsa cocta manducentur, & succus fereos, aut coriandri semen cum calida contritum, aut oxycrato, aut myotidos, hoc est, herbæ quæ auricula muris dicitur, aut ramenta cornu ceruini, aut miltos nitidissima, quam & Auicenna sub nomine macræ multum commendauit. Vbi uero uiscera intenta sint, & phlegmonem patiantur, utendum cataplasmate ex lini semine, lupinorũ farina, absinthio, & radice bryoniæ cum hydromelite, aut oleo chamæmeli cum absinthio & aloë. At ubi febris non adsit, seriphum, quæ est ueluti absinthij species, ut alio loco inquit Paulus: pteris, id est, filix: cardamomum, Auicenna cordumeni uocat: ac sandonicum, absinthium marinum uocat Dioscorides, Auicen. scea, uulgò apud nos nunc sanctulinam uocatum puto, cuius semẽ ante corallinæ uocatæ usum, in magna erat celebritate. Vtendum aloë, & per seipsam, & cum abrotono, pilulis factis ex melle, & extrorsum cum melino & uino: nam & appetitũ excitat, cui rei maxime studendum. Miscendum aliquando & absinthium. Impleatur umbilicus felle tauri, & aliquo ex his amaris quæ dicta sunt, luuat & melanthion, cum rosaceo, aut seriphi decocto. ac medulla cerui, umbilico, pectini, ac lumbis inuncta. Vngẽdum & sæpe ex oleo rhodophnes. Confert coagulum siccum, & mentha. Cataplasma fiat per omen lysin, hoc est, ordei farinam, ptereon, absinthium, farinam lupinorum, sandonicum, abrotonum, sydia, balaustion, acaciam, & gallam. Cerote ex aloë, absinthio, farina lupinorum, seripho, melanthio, ana γραμμάρια (scrupulos nostri uocant) sex, cæra uncia semis, chamæmelino quantum sat fuerit, his quæ sicca sunt, cum felle cõtritis.

Ascarides infantum quibus necentur. Ascarides in infantibus euacuantur balanis ex melle cum modicis salibus, uel nitro. In adultioribus, ex acri muria. Ei uero clysmati ab Auicenna recitato, in quo centaurium recipitur, addit Paulus nitrum ac mel: & reliqua quæ adduntur, non copulatiue, sed per disiunctionem à Paulo scribuntur.

In medicinis quoq; interficientibus, numerat absinthium, chamæleonta, anchusam, puleium, calamintham, lupinum. Ad latos confert comestio allij, decoctio pteros, aut centaurij pota, uel deuorata: similiter calaminthe, dictamnum, puleium. Composita demum duo describit, quæ sunt penultima ab Auicenna, cap. 5. recitata, quæ danda dicit modo febris non adsit: eiq; quod baccas lauri recipit, addi iubet æquale nitrum, si quæris ut sit efficacius.

Eodem etiam capite ubi legitur, mediatim, legendum ex Paulo, ana grammaria 3. Sed quoniam castigare Auicennam hoc loco cœpimus, non subticebo & alium locum qui castigatione, uel certe declaratione eget. Capite sequenti, id est, sexto, laudantur pili animalis uocati Alcasim: legendum autem Ichneumonis. Sic
» enim scribit Paulus: In uniuersum omnes à lumbricis ægrotantes Ichneumonos
» pili iuuant suffiti. De Theriace quoq; ita scribit Paulus, de latis loquens: Ad per-
» fectam morbi amotionem da theriacen, nisi fortis uetet febris. Medicamen quoq;
de Inula

de Inula, ultimo loco eiusdem cap. 5. descriptum, aliter scribit Paulus, ad hunc uidelicet modum: Elenij, ammoniaci, piperis, uel (ut in alio) ptereos ana uncias quin- »
que, cum oxymelite calido: & intermittentes bibant euphorbij drachmam unam, »
uel duas. Aliud: Ptereos oxybaphon, nitri drachmas duas, da in aquæ cotyla, ei »
qui fuerit antea uacuatus. Melius autem est, si & exiguam capiat scammoniam. »

Aliud: Corticis radicum punici acidi, extima semota parte, drachmas quatuor, »
piperis drachmas quatuor, cardamomi drachmas duas, prassij drachmas duas, da »
cum melle ei qui antea allia esitauerit. »

Hæc sunt ferè quæ à Paulo collegi. Non tacebo tamen & miram (ut Paulus ap-
10 pellat) methodũ, per quam & aloë pueris, & sorbitiones interdũ per os injiciuntur.

Instrumentum quoddam coquinariũ, quod ζωμηρύσιν uocant, supinis ipsis detentis, ori imponitur, & per clysteridion, fortem habentem aulisçon, inuitis aloë, quanto plus fieri potest, intimius ore eorum distento impellitur.

De uictus ratione sic scribit Paulus: Escæ patientium lumbricos, sint boni suc- »
ci, quæ facile diducantur, atque ad membra transeant, nec causam foueant, nec ui- »
res minuant. Quam ob rem uinum cõcedimus aquosum, cibumq; crebro exhibe »
mus, tum propter id, tum etiam ne lumbrici morsus inferant. Si adsit uentris pro- »
fluuium, indicio est, multos gigni cibo non distributo: miscendaq; eo casu sunt sor- »
bitionibus, uel pira, uel cotonea. »

20 At libet quoque nonnulla remedia ex Aëtio colligere, quo tibi plenius subseruiam. Vbi (inquit ille) ambigua sit affectio, mitioribus utendum: acrioribus enim »
remedijs febris exacuitur, si falsam ceperis suspicionem: stabili uero dignotione exi »
stente, tẽporibus morbi attendendum. Circa primos enim dies, multoq; magis iam »
inclinante morbo, si apparuerint, acrioribus insistendum remedijs, circa consisten- »
di uigorem mitioribus: & tum præcipue cum uiscerũ inflammatio, tentio ue con- »
currit. Vtendum igitur cataplasmate ex lini semine, & lupinorum farina. Bibereq; »
debent ante omnem escam pueri quidem cremorem myxorum & menthæ: perfe »
cti, absinthij & abrotoni. Perfectis uero infantibusq;, etiam si trimestres fuerint, fe- »
brierintq;, tutò potui dabis terræ intestina, id est, uermes terrestres, de quibus suprà »
30 etiam mentio facta est, cum epsemate, id est, musto cocto, si tolerant: si minus, cum »
hydromelite, aut ut uoluerint, nihil ueritus, neque uilitatem eorum paruipendens, »
dabis autem septem. Datur & chamæmeli decoctum exiguo cum rosaceo, & effi- »
caciter operatur. Iuuat & erigeros, id est, senection. Nec est carduus benedicta, ut »
putauit Genuensis, sed herba apud nos passim nascens, uel mulierculis cognita, »
quam, quoniam in petris ferè inueniunt, Petrellam uocant. Educit absque mole- »
stia & tragoponos, hoc est, hirci barbula, uulgo & ipsa cognita, olus uidelicet sylue- »
stre, barbam petræ dicunt, uel eam, uel aliam multum similem. His qui in declina- »
tionibus sunt febrium, sorbitionibus multum mellis immittendum, & ptisanæ, plu »
rimum oleum omphacinum concoquendum. »

40 Hæc sunt quæ ex Paulo & Aëtio collegi: quibus quoniã uis me ueluti coruum olores interstrepere, adijciam duo simplicia per me obseruata, & meam quandam compositionem.

Simplicia sunt duo, olea thuris, & atramenti, quod nunc uitriolum uocant, per eam uidelicet artem facta, quam chymicen dicunt. Ex horum priore uenter inungatur: sed in secundo ualde caute agendum, ne locus exulceretur si intrò sumatur. Sunt tamen qui ausint eius guttulam potui dare cum melicrato. Porrò nostra compositio capit, corticis rhei, uel barbarici, uel pontici, coriandrorum præparatorum, seminis ozymi, seminis arnoglossi, sydiæ, id est, corticum mali punici, careos, id est carui, rhu, id est sumach, ana drachmam unam: seminis carduj, quam Benedictam uocant, ramentorum cornu ceruini & eboris ana unciam semis, corticum ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicum mori, seminis brassicæ, seminum citri, corticum salicis, ana drachmas tres, seminis portulacæ, dictamni, ana scrupulos duos: margaritarum, coralliorum rubrorum ana scrupulum unum. Fiat pulvis, de quo detur drachma una uel duæ, cum uino, hyeme, uel non febrientibus: cum oxycrato æstate, uel febrientibus. Vale.

EPIST. II. Io. Georgio Trisino, pro curatione Incubi.

Incubus studiosis uerendus.

ASsiduæ lucubrationes, indefessaq; studia, ut animum tuum supra modum excoluerūt, ita corpori non exigua intulere dispēdia. Eam enim affectionem incurristi, quam ἐφιάλτην ferè Græci omnes medici uocant. Dioscorides παρὰ τὸ ἐφιαλτῶν πνιγμόν, Themison πνιγαλίονα nominauit: ex nostris uero Plinius modo suppressiones, modo noctis lubria: recentiorum turba incubum uocat. Difficilis motus cum tremore, stupidus quidam sensus, inuocalitas, cum clamandi desiderio, imaginabunda suffocatio, ueluti re quadam graui opprimente, & uiam spiritus præcludente, hunc affectum comitantur. Quæ licet grauia, non tamen tam proprio malo molesta (ferè enim non nisi in somni initio infestant, quàm quod grauiores affectus, comitialem uidelicet & attonitum, sed & maniam quoque minitantur: uel his præsertim uerendos, qui literarum studijs incumbunt, ut per quos animi sapientiæq; secundum Platonem & Galenum sedes, hoc est, cerebrum ipsum, potissimum labefactetur. Enitendum igitur, ut quanto ocyus fieri potest, maligna illa affectio elidatur: hoc fiet, si causam amputauerimus: ea enim semota, dispositio quoque ipsa, à qua ea quæ enumeraui mus symptomata pendent, pariter præcidetur. Causa, ut ex colloquio tecum habito collegi, sunt uapores malti, qui ex sanguine, plusquam modo conueniat atræ bilis habente, exurgentes, & in somni initio cerebri cauernas opplentes, transitumq; liberum spiritui animali ad propria peragenda munera excurrenti præcludentes, modo omnia, modo quædam eorum quæ enumerauimus, pariunt detrimenta. Est igitur uapor ille causa, obstructio morbus, Incubus symptoma. Eritq; primus curationis uel potius præseruationis scopus, prohibere ne huiusmodi uapores cerebri meatus occupent. Hoc fiet, si eos humores abstulerimus à quibus sustolluntur: caputq; roborauerimus ne recipiat: & si qui in eo sint consistentes, discutiantur, uel distrahantur. Præsentissimum igitur auxilium multas intentiones simul explens, esset uenæ præcisio: sanguine enim misso, & materia amputaretur, & uapores distraherentur. Sed quoniam Syrij ardor nos absterret, experiri forte hoc tempore tutius fuerit cucurbitulas. Admoueantur igitur duæ cucurbitulæ cute præcisa, prima supra talum, altera sub poplite, dextra utraque parte & interiore: & si per has malum non leuatur, duas quoque sub lato spatularum osse, utile erit admouisse. Per has enim, ni malum altas nimis fixerit radices, adhibito conuenienti uictu, uel totum eruetur, uel magna ex parte.

Incubi morbi symptomata.

Victus ratio.

Porrò congruus uictus est, ut parcè semper, parcissime in cœna cibus sumatur, qui & boni succi sit, non inflet, facile concoquatur, modice alat, nec uapores multos in caput mittat. Et ut ad particularia descendamus, panis sit ex bono tritico, bene coctus, modiceq; & salitus & fermentatus. Vinum album, clarum, leue, subacerbum, dilutum, moderatè sumptum, ita ne cibus innatet. Caro sit auium potius quàm quadrupedum, & syluestrium magis quàm urbanarū, modo aquaticæ non sint: ceu pulli gallinacei uel columbini, turturis, uituli, hœdi, phasianorum, perdicum, auicularum, leporum, & aprorum: hæq; potissimum partes eligantur, quæ præ alijs mouentur & pinguedine carent. Oua gallinarum recentia, sorbilia uel tremula, non dura, nec assa uel frixa. Cappares oxymelite condîti utiliter in cœnæ initio comeduntur. Pisces nisi saxatiles, & hi quidem non nisi rarò gustentur. Fructus omnes, præter pistacia, passulas, & pineos nucleos, interdicuntur: ex adstringentibus tamen ut piris, cotoneis, quid in secunda mensa, post alium uidelicet quemuis cibum, aut potū sumi potest. Non secus & uniuersa olera, præter fœniculum, anethum, buglossum. Ruta uero tantum abest ut noceat, ut etiam summè conducat: uerum medicamentis potius quàm cibis est connumeranda, sicut & saluia, & sampsychus, hyssopus, acros marinus.

Fugere oportet solem, frigus, uentum, ignem, fumum, Venerem, balnea, lassitudinem, solicitudines, negocia, omnem ingentem, omnemq; assiduam circa rem quamuis meditationem, & præsertim duabus horis à cibo, uehementes strepitus, præcipitis loci, rei uelocissimè motæ, magnæq; lucis conspectum, eximios uel bonos uel malos odores, meridianum somnum, imò omnem somnum longum, longasq; uigilias.

Exercitio ante cibum moderato utendum, sed quo inferiora potius quàm superiora membra fatigentur. Post cibum uero animi & corporis quieti indulgendum. Frictione utendum multa & uehementi, quæ ab humeris & pectore incipiens, sensim ad crura usque descendat. Qua finita, caput quoq; ipsum & perfricandum erit, & pectendum. Glycysidos, id est, pæoniæ radix recens collo suspensa geratur: uapores enim ab ea surgentes, cerebrumq; petentes, alienos excludunt, & cerebrum roborant. Eligenda autem in hoc mas, quæ folio nucis regalis constat, radice alba, digitali crassitudine, longitudine palmi, & gustu adstringit. Myrobalanus quoq;, quam chebulam uocant, saccharo condita, quotidie mane comesta, cerebrum mire corroborabit.

Pæoniæ radicis efficacia.

Myrobalanus.

Quod si per hæc malum non tollitur, aut magna ex parte leuatur, fortiora aggredi remedia necesse erit. Secanda igitur exterior cubiti dextri uena, & auferenda, si ater fluxerit, sanguinis semilibra. Hyssopus deinde herba, & passulæ tandiu in pluuiali aqua coquēda sunt, donec dimidium excoquas: decoctiq; tres unciæ, cum sesquiuncia oxymelitis scyllitici per octo continuos dies in aurora bibendæ. Post quos potus purgāda aluus per obolos quatuor Armeni lapidis, toties aqua pluuiali abluti, ut eius nec odor nec sapor gustata aqua sentiatur: quod ferè post quinquaginta ablutiones fieri consueuit: post quas iterum ter rosacea aqua abluatur. est autem cum melicrato bibendus. Proderit & per interualla semunciam, uel unciam integram herbæ, quam senam uocant, cum pari buglossi mensura perpetuam noctem aqua calefacta madere sinere, & mane, quod excolatum fuerit, bibere.

Corpore bene purgato, caput quoq; ipsum uacuandum: quod optime consequemur gargarizando eandem potionem quam suprà descripsimus, quæ uidelicet ex hyssopo, passulis, & oxymelite componitur. Vel si pastilli masticentur qui habent pulei unciam unam, caricas pingues septem, piperis longi drachmam integram, pyretri mediam. Semina nigra pæoniæ quindecim, si cum melicrato bibantur, mirè uapores excludunt, & cerebro robur imponunt. Pyretri etiam radix instar zingiberis condita, frigoris tempore multum conducet.

At si neq; his in totum malum cesserit, transacta bona autumni parte, iterū sanguis mittendus, & per oxymel Iuliani purgatio facienda, ac hieram diacolocynthidos, aliquos inter uenæ sectionem unamq; & alteram purgationem intermittentes dies, quibus & uires recreentur, & natura per seipsam agere permittatur. Per gargarismata quoq;, masticationes, ac naritiua caput bene purgandum. Deinde cucurbitulæ præcordijs & dorso admouendæ, cum scarificatione. Danda Mythridatis antidotus mane & serò, auellanæ magnitudine, & quibusdam interpositis diebus iterum per hieram diacolocynthidos purgandum. Cucurbitulæ collo & capiti admouendæ. Calidis fomentis, demumq; synapismo in uertice utendum, & si opus

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerit tandem candentibus ferramentis, ulcus consueto capitis loco supra caluariæ futuras excitãdum. Sperandum tamen, ut non sit necesse ad hæc ardua uenire, sed obseruata uictus ratione, quam suprà mõstrauimus, per faciliora auxilia citò optata incolumitas expectanda. Quod ille nobis donare dignetur, qui est uera salus Christus dominus, cui laus & gloria. Vale.

Ferrariæ, ex ædibus nostris, 20. Iulij 1512.

EPIST. III. Io. Mariæ Pacto medico Mantuano, in defensionem præcedentis epistolæ, de curatione Incubi.

HEri uesperi dum uix sacrum soluissem ieiunium, redditæ mihi fuerunt literæ illæ tuæ magnæ, & à me magnopere desideratæ. Quas dum legendi auidus resero, inuenio in eis aliud longe argumentũ quàm expectabam: non enim de lumbricis, ut putabam, sed de noua, & mihi nequaquam cogitata materia agentes uideo. Epistolam enim quandam meam, non ad te, sed ad Ioannem Georgium Trisinum datam, uirum non minus literarum peritia, & morum grauitate, quàm generis nobilitate præcipuum, sub limam ducis, fereq; totam atteris. Quatuor autẽ sunt præcipua quæ non probas: quod uenæ sectionem imperem: quod uentrem antè uel pòst non leniam: quod nulla alia præeunte, oxymeliten potionẽ scilliticam cum hyssopo dem: quod lapidem Armenum, rem aut ignotam, aut certe ambiguam, pro purgatorio exhibeam. Ego mi Pacte, licet non disputandi gratia ea conscripserim, sed probi uiri, & amici saluti cõsulturus, ut tamen tibi morem geram, id enim optare per hanc tuam epistolam uideris, reddam consiliorum meorum rationem, & tuas aduersum ea argumentationes, quantum in me erit, & quambreuissime potero conabor refellere. Magnitudo morbi, & uirtutis robur, uel solæ, uel primæ phlebotomiæ secundum Galeni doctrinã intentiones, ad secandam uenã me trahebant. Magnus enim erat morbus qui aderat, maiores longe quos formidabamus: adeò, ut si non magnam quoq; plenitudinẽ fuissemus adesse suspicati, auxilium tamen hoc tam necessarium non eramus prætermissuri: præsertim quoniam clarissimus ille uir, aliquando atro nito morbo fuerat uexatus, cuius & uestigia secum assidue deportat, sinistro crure claudicans. Subobscurus tamen rubor, & tentio uenarum, anteactaq; uictus ratio, plethoram mihi significabant. Vnde uero coniecerim, atram bilem cum sanguine, esse morbi causam, multa fuere, sed inter cætera species illæ imaginũ, quæ & in ipsa nocturna suppressione, & in reliquis etiam somnis, imò & interdum uigilanti occurrebant. Ex his autem quæ te ad aliam trahunt sententiam, urinam quidem & præincipientem causam paruifacio: alterius enim inter tot proprio cõmentario de phlebotomia indicia, nũquam meminit Galenus. Nullam uero causarum præincipientium ostendere curationem, scripsit idem autor quinto libro artis curatiuæ. Verum nec æger ipse (quod tu contendere uideris) asserebat, se nunquam hac passione afflictum, nisi quando post cœnam legisset: sed sæpenumero, ubi nec post cœnam, nec antè legerat, offensum: alioquin neque ratio conuincit, ut uapores cibi male concocti sint passionis causa, si non patiatur nisi post cœnam legerit: potest enim illa lectio, ueluti præincipiens causa, aliam in corpore causam mouere præcedentem, à qua, non ab ipsa præincipiente, sit curationis methodus accipiẽda. Quod uero adijcis, posse & hoc contingere à cerebro, proprium nutrimentum non bene concoquente, & absque stomachi uitio: non tollit, quin sanguis atræ bilis naturam habens, is esse possit. Licet enim cerebrum sanguine proprie pituitoso nutriatur, ubi tamen hic desit, alio quouis præsente nutritur. Quem si non uis dicere atræ bilis na

lis naturæ esse, plus quàm par sit eius secum habere concedas. Huic tamen sententiæ nequaquam ego adhærerim, ut ex reliquijs uidelicet nutrimenti, male à cerebro concocti, ea fiant nocumenta: illo enim modo solent tumores præter naturam in membris fieri: assidueq; oporteret aliquid ex his quæ per interualla malis patitur, in cerebro persentiri, nec in somni tantum principio, sed distributo potius iam sanguine, per secundam concoctionem genito. Subdis præterea, consentire quidem missioni sanguinis temperaturam, sed morbum negare, ut qui ex crudis humoribus fiat, & fortè extra uenas: quod uel ex hoc dicis ostẽdi, quod pueri tali morbo frequentius infestantur, ueluti crudis humoribus abundantes, quibus minime competit phlebotomia. In quibus uerbis uideris negare phlebotomiam aliquando tali affectui, incubo scilicet uocato, conuenire. Quod certe, præter id quod à ratione alienum est, præcipuis quoque autoribus aduersatur. Nam (ut Paulum & alios Græcos omittam) cura eius, inquit Auicenna, est phlebotomia. sic Rasis, sic quicunq; celebres habentur. Quod si dixeris, non negare te semper phlebotomiam, sed in hoc uiro qui crudis humoribus abundet: iam non erit morbus qui neget, sed crudi humores. Ego tamen in eo nunquam plumbeum, uel pallidum, uel subalbidum colorem aspexi, qui Galeno teste, sunt crudorum humorum colores, à quibus prohibetur phlebotomia, sed floridum semper atque rubentem. Neque uenas exiles (ut tu dicis) sed magnas satis, crassas, & extentas. Vt igitur totam hanc disputationem colligamus, aut morbus sit à sanguine (ut ego puto) cui atra bilis miscetur: aut ab alio quouis humore. Si primum, non tu modo, sed uix Chrysippus aut Erasistratus detractionem sanguinis negabit. Si secundum, affectus magnitudo, & præsentis, qui nec sit cõgruo uictu, & quas iussi cucurbitulis ablatus: & futuri, præcipue attoniti quem iam sit passus, formido, ad idem uel inuitos nos trahunt, consentiente uirtute, & nihilominus ætate. Laxato, si non soluto primo nodo, iam secundum aggrediamur. Quod nullam de uentre leniẽdo mentionem habui, non propterea fuit, quod aliter in hoc quàm cæteris sentirem, sed breuitati indulgens, ut hoc, ita multa alia ad phlebotomiam pertinentia prætermisi, ut horam, situm, cibum, atq; id genus cætera. Neq; enim phlebotomiæ cõmentarium, sed cõsultricem epistolam scribebam: alioquin neq; lenitio illa est simpliciter necessaria, sed quemad modum scripsit Galenus, determinatione eget Hippocratica. Quod uero tertio quæris loco, maioris momenti est, & quod, ut scribis, maiorem te in admirationem, & certe meritò trahere debebat, quod uidelicet non per gradus, sed per saltum statim ad altiora conscendo. Possum hic respondere, me non statim ad extrema accedere, sed morbo, etiam quando ad me peruenit, satis antiquo, cucurbitulas primo cruribus, deinde spatulis admoueo, congruum uictum, uacuantem scilicet & attenuantem impero. Quibus auxilijs ni morbus uel tollatur, uel magna ex parte leuetur, phlebotomiam impero: in qua inspici sanguinem iubeo, ne fortè coniectura me fefellisset, & nisi ater crassusq; fuerit, non detrahi. Nigrum & crassum sanguinem fateamur necesse est atræ bilis naturam habere, quam uehementi medicamine tenuare, atque præcidere oportet, simul quoque uias de obstruendo uel reserando parare. Hoc enim est quod Galeno interprete nos Hippocrates docuit, quando ait: Corpora ubi purgare uolueris, bene fluida facito. An uerebor ego in diuturno morbo, ab atra bile pendente, iam per parcum uictum, cucurbitulas & phlebotomiam uacuato, hyssopum, quam Galenus in acutis morbis, & cum uehementi febre turgentibus, prima uel secunda die, nulla præeunte uacuatione, non formidat? Dicunt recentiores, & quandoque antiqui à facilioribus esse auxilijs inchoandum. Scribit uetustissimus Hippocrates: Ad ultimos morbos extremæ curationes, exactæ optimæ sunt. Concilium inter utrosque statuit bonus Hippocraticæ doctrinæ cultor Galenus quinto Therapeutices libro, per hæc uerba:

Colores phlebotomiam prohibentes.

Sanguinem nigrum & crassum atræ bilis participare.

» *Morbo urgente aut*
» *gente aut*
dendum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

» Non quemadmodum nonnulli medicorum, à paruis incheandum est auxilijs: ne-
» que (quod illi dicunt) intelligendum, ut prius hæc tentanda, deinde (si non iuue-
» rint) ad maiora accedendum: in his enim quæ periculo uacant passionibus, uera est
» hæc opinio. Possum igitur (ut dixi) negare me statim ad summa accessisse: pos-
sum & si quis uel in ipso purgatorio pharmaco à me hoc actum affirmet, me tum Gale-
ni & Hippocratis autoritate tueri, tum Pauli & Auicennæ. Paulus in hoc ipso mor
bo per hellebori drachmam purgat, cui (nisi in libro sit menda) tres obolos addit sca
monij, & anesi quid, uel dauci, uel petroselini. Auicenna uero euphorbij drachmã
dat, cum tertia parte scamonij, & quarta colocynthidos: ita ut mirari iubeat recen-
tiorum, qui uerba paulò ante conscripta ab Auicẽna, scilicet solutionem uentris fa-
ciendam cum eo, quod totum humorem educit, exponunt non una, sed pluribus
euacuationibus. Nisi fortè putent Auicennam uoluisse hoc compositum pluribus
sufficere uacuationibus, quod tamen litera non patitur. Quare enim diceret, si uir-
tus fuerit fortis, si ex eo medicamine dari tantummodo quindecim grana uoluisset?
quemadmodum Iacobus cognomento de Partibus interpretatur. Sed nónne pilu
Pilularum La- læ ex cyaneo lapide, quas Lazuli uocant, quarum dosis est, ut ipse Iacobus dicit,
zuli dosis. drachmæ binæ, & quas uirtute non forti existente præbet, sunt illis quindecim gra-
nis potentiores? Faceſſat timor, & in his præcipue morbis, qui absq; febri sunt, sed
non absq; periculo, & in quibus adhuc homo solita potest opera exercere, magna
non uereamur auxilia. Ego certe (cum econtrario multi soleant) quo magis sene-
sco, eo audentior fio. Exhibui crebrò hellebori nigri integram drachmam, adiectis
etiam diagridij duobus granis, nec uel molesta, uel maior plus debito sequuta est
purgatio. Lapide quoque Armenio, bene iuxta Alexandri doctrinam abluto, &
in catapotia quoque eius modo reformato, plerunq; & in pluribus hoc anno usus
sum, semperq; iuuamentum sequutum est, nec cum magno impedimento: bis tan
tum uomitum incitauit, sed qui posmodum iuuerit. Mulierem cancro in mammil
la laborãtem, ab ingentibus doloribus liberauit. Alium à melancholiæ morbo, cum
iam fores esset ingressus, bis uel ter acceptus, reuocauit. Quomodo, inquis, inueni-
sti, quem alij Venetijs diligenter inquisitum inuenire nequiuerunt? Dicam quo-
modo. Dum hic quoque apud nullum inueniretur seplasiarium, monachæ quæ-
dam semunciam donauerunt. Quî scis, inquis, quod uerax sit? Non minus certe,
quàm quod id sit scamonium, quo passim utimur. Res omnino est à communi cya
Cyaneus lapis neo, quem lapidem Lazuli uocant, diuersa, cum multa tamen similitudine, & quæ
Lazuli. atram bilem, non cum magna purgat uiolentia: cuius si potero fragmentum ad te
mittam. Demum quasi cum felle in Leonicenum stylum uertis, in qua cõtrouer-
sia nolo me nunc quidem intromittere: hoc duntaxat dixerim, omnino mihi uide-
ri, Arabes autores utranq; rem, Armenum scilicet & Cyaneum lapidem simul eo-
dem capite confudisse. Hæc sunt quæ raptim, ut cernis, tuæ magnæ
epistolæ respondenti occurrerunt, quæ ut minore cura &
opera exarata sunt, ita maiore uenia digna erunt
apud te. Acceleratonis causa fuit
nuncij occasio, quem
nescio, an
po-
tuerim etiam cele-
ritate asse-
qui.
Vale ex Ferraria.

Epist.

EPIST. IIII. Hippolyto Roscio. Quid intelligendum apud Auicennam per Albesed.

QVæris quæ res sit, quam Auicẽna Albesed tertio suæ medicinæ libro uocat, & magnopere in articulorum morbis cõmendat. Cui quidem quæsito, quispiam autoritate ipsiusmet Auicennæ nixus, facile respon debit, Albesed esse Keiri: quæ non aliud est, quàm id quod Græci λεύκιον, nostri albam uiolam uel matronalem uocant, rem uel puellis no tam, ut quam in pensilibus hortis, atque etiam interdum in parietibus libenter con- serant. Sed huic sententiæ reclamat Simon Genuensis, cui hisce in rebus magna à patribus nostris fides hactenus est adhibita: admiratus Auicennam ignorasse be- zed esse corallium, quum de eo sub bezed nomine secundo eiusdem suæ medici- næ libro perscripserit. Ego uero non minus errasse Simonem quàm Auicẽnam in hac re puto, bezedq; seu albezed (eadem enim est utraq; dictio, solo articulo diffe- rens) nec leucoion, nec corallion esse dico: quorum alterum Simon credidit, alte- rum Auicenna, sub quadam tamen protulit dubitatione: intelligendumq; pro be zed, quandam puto anagallidos speciem, quæ rubicundum florem profert. Vnde autem ad hoc mouear affirmandum, hinc disce. Constat Auicennam totum ferè suum de medicina librum, ex alijs medicis, tum Græcis, tum barbaris transcripsis- se. Ex quo fit, ut non sit ad intelligendum ipsum, sicubi difficilis uidetur, uia melior, quàm ad ipsos recurrere autores, à quibus id, de quo dubitatur, assumpsit. Quis- quis autem hoc melius facere norit, is utiq; melius eum intelligat necesse est. Et qui ab hac uia recesserunt, multipliciter semper lapsi sunt. Primus, quod sciam, hanc in- telligendi Auicennæ uiam nobis monstrauit Nicolaus Leonicenus, uir & græce & latine doctissimus, ac medicinæ sicuti bonarum omnium artium cultor eminentissi mus. Hoc idem Hermolaus Barbarus æui nostri splendor & gloria, aliquando mi- hi Venetijs indicauit, cum de communibus studijs in eius bibliotheca colloquere- mur. Tantorum ego ducum castra sequutus, quoties scrupulus aliquis in Auicen- na incidit, ad antiquiores præsertim Græcos me confero. Inter cæteros autem, in his præcipue quæ ad curationes morborum pertinent, Auicenna sequutus Pau- lum uidetur. Hunc igitur euoluens, inuenio antidoton, cui nomen diacorallion, summopere in articularibus morbis commendari: cuius compositionem dum exa mino, manifeste cognosco, Auicennam suam quam uocat albesed antidoton, inde accepisse, licet (ut crebro in alijs etiam factum est) multipliciter labefactam. Quod ut agnoscas, uerumq; tam laudati medicaminis construendi modum habeas, Pauli ipsius seriem subscribam. ea est huiusmodi: Rhei barbarici, pæoniæ, myrrhæ, spicæ » nardi, ana uncias duas, folij unciam unam, garyophillorum grana quindecim, ana- » gallidos habentis florem rhussion, quam uocant corallium, unciam semis, aristolo- » chiæ longæ & rotundæ uncias quatuor: dosis grammarium unum, quotidie post » bonam cibi concoctionem. Hæc est Pauli descriptio: ex qua licet aduertere, non so » lum quod Auicenna Simonq; errauerint, sed etiam quænam causa eos in errorem duxerit. Auicenna enim putauit anagallidem esse alkeirin, id est, leucoion: quo- niam ipsius quoque leucoij quandam speciem rubrum proferre florem, apud Dio scoridem legerat. Simon accipiẽdum corallium, quoniam albezed uox, apud Ara- bes corallium significat: non aduertens medicamentum id appellari diacorallium, non à uero corallio, sed ab ea anagallidos specie quæ quod flore, colore corallio ru- bro simili constat, corallium nuncupatur. Habes igitur mi Roſci, quid pro albesed in eo sit medicamine capiendum, & quæ sit uera medicaminis compositio.

Vale.

Difficiles Auic. locos explicare uolenti, iquæ spe- ctanda.

Nicolaus Leo- nicenus.

Hermolaus Barbarus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER QVARTVS.

EPIST. I. ad Pactum, de Lumbricis.

REVOCAS me iterum Pacte ad lumbricos, atque in primis petis, Latus ille, quem me uidisse scripseram, esset ne unus obuolutus, an plures, cucurbitæ seminibus similes. In quibus uerbis ostendis, te nondum assequutũ quod scripseram, licet Pauli & Aëtij autoritate, & meo demum testimonio cõfirmatum. Addam igitur antiquiorem testem, meamq; attestationem pluribus, & quidem clarioribus uerbis explicabo. Scribitur libro quarto de morbis, qui liber inter sexaginta Hippocratis opera numeratur, ita uerbum ex uerbo: » Vermes lati gignuntur in puero adhuc intra uterum existente. *Latorum uermiũ effigies.* » & post multa: Est autem species ipsius ueluti abrasio intestini alba. Indicia eius » sunt, quod excernuntur interdum nonnulla cucumeris seminibus similia. Scribuntur & alia multa ibidem, quæ consultò prætereo, & ad meam in alia epistola attestationem confirmandam me conuerto. Exeunt aliquando, maxime ablutis clysmate intestinis, membranosa quædam corpora, ualde lata, colore exalbida, consistentia inæqualia, intraneam intestinorum superficiem repræsentantia, quæ dicere assolent medici, esse mucos intra intestina repertos, uel mucosam pituitam frigiditate intestinorum addensatam. Mulierculæ lectulos uermium uocant. Hæc crediderim ego portiunculas latorum uermium, quando (ut inquit Paulus) per partes excernuntur. Nec esse puto medicum uel mediocriter exercitatum, qui hæc aliquando inter alui excremẽta non fuerit intuitus, nec cum magna admiratione. Sed cum toti simul excernuntur, & præsertim adhuc palpitantes (quod ego bis terue in tota uita conspexi) incredibili illa (ut idem ait Paulus) magnitudine, in magnam nos trahunt admirationem. Quod tamen rarò contingit: tum quia (ut inquit Galenus) rarior est lumbrici lati generatio: tum quia (ut ait Paulus) dimissi non consistunt. & hinc fieri puto, ut assidentes plerunq; inter excrementa, nescio quid medico ostensuri, frustra perquirant, quod tamen se prius uidisse testantur. Hæc est lati uermis effigies, latinis medicis hactenus incognita. Neminem enim adhuc legi, qui hunc uermem plenè cognouerit. Arnaldus tantum & Beniuenius ueritatem, conniuentibus tamen oculis, procul aspexerunt. Sed & Plinius per illam tricenûm pedum tineam, hunc ipsum latum uermem intellexit.

De teretibus dixeram ab Auicenna longos uocari, esseq; similes in fœtunticetis nascentibus, quos onisculos uulgò uocant: tu uero ambigere uideris quid sint fœtunticeta, & qui sint apud uulgum onisculi. Onisculos, uoce parum detruncata, nisculos, uulgò apud nos uocant, quos Græci γῆς γάστρας, quasi terræ intestina dixeris, nos uermes terræ, Auicenna charatim, qui in fœtunticetis, id est, fœtis *Fœtunticetum quid.* dis ac cœnosis locis reperiri consueuere. His eos esse similes qui teretes, uel rotundi à probatis autoribus, ab Auicenna longi uocantur, nemo negauerit, qui utrosque cognoscat.

Circa ascarides deinde tria petis, uel potius quatuor: nomen, rem, antiquorum sententiã, an eos uspiam uiderim. Nominis etymon nullibi (quod meminerim) uel apud Græcos, uel apud Latinos legi: mihi autẽ uerisimile fit, deduci eam uocẽ à uerbo græco ἀσκέω, quod latine significat exerceo: uel potius à uerbo ἀσκαρίζω, quod idẽ est quod moueo: sedi enim circa quam cõsistũt, uehementẽ pruritũ inferẽtes, ut Paulus & Aëtius testãtur, assidueq; cõmoti animal cõtinuò extimulant & exercẽt.

Quicquid

Quicquid uero recẽtiores sentiant, non est dubiũ apud antiquos per ascarides paruos uermes intelligi: sunt enim ascarides (inquit Galenus aphor. 20. libri tertij) tenues quidã lumbrici, in parte maxime inferiore crassi intestini geniti. Galenũ Aëtius & Paulus sunt secuti: à quibus nec dissentit Auicẽna, si modo recte & legatur & intelligatur. Sic enim ego principiũ secũdi capitis legẽdum puto: Longi, & lati & rotũdi, & ascarides & parui. & uerbum, lati, secũdo loco in quibusdã codicibus etiã Hebræis scriptũ, omnino suppositiũ puto. Ita autem intelligẽdum, ut per ascarides & paruos (quod alia etiã scripsi epistola) unam tantũ speciem intelligamus, eos uidelicet quos Galenus ascarides, ipsemet Auicẽna in primo libro minutos: in tertio, modo simul ascarides & paruos, modo ascarides tantũ, modo paruos tantũ uocat. nam quæ de loco generationis paruorũ ab eo dicũtur, de ascaridibus à Galeno, sed ab Aëtio ac Paulo aptius dicta sunt: quæ uero de ætate ascarides gignẽte, ex Hippocrate & Galeno in Aphor. superius adducto sunt accepta, qui nullo pacto de latis intellexerũt, quãdo nec eos quidem nominasse eo loco Hippocratẽ, Galenus testatur: tum capite quoq; tertio in quo de signis agitur, quæ de sedis pruritu, & assiduo motu paruorũ dicũtur, similia sunt his, quæ de ascaridibus Paulus Aëtiusq; conscripserũt. Quod autem scribitur quarto capite, medicinas interficiẽtes ascarides, & rotundos, interficere etiam longos: fuit sententia Galeni in fine artis curatiuæ, licet ordo sit in Auicenna permutatus. Scribit enim hoc modo ad uerbum Galen. Rotun » dos uermes sufficit interficere absinthium: latus fortioribus eget pharmacis, quale » est filix, adhuc autem & uocata ascaris. Quemadmodum uero ambigi non potest, » hic ab Auicenna dici longos, quos Galenus uocauit rotundos: & quos Galenus latos, Auicennam uocasse rotundos: ita clarum esse debet, ab utroq; eosdem uno nomine uocatos ascarides, qui scilicet sunt ab his, quæ bibuntur (ut Auicenna ait) remotiores, utpote in parte maxime inferiore crassi intestini generati, prout ex Galeno superius ostẽsum est, id est, circa ani extrema, & longanonis initia, sicuti Paulus declarauit. Liquere igitur ex dictis puto, non aliud esse ascarides Auicennæ, quàm Galeni: nec paruos, ascaridesq;, præterquam nomine apud Auicennã distare. Nec te moueant sexti, septimiq; capitis inscriptiones: solent enim capitum sectiones inscriptionesq;, tum in alijs, tum in hoc ipso libro plerunq; mentiri, utpote non semper ab autoribus ipsis, sed à quouis potius lectore pro arbitrio cõscriptæ. Mendam uero in sexto capitis titulo adesse, uel hoc potest ostendere, quod statim post primũ remedium, latorum auxilia subscribuntur, deinde toto ferè capite ea quæ sunt omnibus speciebus communia. Sed & kitram, id est, cedria, quæ hic conferre scribitur ad ascarides, sequenti capite in paruis bis repetitur, quam peculiariter ascaridibus, proprio capite, lib. 7. de simplicibus medicinis Galenus commendauit. Et hæc quidem de ascaridibus dicta sint. Vnus autem adhuc supereſt scrupus circa lumbricorum species, qui me sæpenumero non mediocriter perturbauit. Nam qui Cucurbitini uocantur, ad nullam trium dictarum specierũ uidentur pertinere, & propterea quartam per se speciem putari possunt constituere: quod ex recentioribus nonnulli prodiderunt, latos in duas species distinguentes, longos uidelicet, & breues: illos ascarides, hoc cucurbitinos nominãtes. Nec desunt qui cucurbitinos pro genere capiant, quod in disiunctos ac coniunctos ueluti in speciem diuidunt. At certe negari non potest in quibusdam libris ex arabica lingua translatis, cucurbitinos absolute pro latis poni, sicuti in commento arabico aphorismi superius allati, ubi etiam peruerso ordine, ascarides pro rotundis, atq; econtrario rotundi pro ascaridibus leguntur. In libro quoque Serapionis, capite de filice, ubi Dioscorides & Galenus habent latos, in Serapione ex eorum uerbis scribuntur cucurbitini. Sic & apud Moisem nona suorum Aphorismorum particula, ex Galeni autoritate pro latis leguntur cucurbitini. Verum hæc disputatio ad nomen spectat: illud

Ascaridum definitio.

Locus Auicennæ restituitur.

Cucurbitini lumbrici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uero potius ad rem, an lumbricus reperiatur qui sit cucurbitæ semini non absimilis. Ego quidem, quod meminerim, nunquam lumbricum uiuum conspexi, qui cucurbitæ semina repræsentaret. Paulus & Aëtius, corpuscula illa cucurbitæ seminibus similia, non in numero uermium, sed inter uermis lati indicia connumerant: quod ex Galeno, lib. de locis passis primo, sumere potuerũt, & ex lib. de morbis superius adducto. Antonius Beniuenius Florẽtinus, nostra memoria medicus grauissimus, in suo de abditis libello, uidisse ait inter sese adeò cohærẽtes, ut unus uideretur, quatuor cubitorum longitudinem excedens. Arnaldus quosdam refert, dicentes, cucurbitinos hosce, in uentre cuiusdam alterius magni uermis generari, quem Cingulum uocant: quæ sententia à Paulo & Aëtio non abhorret. Ex senioribus adhuc nobiscũ degentibus medicis, nonnulli uidisse eos multoties uiuos referunt: alij non uiuos, sed mortuos. Quin proba & fide digna matrona nuper in magno quopiam uerme, quem eius auia ægrotans deiecerat, se uidisse multos uermiculos cucurbitæ seminibus similes adseuerauit. Quicquid autem sit, dicere oportet, antiquos hosce in numero uermium non habuisse: quoniam decidi à lato ueluti segmentũ quoddam, & eius portio uiderentur: sed indicium proprium lati uermis esse, sicuti arenam lapidis, scripsit eodem loco Galenus.

Petis deinde, ut de prognosticis nonnihil scribam, quæ nescio quomodo alia epi-
Vermium præsagia. » stola præterieram. De his sic scribit Paulus: Circa febrium initia geniti, subsisten-
» tiam ex subiecta habent corruptione: circa consistendi uigorem, ex morbi maligni-
» tate: circa declinationem ad melius omnino proficiunt. Ait enim Hippocrates, bo-
» num & uermes rotundos exire ad crisim eunte morbo. Aëtius autem ex Herodo-
» ti sententia, ad hunc modum: Lumbrici & in febribus & absq; febribus fiunt, mul-
» titudine, magnitudine, colore, & tempore inuicem differentes. Circa enim morbi
» principia geniti, subsistentiam ex subiecta recipiunt corruptione: circa consistendi
» uigorem, ex morbi malignitate: circa declinationem, ex transmutatione ad melius,
» qui & celeriter excernũtur, natura eos ad exteriora non secus ac cætera excremen-
» ta propellente. Deteriores uero sunt maiores minoribus, multi paucis, rubri albis,
» & uiuentes mortuis. Postremo tamen Aëtij dicto, Rasis atq; Auicenna aperte re-
pugnant, uiuos mortuis simpliciter præferentes. Mitto quæ in hac cõtrouersia scripserunt recentiores, ut quæ & legisse te puto, & cuiuis legere in promptu sit. Mihi quidem uidetur firmius semper esse iudiciũ quod ex mortuis sumitur, ut quos necesse sit expelli, nec suapte spõte exire. Hæreo tamen Hippocraticæ sentẽtiæ, quod bonum sit eos excrementis alui commiscerí, dum morbus iudicatur: ita ut per hoc intelligamus, si alio tempore emittantur, sympt=matis, id est, casus potius fieri ratione, ut Galenus dixit, quàm naturæ ui: & propterea uel corruptionem, uel malignitatem indicare, ueluti Paulus Aëtiusq; distinxere. Et hæc quidem de prognosticis in præsentia dicta sint.

De milto quoq; quam Auicenna macrã uocat, quæris quid sit, & an sit minium. Certe si Plinij, uel Hermolai, qui locum castigauit, autoritatẽ sequemur, fateri oportet, milton eandem rem esse cum minio: ait enim Plinius ab Hermolao emendatus, Milton uocant Græci minium. Si uero Theophrasti, Dioscoridis, atque ut ego
Milton non esse minium. quidem puto, ueram Plinij castigationem, res tantum diuersas, quãtum distant uenenum & antidotus. Siquidem minium adeò uenenosum, ipsomet etiam Plinio teste, existit, ut qui id in officinis poliunt, faciem laxis uesicis illigent, ne in respirando pernicialem puluerem trahant. Miltos tantum abest à ueneni natura, ut intra corpus assumpta, & lumbricos enecet, & hepaticos iuuet, & ad alia quoq; quamplura utilis reperiatur. Sed & idem Plinius lib. 33. ubi de minio agit, paulò post uerba ab Hermolao (ut diximus) emendata, rubricam & sinopidem, quæ sunt ex milti genere, uel eadem cum ea, res diuersas facit à minio. Item lib. 35. minium, sinopidem, & rubricam

rubricam inter se disiungit, multa de sinopide scribens, quæ Theophrastus & Dioscorides de milto. Et lib. 33. miltum rubricam uocat, testimoniũ Homeri adducens, naues rubrica commendantis, qui μιλτοπάρῃους eas nominauit, ut Hermolaus quoque testatur: quem alioqui oculatissimum, mirum est non uidisse, milton si sit rubrica secundum Plinium, non posse esse minium: nec sic castigandum Plinium ut ex ipsa castigatione, quod mali pueri solent, deterior euadat. Deprauatũ omnino uerbum erat, militon, quod antiqua habebat lectio, non mutandum tamen in milton, sed ut mihi uidetur in ammion: quod constare potest, comparanti ea quæ Plinius scripsit de minio cap. 7. & 8. lib. 33. his quæ de ammio scripsit Dioscor. cap. de cinnabari, & cap. de hydrargyro, & præcipue quæ de uesicis circa faciem ponendis superius annotauimus: adscriberem singula, nisi timerem uideri uerbosior. Illud tamen non tacebo, id quod Plinius Dioscoridesq; scribunt, quosdam minium uocasse cinnabarim, posse de Theophrasto intelligi: quoniam ferè quæcunq; scripsit Plinius de minio, excerpta uidentur ab his quæ de cinnabari in libro de lapidibus scripsit Theophrastus, licet (quod sæpe in Plinio accidit) multis mendis obfuscata, quarum nonnullæ possint in librarios reijci, aliàs in ipsum Plinium referre necesse sit. Totam igitur hanc disputationem sic colligamus: Quod minium uocat Plinius, id Græci ammion, uel cinnabarim: quod Plinius sinopidem uel rubricam, id illi milton: tam igitur diuersa res est minium à milto, quàm ammion uel cinnabari à sinopide uel rubrica. Quænam uero res sit, uel quomodo nũc uocetur miltos, haud satis mihi compertum est. Vidi aliquando trochisci forma Venetijs pro Lemnia ad nos delatam terram, densam, grauem, illapidosam, hepatiten, hanc ego puto esse milton, quam sinopicen uocat Dioscorides. Tectonicen audio etiam nunc fieri à nonnullis pictoribus ex ochra combusta, ut Theophrastus Dioscoridesq; scripsere, non econtrario, ut Plin. atq; in arcanis haberi, quoniam in floridissimum rubicundum euadit colorem. Veram lemniam nescio an unquam uiderim: à paucis annis citra cœpit ferri, preciosiusq; cæteris sub nomine ueræ lemniæ uẽdi, aut principibus uiris pro magno munere donari, alba quædam terra exiguo rubore. Hanc (si modo eius generis est) putarim ego secũdam sinopidis speciem, à Theophrasto primo, dehinc à Plinio scriptam, non sine mendis tamen, ut crebrò solet accidere: sic enim scribit Theophrastus: ἔστι γὰρ αὐτῆς γένη τρία, ἡ μὲν θρυλλὰ σφόδρα, ἥδε ἐκλυκῆ, ἥδε μέση. Plinius hoc pacto: Species sinopidis tres, rubra, & minus rubens, & inter has media. Quam enim Theophrastus dixit ἐκλυκῆ (id est, ut mihi uidetur, exalbidam, uel potius uehementer albam: sic enim Galenus τὰ περίλευκα & ἐπιλήμματα, similes apud Hippocratem uoces intelligit) & Plinius minus rubentem, hanc ego quandoq; putaui esse eam quæ nunc (ut dixi) pro uera lemnia portatur: cuius & aliquando experimentum fecimus, uenenum duabus auiculis propinãtes, alteriq; tantum lemniam illam exhibentes, quæ uixit quidem diutius reliqua, non multo tamen post & ipsa uitam finiuit. Eiusdem etiã generis est ea quam insciæ plebeculæ myracopolæ nonnulli uendunt, qui se à diuo Paulo originẽ traxisse iactitant. Hæc habui quæ de milti generibus scriberem. Nunc ad cardamomum accedo, quod Arabes cordumeni uocant, de alia re sub cardamomi nomine pertractantes. Quænam uero res ea sit, *De Cardamomo.* Oedipo eget coniectore, quoniam nullum de ea scribentem græcum autorem affert Serapion. Ex quo fit, ut existimem, uel rem esse nouam, hoc est, quæ post Galeni tempora in usum uenerit medicorum, uel erasse in ea non solum interpretes, sed & ipsos autores. Nisi fortè quispiã putet, cum Plinius quatuor cardamomi species enumeret, de duabus, capite de cordumeni, de reliquis, cap. de cardamomo ab Arabibus scribi. Auerrois tamen quinto libro sui Colliget, quoddam cardamomũ inter medicinas post Gal. repertas connumerauit, cum superius inter eas quæ à Galeno pertractantur, de alio conscripsisset. Ego tria seminũ genera uidi, quæ pro car-

Universidad de Deusto
Biblioteca

damomo ferũtur, inter quæ neſcio, an unum ſit quod uere cardamomũ dici poſſit.

Seriphium aliud à ſantonico, non ſolum uoluit Paulus, cuius uerba alia epiſtola recitabamus, ſed & Galenus lib. 6. ſimplicium medicaminũ, & Plinius lib. 27. Nec te mouere debet Dioſcorides, abſinthium marinum, à nonnullis ſeriphion, ab alijs ſantonicon uocari ſcribens: ſcis enim quàm inconſtantes ſint huiuſcemodi nomenclaturæ, ut pro libito ab unoquoq; conficiæ: alioqui ſi ubiq; has ſequamur, abrotonum idem dicemus, quod abſinthium ponticum, cum eodem Dioſcoride autore, Romani ſic abrotonum uocent: atq; idem quoq; cum ſantonico: quoniam ut refert Galenus, abrotonum à Romanis uocari ſantonicum, ſcripſit Pamphilus. Vocet igitur unuſquiſq; prout uult, ut ait Galenus, modo ſciat res eſſe diuerſas. Tutius tamen eſt ſequi antiquorum, præſertim Galeni, nomina, ne in rebus quoq; ipſis labi contingat. Verum & Dioſcorides ipſe, ſi emaculatus ſit codex, ſantonicum rem diuerſam à ſeriphio facit lib. 3. in fine cap. 25. pro uerbo enim ſardonicum, legendum ſantonicon: & pro uerbo ſardonium, legendum ſantonium. Quod nedum ex Galeni, Plinij, Serapionisq; concordi ſententia patêre poteſt, ſed & ex hoc quod nulla eſt in Gallia ſardonis regio, ſed ſantonis: eſtq; ſardonion alia herba, de qua Dioſcorides lib. 2. inter batrachij ſpecies, & lib. 6. inter uenena mentionem facit, à qua ſardonius riſus Græcorum prouerbium non bonæ famæ in uita, ſicut Dioſcorides Pauluſq; teſtantur, & lib. 4. Auicenna ſub nomine Sebardi, licet ignorauerit de qua re ſcriberet, nec intelligi ualeat quid ſcripſerit, niſi ab ijs qui ea quæ ille ſcripſit, alibi prius didicerint. Obſcurius quoque idem Auicenna ſcripſit de ſeriphio & ſantonico, lib. 2. ſub Schee nomine, in capitis principio, adeò ut ne diuinãdo quidẽ poſſis aſſequi quid uoluerit: & ne in noſtra tantum æditione putes difficultatem, conſule etiam Hebræam, atque maiorem, non modo æquam inuenies obſcuritatem. Vide quod ſaxum uoluant ij medici, qui Auicennam ſibi in idolum erexere. Sed de his aliàs maiore ocio.

Sardonius riſus.

Grammarium quid.

Petis ulterius quid ſit grammarium. Grammarium, ſiue gramma (utrunq; enim apud Græcos lego) Paulo teſte, eſt pondus duorum obolorum. Pendet obolus ceratia tria, ceratium calchos duos, quo fit ut in grammario calchos duodecim intelligamus, in obolo ſex: cum tamen in Plinio lib. 21. in fine obolum continere decem calchos ſcribatur. Miraris poſtmodum, quod Paulus drachmam, uel quod magis mirandum, drachmas duas euphorbij exhibeat. Potuit fortaſſe te in huiuſcemodi admirationem trahere Ioannes cognomẽto Meſue, qui ex Dioſcoridis ſcribit autoritate, aureum unum interficere. Ego in hoc uiro, ut multoties, ita hoc in loco ſidem requiro, cum nuſpiam hoc apud Dioſcoridem legerim, ſed apud Paulum capite proprio inuenerim drachmam pituitam & aquam educere: apudq; Auicennam tertio lib. cap. de ephialte, id eſt, de incubo, drachmæ tertiam partem ſcamonij, & quartam colocynthidos ſuperaddi. Apudq; eundem Auicennam & Serapionem, quod tres drachmæ, non autem unus aureus, interficiunt. Non auderem tamen tantam quantitatem exhibere: præbui enim aliquando exiguum quid, beneq; per aſſationem & nonnullarum rerum commixtionem repreſſum, copioſeq; admodum purgauit. Sed ſumus hoc tempore fortè, quàm eſſet opus timidiores.

Zomeryſis.

Porrò zomeryſios dicti inſtrumenti illius coquinarij ego quoq; libentiſſime formam perdiſcerem, ſed nondum inueni qui doceret. Meminit eius & Pollux, non tamen quale ſit edocet. Vocis etymon notare mihi uidetur iuris fuſorium: res uero ipſa, ut ſuperiore parte pateat, inferiore adeò anguſtetur, ut in cãnaliculum quodam, ceu collum deſinat, inſtar illius per quod uina cantharis immittimus. Per hanc igitur zomeryſin duo præcipue conſequimur, & quod uidelicet amaror rei deglutiendæ non perſentitur, & quod procliuis deſcenſus fit. Altero autem inſtrumento quod clyſteridion idem Paulus nuncupat, uiolenta impulſio fit. Concurrentibus autem

Clyſteridion.

autem ſimul natura & ui, uelociſſimus motus ſit, re graui ſponte inferiora petente, & ad eadem uehementiſſime impulſa. Huius clyſteridij formam uario modo imaginari poſſumus: ſed ea cuius meminiſti, ſi extremum os aliquantiſper pateat, ſatis apta uidebitur.

Erigeronti quadrant quæcunq; ſcribis, præter calendulæ nomen, quod nos alteri rei adſcribimus, hoc eſt, herbæ cuidam coronariæ, quæ à nonnullis ut olus editur, flore aureo quaſi perpetuo, qui ex hoc argumento cuiuſlibet menſis flos, uulgò dicitur: de qua aliquando dubitaui, an eſſet lyſimachium. Nec ſponte apud nos prouenit, ſicuti uera erigeron, ſed in hortis, præcipue penſilibus, ſeritur.

Poſtremo petis, an tria à me cõſcripta remedia, euidenter conferre cognouerim, ſimq; aliquãdo Pauli & Aëtij remedijs uſus. Ego, ut uerum ingenue fatear, in hoc pecco, quod rarò eiſdem auxilijs pluries utor, ſed modo hoc, modo illo, prout ſeſe mihi offerunt, & intentioni meæ, particularibusq; rebus deſeruire uidentur. Olim duo illa ab experimentatoribus habui. Noſtra compoſitio, precibus cuiuſdam amici medici facta eſt, qui quoad uixit ea uſus eſt, magnificeq; iuuare affirmabat. Hæc habui, quæ tuis interrogationibus reſponderem, in quibus ſi quid diſplicuerit, ignorantiam malim accuſes, quàm uoluntatem. Vale amicorum optime.

Ex Ferraria, M. D. XIII.

EPIST. II. Antonio Fauentino, noua quarti aphoriſmi, libri primi, expoſitio.

DVbitaui ſæpenumero Antoni doctiſſime, quomodo ea quæ ab Hippocrate, Galenoq; eius interprete quinto aphoriſmo primæ particulæ dicebantur, & eſſent intelligenda, & his quæ ab eiſdem autoribus ſecundo libro de uictu acutorum morborũ ſcribuntur, conſentanea. Nam quæ à recentioribus dicuntur, præter hoc quod parum mihi ſatisfaciebant, plurimis quoque erroribus ſcatere uidebantur. Tandem dum diebus præteritis aphoriſmum illum pro mea profeſſione enarraturus, omnes ingenij neruos, in boni ſenis hauriendis ſenſibus intenderem, ueritatis quidam radius, neſcio quo modo, mentis aciem colluſtrauit: cui dum acrius intendo, ipſa demum ueritas, omni diſcuſſa caligine, ſe (ut mihi uiſum eſt) penitus inſinuauit. Quam licet quo magis magisq; excutio, & alieno quoq; examini, publica propoſita de more diſputatione ſubijcio, eo lucidiorem experior: ueritus tamen proprij imbecillitatem iudicij, ſciensq; proprium nihil magis eſſe hominis, quàm falli, errare, decipi, in proprijs præſertim inuentis & meditatis, iudicem, cenſoremq; mihi quempiam conſtituere decreui, cui arbitrium decernendæ huius rei demandarem. Occurriſti autem tu, ut qui extra omnem controuerſiam primas inter profeſſores medicinæ iandiu tenes, apud me uero ſemper ſumma autoritate refulſeris. Accipe igitur hanc qualemcunque Manardi tui lucubratiunculam, atque aliquid ocij à magnis tuis illis meditatis, quibus ſcio te aſſidue inſudare, ſuffuratus, per proximas ferias ad hæc noſtra leuicula deſcende, atque acri illo tuo iudicio ita examina, ut uel uitam, uel ſententiam ſubeant capitalem.

Non ab re autem fuerit, priuſquam expoſitionem aggrediamur, aphoriſmum ipſum uerbum ex uerbo ex græco transferre: quoniam apud uarios interpretes uario modo legi conſueuit. In tenuibus uictus rationibus peccant ægrotantes, ideo magis læduntur. Omne enim quodcunque fit, magnum fit magis, quàm in paulò plenioribus. Propter hoc igitur & ſanis fallaces ſunt, ualde tenues cõſtitutæ, & exactæ uictus rationes, quoniam peccata difficilius ferunt. Propter hoc igitur tenues & exactæ uictus rationes, fallaces ut plurimum ſunt, paulò plenioribus. Hæc eſt aphoriſmi ſeries, fidelius quàm elegantius in latinum ſermonem conuerſa. Princi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pium uero aphorismi iuxta aliam lectionem, quam ab initio commentationis pro-
Verba Aphorismi. ponit Galenus, quod neminem adhuc interpretem uideo assecutum, sic habet: In tenuibus uictus rationibus plerunq; peccantes ægrotantes, ideo magis læduntur. Hic est aphorismus, qui mea quidem sentẽtia sic est & ordinandus & exponendus. Præcedens aphorismus diætas exacte tenues, in diuturnis morbis semper, & in acutis non semper, sed in his solum in quibus non competunt, fallaces esse demonstrauit: rursusq; eas quæ ad extremum essent tenuissimæ, graues atque difficiles. Præsens, quanam id fiat ratione, & quarum comparatione fallaces dicantur, aperte declarat: estq;, ut paraphrasi quadam totus aphorismus comprehendatur, sententia Hippocratis huiusce modi: Diætæ ualde tenues & exactæ magis fallaces tum in sanis, tum in ægrotis ut plurimum sunt, quàm paulò pleniores: quoniam eos qui tali uictu utuntur, errare aliquo modo contingit: quicquid uero fit, maioris momenti est tenui diæta utenti, quàm si paulò pleniore uteretur. Hæc est, ut ego puto, Hippocratis mens. Quæ ut locupletius perpendatur, aphorismi partes diligenter examinemus, & uerba ipsa sensim sigillatim percurramus.

Tenues diætas hoc loco audire oportet eas, quibus aliqua ex parte uis cõminuitur: non tamen adeò quin perdurare possit ad consistendi usq; uigorem. Hunc etenim terminum tenuibus diætis Galenus in aphorismo præcedenti statuit, uidelicet uirium modicam exolutionem. Nec tantummodo eæ uocandæ tenues quæ ad extremum tenuitatis accedunt, sed omnes per quas uirium quædam exolutio innascitur. Sic enim intellexisse uidetur ipse Galenus, dicens, ex tali uictus ratione, uires reddi inualidas: non morbi cõparatione, sed earum uirium quæ in tempore sequundæ aderant ualetudinis. Peccati uero nomine intelligimus omnem errorem circa ægrotantes contingentem, siue ratione uictus, siue aëris, siue ob affectionem quampiam animi, siue ex adsidentium incuria, uel alia quacunq; causa: ita ut etiam ægrotum qui primo paruit, mox pleniore quàm medicus imperauit, uictu utitur, in tenui uictu delinquere dicamus. Constat id tum ex ipso Hippocrate, in tenui uictu delinquere simpliciter ægrotantes proponente, & paulò post uniuersaliter & absolute dicente, omne quodcunq; fit, magnum fit magis, quàm in paulò plenioribus: tum ex Galeno, affirmante eum loqui de omni delicto, omnemq; errorem accidentem ægrotãtibus, qui tenui uictu reguntur, maximum afferre periculum. Et propterea primam aphorismi lectionem magis laudante, eo quod & alteram circumplecteretur, & generaliorem faceret sententiam. Patet igitur quid nomine peccati intelligendum. Coniunctio uero illa, ideo, nobis significat, eos qui tenui uictu utãtur, eo maiorem læsionem incurrere, quod dum tenuem uictum agunt, aliquo pacto oberrant: taciteq; & inaccessibili illa sua ac felici breuitate nobis Hippoc. insinuat, eos non lædi nisi errore aliquo inuoluantur. Similis enim loquutio est ac si diceremus: Sub religiosa uiuendi norma constituti interdum peccant, & propterea maiore pœna plectendi sunt. Vt enim nemo sanæ mentis, ex his uerbis intelligit religiosos uiros maiorem absolute pœnam mereri, sed id duntaxat, dum scilicet peccant: ita nec ex Hippocraticis, magis lædi ægrotantes, nisi quando tenui uictu aliti, uel propria, uel adsidentium culpa aberrarint. Quorum uero comparatione eos magis lædi dixerit, haud difficile quis percipiet, lectis uerbis quæ sequũtur, ad hunc modum: Omne enim quod fit, magnũ fit magis, quàm in paulò plenioribus diætis. Palàm enim est uoluisse Hippocratem, tenui uictu utentes, si quãdo peccarint, ex æquali errore magis oblædi, his qui paulò plenius reficiuntur. Cuius dicti Galenus duplicem reddit causam, quod uidelicet ex tali uictu uis imbecillior fit, & quod minus eo uti consueuerunt.

Non ab re autem prudens senex, plenioribus diætis dictionem illam, paulum, adiecit: ne quis uidelicet, si simpliciter dixisset, putare posset grauiora fieri quæcunque

que occurrunt tenuem uictum agentibus, quàm si quantumuis pleniore frueren-
tur. Quam adiectiunculam etiam in calce aphorismi, eadem ratione non reticuit. In ea rursus parte quæ ad sanos attinet, simili modo loquendi utitur, quo in ægrotantibus usus fuerat, dicens: Propter hoc & sanis fallaces, & reliqua. Quod & euidentius declarat, subdens: Quoniam peccata difficilius ferũt. Quam quidem comparationem dubium non est ad id referendam, ad quod & prior, quæ ad ægrotos attinebat, ferebatur, hoc est, ad uictum paulò pleniorem: siquidem eandem afferre in utrisque rationem uidetur, quam illis uerbis expressit: Omne enim quod fit, magnum fit magis, quàm in paulùm plenioribus. Quæ uerba, ut prioris dicti ra-
10 tionem reddunt, ita posterioris sunt causa. Liquet igitur quod non absolute asserit, tenuiorem uictum fallacem in sanis fore: sed ideo fallacem, quia eo utentes peccare contingit, eaq; peccata minus perferre possunt, ob uirium, ut diximus, imbecillitatem, dissuetudinemq;, quàm si paulò plenius reficerentur. Vbi id aduertendum, quod non simpliciter hic tenues nominauit, sed ualde tenues, constitutas, & exactas: & mea quidem sententia uerbum, constitutas, (sic enim conuertimus, id quod Græci κατεσκευασμένας dicunt) certas & ueluti lege quadam perpetua firmatas, significare uidetur.

Demum in aphorismi calce concludit Hippocrates id quod erat propositum & summa totius aphorismi, qua uidelicet ratione, diætæ exactè tenues sint magna ex
20 parte paulò plenioribus magis fallaces: dicens propter hoc eas esse fallaces, quod uidelicet, si qua errata cõtingant, ea difficilius feruntur, corpore iam ex tenui uictu facto imbecilliore. Addidit autem, ut plurimum: quoniam maxima ex parte error eis interuenit. Vt enim reliquis in rebus, ita in ægrotantium regimine, effugere errata uix ualemus. Hæc igitur est (ut ego quidem puto) aphorismi sententia: ex qua uidere licet, quàm multifariam recentiores aberrarint, quodq; nihil hic dixerit Hippocrates quod eius dictis in secundo libro de diæta acutorũ morborum sit contrarium. Ordinem enim illi totum in primis peruertentes, ex propositione conclusionem, ex conclusione propositionem faciunt. Siquidem Hippocrates, quia ægrotantes peccant, ideo eos lædi: ipsi uero econtrario, eo quod læduntur, peccare ægro-
30 tos concludunt. Sed & ei particulæ quam putant conclusionem, aduerbium Magis apponunt: quasi Hippocrates dixisset, in tenuibus diætis magis peccant ægrotantes: quod Hippocrates non ei parti, sed alteri tantummodo apposuerat, dicens: In tenuibus uictus rationibus peccant ægrotantes, ideo magis læduntur. In nomine quoq; Peccati non minus peccant, totas ipsas tenues uictus rationes peccata esse putantes: cum Hippocrates non propterea in tenuibus diætis peccare ægrotantes dixerit, quod ipsæ per sese peccata sint, sed quoniam hi qui tali utuntur uictu, aliis erroribus inuoluuntur, ideo posse lædi affirmat. Sed forte peccatum hoc neotericis ignoscemus, modo sibi constarent, nec eandem uocem in aphorismo eodem,
40 uarijs modis exponerent. Verum ubi de sanis agitur, peccata, diætas deficientes, seu in quantitate diminutas, interpretantur: & sic eandem peccati uocem, eodem in aphorismo, modo pro errore, modo pro uictu tenuiore interpretantur.

Non minus quoque falluntur, putantes diætas dici ab Hippocrate tenues crassas ue, ad uim ita facta comparatione: ut illæ dicantur tenues, quæ tenuiores sunt, quàm ipsa uis requirat, ut scilicet seruari ad consistendi usque uigorem possit. atque econtrario crassæ, quæ sint plus quàm uis perferre possit, crassiores. Non enim hic fit qualis illi putant, ad uires comparatio: alioqui inconstantissima res esset ipsa tenuis uictus ratio, nec certum quippiam medium inueniri posset, ad cuius collationem crassior tenuiorq; quæuis alia diceretur. Cuius tamen contrarium & Galenus in præcedentis aphorismi expositione, & reliqui medici uoluerunt, prisanæ succum, uel ptisanam ipsam paucam, tenuem exacte uictum statuentes, atq; in medi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tullio totius ægrotantium uictus collocantes: cuius comparatione reliqui uictus uel crassi, uel tenuissimi uocarentur. Sed ille uictus uere & exacte tenuis hoc loco intelligitur, qui in genere uictuum præcedenti aphorismo à Galeno definitorum, nomen & definitionem tenuis subit, quod ab omnimoda inedia incipiens, ad ptisanam usque protenditur. Aiunt præterea, nisi reliqua paria sint, aphorismum uerum non esse: non aduertentes paritatem hanc atque æqualitatem, ab Hippocrate prorsus tolli, ut qui plenioribus addit modo hanc determinationem ὀλίγῳ, modo hanc μικρῷ, per quas uoces, paulum, uel parum significatur: tenuibus uero πανύ, hoc est, ualde: ita ut comparasse uideatur, ualde tenues, parum crassioribus: non æque tenues (quod illi contendunt) æque crassis. Sed hæc leuiuscula. Illud uero grauius, & quod multos in perniciem adegit, quod uidelicet ex aphorismo eliciunt, semper inclinandum potius esse ad crassiorem quàm uis requirat uictus rationem, quàm ad tenuiorem: & sicubi à modo recedendum, crassius semper, nunquam tenuius esse uel ægrotos, uel sanos reficiendos. Vnde natum est illud commune medicorum atque idiotarum adagium, longe præstare morbum quàm imbecillitatem curare. Quod dogma ubi ab Hippocrate Galenoq; eius interprete, necnon à ratione ipsa alienum esse ostenderimus, mox argumẽtationes diluemus, quæ ad id suadendum à recentioribus sunt excogitatæ.

Hippocrates libro secundo de ratione uictus morborum acutorum, postquam per longam satis seriem ostendit, quantam in uictus ratione debite metienda uim habeat consuetudo, ultraq; consuetudinem, robur quoque & modum morbi, naturamq; dixerat coniectanda, ita scripsit ad uerbum: » Multo autem minus uersus » adiectionem eundum est: detractio enim omnino frugalis plerunque confert, ubi » superfuturus est ægrotans, donec morbi status cõcoquatur. Quæ Hippocratis uerba expositurus Galenus, sic scripsit: » Cum cognosceret certam cuiusque remedij » quantitatem coniectura quadam egere artificiali, non esse autem cuiusuis artificiose coniectari, sed eius tantum uiri, qui omnia quæ ad artem attinent, & perdidicisset, & in memoria teneret, essetq; laboris amator, & in operibus artis attritus, quales pauci admodum reperiũtur: ea quæ in præsenti sermone dicta sunt, meritò præscripsit, quod uidelicet ubi peccandum, & à decente mensura recedendum sit, omnino laudabilius fore, ad id quod quãtitate minus est potius, quàm ad id quod plus est, inclinare. Id enim quod plus est, oblæsiones interdum inemendabiles facit: id uero quod est minus, facile corrigitur, ualentibus nobis, si uis labi uideatur, parum dare nutrimenti. Eius autem quod antea in uentre concoctum est superfluitatem auferre, & aliàs difficile est, & multo magis in acutis morbis.

Quæ certe Galeni uerba sufficere uel sola possunt ad conuellendam cõmunem de ratione uictus sententiam. Addo tamen & alio loco Hippocratem, qui eodem » libro, nec multo post præscriptam sentẽtiam inquit: » Deterius quidem est, si ei qui » ob laborem, morbiq; acutiem imbecillis est, potum quis offerat, multam ue sorbitionem, aut cibum, putans eam imbecillitatem ob uasorum cõtingere uacuitatem. » Sed & indecens est, eum qui ob uasorum uacuitatem imbecillis est, non agnoscere, rationeq; uictus opprimere. Affert enim & hoc periculum quoddam atque peccatum, longe quidem minus quàm alterum, sed quod magis subiaceat irrisioni: ubi » enim alius, uel medicus, uel idiota superueniens, accidentiaq; cognoscens, ea ad esitandum potãdumq; dederit, quæ prior ille prohibuerat, aperte uidebitur auxilium » attulisse, cum magno alterius dedecore, putantibus hominibus superuenientem » medicum, ueluti mortuum suscitasse.

» Quam sententiam enarrans Galenus, ait: Plerunque ægrotantes ob dolores » absque pulsu fiunt, animoq; deficiunt, ac nullo motu moueri possunt. Simile & ob » morbi acumen contingit. Nonnulli non ob hæc uiribus laborant, sed ob uasorum quomodolibet hoc fiat, uacuationem, siue ob manifestam sensibus excretionem, » siue ob cæcam dissolutionem, siue ob famis agoniam. Exigunt igitur hi quidem, ut » cibus quamcelerrime exhibeatur: econtrario uero alij, qui dolore uel morbi acu» tie premuntur, uacuatione magis interdum egent, quàm repletione. Et si quis eis » nutrimentum dederit, maximum malum operabitur. Illos uero qui ob uasorum » uacuitatem debiles sunt, si tenui oppresserit uictu, nocebit quidem, sed non æque » uehementer & manifeste. Hæc sunt quæ ab Hippocrate & Galeno interprete » de hac re eo loco scribuntur: è quibus facile intelligi potest, & quantum neoterici aberrauerint, & quod nulla sit inter Hippocratis dicta uel suspicio repugnantiæ.

Quæ certe si affuisset, Galenum alioqui oculatissimum non effugisset: quem constat in nullo istorum locorum eius mentionem habuisse, sed tenuem uictum ita in Aphorismis approbasse, ut ubi etiam uiribus non fidamus, ptisanæ succo, qui est uictus exacte tenuis, utendum præceperit. Quem etiam sequutus est Auicenna libro quarto: licet pro succo ptisanæ aqua hordei eo loco, sicuti & alibi frequenter, in uulgato codice legatur. Sed & ratio ipsa conuincit, falsum esse & pernicio sum hoc recentiorum dogma. Vt enim experimento constat, per tenuiorem quàm uis requirat cibum, uires ipsas aliquantisper statim subleuari: ita ratio monstrat, à crassiore, ut quem nec concoquere ualeant, nec distribuere, obrui potius quàm releuari ægrotantes. Vbi enim cibus plus præter naturam ingreditur, hic morbum facit, ait idem Hippocrates. Naturam autem eo loco nonnulli antiqui expositores, quos & approbat Galenus, potentiam intelligebant, à qua animalia gubernantur. Plus igitur cibi quàm naturali potentiæ conueniat ingestum, cum sanis morbum facere possit, multo magis ægros offendet: morbum enim augebit, & uires, si ex morbi uehementia imminutæ fuerint, amplius labefactabit: si ex uasorum uacuatione, quoniam à natiuo calore non peruincetur, obtundet potius quàm releuabit. Perperàm igitur aiunt neoterici, crassiorem quàm uis exigat cibum, periculo magis uacare, quàm tenuiorem. » *Cibo se ingurgitare, periculosum.*

Non quoque mendacio caret id quod absolute nonnulli pronunciant, præstare crassius quàm tenuius ægros reficere. Victus enim crassior, robur auget, tenuis minuit. Rarò autẽ accidit, ut robur maius reddendum in diuturnis, nedum in acutis morbis sit, quoniam hoc fieri nequit nisi morbus augeatur: ad cuius augmẽtum plerunq; euenit (quod & suprà dicebamus) ut robur quoque minuatur: quo fit ut cõtrarius effectus sequatur, & quo magis per pinguiorem escam uires auctare contendimus, eo magis conflaccescant. Taceant igitur neoterici, nec pergant Hippocratem (quod & Thessalus faciebat) in numero eorum reponere, qui ægrotos implebant: quum Galeno teste, Erasistratiorum potius sit laudanda sententia, qui illum fame cruciare ægrotantes asserebant. Licet enim media incesserit uia, uideri tamen magis potest tenuiorem quàm oporteret uictum imperans, quàm ægrotantes implens: sicuti primo libro de uictu morborũ acutorum Galenus testatur. Nec difficile fuerit ex his quæ diximus, quas aduersarij in proprij dogmatis assertionem afferunt, diluere rationes. Licet enim à tenui uictu depereant spiritus, calor dissoluatur, humiditas subtilis consumatur, demũmque totum corpus exinaniatur, non propterea sequitur eum esse deteriorem. Siquidem maiori ex parte hæc à medico procurantur, ut cuius propositum ferè sit, ne morbum foueat, uires minuere uel conseruare, non augere, nisi rarissime. Et quod asserunt, difficilius corrigi oblæsiones tenuem uictum quàm crassum sequẽtes, falsum esse & ratione & Hippocratis Galenicq; autoritate demonstrauimus. Non enim adeò uires hebetari sinet prudens medicus, ut adhibito congruo uictu nequeant reparari, sicuti neque athletarum more supra modum replebit. Vter uero citius ad mortem deueniet, an qui tenuissimo uictu, an qui plenissimo utetur? licet dubium sit, uidetur tamẽ eum *Victus exacte tenuis incommoda.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

citius interiturum, qui assidue atque indesinenter replebitur, eo, qui nihil omnino assumet. Multi enim ultra integrum quatriduum absque omni cibo potuq; superuixerunt: nullus ne dieculam quidem, assidue cibos ingurgitans, superuixit; quin potius ex crapula multi subitò periere, cum tamen nihil accipere tenuissimus extreme uictus à Galeno dicatur. Nullus uero sit, qui crassissimus proprie dici queat, etiam si integrum bouem quis deuorauerit. Quid igitur sibi uoluit, dicet quispiam, Hippocrates, tenuem uictum, eo qui sit paulò plenior, magis fallacem demõstrans, si in illum potius quàm in hunc inclinandum esse uolebat? Non aliud certe, quàm nos monere, ne temere, & absque diligenti examine, tenuem exacte uictum imperemus, ut quem sciamus corpora, ad tolerandos (si qui fortè committerentur) errores, reddere ineptiora. Atq; ubi hunc imperamus, diligentius caueremus, ne quis error uel ex nobis, uel ægroto, uel ex assidentibus, uel aliàs quomodolibet irrepe-
ret, scientes huiusmodi errata magis eos lædere qui tenuiter, quàm qui crassiusculè aluntur. Ne uero quispiam arbitraretur, quod detestandi atque abigendi tenuis uictus gratia, præsentem scripsisset aphorismum, statim subdidit: Extremis quidem morbis, extremæ curationes ad exactionem optimæ. Quod & Oribasius notauit. Subiecit quoque & alios quinque, qui hos sequuntur aphorismos, in quibus singil latim demonstrauit, quando tenuissimus, quando plenior, hoc est, minus tenuis uictus esset adhibendus. Neque putandum eum minus nociturum, qui ubi tenuissimo uictu utendum sit, nonnihil alimenti concesserit, quàm illum qui ubi alimentum sit dandum, omnimoda excruciat inedia, sicuti superius Hippocratis & Galeni testimonio probatum est. Hæc igitur sunt, mi Antoni, quæ mihi circa huius aphorismi expositionem occurrere: quarum, ut dixi ab initio, te iudicem & censorem delegi, id probaturus, quod abs te probatum iri cognouissem. Vale.

EPIST. III. Hippolyto Roscio. Quid intelligendum per Antheram.

EGisse te in multis medicamentis Antheræ nomen dicis, nec adhuc scire quidnam significet: alijs luteum illud quod medium florentium rosarum interiacet, alijs rubentem ueluti fructum, quem ubi deflorueris, in sua spina relinquunt, antheram nominantibus: quæriscp hac in re meam sententiam. Poteram certe petitioni huic tuæ breuibus satisfacere, si dixissem, neutrum esse antheram: apud idoneos enim autores, non simplicis medicamenti nomen esse, sed compositionum, quas ad oris præcipue ulcera antiqui reliquere: quarum Plinius uigesimoquarto, Celsus sexto, Dioscorides primo, Galenus quinto de compos. medic. secundum genera, Paulus & plerique autores in suis libris meminere. Sed dixisses puto, non te hoc quærere, sed quam rem hi intellexerint, qui ad alia componenda medicamina ea utuntur. Non enim uideri rationi consentaneum, ut cõpositiones hasce in alias compositiones adhiberi uoluerint, præsertim cum non certi cuiuspiam medicamenti nomen anthera sit apud enumeratos autores, sed multis commune, quæ ulcerato ori solent adhiberi. Vt igitur id melius assequare quod desideras, res est altius repetenda. Antiqui in rosa sex partes, non nomine tantum, sed uiribus quoque & facultatibus differentes, cognouere: quas à recentioribus ferè neglectas, non inutile fuerit recensere. Rosam primo diuidunt in folia, flores, & capita: folia in ungues, & id quod exemptis unguibus remanet. In flore aliud semen, aliud capillus: in capite aliud cortex, aliud calix (ut Plinij uerbis utar) intelligitur. Vnguis, pars illa candida uocatur, quæ capiti de proximo hærens, præcidi à seplasiarijs consueuit, rhodomeli, uel rhodosaccharum reliquo paraturis: unde rosæ tales exungulatæ solent appellari. Florem

Rosæ partes sex, uirtute differentes.

Rosæ exungulatæ.

Florem luteum illud intelligunt, quod folijs circumquaq; ambitur: separatum in capillum, id est, in tenuia quædam fila, & in semẽ quod sub his filis lanugine quadam opertum, cortice cõtinetur. Caput autem solidum illud, quod folijs & floribus, ceu basis substernitur: cuius superior pars, ex qua flos & folia prodeunt, proprie caput, reliquum calix nuncupatur. Differre autem hæc non nomine tantum, sed & uiribus, Dioscoridis primum testimonio probatur, florem in gingiuarum fluctione insperfum, capita pota in alui profluuijs, & sanguinis excreationibus, folia ad alios usus commendantis. Sed & Galenus libro septimo de simplicibus medicamentis, florem in adstrictoria ui, ait folijs præstare. Quod etiam confirmauit Auicenna libro secundo: licet pro flore semen, sicuti quoque alijs in locis scripserit. Septimo quoq; libro, qui de compositis medicinis secundum loca patiẽtia inscribitur, Hiram medicum, ait idem Galenus, in quadam Andromachi compositione, rosarum folia in flores mutasse. Plinius florem scribit somnum facere, semen urinam ciere, dentium dolori, igni sacro, & stomacho mederi, & naribus subductum caput purgare, ungues epiphoris salubres. Ex his rosæ partibus, re ipsa & ui, nedum nomine differentibus, flores antheræ nomine recentiores significasse, ex hoc maxime uidentur, quod ea in morbis utuntur, qui adstrictoriam uim ualde desiderant, qua præcipue flores pollere, Galeni testimonio superius demõstrauimus. Quod & nomẽ ipsum manifestat, cum ab eo quod est ἄνθος, id est, flos rosæ, deductum uideatur, uoce tamen (ut fieri uulgò solet) paulisper decurrata. Hæc habui de anthera quæ scriberem, magis ut tibi morem gererem, quàm humanæ saluti consulturus. Quando non magni periculi res est, utrũ ex his quæ petieras pro anthera capiatur. Vale.

EPIST. IIII. ad I. F. Besutium, compendium medicinæ.

IFlagitasti à me Besuti, ut quemadmodum olim Dialecticæ, ita Medicinæ typum quendam, & ueluti subfigurationem tibi conscriberem, uniuersa eius capita breuissime innuentem potius quàm explicãtem. Feci quod iussisti, ut potui, nõ fortè ut uoluisses. Accipe, & lege, illud cogitans, breuis esse laboro, obscurus fio.

Medicina est scientia, corporis humani sanitatem uel reficiens, uel conseruans. Corpus humanum ex uarijs partibus instrumentalibus constat, quæ ex simplicibus componuntur. Simplices in alias simpliciores resoluuntur, nec cessat resolutio donec ad elementa uentum sit. Hæc sunt primæ partes corporis, numero quatuor: ignis calidus & siccus, aër calidus & humidus, aqua frigida & humida, terra frigida & sicca. Ex horum commixtione nouem resultant temperaturæ: una temperata, quæ potius intelligitur quàm sit, in qua nulla qualitatum elementarium aliam uincit. octo distemperatæ. simplices quatuor: calida tantum, frigida tantum, humida tantum, & sicca tantum. Compositæ rursus quatuor, elementorum qualitatibus respondentes. Quæ etiam in quatuor humoribus reperiuntur, sanguine, pituita, bile ruffa, & atra. Qui quidem humores, & ab initio corpus humanum faciunt, & pòst nutriunt. Cibus enim à uentriculo in succum mutatus, in hos primo à iecore conuertitur, & demum in membris tertiam recipit concoctionem, qua eis similis fit. Respondent elementis hoc pacto: Bilis ruffa igni, atra terræ, sanguis aëri, aquæ pituita. Ex his primo simplicia & similaria membra componuntur: id est, in quibus pars eandem cum toto rationem subit, ueluti caro, os, neruus. Ex simplicibus constituuntur (ut diximus) instrumentalia, caput, manus, pes, & id genus cætera. Ex quibus tria principalia ad individui conseruationem necessaria, cerebrum, iecur, cor: in quorum singulo una ex principibus potestatibus residet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quartum ad ſpeciei perpetuitatem, teſtes. Cerebrum ſedes eſt poteſtatis animalis. Quæ duplex eſt, motiua uidelicet & cognoſcens, per neruos in uniuerſum corpus diſſeminatos diffuſæ. Iecur per uim naturalem in eo conſiſtentem, ſanguinem, & alios humores gignit, quos per uenas uniuerſo corpori ad alimentum præſtandum (ut diximus) diſtribuit. Cor uitæ fons, per uitalem ſpiritum à ſe genitum, & per arterias tranſmiſſum, ſingulis particulis uitam elargitur. Sunt & quædam membra quæ principalia quidem non ſunt, ſed quia principalibus miniſtrant, etiam ipſa magni momenti ſunt, ueluti uentriculus iecori, pulmones cordi, ſpinalis medulla cerebro. Sanum itaque corpus erit, cum ſuo quæq; munere particula integrè pollebit: ægrum, dum conſuetas explere functiones non ualebit.

Cor uitæ fons.

Læduntur hæ ab ægritudine. Ea quippe nil aliud eſt, quàm diſpoſitio, ex qua operationes oblæduntur. Ipſa enim operationum læſio ſymptoma dicitur, quod ita à morbo, ſicut morbus à cauſa, pendet. Quæ quidem eſt duplex: præincipiens ſcilicet, quæ extrinſecus occurrit: & corporea, quæ intrinſecus. Morbus triplex in genere eſt, ſcilicet, mala tẽperatura, quæ primo lædit ſimplicia membra: mala compoſitio, quæ inſtrumentalia: continuitatis ſolutio, quæ eſt utriſq; communis. Porrò mala temperatura totuplex genere eſt, quotuplicem ſuprà diſtemperantiam eſſe monſtrauimus, quæ præterea & cum materia & abſque ea eſſe poteſt. Inter malas temperaturas præcipua eſt calida & ſicca, ſi in corde accenſa ad totum corpus feratur: hanc Febrem uocamus. Quæ ſi in ſpiritibus primo accendatur, ephemera: ſi in humoribus, putrida: ſi in membris, hectica uocatur. Mala cõpoſitio aut in quantitate, numero ue auctis aut diminutis, aut in poſitu ac ſocietate, aut in formatione, id eſt, ſuperficie, uia, concauitate, figura ue conſiſtit. Symptoma, quod (ut diximus) morbum ſequitur, ut hic cauſam, eſt triplex: operatio læſa, qualitas mutata, exiens mutatum: per quæ ueluti notiora morbos cognoſcimus. Præter naturam has res priores naturales uocamus: atq; naturales quidem per ſimilia conſeruare, præternaturales per diſſimilia curare laboramus. Sunt præter has tertiæ quædam res, quas non naturales dicimus, aër uidelicet, cibus & potus, ſomnus & uigilia, motus & quies, excretio & detentio: & ſextum cum his, animi affectus: per quæ, ſi recte adhibeãtur, & ſanitas conſeruatur, & morbus pellitur: ſi minus, & morbi, & tandem mors ſequitur. Morbus ergo cum ſit res præter naturam, tollendus per cõtrarium eſt. Quod uenari recte non ualemus, niſi & morbum ipſum bene agnouerimus, & ea ipſa quæ afferenda ſunt contraria. Morbus ſignis agnoſcitur: hæc ſunt, prognoſtica, quæ propria futurorum: dignoſtica, quæ præſentium: memoratiua, quæ præteritorum. Contrarium uero, morbi quidem intemperatura, ſi ipſa materia uacat, eſt medicina quæ tantum debet ad contrariam qualitatem uergere, quantum mala ipſa temperatura à naturali habitu receſſit. At ſi temperatura materia fouetur, hanc euacuare oportet. Eſt autem uacuatio, alia ſenſibilis, quæ uel per propria ſuperfluorum excretoria fit, uel per cutem: & aut à natura, aut à medico: alia cæca, ad quam multum confert inedia. Morbus malæ compoſitionis per ſuum quoque contrarium amouetur, figuram uidelicet congruam, ſuperficiemq; debitam inducendo, uias & meatus reſerando, ſuperfluam quantitatem uel numerum abijciendo, minuta augendo, & demum ſuum cuique contrarium adhibendo:

ſicuti & ſoluta continuitas per unionem curatur, ita ut nihil aliud ſit Medicina, niſi quod bonus ſenex nobis definiuit, adiectio, & ablatio.

Vale.

Epiſt.

EPIST. V. ad amicum atra bile agitatum.

NEſcio quæ res tantum mihi afferre moleſtiæ potuiſſet, quantum attulerunt tuæ literæ. Ex his enim ea intellexi, quæ ut minime uolebam, ita minime putaſſem, & quæ niſi tumet ſcriberes, nulli unquam hominũ crederem. Ea non repeto, quando meminiſſe animus horret, nedum referre. Vrget me hoc præcipue inter cætera, quod te, quem ueluti ſcopulum ſolidiſſimum, aduerſus omnes læuientis fortunæ ictus ſemper immobilem cognoui, ita uideo animo conſternatum, ut tui penitus oblitus uideare, & quaſi temetipſum deſeruiſſe. Quod niſi obſtaret, facile bonam ualetudinem te recuperare poſſe confiderem. Non enim ſunt tibi medicamina à littoribus Indicis perquirenda, uel Aeſculapius ab inferis reuocandus, qui te liberet: intra teipſum habes antidota, & nemo tibi melior, quàm tumet tibijpſi, eſſe medicus poteſt. Ab ægritudine cœpit hic morbus, & per hũc creuit ægritudo, rurſuſq; uiciſſim ex hac morbus coaleſcit, quaſiq; reciprocus quidam circuitus fit: qui niſi clauo figatur aut retundatur, perpetuo agitatu mentem ſimul & corpus perturbabit. Affigere hunc clauum, in tua poſitũ eſt manu: neq; aliud amplius quàm ut uelis, exigitur. Suboluit quidem & hoc tibi prius, rectéq; quid opus eſſet coniecisti. Sed ubinam figendus eſſet clauus, præ ſuum perturbatione, non bene iudicaſti. Amor quippe ſolus eſt, qui impetus hoſce remorari, perturbationes frenare, agitatus mentis & fluctus ſedare poteſt. Sed non erat in re fluxa, uana, tumultuaria, lubrica ponendus, & quæ mentem æque & corpus laxaret ſimul & emolliret: ſed erigenda acies ad ſublimes illas ultramundanas mentes, ſemper ſui ſimiles, nulli inuidentes, nullius indigas, ſemper felices: in has ueluti propriæ naturæ maxime conformes, mens ipſa, modo corporea mole non grauetur, ſuapte ſponte facile conſcendit, atq; in ſeipſa mortua, in illis feliciſſime uiuit. Hæc eſt illa deſideratiſſima & feliciſſima mors, cuius meditationem ueram eſſe philoſophiã Plato definit. Per hanc, quaſi per ſcalam Iacob, de uirtute ad uirtutem conſcendimus, donec Deus deorũ in Sion, id eſt, in altiſſima ſpecula uideatur. Ad quam ubi mens ſe ſupra ſe attollens, peruenerit, uoluptates, diuitias, honores, ut uiliſſima ſtercora reputabit. Nec arduũ eſſe putes hunc conſcenſum: munda à terreſtribus ſordibus pedes, & alas cõtemplationis coapta, ſtatim erunt pedes tui tanquam ceruorũ, & alarum remigio uolabis potius quàm ambulabis. Quid cũctaris? quid hæres? Si amandum aliquid eſt, id amãdum certe eſt quod ſimillimum, quod pulcherrimũ, quod liberaliſſimũ, quod optimum, quod ſapientiſſimũ, quod præuenit & inuitat, quod optima quæq; dedit, meliora promittit, nec quenquã aut fallit, aut uult, aut poteſt fallere, nunquã deſpicit, nunquã faſtidit, quod nullus unquam nobis inuitis auferet, cui ubi unita mens fuerit, nihil formidabit. Irruãt homines, ſæuiant feræ, cœlum minetur, inſultent tenebrarũ poteſtates, ſcuto circũdabit te ueritas eius, non timebis à timore nocturno, ſed dices Domino: θεός μου εἶ σὺ, καὶ ἐξομολογήσομαί σοι. θεός μου εἶ σὺ, καὶ ὑψώσω σε. Hæc eſt methodus, hic eſt ſcopus, hæc ſtella & portus, ad quæ ſi intenderis, imperabit mari & uentis, & mox fiet tranquillitas magna.

Aeger animo ægrotus corpore dicitur.

Mortis meditatio uera philoſophia.

Humana tamen remedia, & quæ Deus ipſe de terra creauit, non ſunt negligenda: inter quæ id mihi præcipuũ uidetur, ut uena quæ annularẽ minimumq; digitũ interiacet, ſecetur, ſanguinisq; ſex unciæ hauriãtur: fiatq; propotiſma ad hũc modũ: Accipe ſenæ ac polypodij uncias ſingulas, agarici, rhei barbarici, utrobiq; drachmã mediã: abſinthij, cicorijq; ſingulos manipulos: bulliãt omnia hæc in libra aquæ, donec tertia pars excoquatur, & quod remanet in tres partes diuidatur, quæ in tribus diebus, adiecta ſemper mellis roſacei uncia, bibãtur. Quarta die tres drachmæ roſacei ſacchari comedãtur, adiecta eius cõpoſitionis drachma, quam lætificantẽ uocãt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rursusq; sequenti die ad priorem potionem redeundum: de qua idem modus triduo bibendus, & quarto similiter die eadem mixtura sumenda: nec cessandum ab hoc ordine, donec quindecies potus ille assumptus fuerit. Bonis interim cibis uescendum, præcipue ouis sorbilibus, & gallinarum, uel caponum iure: uinumq; album, odoratum, mediocriter dilutum moderatè bibendum. Sequenti tempore singulo quoq; die parum aloës deglutiendum usque ad magnos æstus, in quibus loco aloës tantum singulo die seri bubuli bibendum, quantum subducere aluum possit. Vtendumq; secundo Io. Mesue compositio, quod Regium electuarium uocauit, quod tamen sit sine sandalis præparatum. Fouenda præcordia ex cremore absinthij, rutæ & aneti. Vtendum balneis aquæ dulcis, somno, quiete, lætitia, fideliū amicorum consuetudine. Peregrinationem maxime laudo, quam si ad nos feceris, Deo optimo maximo iuuante spero nos lætabundos & sanos patrios lares simul reuisuros. Vale amice suauissime, & si me uiuere uis, fac te uel uideam, uel conualuisse intelligam. Datum Budæ.

IOANNIS MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER QVINTVS.

EPIST. I. ad uirum magnificum Mathiam Phrigepanum, qui ex immodico sanguinis per sedis uenas effluxu, ad malum habitum peruenerat.

SI NOBILITAS (ut Aristoteli placet) est maiorum claritas: isq; generosus dicēdus est, qui à maiorum antiqua nobilitate non degenerat, quis dubitet te Mathia magnifice inter nobiles nobilissimū, inter generosos esse generosissimum? Ex uetustissima enim Phrigepanorū familia ortus, quæ post Troiæ excidium Phrigios penates in Italiam simul cum Aenea portauit, inter maiores tuos, & Gregorium Pontificem sanctissimū, & Thomam Aquinatem, non minus doctrina quàm uitæ puritate clarissimū, innumerosq; & toga & armis præcipuos, numeras. Quorum uestigia ita ab ineunte ætate es imitatus, ut in Vladislai Pannoniarum & Bohemiæ regis optimi curia educatus, adeò omni uirtutum genere ornatus euaseris, ut uerum te antiquæ nobilitatis hæredem omnes prædicent. Et nisi aduersa ualetudine iandiu obrutus, arma intermittere, & domi delitescere coactus fuisses, cognouissent iam portentosissimæ illæ Turcarum belluæ, quæ se Troiano è genere descēdisse iactant, te à uera Troianorum propagine ortum duxisse. Sed subripere quidem corporis uires morbi potuerunt, fortitudinem animi nequaquam, qua concitatus, illarum reparandarum gratia, longum & difficile iter aggredi non es ueritus, ut Budam regiā Pannoniarum ciuitatem peteres, ubi multos præclarissimos medicos, in hoc præsertim procerum & primatum generali cōuentu adesse existimabas, de salute tua consulturus. Quō cum deo iuuante peruenisses, quatuor statim medicos conuocasti: qui solerti & accurata indagine affectiones, quibus affligebaris discutientes, tales eas inuenerunt.

Primo enim iuxta Hippoc. decretum, faciem considerantes, eam uidimus pallore quodam ad plumbeum inclinante deturbatam, rugosam plusquam ætas exposceret: nondum enim trigesimum septimum annum attigisti: exalbidis labijs, palpebris &

bris & malis laxo quodam tumore infectis, & (ut uno uerbo dicatur) malum corporis habitum, quem Græci cachexian uocant, demonstrantem. Corpus uniuersum excarne, & lene: præcordia, quæ Græci hypochondria uocant, lenta quadam mollitie relaxata: uentriculum & intestina flatuoso spiritu plena: pulsum arteriarum mollem, uacuum, paruum, frequentem, & inæqualem: pedes œdemate laxo absq; dolore intumescebant: urina pallida & crassiuscula, cum crudo quodam sedimine uisebatur. Et hæc quidem nostris sensibus oblata sunt. Nonnulla uero per interrogationem cognouimus: ægre uidelicet te ambulare, non bene dormire, nec cibum nec potum appetere, adstrictam aluum habere, sanguinis per podicis uenas profluuio (Græci hæmorrhoidas nominant) iam quadriennio uexatum, qui prius statis temporibus, modo quoties alui excrementa emittenda essent, affligebat: prominereq; semper, & intus & extrà, uenas, & condylomata, quæ quandoque uehementes dolores in sede excitabant: inspectumq; sanguinem qui exierat, fluidum, & ad aqueum & album uergere cognouimus. Vniuersa autem hæc sub examen rationis mutuis disputationibus adducentes, in hanc tandem sententiam conspirauimus. Ex immodico uidelicet & quotidiano sanguinis fluxu, magnam imbecillitatem iecur contraxisse: uimq; propterea naturalem, cuius fons est, & origo, non solum in eo, sed & in uētriculo, ac cæteris membris multum defecisse: atq; ex his contingere, ut nō bonus sanguis gigneretur, sed incoctus & ualde pituitosus: ex ipsaq; pituita, ob aliquam uenarum iecinoris obstructionem putrescente, febriculam latentem excitari, neq; bonam concoctionem aut in uentriculo, aut in membris fieri: hinc q; & malum habitum, & decolorationem contingere, ac flatuosum spiritum in uentriculo & intestinis consistere, diminuta uidelicet caliditate: & pedes intumescere, ueluti à principibus membris magis semotos, & nocumentum prius, uel magis cæteris sentientes, & aliorum membrorum superflua recipientes. Reciprocumq; quendam ueluti circulum fieri, ex immoderata sanguinis uacuatione nata imbecillitate: sanguinem fluxibilem, & ex immodico hoc fluxu quotidie iecur imbecillius reddi. Iudicauimusq;, non aliter posse futuræ, imminentiq; aquæ intercuti occurri, & præsentia mala expugnari, nisi utrique rei pariter obuiaremus, naturalem quidem uim roborando, & sanguinis fluxum intercipiendo. Satius esse putantes, morbis qui iam aderant obsistere, quàm eos qui ex antiqui sanguinis per ora uenarum effluxus constrictione, euenire iuxta Hippocratis aphorismū poterant, formidare: præsertim cum facto facile uideretur, corpore ad pristinum robur deducto, uel cōsuetum fluxum si opus esset reuocare, uel alio ingenio formidatos ex adstrictione consueti sanguinis fluxus morbos præcauere. Roboratis itaq; per interiora exteriora q; medicamenta naturalibus membris, obstructione q; reserata, & sedi moderate adstringentibus applicitis, intra paucos dies & fluxus & febricula leuata est, & omnia ferè accidentia, præter dolores quosdam uentris, uel penitus abolita, uel magnopere mitigata, suusq; redditus membris nitor, adeò, ut non aliud superesse nobis uideatur, nisi recessurum ex hoc loco instruere, quo uictu, & quibus remedijs cauere possit, ne rursus eadem discrimina incurrat: atq; ita munire, ut periculis quæ ex retentione antiqui fluxus possent accidere, ualeat repugnare, doloresq; illos submouere, qui aliquādo solent uentrē infestare. Quod ergo ad uictus rationē attinet, eam ita instituere conandum, ut trinæ simul intentioni subseruiat.

Mali corporis habitus indicia.

Cibus itaq; sit boni succi, facilis concoctionis, non inflet, non obstruat, nec uehementer aut calefaciat, aut frigefaciat, sed deobstruendi uim quandam, & tenuandi possideat. Sicuti panis ex bono tritico, non usquequaq; à furfuris tenuioribus particulis emundatus, bene à moderato igne in furno coctus, fermenti multum, & salis modicum habens, cui uel aneſi, uel ammij, uel cymini aliquot semina cōmiscentur. Cauendus azymus, testaceus, subcineritius, qualis circa Illyrium in uestris oris

Universidad de Deusto
Biblioteca

præparari ſolet. Vinum ſit clarum, tenue, odoratum, colore uel flauum, uel ſubrubrũ, media ætate & ui: cui & abſinthij quid adieciſſe non erit inutile, ad modum huic patriæ conſuetum. Vitandum multum, antiquũ, turbidum, dulce, craſſum, acidum, aqueum, nigrum. Ceruiſia qualiſcunq; ſit, ac melicratum commune, cui lupi ſalictarij, quem lupulum uocant, flores adiecti ſunt. Aqua item ſimplex, & potus qui ex acerbis pomis, uel ceraſijs apud uos parantur, eiuſq; generis reliqui potus penitus dimittantur. Quod ſi uoluptas, uel conſuetudo, alium potũ quàm uinum aliquãdo cogit accipere, ſimplex melicratum, ex electo uidelicet melle, aquaq; uel fontis, uel pluuialt, adiectis uel aneſi, uel fœniculi ſeminibus, paratum, non erit inutile. Carnes ſint uituli, hœdi, ueruecis iuuenis, capi, gallinæ, columbi, turturũ, perdicum, phaſianorum, attagenarum, gallinarum numidicarum, quas deſerti uocant, merularum, paruarum auicularum, quæ in dumetis uerſari ſolent: ſintq; uniuerſæ iuuenum exercitio utentium, & liberorum animalium. Vitandæ agni non caſtrati, bouis, capræ, uel domeſticæ, uel ſylueſtris, ſuis, apri, cerui, leporis, ſturni, coturnicis, quam qualeam uocant. Anſeris præter alas, anatis, omniumq; auium in aquis uiuentium, longumq; collum habentium. Atque in uniuerſum omnes antiquæ, in caueis ſaginatæ, duræ, ſupra modum pingues, uel macilentæ, & uel recenter occiſi animalis, uel nimia mora iam corruptioni proximæ. Præter gallinarum ac anſerum iecora, omnia animalium uiſcera dimittantur, & pariter capita, & ſanguis. Teſticuli tamen iuuenum pullorum gallinaceorum non adhuc coëuntium, & adines, id eſt, glandoſæ carnes, & linguæ permittuntur. Probantur elixa, uel leniter in ueru aſſata. Damnantur frixa, & in clybanis, uel teſtaceis uaſculis cocta. Oua gallinarum ac phaſianorũ noua, ſorbilia, uel tremula, cum teſtis ſuis cocta, uel in aqua perfracta commendamus, reliqua in totum prohibemus. Piſciculos paruos petrinos laudamus: lucios, trottas, auratas, mullos, id eſt, triglas, gobios toleramus: reliquos piſces prohibemus, præcipue tincas, anguillas, cicos ueſtros, cunctoſq; cetodes, id eſt, magnos, omnes etiam non bonis aquis enutritos, & tenaces, maliſq; odoris exiſtentes, atq; omnia oſtrearum & cõcharum genera. Quicunq; piſces edendi ſunt, eos uel modo huius patriæ cum ſale coqui uolumus, uel more Gallico in albo iure, quod ex anetho, porris, oleo & ſale præparatur, uel ſpeciebus aromaticis inferius deſcribendis condiri iubemus. Cammarorum uſum ob difficultatẽ concoctionis, craſſumq; nutrimentum, non probamus: & ſimiliter cancrorum. Caſeum ſiccum, qualiſcunq; ſit, interdicimus: recentem ante cibum alium toleramus: quæcunq; tamen ex utroq; parari pulmenta conſueuere, uituperamus. Iuſcula pulmenta ue confici poſſunt ex recentibus ouis, pane contrito uel mollito, amygdalarum ſucco, atriplicibus & communibus & ſpinaceis, bugloſſo hortulano, quam boraginem uocant, & ſylueſtri, anetho, fœniculo, hortulanoq; apio uocato petroſelino, commixtis, addita etiam mentha. Item farre & hordeo optime coctis, anetho adiecto, atque uuis acerbis, prunis, & paſſulis. Braſſicarum ius & cicerum, corporibus ipſis abiectis non reprobamus, bullire tamen cum ciceribus mẽtham uolumus. Poteſt & Galeni modo, ex hordeo quidem pauco, & lente multa, bonum edulium parari, fatureia addita, & puleio. Cucurbitam cum origano non improbamus, nec porcellorum pedes cum ptiſana. Oleum oliuarum, uel amygdalarũ laudamus: reliqua olea, ſimul cum butyro prohibemus: id ſemper cauendo, ne res multum pingues edantur. Ex amygdalis contritis, ſaccharo, omphacio & aqua roſacea intinctus confici poteſt, palato gratus & ſanitati non inutilis. Simile quid poteſt fieri ex petroſelini, fœniculi, ſerpylliq; foliis contuſis, & aceto melleq; diſſolutis.

Ex oleribus petroſelinum, anethum, fœniculum, bugloſſum, mentham, aſparagos, intybum tam domeſticum quàm ſylueſtre, medicinæ potius quàm cibi ratione concedimus. Lactucas, maluas, blitum, atriplicem, portulacam, & acidum lapathum,

thum, quod acetoſam uocant, toleramus: ita tamen ut frigida ſemper calidis temperentur: reliqua prohibemus. Acetum quo cibaria condienda ſunt, roſaceum eſſe uolumus, paſſulasq; ſemper ſecum habere. Capparorum uſum cõmendamus, maxime ſi oxymelite condiantur. Species aromaticas tales eſſe uolumus: Cinamomi, cardamomi, maceris, quem florem muſcatum uos, alij macem uocant, ana partes quatuor: piperis, croci, ana partem unam: quibus ſaccharũ addatur ad omnium pondus. Inter fructus laudem in hoc caſu merentur amygdalæ, pineoli, piſtacia, auellanæ, paſſulæ, caricæ, præſertim cum amygdalis cometiæ. Ficus recentes penè innocuæ ſunt: uuæ aliquandiu in ſole ſuſpenſæ ferè & ipſæ culpa uacant. Ceraſia acida, pira, mâla roſea & paradyſa aſſa, & melopepones bene odoratos indulgemus, modo reliqui fructus dimittantur. Perſica ſi qua ſumenda ſunt, uel mâla armenica, ea uolumus omnem alium cibum præcedere, ordinemq; ſemper hunc ſeruari, ut res peioris ſucci melioribus, & quæ citò deſcendunt, his quæ tardius, præponantur. Ex his quæ ſaccharo operta, luxus potius quâm neceſſitatis gratia in ſecunda menſa ſumuntur, conueniunt amygdalæ, grana pini, aneſi, piſtacia. Ex conditis cum melle aut ſaccharo, citri, & citrij, id eſt, narãtij cortices, zingiber (modo omnis acrimonia ab eo ſit ablata) myrobalanus chebula, eryngion, & eius herbæ radix quam ſecacul Arabes, Itali fraxinellam, uel geniculatam uocant, & Dioſcorides, ut ego quidem puto, polygonaton. Cydonia quoque, & pira modicè poſt alios cibos deguſtata, non uſquequaque interdicimus.

Sed cum de cibis iam ſatis dictum ſit, tempus eſt ut ad reliqua tranſeamus. Et primo de aëre loquemur, qui ut ſemper nos ambit, ita eligi pro arbitrio nõ poteſt: eſtq; Galeno teſte aliquando auxilium, aliquãdo cauſa, morbum uel faciens, uel fouens. Auxilium quidem in caſu noſtro erit, cum modice calidus & ſiccus fuerit, puruſq; & clarus, ac tranquillus, uel dulcis, Fauonij aura modice exagitatus. Morbum præcipue fouebit, quando ualde frigidus uel humidus, & Auſtro uel Aquilone commotus, uel nimio calore uires diſſoluens: quibus temporibus domo contineri ſatius erit, & ſi neceſſitas aliqua exire coëgerit, capite & reliquo corpore bene ueſtibus munito (etiam ſi neceſſarium non uideatur) erit exeundum. Habitatio quoque eligenda, & his rebus ſternenda ac ſuffienda, quæ inſtanti obuient tempeſtati. Cibóq; ac potu, motu & quiete, ac rebus alijs utendum, quæ nocuæ tempeſtati aduerſentur, ut uidelicet calori, frigidioribus cibis reſiſtamus, frigori calidioribus. Temperato exercitio ante prandium utendum, frictioneq; & unctione ex chamæmelino oleo, quod cum bono uino albo prius bullierit. Poſt cibum omnis motus uitandus. Equitatio & aurigatio inimica ſunt. Quæ ſi euitare omnino non licebit, ſaltem erit uel equus eligendus qui molliter gradiatur, uel currus qui minime concutiat.

Somnus ita moderandus, ut octo horarum ſpatium non excedat, & quantum fieri poteſt, meridianus fugiendus. Concubitus ita intermittendus, ut uigorem potius & alacritatem, & meliorem ſpirationem poſt ſe relinquat, quàm ſegnitiem, triſtitiam, uel diſſolutionem. Procurandum ut quotidie uenter eat: quod ſi natura per ſe non fecerit, balano, uel clyſmate irritetur. Omnes animi immodici affectus, ſed triſtitia potiſſimũ & ira fugiendi. Quanquam hac uictus ratione iam cœptam bonam ualetudinem & conſeruari, & augeri ſperamus, & formidata mala caueri: non ſuperfluam tamen operam facturi uidemur, ſi & auxilia quædam addiderimus, quibus priſtinus uigor melius inſtaurari ualeat, antiquæ paſſiones præcaueri, & nouis ne adueniant, cautela adhibeatur. Et quoniam omnia (ut ſuperius diximus) ex ſuperflua ſanguinis uacuatione originẽ traxere, prouidendum omni ingenio, ne ea de cætero contingat. Quod certe fiet, ſi ſanguis neque copia, neq; mala qualitate à mediocritate recedat: omniſq; cauſa uitetur, quæ referare illas uenas poteſt, per quas fundi aliquando conſueuerat: ea aſciſcantur, quæ aliò ipſum diſtra

Universidad de Deusto
Biblioteca

hant. Sanguis non supra modum crescet, nisi escæ supra modum ingerãtur. Summe igitur, præter reliqua quæ antea diximus, cauenda est crapula, & cibi ac uini copia: sed iuxta Auicennæ decretum, à mensa semper est cum fame recedendum.

A mensa cum fame discedendum.

Qualitas præter correctionem præincipientium causarum, de qua in prima parte abunde dictum est, à uentriculo & iecore pendet: quæ recte sua absoluent officia, si mala careant temperatura, robustaq; sint. Licet autem omnis mala temperatura, Galeno teste, propriam membri operationem intercipiat, frigida tamen & humida magis nobis timenda est, ut à qua pendere uniuersa mala præterita demonstrauimus. Hæc igitur quoniam non in totum ablata est, funditus auelli debet, & procurandum ne rursus inuadat. Eritq; nostra operatio, partim ad præseruatiuam, partim ad curatiuam medicinæ partem pertinens: ita tamen ut præseruatiua maiorem sibi in hoc negocio portionem uendicet: siquidem ablatio materiæ frigidæ & humidæ, quæ malam temperaturam facit, ad præseruationem, iuxta Galeni doctrinam, pertinet. A cuius materiæ amotione est inchoandum, ut ab eo incipiat medicina, pertinet. A cuius materiæ amotione est inchoandum, ut ab eo incipiat medici operatio, in quod definit resolutio. Purganda igitur pituita, quæ non solum in iecore & uentriculo, sed in toto corpore redundat: talibusq; purganda, quæ ex proportione uiribus respondeant, roburq; potius, quàm imbecillitatem in iecore & uentriculo relinquant: qualia sunt agaricum, aloë, rheon, seu quod barbaricum, seu quod ponticum, & myrobalanus quam chebulam dicunt: ex quibus uel catapotia, uel pulueres, uel mixturæ confici possunt, additis etiam quibusdam quæ robur membris indant. Ac ut ad particularia iam descendamus, conducere arbitror, semel in hebdomada unam, duas, uel tres ex his pilulis per horam ante cibum sumere, quas ex tribus cum rheubarbaro nominãt, uel ex his quas mastichinas, uel quas elephanginas, uel quas communes, uel quas è simplici aloë elota parant. Si pulueres magis placent, eius quem medicamen de turbit uocãt, drachmam hausisse non erit inutile: cui uel chebulæ myrobalani, uel rhei semiscrupulus addatur. Si mixturæ, catholici semuncia, uel diaprunon absque diagridio tantundem, uel διαφοινίκων tres drachmæ deglutiãtur. Si uniuersa hæc fastidio essent, polypodij semuncia cum cinamomi drachma semitrita in iure gallinacei pulli ebulliant: hisq; proiectis sacchari semuncia iuri addatur: quod in principio mensæ sorbeatur. Maximo æstu infestante, omnibus alijs prætermissis, semuncia medullæ illius siliquæ, quæ cassia uulgò dicitur, uel cum iure, uel cum cicorij aqua bibatur, uel per seipsam deglutiatur. Cæteris diebus, quando uidelicet nihil horum accipitur, uel zingiberis conditi frustum, uel myrobalanus una chebula similiter condita, ieiuno stomacho recipiatur: sed id frigoribus, hæc caloribus, medijs temporibus utraq; commisceantur.

Pituitam commode purgãtia medicamenta.

Exterius tota regio ab ore stomachi ad umbilicum, alterutro sequentiũ unguentorum calido, ante sumptum cibum foueatur: hyeme quidem ex oleorum absinthitis & mastichini uncijs singulis: aceti rosacei & uini Cretẽsis drachmis binis. hæc unà tantisper bulliant, donec acetum & uinum deficiant: deinde adiecta drachma cinamomi, garyophilorumq;, & exigua cæra. Sic unguentum molle paretur in hyemis usum. Aestate uero accipe olei rosacei omphacini sescunciam, absinthitis semunciam, aceti & aquæ rosaceæ drachmas binas, quæ simul ad aceti & aquæ consumptionem, adiecto tandem sandalorum citri, & maceros, id est, macis (flores moscatos dicunt) drachmæ pondere. Hæc quidem satis sint ad uetandum ne malus sanguis rursus aggregetur.

Præter ea autem uitanda quæcunque trahere ad inferiora sanguinem possunt, sequenda quæ in aliam partem euocant. Exercendæ igitur superiores potius quàm inferiores corporis partes, id quod multis modis fieri potest, uel pilam alternatim de manu ad manum pellendo, uel si telum sedendo iaculetur, uel manus inuicem percutiantur, uel aliquid trahatur, uel alio quocunq; modo, inferioribus membris quiescentibus sola superiora moueantur. Frictio quoq; superiorum satis aspera facienda, inferiorum uel nulla, uel mollissima.

Roborandi etiam loci gratia, utile uidetur, ut uino acerbo tepido in quo rosæ bullierint, sæpe lauetur, uel cum spongia eo madefacta foueatur. Non tamen hoc quotidie faciendum, ne in totum materia inde pellatur. In uotis enim nobis esset, ut semel singulo mense, uel ad summum bis, sanguis moderate erumperet. Sic enim securi utraque ex parte maneremus, & ab his qui nunc eum uexarunt affectibus, & ab his quos Hippocrates his minatur, quibus antiquæ hæmorrhoides sanãtur. Ad quos tamen auertendos, purgationes, de quibus paulò ante diximus, conducent, sanguinisq; (si augeri uisus fuerit) per cucurbitulas natibus admotas, uel per nares uacuatio: & si pristinum robur rediret, etiam uenæ iecorariæ sectio ad hoc conduceret. At si fortè nimia sanguinis copia, sicuti anteactis tẽporibus erumperet, cucurbitulæ utriq; hypochondrio absq; sectione apponẽdæ, uinoq; superius scripto, quo sedem foueri iussimus, rosæ semina, castaneæ cortices, glandes, folia quercus, gallæ, malorum punicorum cortices, & caduci flores addenda: & magna imminente necessitate, ferri ærugo, alumen, hyoscyamus, album papauer, & demum si opus fuerit, & nigrum. Ex quibus etiam & pulueres, & unguenta, & balani, & licinia parari possunt, ad eundem usum accommodanda. Speramus tamen his quæ scripta sunt rite seruatis, ad hæc uenire non fore necessarium: sed M. T. incolumem permansuram, annuente omnium bonorum opifice Deo, cui sit honor, gloria, & imperium. Amen. IX. Maij, M. D. XVI. Budæ.

EPIST. II. ad reuerendissimum D. Gillinum Comaclensem Episcopum. De usu Ptisanæ, pro regionum uarietate magis aut minus commodo.

INualuisse ais, postquam à patria absum, apud medicos qui celebriores habẽtur consuetudinem, ut in omnibus ferè morbis hordeo nutriant ægrotantes, uel ptisanam, uel aquam ex eo parari iubentes, uel iuscula eius farina concinnari. Quam rem cum neq; hic, neque in patria à me obseruari uideris, non ab re & admiraris, & causam cur non eos sequar, inquiris, uel Hippocratem potius, tantum huic hordeo (ut ipsi dicunt) deferentem, ut ptisanam ex eo factam cæteris cibarijs ægrotantium prætulerit. Audi igitur Pater reuerendissime, & rationes meas, illoq; tuo acri iudicio quo in dirimendis litibus uti, nondum sacris initiatus solebas, diligenter utranque sententiam examina. Habeo & ego, non uno tantum loco, sed pluribus, Hippocratem, quem illis opponam. Primo argumentum capiam ex consuetudine: cuius magnam esse uim in ratione uictus bene instituenda, in primo aphorismorum libro bis nos monuit, plurimumq; omnibus in rebus posse, secundo eorundem Aphorismorum libro demonstrauit, tanti eam esse dicens, ut quæ longo tempore consueta sunt, licet sint deteriora, minus lædere perhibeantur insuetis. Quem locum enarrans Galenus, consuetudinem æquasse naturæ uidetur, cibos & potus consuetos naturam dicens facere aduentitiam. Quod etiam peculiari tractatu de assuetudinibus inscripto, uberius demonstrauit. Cui concordat uulgatum illud Aristotelis dictum, Consuetudo est altera natura. Sed & in eodem ipso libro, in quo ptisana tantopere laudatur, hoc est, in eo cuius titulus, de ratione uictus morborum acutorum, hoc argumento utitur Hippocrates: Si in sanorum uictu consuetudo seruanda est, quanto magis in ægrotantibus. Innuens (quemadmodum exponit Galenus) ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

consuetudinis mutatione, ægros plus lædi quàm sanos: & eos adhuc plus qui acutas patiuntur ægritudines. Et propterea subdit idem Hippocrates, malam cibi & potus uictus rationem, modo familiaris sit & assueta, tutiorem esse, quàm si derepente in aliam meliorem fiat transmutatio. Huic autem uniuersali dicto si addamus, ptisanam antiquis hominibus sequunda ualetudine perfruentibus fuisse in consuetudine, non esse his temporibus, præsertim in patria nostra: statim constabit, & ea bene Hippocratem usum fuisse, & non male agere eos qui nunc respuũt. Quorum dictorum alterum per se est manifestum: tantum enim abest ut ea sani nunc utantur, ut nec etiam inueniatur qui recte parare sciat, ut inferius ostendemus. Vsos uero antiquos, ut Galenum & Dioscoridem taceam, liquet ex Celso, eam inter cibos sanorum reponente: nec secus ex Plinio, alicæ comparante, & antiquiorem, licet non sine errore (ut aliàs scripsimus) existimante. Constat igitur, ptisanam non ab re tanquam nostro æuo insuetam, ab Italis medicis fuisse uel penitus prætermissam, uel rarò admodum admissam. Quod non modo ob seruandam consuetudinem, sed ob eius etiam insuauitatem feciſse uideri possunt: esse enim hoc tempore insuauem, manifestum est: sicuti & contrà, alia quæ in usu eius loco nunc sunt, ægris minus displicere. Scripsit autem idem Hippocrates in secundo libro Aphorismorum: Paulò deterior quidem potus & cibus, uerum suauior, melioribus, sed minus suauibus præponẽdus. Et libro septimo Epidemiarum, gratificandum ægrotantibus monet, in purgationibus, cibis, potibus. In his quoque quæ uident, aut tangunt, cæterisq;, modo non multum noceant. Nec hoc ad gratiam solum fieri ægroti docet Galenus, sed ueluti eius utilitati consulendo, quia quæ cum uoluptate suscipiuntur, uentriculus amplexari consueuerit, & facilius concoquere: atque econtrario quæ displicent, refugere, ceu nauseas, inflationes, & fluctuationes inferentia: indeque fieri magna ex parte ut cibus qui erat paulò deterior, non talis maneat, sed interdum melior euadat. Ex quibus Hippocratis & Galeni dictis aperte colligitur, non male agere recentiores medicos: nec adulatores esse, uel deceptores putandos, qui non omnes eundem morbum patientes, ptisana, uel eisdem semper cibarijs nutriunt: sed in his deligendis, calculum quoque ægroti exposcunt, ei inquantum ualent, sine tamen damno complacituri. Nec illi quoq; explodendi, qui uarias interdum escas (modo non ualde inuicem dissideant) sumere eos patiuntur, fastidij uidelicet uitandi gratia, atq; ut quod ex singulis non possunt, id ex pluribus consequantur, uirium uidelicet quantum necesse est, conseruationem usque ad consistendi uigorem. Nec Galenus, si uerba eius recte pensentur, simpliciter uarietatem ciborum damnat, sed eorum præcipue qui contrariarum inter se sunt uirium. Et quamuis primo libro artis curatiuæ, & primo de ratione uictus morborum acutorum, eos medicos taxare uideatur, qui adulando ægrotantibus uoluptuosissimum uictum indulgent: ipsum tamen aliquando & rigorem remisisse, & remittendum docuisse animaduertimus. In expositione enim primi libri de uictu morborum acutorum, his qui ptisanam abhorrent, petreos pisces exhibet: & (quod magis recentiores mirentur) porro, anetho, salibus, & oleo conditos. Et in cura tertianæ febris primo libro artis curatiuæ ad Glauconem, his qui delicati sunt, & oua, & carnes, & fructus concedit: quum minus delicatos, succo ptisanæ tantummodo nutriat. Cuius facti ratione reddens Paulus bonus Galeni æmulator, mutatum esse cibandi modum ait, quoniam antiqui & minus comedebant, & magis exercebantur. Quæ res si uictus rationem immutare Galeni & Pauli tempore potuerunt, quanto magis nostro tempore, in quo uix unum reperias, qui congruo utatur exercitio, multos qui se malis cibis quotidie infarciant. Adde quod cœli etiam ratio non patitur, uel Celso autore, ut tanta inedia Europæ incolæ, quanta Asiatici affligantur. Ex quibus liquet, quando non minus tortoris nomen,

Ptisana nostro æuo insueta.

Ciborum uarietas non simpliciter damnanda.

men, quàm adulatoris fugere medicum decet, propterea insuetis, & quibus displiceat, sub cœlo præsertim nostro, qui non dant ptisanam, ipsomet Hippocrate iudice non esse damnandos: qui neque omnibus in morbis ea utendum præcepit: siquidem in libro ubi tot laudes ptisanæ scribuntur, non omnium morborum, sed acutorum tantum uictus rationem edocuit. Nam ubi ptisanæ sermonem aggreditur, inquit: Ptisana potius utendum in acutis morbis, quàm reliquis frumẽtaceis. Quod & ex ipso libri titulo licet agnoscere: De uictu enim acutorum morborum inscribitur. Acutæ autẽ ægritudines (ut ait Hippocrates) in quatuordecim diebus finiuntur: rarò autem temporibus & regionibus nostris ægritudines inuenias, quæ non ultra quartumdecimum protendantur. Sed neque omnibus acutis congruit: quia non morbis siccis, utpote maiorem humectationem desiderantibus, quemadmodum testatur Galenus in libro suo quem de ptisana inscripsit. Qui tamen morbi sicci & multi sunt, & frequenter contingunt: sicuti Pleuritis, & Peripneumonia, & in totum thoracis morbi, in quibus nihil expuitur: iecoris, uentriculi, & intestinorum inflammatio, in qua uel nihil, uel tantum dura & pauca excernuntur: capitis affectus, in quibus per palatum & nares nihil expurgatur: inflammationes quoque & ulcera & id genus reliqua, sanie pure ue non manantia, inter siccos morbos computantur: & in uniuersum omnes morbi, in quibus lingua admodum arida, & exterior cutis retorrida uidetur. In his omnibus, uel nequaquam, ut Galenus in libro suo de ptisana, uel non sola est danda, ut Hippocrates ipse primo libro de uictu morborum acutorum, testatus est. Non omnibus etiam acutis, & non siccis ægritudinibus adflictis, etiam consuetis ea cum uoluptate uti, ptisana est exhibenda: quoniam non his in quorum uentriculis acescit, uel qui ea gustata statim nauseabundi fiunt, ut libro septimo artis curatiuæ docuit Galenus, & iterum primo libro artis curatiuæ ad Glauconem: ubi & panem ex aqua commendauit, & accurate eius uerba perscrutantibus, arbitrandum medico reliquit, quis cibus in continuis & acutis febribus exhibendus. ait enim: Et panis ex aqua, & quæcunque alia eandem & similem uim habent. Vnde cognosci potest, eos non magnopere à Galeni uictu recedere, qui uel pane ex seminis peponum succo, quem Oribasius ad Iulianum inter febricitantium cibos connumerat, uel lactucis, uel atriplicibus communibus, aut his quas spinaceas uocant, uel pulliculi gallinacei iure, cum omphacio aut lactucis condito, uel etiam ipsius carnis portiuncula eodem iure liquefacta, in acutis morbis utuntur. Magnaq; ex parte morbos contingere, in quibus aliud potius cibi genus, quàm ptisanæ sit eligendum. Verum & quibus danda maxime esset, uix hoc tempore dari potest: quandoquidem nec hordeum habemus ad eam conficiendam idoneum, nec coquos qui parare recte nouerint. De hoc enim & ipse Galenus conqueritur, cuius tamen temporibus, in nobilium quoque cœnas ueniebat: quanto minus nostri scient, qui & nomen ipsum ignorant, paucósque inuenias medicos qui eos docere sciant.

Ptisanam à recentioribus non rite parari.

Ego, ut uerum ingenue fatear, licet non semel legerim, cum in his libris qui passim habentur, tum in tractatu peculiari à Galeno de ea ædito, qui nondum (quod sciam) per alium quàm per me ad Latinos uenit, modum quo conficienda est: nunquam tamen potui tantum docendo laborare, ut recte paratam uidere potuerim, & in qua hordei discreta inuicem grana, contra Hippocratis præscriptum, masticationem non desiderarent. Quod non solum ignoratione artificum, sed & malignitate hordei euenire credendum est.

Apud nos enim non ad hominum, sed ad brutorum potius animalium escam hordea seminantur. Vnde fit, ut non seligantur magnopere grana ad sementem, incuriosius uero ager uel terrenum & eligatur & præparetur, natúmque à

Universidad de Deusto
Biblioteca

malis herbis non emundetur, nec in area satis custodiatur, nec in horreo bene conseruetur, atq; ut sequens est, à boni hordei conditionibus longe ablit. Quod etiam antequam coquatur cognosci potest. Videmus enim eius grana sordida, rara, leuia, rugosa, exigua, uel si magna quædam reperiantur, laxa esse & mollia, & superfluo humida, à multisq; dum franguntur puluisculus quidam instar calcis euolat, & fuscedo quædam potius quàm albedo intrinsecus apparet, tetri odoris, saporéque quando cocta fuerit, iniucundo. Quantum uero ptisanæ deest suauitatis, tantum & bonitatis. Sed experientia quoque nos bono hordeo carere ostendit, quando & serò, & uix aqua madefactum in tumorem attollitur, neque unquam totum in succum conuertitur. Vnde fit, ut ptisana ex eo parata laudes Hippocratis amittat, & meritò: quoniam insuauis, mastication egens, non lubrica, durior, & propterea concoctu non facilis, inflansq;, ex hordei malignitate & coquorum ignorantia fit. Sed esto bonus coquus, bonum & hordeum, tanto tamen tempore eget si bene coqui debet, ut cibandi hora, quæ præceps præsertim in acutis est, antè plerunque transeat, quàm parata sit. Si igitur insueta, inuoluptuosaque ptisana nostro seculo & regione est: si morbi magna ex parte nunc contingunt, quibus nec iudicio Hippocratis esset danda: si bonum hordeum non habemus, nec coquos qui parare nouerint: & si habemus, tempus eam pro ægrotis parandi plerunque desit: relinquitur eos potius errare, qui plerunq;, quàm qui nunquam eam ægrotis apud nos quidem hodie dant, cum suppetant alij cibi facile parabiles, nec adeò inuoluptuosi, qui plus & minus nutrire ualent quàm ptisana & eius succus: quales & apud Oribasium loco superius citato leguntur, & uulgò in usu sunt. Siquidem olera, Auicenna teste, minus nutriunt: panis plus, secundum Hippocratem & Galenum. Sunt & nonnulli fructus qui ægrotantibus dari possunt, & pulliculorum iura, & auicularum, quæ plus minus ue apta ad nutriendum fieri possunt, addita etiam aliquãdo contusa carne. Nec uerendum quod nimis nutriat: quia quod contusum uocamus, ut aliàs probaui, parari aliquo modo potest, ut minus nutriat quàm ptisana. Nec abhorret hic cibus à Galeni in libro ad Glauconem doctrina: quando & ipse porcellorum carnes liquefactas tertianarijs concedit. Vt uero ptisanæ usus aliquando probari possit, & medici qui ea utantur clypeo se Hippocratis & Galeni tueri ualeant, certe qui iuscula ex farina eius ad eundem usum parant, nullam excusationem merentur: quum scribat Galenus lib. de rebus boni & mali succi, & libro de attenuãte uictus ratione, farinam hordei superfluicam esse & inflatiuam. Libro quoque primo de escis, coquos Romanos uitupe-
De aqua hordei. ret, hordeum in mortario conterentes, ex quo erant ptisanam paraturi. De aqua demum hordei, uideant qui Auicennam colunt, quo modo ea utantur: scribente illo lib. 2. capite de hordeo, eam esse malam stomacho, & inflatiuam: nec putent se eiusdem autoritate tueri, eodem capite, & 4. etiam lib. eam commendantis. Sciant enim in eius libro plerunq; pro succo aquam legi, sicuti capite de cibo febricitantiũ, » ubi dicit: Si timueris debilitatem, sis cõtentus aqua hordei. Nemo enim nescit, communem aquam hordei reparare uires debiles pluſquam lulebum non posse. Boni etiam, nec corrupti ob dogmatis amorẽ, iudicij homo, facile cognoscere potest uerba illa Auicennæ sumpta esse ex Galeno, in expositione quarti Aphorismi primi li- » bri dicente: In quibus non ultra hebdomaden morbus protrahendus est, solum » sufficit melicraton. Quod si non satis fidimus robori, ptisanæ utemur succo. Vbi & aduertere licet, pro melicrato ab Auicenna lulebum scribi: alioqui nulla apud Galenum lulebi mentio, sicuti neque alterius cuiusquam similis potionis cum saccharo concinnatæ. Aliquando etiam apud Auicennam aqua hordei pro ptisana legitur: sicuti ubi conficere eam docet duplici modo, & ubi non esse dandam aquam hordei iubet quando aluus adstricta est. Quod etiam cognouit Ioannes cognomento

mento Mesue, dicens antiquos consueuisse uocare aquam hordei ptisanam. Apud uere tamen antiquos, nomen aquæ hordei rarò leges. Me legisse memini quarto de uictu morborum acutorum, ubi scribitur: Si siticulosi ualde fuerint, aquæ hordei quid bibant. Quæ uerba enarrans Galenus, ait: Melius erat docere quo pacto esset conficiẽda, per solam ne uidelicet madefactionem, an ueluti nunc zython facientes. Dicerem ego quoque Galeno, si liceret, consultius eum egisse, si modum quo esset paranda docuisset, quod nullibi (quod sciam) fecit: sed de zytho propriũ faciens caput lib. 6. medicamẽtorum simplicium, quod in uulgatis codicibus deest, eum tantummodo uituperat, sicut & Dioscorides: non tamen aut ille, aut hic docet quo pacto parandus sit, sicuti nec Auicenna cap. de foca, ubi de hisce potibus loqui uidetur. Libro autem primo, quod Paulus zython, ipse aquã hordei uocauit, ubi scilicet docet lac prouocare cum terrestribus uermibus. Neque hoc dixerim quasi communem hordei aquam explosurus, ut qua etiam ego & sedandæ sitis gratia frigida, & prouocando uomitu tepida, & extrahendo sudori calida, uti consueuerim: sed ut his qui medicinæ autores pro dijs habent, locum monstrarem. Alioqui licet & ratio & antiquorũ autoritas, reprobare eos potus uideantur, qui ex granis constant, ceu aspectu, odore, gustu etiam insuetis, quod & mihi contigit, horribiles: experientia tamen docet, septentrionales homines, qui nihil ferè aliud hibunt quàm ceruisiã, & pulcherrimos esse, & saluberrimos, & robustissimos. Sed de hac re fortè aliàs: satis enim nunc sit ostendisse medicos, qui ptisana, farina, & aqua hordei in nostra regione non utuntur, non sine ratione id facere. Vale Præsul eminentissime. Ex Buda, 27. Iulij. M. D. XVIII.

EPIST. III. ad magnificum D. Alexium Turzum. Præseruatio & curatio Pestilentiæ ex Galeno, libro primo de differen. febr. & procœmio libri de euchy. & cacochy. & libro secundo de natura humana &c.

QVanquam multos scio fuisse, qui de Pestilentiæ præseruatione & cura, prolixa cõmentaria cõscripsere: difficileq; esse ea inuenire, quæ alij non scripserint: superfluum repetere quæ sunt abunde ab alijs pertractata: tamen ut morem geram Magnificentiæ tuæ, cui me plurimum debere sentio, calamo manum admoui: enitarq;, si non rerum nouitate, facilitate tamen, breuitate, & ordine, tuo desiderio satisfacere. Addens nonnulla à me ex antiquorũ lectione obseruata, atque usu comprobata, quæ apud scriptores recentiores, qui de eodem argumento meminerunt, fortè non inueniuntur. Sed omissis uerbis, rectà rem ipsam aggrediamur, à præseruatione ceu nobiliore & magis necessaria parte sumentes exordium.

Præseruatio ergo in duobus præcipue consistit, in reddendo corpus aptum ad repugnandum, & agens debile ad imprimendum. Horum prius perficietur corporis mundificatione & roboratione. Mundum & purum corpus redditur, si quæ adsunt superflua uacuentur, cautioq; adhibeatur, ne in futurum similia generentur. Vacuantur superflua uarijs auxilijs, ut sanguinis missione, medicamentis tam per uentrem, quàm per urinam purgantibus: exercitio, sudore, inedia, necnon ea quæ obtutum effugit difflatione.

Phlebotomia ex media uena dextri cubiti facienda est, his quidẽ qui assueti sunt, toties quoties consueuere: his qui non assueuere, antequam ad loca infecta deueniant, uel si in locis infectis suspectis ue agant, quamprimũ possibile fuerit. Nec est

Universidad de Deusto
Biblioteca

multus sanguis auferendus, sed iuxta temperaturam, uires, copiam, & consuetudinem. hoc semper considerantes, ut si necessitas ingruerit, possit opportune morbo iam incipiente iterum extrahi. M. T. sufficere sex uncias puto. Sunt qui singula una scindere uenam iubent, & parum sanguinis auferre. Quod ego in his qui multi sanguinis sunt, & frequenti missioni assueti, in hisce præsertim regionibus, non uitupero. Sanguinis missione facta, triduo mane uncia una semis oxymelitis, cum tribus uncijs aquæ, in qua betonica herba cocta sit, bibenda est, si hyems fuerit: si æstas, pro oxymelite acidus potus, qui acetosus syrupus uocatur: pro betonica, cicorium accipiatur. Quarto die purgandi illi humores leui medicamento sunt, qui redundare magis in corpore uidentur. Conuenire ego hasce pilulas M. T. puto: Aloës lotæ, agarici præparati ana scrupulum, rhei barbarici grana tredecim, scamonij præparati, quod diagridion uocant, grana tria, cum aqua betonicæ. Fiant pilulæ quinque. His uero qui ignorant, quinam humores eis abundent, drachma pilularum quæ aggregatiuæ uocantur, utilis erit. Sequenti die sumenda esset bonæ theriacæ drachma: sed quoniam nec reperitur, nec reperiri hoc tempore bona potest, loco eius erit sequentis antidoti duplum, id est, duæ drachmæ sumendæ: sanguinis sicci, anatis maris, anatis fœminæ, anseris, hœdi, rutæ syluestris, seminis fœniculi, cymini, aneti, buniados, id est, napi syluestris, uel si non habetur, loco eius napi uel rapi ana tres drachmas: radicis gentianæ, trifolij, schœnoantheos, uulgò squinantum uocant, thuris, rosarum siccarũ ana drachmas quatuor: piperis albi & longi, costi, phu, anesi, cinamomi ana drachmas duas: myrrhæ, nardi ana drachmas sex: benzoi, assari, ammoniaci ana drachmas tres: mari, agarici ana drachmas duas: carpobalsami grana numero uiginti: ireos, croci, rhei ac pontici, quod nuper repertũ est à Polonis, uel eius quod orientale uocant, gingiberis, masticheos ana drachmam unam: stœchados drachmas quinque. Fit tenuissimus puluisculus ex omnibus, & cum quadruplo mellis electi beneq; expumati commiscetur, & uase argenti purissimi ueluti thesaurus pretiosissimus conseruetur. Non solum enim in Pestilentia utile est, sed & uenenis uniuersis ac serpentium morsibus summe aduersatur.

Sequenti die drachmæ unius pondus ex puluere nostro cum bono uino bibatur, qui habet tormentillæ, hoc est, ut ego conijcio, radicis ueri quinquefolij, seminis citri, seminis cardui benedicti, partes æquales. Altera die comedantur duæ nuces, totidem caricæ, folia rutæ uiginti, adiecto exiguo salis. Sequenti, bolus betonicæ herbæ masticetur bene, & demum deglutiatur. Altero, puluer is hyperici drachma, cum bono uino bibatur. Alio, ex ueris pilulis Ruffi, scrupuli quatuor sumantur, quæ sic componendæ sunt: Aloës hepatici partes duas, ammoniaci electissimi partes duas, myrrhæ electæ partem unam, cum uino Cretensi, uel alio odorato. Fiant pilulæ paruæ, & cum eodem uino deglutiantur septem, & ultimo die scrupulus boni rhei barbarici masticetur, & paulatim deglutiatur. Deinde iterum ad antidotum primo descriptã recurratur, sed sat erit unicam drachmam sumpsisse, & consimili ordine seruato, unum ex his quæ superius scripta sunt, quóque die accipiatur, donec hyems perdurauerit. Caloribus iam ingruentibus, cum rosaceo saccharo, rosisq; ipsis, & aqua earum ac cicorij, cuncta erunt plus minus ue refrigeranda, secundum quod maiores minores ue æstus corpusq; requirent. Si quæ uero ex superius notatis rebus forte deesset, aliquod ex his quæ adsunt loco deficientis est accipiẽdum, ita ut non sit dies qua nihil sumatur. Proderit quoq; interdum, maxime si phlegma in superiore uentriculi parte abundare uidebitur, uomitu id expurgare, cutisq; meatus apertos reddere. Non enim eos laudo, qui cutis læ gratia aceto uniuersum corpus abluunt, sed potius iubeo, ut oleo odorato, quod de spica uocant, quarta parte boni uini adiecta, uel oleo de costo simplici, bene cuncta membra perfricentur.

Berbena est, quæ & uerbena dicitur.

Pilularũ Ruffi compositio.

Balneum

Balneum aquæ calidæ non laudo, quod & carnem nimis laxam reddit, & ad patiendum ab extrinsecis causis obnoxiam: sed frictionibus potius moderatis utendum censeo. Et hæc quidem sufficere ad corporis emundationem & robur puto. Labores enim, & omnimoda inedia, emundarent quidem, sed imbecille nimis corpus redderent: satis erit moderate exerceri, & modico cibo uti, taliq;, ut facile concoquatur, ac bonos humores generet: quam uim habent carnes perdicum, phasianorum, auicularum, gallinarum, turturum, hœdi, ueruecis, leporis, cuniculi, uituli.

Piscibus non nisi paruis & bonis utendum: nec ouis, nisi uel tremulis, uel forbilibus, & semper recenter natis. Cauendus nimius usus pinguium, & assiduitas iurulentorum. Ex herbis congruunt lactuca, cicorium, portulaca, lapathum (acetosam uocant) pampinella parua, calendula, betonica, fœniculus, anethum, bugloſſon, quam boraginem uocant, & omnes fereos species, quas scariolas, cicerbitas, endiuias nominant. Allium, quicquid alij dicant, ego in parua quantitate non uitupero: & similiter raphanum, & quam turmam uocatis, aceto uel uino, ut fieri consueuit, solutam. Fercula ex prædictis herbis parari possunt, addito etiam bono oleo, passulis & aceto: atque etiam ex hordeo, lentibus, prima abiecta aqua, & demum aceto conditis: & ciceribus: rarò tamen leguminibus hisce utendum. Ex fructibus nuces auellanæ, ficus, pistacia, amygdalæ, & præcipue amaræ, pini grana, uuæ siccæ, siue nostrates, siue orientales, quas passulas, uel zizíuas, uel sclauas uocant. Mala uel pira acida, mala punica, citra, citria quæ & narantia nuncupãtur, limones, cappares, pruna sicca non multum dulcia, cerasia acida: ex quibus etiam iuxta morem patriæ fercula parari possunt, & carnes piscesq; condiri. Vsus aceti, atq; omphacij, quod agrestam dicunt, summæ utilitatis existit, atque omnium quæ acidum habent saporem: unde curandum est, ut omnes cibi aliquo acido semper condiantur: & propterea conditura quam gelatinam nuncupant, addito aceto commendatur. Piperis contriti, & gingiberis usum, nisi in exigua ualde quantitate, non commendo: sed commixto cibaria sunt condienda, quod habet cinamomi partes quatuor: cardamomi, aneforum ana partes duas, rosarum, maceros ana partes tres, croci partem unam: quibus addi potest piperis, uel zingiberis p. s. Piperis tamen integra grana, ut fieri solet, in iure decocta, non uitupero, maxime ubi acidum quoque aliquod adijciatur. Possunt ex herbis superius descriptis, atque ex petroselino, saluia, serpyllo, satureia, contritis optime, & cum aceto, uel omphacio liquatis, embammata fieri, quæ intinctus uel sapores Itali uocant. Ex amygdalis quoque bene contritis, addito omphacio, uel aceto, & aqua rosacea, & pauco saccharo, intinctus fit utilis, & palato non insuauis. Vinum malorum punicorum, quæ granata etiam dicuntur, in simili usu commendatur. Assa modo bene cõcoquantur, utiliora sunt quàm elixa. Lac non conuenit, nisi acidum. Et hæc quidem satis sit dixisse circa cibos: nam ea quæ non concessimus, intelligenda sunt prohibita.

Quod ad potus uero attinet, eligendum est uinum clarum, album, odoratum, pauciferũ, id est, leue, quod ad acerbum potius uergat quàm ad dulce: quod etiam aqua temperandum plus minus ue est, iuxta & eius potentiam, & anni tempus.

Vinum absinthites satis laudo. Laudarem tamen magis ceſtrites, id est, ex betonica paratum. Ceruisiam non probo, neque alium potum ex granis, uel lupulorum floribus concinnatum: sed loco similium potuum uinum factum ex acerbis piris uel malis, uel hydromel cum pane asso præparatum, quod ad acidum uergat, exiguo etiam cinamomo conditum. Summe autem conferret, si cantharí in quibus uinum conseruandum, essent ex iuniperi, uel lentisci, uel fraxini ligno fabricati: & calix quo bibitur, ex auro, cui à natura quinta uel sexta argenti pars esset connata. Non paruum quoque robur corpori præbet ad resistendum, si facies & os ex bono uino, cui aqua rosacea, hyeme quidem minore, æstate

Universidad de Deusto
Biblioteca

maiore quãtitate sit commixta, mane abluatur. Naribus decoctio foliorum lauri attrahatur. Aures ex oleo de spica odorato calido intrinsecus digito inungantur. Semen citri in ore teneatur, atq; post masticationem deglutiatur. Somnus diurnus, ira, clamor, tristitia, concubitus, ut inimica sunt fugienda.

Et hæc satis dicta sint quantum ad ea quæ intrinsecus robur corpori imponunt. Nunc de his dicemus quæ exterius defendunt, & uires inimici, hoc est, pestiferi aëris, imbecilles reddunt. Horum quædam propinqua & corpus cõtingentia, quædam remota. Ex propinquis sunt uestes, quæ pulchræ, mũdæ & odoratæ esse debent, assidueq; mutari: & propterea utilissimum est, antequam quis eas induat, ut aliquo ex infrà dicendis thymiamatibus suffumigentur. Ad idem attinent saccu li, cordi, hepati, uentriculo admouendi. Et pilæ manu portandæ, atq; assidue ex manu ad manum uolutandæ, ac naribus olfaciendæ. Ad remota spectant, habitatio, quæ munda esse debet à latrina, cloacis & fœtidis locis semota, aperta ad septentrionem & occidens, ad meridiem & orientem clausa, quæ igne lignorũ odoratorum in aperto ardentium, non in fornace clausorum, etiam si æstas fuerit, debet calefieri: suffitibus, insperſionibus & odoratis herbis ac fructibus, boni odoris reddi. A qua nisi duabus post solis ortum horis, non est exeundum, nec nubilis uel nebulosis diebus, nisi urgente necessitate: semperq; tutius est, prandsum quàm ieiunum exire, & bene omnibus prædictis auxilijs munitum.

Vt uero ea quæ diximus exequi possis, subijciam pulueres duos, alterum hyemi, alterum æstati commodum. Hybernus habet, styracis, iridis, masticbes, ana partes duas, garyophilorum, maceros, nucis unguentariæ, quam moschatam uocant, cinamomi, croci, agaloci ana partem unam, ambræ partis unius quintam, moschi partis unius decimam. Aestiuus cõstat ex succini electi partibus duabus, foliorum myrti, corticum citri, florum nimphææ, rosarũ, uiolarum, croci, maceros, sandalorũ citrinorum partibus singulis: camphoræ, ambræ, benzoi p. s. moschi partis unius decima. Ex his pulueribus possunt fieri pilæ: hybernam cum styrace componendo, æstiuam cum aqua rosacea & tragacantha, addendo utriq; ladanum ad libitum. Possunt ijdem pulueres, ut sunt, uestibus insperg i: possunt & formæ ex eisdem confici ad suffumigandum aptæ, addendo etiam carbones, ut fieri communiter solet.

Ego pilam parari iubeo ex cupresso, uel aliquo ex lignis quibus cãtharos fieri suprà docui, interius concauam, quæ aperiri & claudi possit, sitq; tota foraminulenta: intra quam spongiæ nouæ fruſtum immitto, hac mixtura prius infusum: aquæ rosatæ, uini Cretici ana partem unam, aceti p. sem. & altero ex dictis pulueribus post infusionem aspergo: quæ pila manu geritur, & crebro naribus admouetur, & dum maius aliquid timetur, manu colliditur, & liquore exeunte nares linũtur. Ex hisdem quoq; pulueribus repleri potest sacculus purpureæ syndonis, quo ueluti clypeo cor muniatur.

Hepar uero, stomachus & testes hoc unguento roborari possunt: olei rosati omphacij unciæ duæ, olei de spica odoriferi uncia sem. pulueris cinamomi, garyophilorum, ana drachma sem. rosarum, sandalorum citrin. de unoquoque drachma, cum modico ceræ & aceti rosacei. fiat unguentum molle. His debito modo obseruatis, Deo optimo adiuuante, sperandum pestilentiæ uim reprimi. Quod si forte, uel exnimia cum infectis consuetudine, uel maxima aëris malignitate, contingat nocumentum aliquod persentiri, statim est ad sequentia auxilia confugiendum.

Primo alui excrementa clysteri uacuanda ex libra una iuris galli bene saliti, quatuor uitellis ouorum, & uncijs tribus mellis rosacei compositio. Dein cordi, hepati, testibus panni applicandi, crebroq; renouandi, hac mixtura madefacti: Cape partes quatuor aquæ rosaceæ, uini optimi partem unam, aceti rosati, si haberi potest, uel communis, si id non habetur, p. s. pulueris frigidi superius pro æstate descripti

partis unius decima. Post hoc si qua in parte exteriori tumor uel dolor ostenditur, ei admouenda est cucurbitula. Si nullibi quid se ostendit, post utrasque aures, sub axillis, prope inguina cucurbitulæ apponantur: quibus sic manentibus uena secetur, sanguisq; copiosus iuxta uires & alia quæ suprà diximus, fluere permittatur. Quæ autem uena secanda sit, his cognoscendum. Si tumor uel dolor in collo, uel suprà apparet, uena cephalica secanda est, quæ supra cubitum in parte exteriori inuenitur. Si à collo usque ad pudenda, uena iecoraria, quæ in interiori parte brachij sita est. Si in inguinibus, uel infrà, uena quæ est supra talum interior, quam saphenam uocant. Si suprà simul & infrà, etiam ipsa saphena secanda erit. An uero ex dextra uel ex sinistra parte incisio uenæ facienda sit, hoc modo iudicandum. Si ex una tantum parte dolor uel tumor apparet, uena ex illa parte accipiatur. Si ex utraq;, dextra potius pars eligenda. Si nullibi uel dolor uel tumor apparet, inferiores uenæ, id est, saphenæ, ex utraque parte dextra & sinistra aperiantur. Facta sanguinis uacuatione, ueræ smaragdi subtilissimè contritæ pondus granorum octo hordei, cum aqua rosata & gutta boni uini deglutiatur. Vbi smaragdus non habeatur, antidotus à nobis superius descripta, uel aliud ex septem his quæ suprà recitauimus, pari modo recipiatur. Si tumor alicubi se ostenderit, ei rursus cucurbitula applicetur, sed cum profundis satis incisionibus. Et hæc quidem primo die agenda.

Secundo die, loca tumoris sicubi apparent, decocto chamæmeli cum spongia foueantur, post quod cucurbitulæ apponantur, ipsisq; permanentibus hoc medicamentum bibatur: Tamarindorum drachmæ decem in aqua ferueant, postea exprimantur & proijciantur: & decocto addatur rhei barbarici drachma una, agarici drachma semis, & potus ille tepidus hauriatur. Vesperi puluis ex carduo, uocato benedicto, semine citri, tormentillæ, margaritis, corallis & rosis æquali quantitate, cum aqua rosacea, gutta boni uini adiecta bibatur.

Tertio die, antidoti de sanguinibus superius descriptæ drachma detur, cum æquali rosaceo saccharo, & sæpe syr. ex acetositate citri cochleari deglutiatur, uel si is non adest, acida simplex potio, uel simplex posca. Vespere duæ uel tres unciæ succi uel calendulæ, uel berbenæ, uel betonicæ bibantur: & si herbæ uirides non reperiantur, decoctio siccarum: post quem potum patiens bene tegatur, ut si fieri potest, copiose sudet.

Quarto die, tumor si adest, etiam si maturus non uideatur, phlebotomo est aperiendus: sequentibus diebus utendum eisdem auxilijs quæ suprà in præseruatione descripta sunt, rebus tamen frigidis additis plus minus ue iuxta tempus anni & magnitudinem incendij. Epithemata cordi & alijs locis, prout suprà notauimus, crebrò apponenda: oxyrhodino quoque caput crebrò est perfundendum. Domus frigidis fructibus, folijs salicis, uitis, cannis sternenda, aceto & aqua rosacea irroranda, frigidis suffitibus odoribusq; quandoq; suffienda. Cibaria sint ex carnibus superius descriptis contusis, cum rebus acidis præparata, uel ex iuribus eorum, rebus semper acidis commixtis. Oua etiam sorbilia in aqua rosata & aceto antea per horam infusa, superaddito margaritarũ puluere conueniunt, & olera frigida, præsertim acedula, portulaca, cicorium, & endiuia, necnon fructus acidi superius enumerati. Potus sit uinum tripla aqua dilutum: uinum granatorum, oxysaccharon.

Super tumore mox ubi apparêre cœperit, inter omnia placet, ut uitellus oui bene salitus apponatur, & crebrò permutetur, uel uerbascus herba cum radice contusa bonoq; uino albo aspersa, & proprio folio inuoluta, interq; calidos cineres calefacta. Laudant aliqui stœben herbam, quam scabiosam uulgò appellant. Quidam maius symphyton, quæ consolida dicitur: alij pampinellam: alij lilij albi radicem. Expertus ego aliquando sum, fermentum cum oleo & sale: aliquando ficus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum melle. Vbi reliqua desint, cinis oleo coctus superponatur. Tumore autem inciso, uulnus cum succo apij & melle purgandum est, longoq; tempore apertum conseruandum, ut uirus bene expurgetur: demum cõmunibus auxilijs & implendum & glutinandum, & ad cicatricem ducendum.

Hæc sunt quæ mihi opportuna uisa sunt ad pessimi huius morbi propulsationẽ. Prætermisi autem nonnulla multum ab antiquis celebrata, partim quia nunc incognita, partim quia parum mihi credita & explorata. Incognita sunt Lemnium sigillum, quod terram sigillatam: terra Armeniaca, quam bolum Armenium uocãt: scordiumq;, & thlaspi herbæ. Quæ ut M. T. possit inquirere, uel oblata cognoscere, describam qualia esse debeant.

Terra sigillata quo modo examinanda. Terra sigillata sit rubri coloris, munda, non ualde lenis, gustu non mordax, sed modice adstringens, tenax aliquo modo & lubrica, ita ut in aqua resoluta similis fiat molli ceræ. Portatur ex Lemno insula Græciæ, formulis paruis, quæ antiquitus imagine Dianæ sigillabantur. *Bolus Armenius.* Bolus Armenius in pallore similis auro, facile solubilis, nihil arenosi in se habens, modice densus & grauis, adeò ut his qui non bene considerant, uideatur lapis. Portari debet ex Armenia contermina Cappadociæ.

Thlaspi. Thlaspi herba est angustis foliis, digiti magnitudine, super terram iacentibus, in summo scissis, subpinguibus: uirga tenui duorum palmorũ, adnascentias quasdam paucas habente, & circa totam ipsam fructu parumper lato ab extrema parte, in quo semen paruum simile nasturcio, ad disci figuram, ueluti conquassatũ, floremq; subalbum habet. Nascitur in uijs & sepulchris. Semen est acris saporis. *Scordion.* Scordion nascitur in locis montanis & palustribus, folia habens similia chamædryi, maiora tamen, nec adeò circunquaq; incisa, aliquo modo allij odorem referentia, adstringentia gustum, subamara, uirgulas quadratas, à quibus flos subrubens dependet.

Quatuor hasce res si quis habere posset, alia medicamenta contra pestilentiam & uenena frustra perquireret: sed incuria & auaritia fecit, ut hæc cum multis alijs deperderentur.

Quædam demũ sunt quæ gestata utilia esse traduntur, quibus tametsi exiguam fidem attribuam, non tamen damno eorum usum: quum, si non iuuant, non etiam obsint. Hæc sunt: Hyacinthus collo alligatus, uel digito gestatus. Adamas sinistro brachio alligatus. Betonica portata, lapis Achates, lapis Chelidonius niger, Carbunculus.

Habes quæcunq; in hoc pessimo morbo, ad hoc usque æui obseruata à me tanquam excellentiora sunt. Nonnulla autem de industria prætermisi, uel ut triuialia, uel à temerarijs hominibus cum nece multorum tentata. Deus misericors Mag. T. ab hoc pessimo morbo, omniq; malo tueatur, & mei memorem reddat.

Ioannes Manardus Ferrariensis Medicus. Calend. Ianuar.

M. D. XVI. Budæ.

EPIST. IIII. Angelo Cospo, febre & obstructione laborante.

MAgna me tristitia affecerunt literæ tuæ, mi Cospe, te adhuc ægrotare significantes, quem ex his quæ Nouellus noster scripserat, iam sanum putabam. Vnum tamen est quod me cõsolatur, quod ex his quæ scribis, plus tibi timoris esse uideo quàm periculi, cum nullum adsit symptoma, quod uel per se uerendum sit, uel sit maioris cuiuspiam morbi præsentis uel futuri non modo initium, sed nec indicium. Nam ut interim de regio morbo taceam, qui nisi ante septimũ diem euenerit, uel iecoris duritiem comitem habeat ferè solet esse salubris. Nihil apparet quod formidandam aquã intercutem ostendat: præcedunt enim eam pedum, manuum, faciei, & palpebrarum tumor, ilia

Aquæ intercutis præscita. ilia extenta, color ex pallido albus, lotium ægre it, & flatuoso spiritu uenter, & interdum testes implentur: denicq; malus totius corporis habitus, quem Græci κακοξίαν uocant, his adest, quibus ille affectus timendus est. Quare bono animo esto mi Angele, & securus te nec intercuti, nec grauiori cuipiã morbo subiacere: tibiq; potius sperandam citam sanitatem, quàm uel difficilem, uel longam ægritudinem timendam: tecum enim sentio, à bile te potius parum torrida, quàm ab alio humore uexari, aliquamq; solum obstructionem uenarum, quæ à gibbis hepatis ad renes descendunt, obstare ne lotium coloratius fiat. Cuius etiam obstructionis indicium non leue est spuma, claritati illi quasi perenni associata. At sedimen id quod subsidet, si modo uerum est sedimen, breuitatem & securitatem pollicetur. Quæ duo & uictus ratione, & medicamentis iuuari possunt. In quibus recte instituendis media uia procedendum iudico: ipsa siquidem obstructio, calida: bilis, & symptomata quæ scripsisti, frigida desiderant. Ita moderanda igitur omnia, ut nec nimis calefaciendo, bilem excitemus, nec infrigidando obstructionem augeamus. Atq; ut ad particularia descendamus, domesticũ & syluestre intybum laudo: hoc cicorium, illud endiuiam uocãt: si cocta, uel oxymelite, uel oleo bono & aceto, superadditis semper pasulis, condiantur. Cappares utrouis modo præparati, & cibus erunt, & medicina. Apium hortulanum, quod petroselinum uocant, semper cum carnibus decoquatur, inter quas galli Veneris adhuc expertes ex domesticis, perdices & phasiani auiculæq; ex syluestribus, cæteris præponũtur. Vinum sit album, clarum, odoratum, modice pro eius potentia dilutum. Singulo die tres unciæ aquæ, in qua par modus absinthij & cicorij bullierit, adiecta oxymelitis, quod compositum uocant, uncia semis, calide bibantur. Quinto quoq; die mane catapotia triobolorum pondere deglutiantur: quæ quoniam æquali portione aloën, agaricum & rheon recipiunt, de tribus cum rheubarbarico nominant. Præcordia ex decocto rosarũ, cicorijq; & absinthij, uacuo uentre foueantur: quibus atq; communibus regulis obseruatis, Deo opitulante, spero te circa quadragesimum ab initio morbi diem, sanitatem recuperaturum, præsertim si tute tibi non defueris, sed bene sperãdo, & affectus animi moderando promissam sanitatem lætus expectaueris. Et hæc quidem de tua ualetudine. Intelligere desidero, an discesserit Nouellus: & si discessit, quo die discessit. Venetijs, ut putabat, Surianum non inueniet, quum interceptus à Maranensibus sit. Discipulus enim eius qui nuper huc uenit, ei scribere desiderat. Valetudinem tuam cura mi Cospe.

EPIST. V. Nicolao Leoniceno, uiro undecunq; doctiss. De uera Rheo.

MEministi puto Leonicene uir doctissime, dum paulò antea quàm huc uenturus, Ferraria recessissem, in Opizonum clarissi. familiæ domo, cum Ioanne Georgio Trisino, uiro non solum generis nobilitate, sed omnifaria doctrina præstantissimo, de uarijs simplicibus medicamentis loqueremur, in grandem nos inter reliqua incidisse dubitationem, circa precioſissimam illam radicem, quam Rheon Græci, Plinius rhecoma, uulgus rheum barbarũ uocat: quod uidelicet Dioscorides & Plinius eam odore carere dicerent, re ipsa & experimento ualde odoratam comprobantibus. Quod cum tu negares, radix in medium allata, thalamum in quo sedebamus statim odore replens, manifestum ueritati præbuit testimonium: adeò ut necessariò alterum concedendum uideretur, uel falsa illos scripsisse, uel hanc non esse ueram rheon. In qua controuersia ego uolens quasi medius intercedere, dixi illos de uiridi loquutos: eam uero quæ ante nos esset, ualde siccam esse. Aliqua enim esse quæ humiditate super-

De rheo vide J. Lyeptis. E.

Plinius 8. Lxxvi. 12. in fine.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſlua obtundente, donec ea reſoluatur, abſque odore perſeuerent: aliqua econtrario: quæ ſicca, nullum: uiridia magnum odorem mittant, & experientia, & Theophrasti autoritate conſtare: ſicuti & eſſe nonnulla quæ ſiue recentia, ſiue antiqua ſint, proprium odorem ſpirent. Videbar hoc pacto & antiquos à mẽdacio tueri, & recentiores in ea radice, quam pro uero rheo habent, approbare. In qua ſententia uſque ad id temporis perſeueraui, quo tres Caſamiri, reges, Cæſaris aduẽtum præſtolantes Poſonij conuenerunt. Tunc enim à Sigiſmundi regis Sarmatarum medicis didici, in eo bello quod cõtra Moſchos fortiſſime idem rex geſſerat, repertum eſſe aliud rheon, communi quidem ſatis ſimile, ſed penitus inodorum: cuius puluerem chirurgus quidam mihi dono dedit, quoniam radicem integram non haberet. Dedi poſthac operam, ut radicẽ ipſam haberem: quod tandem tertio abhinc menſe conſequutus, ipſamq; quantum ualui diligenter rimatus, eſſe quam Plinius & Dioſcorides pingunt dubio procul iudicaui. Affertur enim ex his quæ ſupra Pontum, uel Boſphorum ſunt regionibus, prope uidelicet Rha flumen, radix nigra, & coſto nigro exterius, magno centaurio interius ſimilis, minor tamen & ruſſior, ſine odore, calefaciens guſtum & aſtringens, laxa, leuicula, & dum maſticatur pallida & ad crocum uergens. Quæ ne omnia me finxiſſe putes, fruſtum eius mitto, non ambigens te mox ubi id uideris, eſſe putaturum antiquos de hac loquutos, non de illa communi, quæ præter id quod odorata, leuis etiam non eſt: imò quanto grauior, tanto melior, & à Ioanne cognomento Meſue, & ab omnibus putatur. Nec à Ponto, ſed ab extremis meridionalis Indiæ partibus ad nos uehitur, uimq; purgatoriam non minorem agarico habet: quam certe ſi in eo de quo ſcribunt antiqui inueniſſent, non ſilentio præteriiſſent: ut uel ex hoc obiter aduerſus Auerrois calumniam Galenus defendatur. Quanquam nec ratio conuincit, ut ſi purgandi uim habet, non poſſit & adſtringendi uim habere: quãdo & aloë, & agaricus, & alia multa, adſtringunt ſimul & purgant. Nec dicit Galenus quod aluum adſtringat, ſed quod ſtypticen, id eſt, adſtrictoriam uim habet: quod & ipſe Auerrois confirmauit: alioqui nec Ponticum hoc ui purgandi caret, licet minorem habeat, & quæ uix unica drachma exhibita deprehendatur. Duo tamen adhuc ſuperſunt nodi, quos per te, hiſce in rebus nouum Herculem, ſolui deſidero. Vnus, utra harum radicum in uſu medico præferenda: alter, an communis hæc barbarica uulgò dicta, loco tantum, non etiam ſpecie diſtet à Pontica. Mihi enim eiuſdem eſſe ſpeciei uidentur, præſtareq; Indicum, non ſolum ui purgatoria, ſed & quoniam profundius ſe adegit, maiuſq; robur in membris relinquit: ſemper tamen bonum & recens Ponticum, malo & antiquo Indico prætulerim. Tuum in omnibus hiſce iudicium & expecto & expeto: ut in quo ea omnia cognoſco, quæ Galenus in bono inuentore & iudice deſiderat, naturale uidelicet ingenium, bonam in primis diſciplinis eruditionem, aſſiduum ſtudium circa antiquorum monumenta, amorem immenſum ueritatis, longamq; in huiuſcemodi rebus exercitationem.

Vale.

IOANNIS MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER SEXTVS.

EPIST. I. ad Prætorem, uulnera capiti cuiuſdam inflicta, non fuiſſe letalia.



INFLICTA fuerunt duo uulnera cum duobus catenæ ferreæ annulis, in caput Alouiſij fabri ferrarij, alterum ſupra ſupercilium ſiniſtrum, aliud in eodem latere parum infra angulum, ubi ſutura, quæ ſagittalis dicitur, coronariæ coniungitur. Octauo die poſt uulnerationẽ ſuperuenit eryſipelas in facie, quod paulò poſt totum caput complexum cum febre eſt. Die uero duodecimo reſolutio quædam dextræ manus cum dimi nutione loquelæ: & demum die decimoquarto mors. Quæſitum eſt, an ea uulnera eſſent letalia, uel mors alia ex cauſa prouenerit. Ad quod dubium, præſuppoſitis quibuſdam reſpondebimus.

Primum ſuppoſitum eſt, quod nos occurrentes huic uiro octauo die mane, inuenimus ipſum abſque febre, dolore capitis, deſipientia & quouis malo ſymptomate: interrogãteſq; de præteritis diligẽter, intelleximus eum nec cecidiſſe, nec uomuiſſe, nec uertiginem paſſum, aut deſipientiam: uulnuſq; frontis uidimus non pertranſire totam cutem. Aliud uero pertingere uſq; ad membranam ambientem caluariam, quam almocatin uocant Arabes: à qua etiam membrana uidimus exiguã quandam caluariæ portionem denudatam, quam albam, omni mala infectione immunem, ſimul cum membranæ parte quæ detecta erat, inſpeximus. Quam etiam membranæ offiſq; detectionem, non uulnere ipſo contigiſſe, ſed manu prudentis medici factam, quo uulnus melius conſpici curariq; poſſet. Facta quoq; per nos ſedula totius capitis attrectatione, quam etiam poſthac ſæpe adhibuimus, non tantũ in parte læſa, ſed & in quauis alia nullum unquam indicium apparuit, per quod ſubeſſe oblæſionem aliquam conijci poſſet: ſed neque ex re ipſa qua percuſſio facta eſt, modoq; ictus, quid tale deprehendi poterat.

Secundo ſupponimus ex ſentẽtia Galeni lib. 5. & 6. Aphor. morbum dici mortalem, uel quia neceſſariò ac ſemper, uel quod ut plurimum mortem affert.

His ſuppoſitis dico primũ, uulnera ſupradicta non fuiſſe ex numero mortalium primo modo, hoc eſt, eorum quæ neceſſariò mortem inferũt. quod probo: nam ex ſentẽtia Gal. lib. 6. Aphor. aphoriſmo 18. uulnera cerebri etiam ſatis magna, nõ ſunt neceſſariò mortalia: ergo multo minus uulnera huius uiri, quæ ne ad caluariã quidem, nedum ad cerebrũ penetrarunt. Idem ſenſit Auic. lib. 3. cap. de plaga & inciſione cutis capitis: inciſionem quæ pertinet ad cerebrũ, licet rarò, ſanari tamẽ interdum concedens. Idem quoq; Galenus 8. lib. de uſu particularum, cap. 10. in Ionia Smyrnæ ſanatum ait ſe uidiſſe adoleſcentem, cui alter ex cerebri anterioribus uentribus fuerat uulneratus.

Vulnera cerebri nõ neceſſariò mortalia.

Deinde dico, eadem uulnera nõ fuiſſe mortalia ſecũdo modo, hoc eſt, ex his quæ ut plurimũ perniciem inferre apta ſunt. Tripliciter enim (ut inquit Galenus 4. lib. Therapeutices) dicitur morbus uehemens, ob principatũ patiẽtis particulæ, ob magnitudinẽ diſpoſitionis, & tertio ob ipſius malignitatem. Nullo autẽ horum modorum uulnera iſta magna dici poterãt. Siquidẽ cutis ſolum exigua pars præciſa erat, nec uenenata, maligna ue ulla affectio uulneribus erat impreſſa. Præterea uidemus conſimilia uulnera, & his etiã longe maiora, quotidie cuti capitis illata, ſanari perfacile, utpote in quibus nec arteriæ, nec uenæ, nec nerui nota digna oblæſi ſint: & propterea ueluti ſimplicia uulnera, quod Auicẽna quoq; teſtatus eſt, facile coaleſcunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod cõsiderans prudens senex in aphorismo ubi uulnera letalia enumerat, non capitis, sed cerebri mentionem habuit, inquiens uesicam incisam habere, aut cerebrum, & reliqua. Si quis uero contendat, exigua quidem in superficie apparuisse uulnera, uerum oblæsionem ad cerebrũ ipsum uel membranas pertigisse: quod tum ex rei ipsius probet euentu, tum ex febre, erysipelate, paralysi, stupore, quæ su
» peruenerunt: afferatq; pro se aphorismum 14. septimi libri: In capitis ictu obstu-
» pescentia & desipiẽtia, malum. Item 19. eiusdem: In ossis exutione erysipelas. Rur
» sus 24. In ossis præcisione desipientia, si in uacuum apprehenderit. Huic respon-
» debit Hippocrates quinquagesimo aphorismo sexti libri, dicens: Quibuscunque
» præciditur cerebrũ, his necesse est febrem & bilis uomitum superuenire. Cui apho
» rismo consonat illud Auicennæ libro tertio: Cum incisio peruenit ad cerebrum,
» apparet febris & uomitus choleræ. Nec solum cerebro uulnerato euomunt homi-
» nes bilem, sed & dura etiam membrana: sicuti Galen. eum locum enarrans attesta
tur. Neq; sat est dicere, superuenisse huic uiro posterius febrem: siquidem accidentia ipsa, quæ pathognomica Græci uocant, statim ipsam passionem consequuntur; id quod docuit Galen. in expositione aphorismi 12. lib. 1. & in libro de constitutione artis medicatiuæ, atq; alijs in locis. Ipsemet quoq; Hippocrates aphorismo 58. septimi libri, addidit uerbum, statim, de his accidentibus loquens quæ cerebri cõcussionem comitãtur. Tum etiam Alexander tria mala ictum membranarum cerebri consequi uoluit: conuulsionem uidelicet, desipientiam, & acerrimum dolorem. Et Celsus bonus Hippoc. interpres, libro quinto, si cerebrum, membrana ue eius uulnus accepit, præter bilis uomitum, sanguinem per nares, & quibusdam etiam per aures dixit exire.

Non difficilius quoq; reuincentur, si qui aut perfractam caluariam, aut ipsa quidem integra, interiorem aliquam membranæ uenam ruptam fuisse affirmauerint: osse enim fracto, & prædicta eueniunt, & præterea oculi obcæcantur, obmutit homo, & sine somno quasi dormitans iacet. Disrupta uero uena, sanguis exit, qui conglobatus uehemẽtem dolorem excitat. Quo dolore cum hic semper caruerit, non conciderit, non bilem uomuerit, non uertiginem aut obcæcationem passus sit, uerisimile est, non cerebrum, non membranas oblæsas fuisse, sed nec caluariã, aut uenam perfractam. Credendumq; ea accidẽtia quæ in octauo & duodecimo die euenerunt, & consequenter mortem ipsam, quæ ex illis est sequuta, non magnitudine uulneris, sed malitia potius humorum & capitis debilitate contigisse. Sic sentio ego Ioannes Manardus ordinarius medicinæ professor, in quorum fidem supradicta exaraui, & manu propria subscripsi. M. D. IX.

EPIST. II. pro domino Benedicto Porto, Patritio Mantuano. De præseruatione & curatione uariarum affectionum.

QVanquam uariæ sunt affectiones quibus præstantissimus hic uir infestari consueuit, ferè tamen ab eadem causa proueniunt: siquidem tortius corporis temperatura, sed præsertim iecoris, uenarumq; calidiore siccioreq; tum natura, tum ætate (agit enim primum ultra uigesimum annum) sit, ut ruffa bilis, & mole, & feruore ultra modum augeatur, quæ per uarias corporis partes delata (utpote suapte natura mobilis & uaga) atque etiam interdum quibusdam alijs superfluitatibus adiuta, uarias in corpore excitat læsiones. Quando enim intimas lacertorum & cartilaginum partes ingreditur, & ad ossa usque adigitur, subiectas ipsas partes separans, dolores artuum facit. Cum de maioribus uenis ad minores, atque ex his ad minimas, quas capillares uocant, tandemq; ad cutem,

ad cutem, extimasq; partes diffunditur, sed neque putrescit, neque admodum uel torrida, uel sanguini admixta, colorem deturpat & arquatum morbum gignit, qui præsertim in oculis apparet ceu tenerioribus nitidioribusq;. At si retorrida sit, atq; sanguini admixta, pustulas excitat, non his absimiles quæ ex culicum morsu fieri solent, quas Arabes seres, Celsus exãthemata uocat. Quod si ipsa per sese, non adusque cutim meat, sed uapores ad eam mittit tenuiores quàm ut pustulas facere possint, pruritum tantummodo mouet: dum uero ad caput coadiuuante etiam eius calore trahitur, ab eoq; aliquid pituitæ salsioris recipiens ad os naresq; descendit, ulcuscula illic, hic crustas facit. Si ad oculos palpebrasq;, pruritum lippitudinemq; excitat, præcipue si torridior fuerit. Quod si fortè obstructione facta computruerit, tertianas febres generabit, uel ueras, exquisitasq;, si syncera sit: uel nothas & adulterinas, si pituitam ob frigidiorẽ uentriculum cruditatem ue genitã, aut serosam humiditatem secum habuerit admixtã, uel atram bilem, uel ipsa absq; alterius rei miscella sit tanquã exusta. Hi autẽ affectus tametsi maiori ex parte faciles uideãtur, & de eorum numero, qui sint potius dedecora quàm morbi uocitandi, haudquaquã tamen sunt negligẽdi, quum possint ad deteriora, si neglectui habeãtur, facile prolabi: narium quidem crustæ ad ozenam, cui malo uix succurri potest: oris ulcera ad ea quæ aphthas scilicet Græci dicunt, quæ sunt longe periculosissima. In oculis mala lippitudo seu inflammatio oriri posset, & quæ ad interiores partes bilis, uehementes artuum dolores, quæ ad extimas, mala ulcera, & demum elephantiasin facere. Accedit quod materia hæc non solum propriam habet malitiam, sed ex contagione occultum quoddam uirus contraxisse uidetur. Verum si his quæ Deo duce conscripturi sumus audiens obsequensq; fuerit, speramus eodem summo Deo & uero medico opitulante, non modo deterrimas illas labes euasurum, sed & à leuiculis istis, uel nihil, uel certe exiguum quid detrimenti passurum. Diuina igitur ope freti propositum aggrediamur.

Duplici, quãtum proposito attinet existente medicina, altera quæ imminentem, altera quæ iam factum morbum propulsat, utranque exequemur, orsi à prima ueluti à primaria & nobiliore. Rursus, quoniam tam præseruatio quàm curatio duplici instrumento perficitur, uictu scilicet & medicamentis, inter quæ ratio uictus præstat, ab ea sumemus exordium. Quandoquidem ipsa per sese interdum ad bonam ualetudinem satis est, alia sine ea frustra tentatur.

Quoniam igitur (ut monstrauimus) noxæ quibus præstans hic uir affligi consueuit, ferè à ruffa bile proueniunt, ea ratio uictus instituenda est, quæ hanc ipsam præcedentem causam moderari possit & retundere. Vitanda igitur quæcunque eam uel gignunt, uel fouent, aut exacuunt: asciscenda quæ reprimunt & cõminuunt. Ex cibis igitur acria, acuta, salsa, amara, dulcia: ceu inter olera ruta, saluia, ocymum, eruca, mentha, apium tam hortulanum, quod uulgò petroselinum, quàm id quod etiam apud communem loquendi usum apij nomen retinet: item saluia, amaracus, serpyllum, nasturtiũ, tarcon, uulgò draconem dicunt, brassica, cheresoliũ, anethum, fœniculum, libanotis (quem rorem marinũ dicunt) allia, cepæ, porra, atq; id genus cætera sunt penitus fugienda. Item raphanus uterq;, tam scilicet qui radix dicitur, quàm qui armoracia, rapa, pastinaca, siliquastrum, seu piperitis, inula, sinapi. Conueniunt aquatilia & acida: qualia inter olera lactuca, intybus tam satiua (quam endiuiam) quàm aruensis utraq; (quarum alterã radiculam, & alteram cicerbitam uulgus nominat) item portulaca, lapathon (præsertim acetosa quæ dicitur) præterea olus quod Arabes aspanac, nos nomine paulùm mutato spinaciũ dicimus, atriplex pampinella uocata, blitus, buglossus, trifolium acidum. Hæc possunt uario modo parari: sed quoniam debilioris uentriculi est, melius est coquantur, & ut ex calidis & odoratis quippiam misceatur. Ex fructibus, nuces iuglandes, strobili, hoc est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pinei nuclei, caſtaneæ, penitus dimittenda: ceraſia, mora bene matura, mâla & noſtratia & punica dulcia, ficus, uuæq; cuncta hæc ſi admodum dulcia ſunt, non conueniunt. Poteſt interdum ſumere, maxime frigidiore tempore, auellanas: quæ licet ab Auicen. lib. 2. ponantur inter bilioſa, in 3. tamen dicuntur hepati conferre: amygdalas, & cum ſuis acinis paſſulas, caricas, piſtacia, ſuoq; tempore cotonea, ſorba, meſpila. Congrua ſunt pruna, maxime quæ damaſcena, & quæ myrobalana dicuntur, ceraſia, mâla item acida, & ex piris quæcunq; fragilia, non multum dulcia, punica uel acida uel media, medica cortice, ſeminibuſq; abiectis, cucurbita omphacio condita. Ex carnibus laudantur præ cæteris pulli cohortales, præſertim fœminæ, & quæ in alborem potius, quàm nigrorem declinent, & ex maribus qui nondum iniere, capi iuniores, hœdi, uitulíq; lactentes, anniculíq; uerueces. Conceduntur perdices, phaſiani, coturnices (uulgò appellari ſolitæ: non autem ueræ coturnices, quæ ſunt illæ quas uocant qualeas) capreoli iuuenes, alæ anſerum & anatum. Alas autem cum dico, non pulpas intelligi uolo, ſed eam partem quæ ad uolatum deſeruit. Damnantur columbi, anſeres, anates, præter eas partes, quas ſuprà conceſſimus: boues, cerui, & omnis caro durior, uetuſtiorq;. Piſces maritimi, fontium uel fluminum, inter duros teneroſq; medij cõducunt, præcipue uero ſaxatiles: no cui ſunt quos ſtagna & lacus limoſi educant, & qui teneriores uel duriores. Oua gallinarum recentia, mollia, omni tempore, præterquam in uehementi æſtu concedúntur: quo etiam tẽpore ſi aceto, aut omphacio condiantur, ſecure ſumi poſſunt: dura, præſertim frixa, omnino prohibentur, & ſimiliter cæterarum auium quocunque modo parata ſint. Lac, caſeus recens, ſi bene concoquantur, proficua ſunt. Indicium bonæ concoctionis, ſi neque ructus acidos aut fumidos concitant, neque præcordia, aut uentriculum grauant. A uetere & ſalito caſeo penitus abſtinẽdum.

Lactis & caſei bonæ concoctionis notæ.

Potus ſit uinum album, clarum, debile, odoratũ, & quod ad acidum potius uergat quàm ad dulce, æſtatiſq; tempore moderatè dilutum. Nigrum, craſſum, dulce, potens, in totum dimittatur. Panificia omnia, item lagana, & id genus cætera uitanda: furnaceus tantum panis & bene fermentatus ac coctus edendus, cuius nihilominus cruſta extima dimittenda: heſternus admodum idoneus: calidus uehementi hoſtis formidandus. Condita omnia, præſertim cum melle, inutilia. Ex his uero quæ ſaccharo condiuntur, ſumi interdum poſſunt pruna, cucurbitæ, intybi, cotonea, atque alia quæcunque ſuperius laudauimus, modo ſine calidis aromatibus ſint præparata: hæc enim tum in his, tum in cæteris cibarijs ſunt fugienda. Aromata cum dico, ea intelligo, quæ uulgò ſpecies dicuntur: quibus ſi omnino uelis uti, confici in hunc modum faciat, ut accipiãtur, Coriandrorum ſecundum communem modum paratorum, ſandalorum citrinorum, florum labruſcæ, cinamomi electi pares portiones, quæ in tenuiſſimum puluiſculum redigantur. Conceditur etiam uſus illarum placentularũ, quas martios panes uocant, præcipue ſi unà cum amygdalis, cucumerũ, cucurbitarumq; ſemina receperint. Item cõmode adhibentur eadem ſemina per ſe ſaccharo operta. Inter omnia uero id genus bellaria, id mihi præſtantius uidetur, quod ex ſaccharo, roſarumq; ſucco in hunc modum conficitur: Saccharum quamalbiſſimũ inſtar farinæ tenuiſſimæ teritur, atq; ſuperfuſo tanto roſarum ſucco, quantum ſat ſit, placentulæ aut panes uaria forma conficiuntur, qui in ſole quoad ſicceſcãt, operti linteolo, dimittuntur: demum reponũtur, & toto anno conſeruantur. Quod præter id quod delicatius eſt, hoc etiam cõmuni ſaccharo roſaceo præſtat, quod uentrem ſicut illud non retinet. Iurulentis, elixisq; potius quàm aſſis & frixis utatur. Et ſi interdum aſſis uti uoluerit, non ſint admodum toſta, ſed alba & mollia, ac prunis ceraſijsq; acidis oppleta, & omphacia uua, aqua roſacea, aceto ue ſimiliter roſaceo, aut mâli medici ſucco, uel punici, aut aliquo generis eiuſdem condita. Aeſtu quoq; uehemẽti ingruente, haud prætermittatur, quin aut

aut portulaca, aut cucurbitæ fruſtum, aut lactuca, aut quid ſimile cum carnibus elixetur. Ex herbis quas ſuprà laudauimus, additis etiam cõdimenti & uentriculi gratia ramuſculis odoratarum, & intinctus tuceta'ue cum aceto, omphacijq;, uel punicorum ſucco, & cum recenti caſeo, ouisq;, quam tortam uel tortulam uocãt, & conſtrui & comedi interdum poſſunt non illaudabiliter. Circuncidenda omnis negocioſa cogitatio, uel actio ſecundum cibum eſt. Conclaue eius æſtate quidem aquilonem, hyeme ſolem orientem ſpectet: meridionalem proſpectum omni tempore deuitet, morámque in ſole, & quantum fieri poteſt maxime caueat ſub eodem deambulationem: ignem præterea, & multo magis fumum: &, ut in ſumma dicatur, totius corporis, ſed maxime capitis calefactionem. Somno & quieti potius quàm labori & uigilijs innitatur: iram, clamorem, cõtentionem, triſtitiam, longam lectionem, immoderatiorem Veneris uſum, famem, crapulam, cruditatem, uelut hoſtes fugiat. Cubile & ceruical quibus quieſcit, non multum mollia ſint, lana potius aut coto uel goſapio quàm pluma oppleta. Caput in lecto ſublime habẽdum, corpus nũquam ſupinum, non ſemper dextro lateri incumbens, hyeme tamen minus nocue, & omni tempore in ſomni initio: dormire uero ſuper faciem nullo modo debet. Summa ope nitatur, ut ei quotidie uenter eat. Et ſi in hoc opere natura nimis hebeſcat, aliquo auxilio ex his quæ infrà ſcribam, excitetur. Hæc igitur pro uictus ratione hactenus dicta ſint: nunc ad pharmaceuticen accedendum.

Peracta ea purgationis ſerie, quam ſuperioribus diebus ſcripſi, ſi initium aliquod non perſenſerit earum affectionum, quibus oblædi inſueuit, ab omni penitus medicamento interquieſcat, donec ſol Geminos ingreſſus ſit, hoc eſt, ad 13. uſque Maij diem: quo tempore ſi uel pruritum, uel puſtulas, uel alium quempiam eorum affectuum, qui eum affligere conſueuerunt, emergere cognouerit, ſtatim ex ea uena ſanguinem mittat, quæ annularem mediumq; digitum dextræ manus interiacet, ex eaq; circiter ſex ſanguinis uncias hauriat. Poſtera die quatuor uncias caprini ſeri, cum ſucci roſarum puriſſimi uncia, in aurora bibat: frigida quidem, ſi id ſtomachus tolerat: ſi minus, calida. Quem potum continuis ſeptem diebus eadem hora cum acceperit, adijciat drachmam unam cum dimidia rhei barbarici electi & purgati, & ſeſquiſcrupulum nardi celticæ, cunctaq; ſimul in uitreo uaſe per totam noctem adſeruentur, & mane quod excolatum fuerit tepidum bibatur. Sed quoniam in nobilis huius medicamenti mentionem incidimus, de quo nõnihil ambigere hic eruditus iuuenis uidebatur, non alienũ erit pauca de eo ſubijcere, ex quibus quæſtiones quoq; nonnullæ abs te propoſitæ diluantur.

Quod uulgus medicorum & officinæ omnes nunc rheum barbarum uocant, & Punici rauedſeni, hoc Celſus radicem ponticam, Dioſcorides rha, & iuxta quoſdam rheon, ſecũdum alios rhian, Plinius rhecoma, Galenus quemadmodum Dioſcorides interdum rheon, interdum rhian, aliquando rheon ponticum appellat. Eo antiqui ad uentris purgationem non utebantur, ſed antidotis miſcebant, & ad pleroſq; uſus alios adhibebant, quos operæprecium non eſt hoc loco referre, quando ex Plinio, Dioſcoride, cæteriſq; facile diſci poſſunt. Primus (quod meminerim) Auerrois Cordubenſis Galenum cæteróſque medicos taxans, qui conſtringere etiam putarunt, tantum abeſt ut ſubducere uentrem crediderint, inter cætera purgantia medicamina eſſe ſcripſit præcellentiſſimum. Quem ſequutus Ioannes Damaſcenus cognomento Meſue, ubi medica pharmaca ſolutoria, quæ benedicta uocat, recenſet, ferioſam & honorificam illius mentionẽ facit. Cui hac in re, ſicuti & in reliquis, recentiores medici credentes, tanti illud fecerunt, ut aliquando auri precium pari pondere æquarit: neque ad alios ferè uſus noſtro æuo accommodant, quàm uel ad bilis uacuationem, uel ad inteſtinorum difficultates, uel ad eos qui de ſublimi aliquo loco ceciderunt. Non prætereundum tamen ſilentio, poſſe cuipiam

Rhei barbari plura nomina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uideri, Serapionem iuniorem solutoria ui illud præditum existimasse, quum in de simplicibus medicamentis libro scribat, dari in omnibus in quibus datur agaricum. Verum cum uerba illa non ex propria, sed ex Dioscoridis sententia proferat, nec sit (quod plerunq; peccat) satis fidus interpres, audiamus ipsum Dioscoridis uerba personantem: uidebimusq; id nō ex Dioscoridis, aut Serapionis opinione, sed potius de peruersa uerborum Dioscoridis, uel lectione, uel intellectione, uel interpretatione prodijsse. Ait siquidem ipse Dioscorides: Modus seu dosis pariformiter agarico ad unumquenq; affectum eodem drachmæ pondere. Quod si quis contendat Dioscoridem his uerbis sensisse, omnibus uiribus pollere rheon quibus agaricum, is & Galenū incuriæ, & Auerroin crimine falsi accuset necesse est. Illum quidem, quoniam ex Dioscoride non didicerit rheon sicut agaricon inter cathartica reponendum: hunc, quod talem ignorantiam perperàm antiquitati impegerit, & se quasi nouum tam nobilis medicamenti inuētorem iactanter & falsò prædicet. Magis autem mouet me Paulus, qui lib. 1. suæ medicinæ cum dixisset, rhesinam, terebinthinam olivæ magnitudine uentrē ciere: subdit, magis autem subducere uolentes parum quid rhu admiscemus. Est autem rhus (uulgò sumac dicunt) Dioscoride, Galeno, cæteris, experiētiaq; ipsa testante, medicamen uehemēter uentris adstrictiuum: quo fit ut suspicer, librarij culpa deesse e literam illi dictioni, legēdumq; rheu, non rhu. Verū hæc ambigendo potius quàm decernēdo dicta sint: nondum enim Paulum uidere potui, aut quæ scribūtur ab eo proprio cap. de rheo: quamuis legerim apud medicum non magnæ autoritatis, ex sententia Pauli, quod mundificat. Quicquid tamen sit, non est ambigendum eam prærogatiuam non habuisse apud antiquos inter cathartica, quam nunc habet. Quæ res non mouere nos debet, ut minoris illud hac in re faciamus. Quandoquidem neq; myrobalanos inter solutoria medicamina, nec senam, nec mannam, nec siliquā Indam, quam uulgò casiam uocāt, ex purgātibus nunc præstantissima, habuerunt: moschum item, camphorā, sandalos, ambram, nobilissima quidem & efficacissima medicamina penitus ignorarunt, aliaq; permulta nostro æuo explorata, & supreme celebrata. Antiquos cum dico, Galenum, & eo uetustiores intelligo: qui non propterea tamen accusandi sunt: si quidem nec omnia cognoscere, nec eorum quæ cognoscebant, omnes etiam utres scire potuerunt. Nec enim falsò (quod Auerrois innuere uidetur) rheo adstrictoriū uim attribuerunt: ipsum nanq;, sicuti pleraque alia, utraq; ui pollet, adstrictoria uidelicet & purgatoria. Ex Ioannis Mesue & Auerrois, ac recentiorum omnium autoritate, ipsaq; experientia didicimus igitur rheum barbarū inter medicinas bilem pituitamq; expurgātes, esse pereximium, adeoq; ab his nocumētis quæ secum reliqua cathartica afferre consueuerūt, immune, ut pueris, prægnātibus, cæterisq; imbecillioribus tutò exhibeatur. Esse autem iecinori congruentissimū, non solum his, sed & Plinius & Dioscor. Galenusq; cōtestantur. Quod uero particulatim bilem à capite educat, non legi penes idoneū autorem. Plinius tantum bibi contra capitis grauitates affirmat: quas tamen ut in pluribus, non de bili naturali & impermista, sed de alijs potius humoribus pendere apertū est: siquidem bilis ipsa aliorū humorum cōparatione suapte natura leuis est. Dioscor. febrientibus cum melicrato, in febrientibus cum œnomelite, phthisicis cum passo, stomachicis masticatū exhibet. Plinius pro uarietate morborum modo in uino, modo in aqua, modo in passo. Communis usus medicorū habet, ut uel formetur in catapotia, uel cum aquis arnoglossi in intestinorū difficultate, uel deuolutis: apij, aut intybi, in febribus bibatur. Nos pro morborū uarietate, patientis tēperatura, cōsuetudine, ætate, atq; id genus cęteris, modo huic, modo illi rei miscemus, prout tamē cōducere arbitramur, ut nihil perpetuū habentes, ita à maiorū uestigijs, ratione ac experimēto nō discedentes. Omnibus autē quantum potui libratis, optimū duxi, si à te quo præscripsi modo sumeretur. In qua re præter

Antiquis plura incognita quæ à recentioribus perueſtigata.

Rhei barbari ui res immocuæ.

re præter rationes & experimenta, Ioannis quoq; Damasceni autoritas mihi suffragatur. An uero idem modus socijs conueniat, decernere non est, nisi cum earum, quas diximus, rerum cōsideratione. An cum casia sumēdum, anceps quæstio est, & utrinq; rationibus autoribusq; munita: sed præter efficaces satis rationes, huiusce modi cōmistio experimētis multifariā quotidie cōprobatur. Mediocris autē modus erit, ut ex casiæ liquore sex drachmæ, ex rheo barbaro una recipiatur: quibus si Mesuæ credimus, scrupulum spicæ superaddemus. Hæc etsi περίεργος, non tamē intempestiue uideor attulisse, ut quæsitis satisfacerem. Iam redeūdum unde discessimus: Docuimus quid agendum, si nulla se ostenderit consuetarū affectionum, priusquā sol geminos attigerit: nunc docēdum, quid agendum si quid ante id tempus apparuerit. Quādocunq; igitur imminere quempiā eorum affectuū animaduerterit, sta tim cubiti interiorem uenam hepatiten uocatam, secet, indidemq; selibram sanguinis hauriat: siquidem, ut docet Galenus in lib. de phlebotomia, atq; alijs locis, non solum his qui actu ægrotant, sed & his qui uel ægrotare cōsueuerunt, uel iam ægrotaturi sunt, sanguinem mittere debemus. Neq; est quod uereatur sanguinis missionem, quasi oculis inimicam. Quātum enim immoderata, spiritus uacuando uisum hebetat: tantum moderata, redundantes humores demendo, & uapores qui sursum feruntur distrahendo, acuit & refocillat. Adde, quod non est in præseruando à defœdationibus huiusmodi cutis, & artuū doloribus, ullum magis præsentaneū & efficacius remedium. Qua peracta, si iam apparuerūt rosæ, purgationem prout sua descripsimus perficiat. Si minus, loco succi rosarū, capnij, hoc est, fumariæ, uel, ut uulgò, fumi terræ succum eadem mensura sumat: qui & depuratus sumi potest, & ut est ex herba ipsa extractus. Sed hic quidem minus mollit, & uentrem magis confortat, ille econtrario. In eoq; sumendo non alijs regulis utendum, quàm quibus in reliquis potionibus, quos syrupos uocant. Potest calidus, potest frigidus sumi, tepidus non debet: cætera autem, prout in purgatione Maij descripsimus, exequatur. Nec tamen prætermittar, quo minus anteaquam rosæ desināt, octo uel decem diebus succi unciam cum sero caprino sumat, & purgationis loco non amplius rheum, sed uncias duas succi cum tribus quatuor ue heminis eiusdem seri. Hoc pacto ergo Vere purgādus est. Vnum tamē prætereji sse uideor haud prætereūdum, quid scilicet acturus sit, si nec antequā sol geminos attingat, nec cum attigerit, quicquam molestiæ persenserit. Dicendum cuncta esse pariformiter exequēda, præter phlebotomiā: quam nisi uehemētior iam æstus esse ceperit, nolumus prætermitti: est enim magna præseruationis pars, ut suprà mōstrauimus. Iunio mense, septē uel octo diebus aquam in qua maduerint intybi flores, mane bibat. Macerandi autem hoc modo: Flores mane colligūtur, & usq; ad uesperā in umbra expansi cōseruantur: dehinc aqua pluuiali uel fontis quāta bene tegātur, infunduntur, igni appositi in uitreato uase cōcalescunt: dum bullire occipiunt, deponūtur, & tota nocte sub dio uas custoditur: mane excolantur, & uncia syrupi ex succo rosarū addita, ex colatura unciæ tres bibūtur. Vltimo die plus syrupi adijcitur, hoc est, ad uncias 4. Mense Iulio aqua hordei supremo tantum cortice purgati, cum uiolaceo syrupo eodem modo bibatur, aucto pari mēsura ultimo die syrupo. Augusto, aquæ per destillatio nem ex intybo & fumaria in duplici uase factæ, eodem modo cum saccharo bibantur, ultimoq; cum his uncia medullæ pinguis casiæ: obseruata tamen tepidiore die, hoc est, qua uel Aquilo perflet, uel imbres ingruāt. Autūnali peracto æquinoctio, uehemētiore purgatione utendum est, hoc modo: Accipiantur succi fumariæ, lupi salictarij, domesticæ intybi, rosarū, singulorum pondo unc. decem, polypodij, foliorum sennæ, epithymi, singulorū pondo unciæ tres, florū buglossi hortensis, uiolarū, Mei, seminis intybi, singulorū pondo drach. duæ, omniaq; simul coquātur, arte in huiusce modi rebus cōsueta: sic, ut flores postremo apponātur, expressioneq;

Venæsectio an uisum hebetet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

facta,& addito liquori quantũ satis sit sacchari. Conficiatur medica potio,quæ absq; alterius liquoris admistione bibi possit: ex qua singulo quoque mane unciæ tres bibantur,donec tota sit ebibita: ultimo tamen die addantur tres drachmæ eius medicamenti quod ad Hamech Arabem quendam autorem refertur. Si qua uero uentriculi ex huiusmodi, uel alijs purgationibus relicta fuerit imbecillitas (ferè enim medicamẽta stomachum oblædere consueuerunt) ea facile saccharo rosaceo remouebitur,tribus horis ante cibum semuncia ter aut quater accepta. Hyeme purgatio non uidetur admodum necessaria:non ab re tamen fuerit sumere interdum,austro maxime perflante,scrupulum, semidrachmam uel drachmam catapotiorum,quæ habent puluerispicræ, rhei barbari, agarici,foliculorum sennæ, rosarũ, singulorum pares portiones: omnia per se teruntur,& cum rosaceo melle in catapotia redigun tur. Proderit etiam interdum semunciam diarhodon, tribus ante prandium horis esitasse. Hæc ad generalem præseruationem satis sunto,deinceps nonnulla ad particularem conferentia subijciam.

Oculi frigida potius insperſa quàm per manus admota,singulo quoque die ieiuno abluantur. Conficiaturq; pila ex panno lineo mediocriter tenui,quæ ex æqualibus partibus rosarum, pompholygos,id est,tutiæ, myrobalanorũ citrinarum imp pleatur,ex eaq; postquã imbiberit rosarum, & solani aquas,oculi & palpebræ mul toties ita contingantur,ut humor in eis aquarum remaneat. Nares sæpe ex oleo rosaceo & arnoglossi succo illinantur. Os modo ex aqua frigida cum pauco acet ti,modo ex lacte,modo ex lactucæ succo,modo ex arnoglossi aqua abluatur. Pro dest etiam mãdere interdum mala acida,oxylapathon,immaturas amygdalas,mo ra similiter immatura. Præcipuum est gargarizare pluuialem aquam frigidam, in qua gallæ immaturæ excoctæ sint. Facies uniuersa ex panno lineo madefacto in aqua destillationis florum salicis,cui tertia pars succi limonis sit adiecta, sæpenume ro foueatur. Corpus uniuersum,uel saltem brachia,crura,genitalia,lauentur al quando aqua tepida, in qua flores nimphææ,rosarum, uiolarum,& folia fumariæ, lapathi,arnoglossi,hordeumq; bullierint.

Exequuti quæcunq; ad præseruandum uisa sunt opportuna, iam tempus est ut quæ ad curationem attinent,aggrediamur. Siquidem uix fieri potest,ut quæ dicta sunt omnia ad unguem fiant: quæ tametsi seruentur, nihil tamen uetat quo minus iam tanta sit in humoribus membrisq; facta impressio,ut nihilominus naturam alio quo modo à tot malis uinci necesse sit. Summatim igitur & per compendium istarum affectionum curationem exequamur.

Lippitudo,ruborq; oculorum, si leuis fuerit,per solam aquam rosaceam bidui frigidam,nõ tepidam, tollitur: quod si ultra quatuor dies prorogetur,aloës parum primo aqua rosacea,uel si hoc non sufficiat, uino albo nocte maceretur,mane gut ta aquæ,uel uini oculis instilletur. Si fortior, cucurbitulæ infra latum spatularum ad admoueantur,è quibus si cutis fuscior efficiatur, incidenda scalpello est,cucurbitulæq; iterum admouendæ. Succus solani oculis injiciatur, panniculus ex eodem succo expressus oculo clauso superponatur. Stuppa quæ album oui biberit,cui mi stus optime sit puluis rosarum,acaciæ,corticum aridorũ mali punici,frontem com prehendat & tempus cui oculus læsus subiacet: aut collyrium album absq; papaue ris lachryma cum eodem solani succo primis diebus oculis instilletur cum mulieb lacte: postea parum sarcocollæ addatur:& demum imminuto ardore,aqua in qua fœnum græcum bullierit,residuum dissoluet. Narium uero crustis medetur bu tyrum recens, uiolarũ aqua bene ablutum, aut adeps gallinæ recens lota cum aqua nimphææ. Aut hæc mixtura: olei uiolati pondo unciarum trium,medullæ cruris uitu li pondo unciarum duarum, tragacanthæ, ceræ albæ, singulorum pondo unius unciæ:solutis quæ soluenda sunt,reliqua misceantur. At si per hæc crustæ non re

soluantur,

soluãtur,ad fortiora ueniendum: quale est quod habet, butyri recentis succo semperuiui abluti,cerussæ lotæ, singulorum pondo unciæ unius semis: olei nimphææ pondo unciæ unius: lithargyri, plumbi usti eloti, sandalorum citrinorum, singulorum pondo unciarum trium: ellebori albi,camphoræ,& magna urgente necessitate,argenti uiui,singulorum pondo unius scrupuli,ceræ albæ parum. Quicquid autem horum fiat,semper antea uapor aquæ calidæ per nares attrahatur.

Pustulis oris proderit in initio collutio ex aqua cœlesti, in qua semen rosæ & gallæ decoctæ sint. Item ex lacte, in quo ferrum candens multoties sit extinctum. Sedato autem feruore, butyrum cum melle rosato inter præstantia remedia connumerari debet: aut extrahito succum ex toto malo punico acido cum cortice suo contrito,addito tantundem mellis rosacei: facitóque omnia tandiu simul bulliant,donec mellis crassitudinem habeant. Quod si efficacius remedium desideras,adde tertiam partem puluerisconchularum glandium adustarum. Et si adhuc efficacius, sextam aluminis scissilis usti superaddito. Illud tamen haud prætereundum,in omnibus huiusce capitis affectibus, post uniuersales purgationes cucurbitulas,ut suprà in oculis monuimus, ceruici esse admouendas, hirudinesq; prope locum patientem. Ad pruritum genitalium, accipiatur album duorum ouorũ recentium,succi semperuiui,olei rosacei,singulorum uncia, farinæ fabarum uncia semis,cuncta in mortario plumbeo tandiu agitentur, donec congrue crassescant. Hæmorrhoidum amotionẽ non scribo, quoniã prouocari potius debent quàm repelli. Tertiana uero,& regius morbus,præsentem medicum desiderant. Hæc sunt quæ in præsentia mihi occurrere ad huius præclari uiri præseruationem,curationemq;: quem istis,iuuante eo qui est uera salus omnium, speramus pristinæ integritati decoriq; restituendum. Vale. VI. Aprilis. M. D. IIII.

EPIST. III. Ioannes Manard. Ferrarienſis medicus, Franciſco Gaballo eiuſdem artis profeſſori eminentiſs. S. P. D. De Theriaca.

INter reliquas errorum causas qui proximis seculis in medicina accide runt,hanc fuisse non minimã puto, quod medici nihil de simplicibus medicamentis cognoscentes,sepiariorum & pharmacopolarum arbitrio compositiones medicaminum permiserunt. Inde enim factum est (ut reliqua nunc taceam) quod generosa illa antidotus,ab Andromacho seniore Theriace,à iuniore Galene (non à Galeno medico eius sibi nomen usurpare cupiente, ut credere uisus est Auicenna, sed à tranquillitate) uocata,uel omnibus, uel certe pluribus potestatibus carere inuenta sit,quas ei antiqui medici adscripserunt. Huic tu rei prudentia tua occursurus,maximum in eius compositione errorem,peculiari commentario super hoc ædito castigasti, ostendens feras illas quæ in antidoto erant ponendæ,quibus uidelicet theriaci pastilli cõcinnantur,non ex Aegypto petendas, sed in media ipsa Italia reperiri. Nec satis tibi hoc uisum ad bonam conficiendam theriacen, sed Andromachum eius inuẽtorem sectatus,Neronis primarium medicum,aliumq; Andromachum prioris filium,& Demetrium Antonini Cæsaris similiter primarium medicum,aliosq; complures, Galenumq; demum ipsum,non manibus quidem proprijs,ut illi, sed tibi obsequentium sepiariorum, tam salubre medicamentũ in amplissima Venetiarum urbe, quæ noua quasi Roma dici potest,præparasti: ad quam ceu commune Europæ emporium, licet uerisimile sit ueluti olim Romam,tum à Creta Venetorũ imperio parente,tum à cæteris orientalibus locis,simplicia medicamenta tantæ compositioni idonea fuisse apportata. Ego tamen nimis fortè in hac,sicut in omni re medica timidus & curio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſus, non uereri non poſſum, quin aliqua adhuc uel defuerint penitus, uel uitiata apposita ſint: non quod de tua fide & diligentia ambigam, ſed quod res quaſdam, uel non afferri, uel non ſine macula, uel in totum ignorari puto. Eæ ſunt: Balſamus, myrrha, rheon, amomum, cinamomum, caſia, ſchœnoanthos, nardus Indica, malabathrum, lemnia, cardamomum, dictamnum, petroſelinon, ſcordion, radix pentaphylli, thlaſpi, atque in hedychroo magmate, quod alindaracaron Arabes uocant, aſpalathon, calamus odoratus, xylobalſamum, maron.

Balſamus & myrrha. Verum enim opobalſamum, uel ad nos non affertur, uel ſi affertur, tanti precij exiſtit ut totius antidoti precium præuertat: duodecim enim drachmas, præter id quod in hedychroo apponi debet, tota Andromachi compoſitio recipit, quæ octodecim libras parum excedit. Vix tamen crediderim, ſyncerũ & recens afferri. Nam quod hactenus uidere potui, odore, colore, ſubſtantia, longe à qualitatibus ueri diſtat. Sed & Galenus uarijs adulterari id modis quæritur, inueniriq́ in optima myrrha opobalſamum, quod intra corpus aſſumptum mortiferum eſſet: niſi forte extra hoc periculum nos ſumus, qui non optima ſolum, ſed bona etiam myrrha caremus: nam quæ myrrhæ loco habetur, pro odore ſuaui teterrimum uirus obolet.

Rheon. Rheon ſcribunt Plinius & Dioſcorides radicem abſque odore, coſto nigro ſimilem, cum id quod in uſu eſt, nullam cum coſto nigro ſimilitudinẽ gerat, magnumq́ longe odorem, nec inſuauem, iactet.

Amomum & cinamomum. Verum amomum, id eſt βοτρυώδες, & ueluti uua, neſcio ſi Italia hoc ſeculo uidit, ſicuti, quod multi forte mirabuntur, nec cinamomum. In quo ideo diutius eſt immorandum, quod neminem adhuc audiui ambigentem, id quod paſſim ex India, præcipue à Luſitani regis claſſe, in Europam inuehitur, eſſe uerum cinamomum. Quod tamen non eſſe, ex Galeni uarijs dictis in lib. de Antidotis, facile patere poteſt, cinamomum dicentis eſſe arbuſtum ſex uel ſeptem plus minus adnaſcentes ramuſculos habens, longitudine inæquales, ita tamen ut maior ſemipedem Romanum non excedat, & id quod optimum eſt, indicibilem quendam ſuper omnia alia odorem habere, guſtuq́ aliquatenus calefacere, non uſqueadeò tamen, ut cum triſtitia mordicaret. Colore tale, quale ait Galenus: ὡς εἴπις μίξαι τὸ τοῦ γάλακτος χρῶμα τῷ φαιῷ μετὰ βραχέος τοῦ κυανοῦ καλουμένου. id eſt, ut mihi uidetur, colore albo ad fuſcum & ſubcyaneum tendente. Eſſe eius ſex genera, quatuor uidelicet inter optimum & peſſimum: quod quidem peſſimum exiguo interuallo ab optima caſia minime mirandum diſtare, cum ea in cinamomum aliquando conuertatur: quemadmodum poſt Galenum in libro ſecundo ſuæ medicinæ ſcripſit Auicenna: uidiſſe enim ſe ait Galenus caſiam adeò altam & uberem, ut ad arbuſti aſcenderet magnitudinem, ramuſculosq́ quoſdam mitteret, uiſu, corticis tenuitate, odoreq́ & guſtu exacte ſimiles cinamomo.

Caſia. Ex quo dicto intelligere quoque licet, quantum uulgaris noſtra Caſia diſſet à uera, nihil cum cinamomo habens commune, tetra cum ſit, inodora, & penitus aſperabilis, imò nihil habens quare caſia putari debeat: ut Dioſcoridem & Plinium legenti, remq́ ipſam in manu habenti, facile conſtabit. Caſiam cum dico, aromatiten intelligo, quam officinæ Ligneam uocant: aliam enim, cuius nunc cõmunis eſt aduum leniendam uſus, ſcio antiquis penitus incognitam. Inter illas, id eſt, aromatites, ea eſſet eligenda, quæ Gizi, non Gizir, ut putauit Hermolaus, barbarico nomine dicitur: quæ adeò ſimilis eſt cinamomo, ut duplum eius pro cinamomo, Galeno teſte, poni poſſit: qui Quinto accedendum non putauit, dicenti non ſecus eos facere, qui carentes cinamomo duplam caſiam accipiunt, his qui dicerent, dum caremus phalerno, uel uino Cretico, duplum uiliſſimi uini bibendum: & eos qui ſimilagineum panem non habent, debere duos furfuraceos eſitare. Non enim ait Galenus, ſimile quid his faciunt, qui caſiam cinamomi loco accipiunt: ſed illis aſſimilantur po

tius, qui cum ſorti careant uiro ad pondus ferendum idoneo, duos ei ſubſtituunt debiliores. Hanc Gizi appellatam, theriacæ imponere deberemus, & carentes cinamomo, pro ſimplo cinamomo duplam accipere. Fiſtularem autem uocatã, omnium uiliſſimam, & propterea theriacæ non imponendam ſcripſit Galenus: eſq́ paſſim cognitam, exteriorem quidem corticem, quem fiſtulam uocant, fortem habentem & odore & guſtu, interiora debiliſſima, adeò ut nullius ſint utilitatis.

Carere nos Indica nardo quis dubitet, qui Spicam quidem uocari apud Galenum legerit, eſſe tamen radicem? Sed & in ea theriaces præparatione, quam cæteris ueluti conciſam magis & manifeſtiorem præfert Galenus, ſic ad uerbum carmine quodam ſcribitur: Thermentinæq́ rheſinam, nardiq́ radicem Indicæ. Ad nos uehitur ſpica, atque utinam nardi eſſet: ſuauitate enim odoris penitus careret, & ſaporis eſt ualde ingrati. *Nardus.*

In flore etiã Schœni idem accidit: cum enim ſcribat Democrates, ſchœniq́ non feſtucarũ, ſed floris: ad nos feſtucæ portantur, non flores: ſed in hoc magna uis non eſt: ſiquidem Galenus herbam laudat. *Schœnoãthos.*

Malabathrum quis noſtro ſeculo cognoſcit? Ego toto uitæ meæ tempore, uix unicum uidere folium eius potui: ſicuti & Lemnij uocati ſigilli, glebulam. Nam quæ paſſim ſub nomine terræ ſigillatæ uenditur, nec facie, nec uiribus ueræ ſimilis exiſtit: alioqui Galeni quoque temporibus tam apte adulterabatur, ut dignoſci à legitima non poſſet. *Malabathrum. Lemnium ſigillum.*

Cardamomi, quod Arabes cordumeni nominant, tria habemus genera, odorata illa quidem, & cum cæteris aromatibus in uſum uenientia, longe tamen ſicut mihi uidetur, à quatuor generibus diſtantia, quorum meminit Plinius. *Cardamomum.*

Dictamno, niſi eam rurſus Venus ab Ida ſylua deportet, omnino deficimus: flore enim, caule, & ſemine carere debet: quibus noſtra hæc uulgaris maxime abundat: radicem uero habere tenuem, & inutilem, quæ noſtræ magna & ad uſum ſola ueniens, neglectis foliis, quæ imponenda eſſent pharmaco, non radix. *Dictamnus.*

Sed carere nos balſamo & malabathro, quæ & precioſa ualde, & à longinquis regionibus petenda, non eſt mirum. At quis non miretur ſimul & ægreferat, petroſelinum, & therebinthi rheſinam nos deſiderare? Quod enim uulgò petroſelinum uocamus, uel apium eſt, ab antiquis dictum hortulanum: uel quicquid tandem ſit, conſtat eius ſemen non id eſſe quod theriacæ miſcendum iuſſit Andromachus: præfertur enim reliquis, Galeno teſte, macedonicum, & macedonicis extreticum, in hoc alia excellens, quod amariſſimum & acerrimum exiſtit. Noſtratis autem ſemen, ut acredinis cuiuſdam particeps forte uideri poſſit, omni tamen prorſus caret amaritudine. Sed poſtquam macedonico carendum erat, utinam Epiroticum haberemus, quod Galeni tempore (tanta erat ueri æmulatio) in Macedoniam per Theſſalonicen apportabatur, ut pro macedonico uendi poſſet. Recentiorum autem negligentia effecit, ut macedonico & epirotico carentes, apij communis ſemine pro eo utamur: ſicuti & peucina uel laricea rheſina loco Terebinthinæ, quæ ex Chio optima, ex Libya & Ponto etiam bona olim afferebatur. *Petroſelinum. Terebinthina.*

Eadem negligentia factum eſt, ut non ſolum herbam ipſam Scordium uocatam amitteremus, ſed & uocis ipſius ſignificatum: allium ſylueſtre eius loco, nominis ſimilitudine decepti, accipientes: magis in hoc peccantes, quàm in petroſelino: quod non ideo theriacæ imponitur, quia ſit uenenoſis pharmacis, aut ferис repugnans, ſed aquæ intercutis gratia, ſimiliumq́ morborũ. Scordij autem tantam uim eſſe nonnulli fide digni ſcripſerunt, ut quæcunque ſupra illud in prælio quondam corpora occiſorum ceciderant, diutius remanerent incorrupta, ſecundum eas potiſſimum partes, quæ herbam ipſam attigerant. Vnde creditur, Galeno teſte, uenenis *Scordium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferarum & mortiferis pharmacis uehementer repugnare.

Pentaphyllum. De pentaphyllo libenter intelligerem, uulgarem ne hanc passim in uijs etiam stratis nascentem acceperitis: ego non huius radicem accipiendam puto, sed eius quam tormentillam uocant: quam licet septifoliam maiore ex parte in Italia uideamus, hic, hoc est, in Pannonia, sæpius uidi quinquefoliam.

Thlaspi. Thlaspi ignotū nostro æuo, etiam uoce est, mihi apud Ioannem Augustum Laurientem episcopum, uirum & doctrina & prudentia, & quod maius est religione celebrandum degenti, comperta herba est, quam ueram Thlaspi esse puto. Cappadocæ tamen semen desiderat Galenus, colore ad nigrum accedente, maiorem Cretica, & ex quadam eius parte ueluti quassam, unde & nomen accepit.

Aspalathus. Calamus aromatites. Aspalathum, nisi sandali uocati species sit, puto hoc tempore penitus ignotam: sicuti & calamum Aromatiten. quod enim uulgus eo nomine uocat, radix est, non calamus, nec, ut arbitror, calami illius radix, sed uel Acorus est, ut etiam suspicari Hermolaus quodam loco uisus est, uel alia quædam res nobis incognita. Ego quoties Acoro opus est, non uulgari illa radice, & iniucundi odoris, sed uocato Aromatico calamo uti consueui.

Maron. Maron si non est Sampsuci species, ingenue fateor me nescire quid sit. Veram Acaciam, id est, ex Aegyptia spina factam, quam lachrymā Cyaneam uocauit primus Andromachus, puto etiam in Italia deesse, sicuti & uerum balsami lignum.

Xylobalsamū.

Theriacæ cōpositio difficilis. Tot igitur existentibus pharmacis, quæ theriace accipit, uel penitus ignotis, uel ualde dubijs, uel ad nos hisce temporibus non delatis, nescio quo modo parari recte uel possit, uel potuerit: ut illud mittam, quod uerus etiam parandi modus, longo abusu est abolitus. Non posse autem quempiam bene parare, nisi alium bene parantē uiderit, putat Galenus: qui tanta diligentia, ut in cæteris, ita in ea conficienda usus est, ut mortaria omnia, præterquā Aegyptia repudiarit: singula medicamenta non solum sigillatim eligens, sed ita inuicem cōparans, ut nullum eorum reliqua superaret, experientia ipsa cognoscens. Quod si, exempli gratia, zingiber ualde potens pharmaco imponatur, reliquis debilioribus, in compositō & sapor & uis zingiberis dominabitur: non omnia, sed quæ id bene ferre possent, contereret: reliqua prout cuiq; congruebat uel liquaret, uel solueret. Thlaspij & rapi semen quoniam ob innatam quandam tenacitatem simul alijs contrita adhærere mortario uiderat, sola modico uino addito conterebat: thus per se absque uino. Quantam uero diligentiam & in uino eligēdo, & in pharmaco per chalcitin denigrando, demum omnibus in rebus adhibuerit, legenti librum eius de antidotis facile constabit. Qua diligentia factum est, ut Antoninus Cæsar, qui quotidie pharmaco utebatur, mox ut id præguſtauit quod à Galeno paratum fuerat, quod sibi longe magis cæteris placuisset, antiquam compositionem immutatam putauerit. Sed ut iam finem epistolæ faciam, & ad id redeam à quo incepi, cum ex recipiendis in theriacæ medicaminibus, nonnulla incognita, alia factitia, alia mala esse putem, in artificibus peritiam & fidem desiderem, uix credere ualeo bonam hoc tempore theriacen præparari posse: tantum tamen tibi tribuo, ut si abs te certior factus fuero, singula inuenta & probata, rectēq; fuisse cōmixta, ea uti, quod hactenus nunquam feci, posthac non sim formidaturus.

Vale.

XXVI. Augusti. M. D. XVIII. Budæ.

Epist.

EPIST. IIII. Ad Vacensem episcopum, præseruatio oculorum, & dentium.

CVpiens id exequi quod heri Dignitas tua reuerenda mihi commisit, cursim adnotaui quæ nunc occurrerunt, ad oculorū, dentiumq; præseruationem conducentia. Sed quoniam hæc sana esse non possunt, nisi caput sanum sit: neque hoc, nisi uniuersum corpus bene habeat: ratio uictus, quam Diætam uocant, bene in primis instituenda est, ut sine qua frustra in tuenda reparanda ue bona ualetudine reliqua tentantur auxilia. Consistit autem hæc, non solum in quātitate, qualitateq; cibi & potus, sed & in omnibus his quæ uelimus nolimus nobis occurrunt: ut somno & uigilia, motu & quiete, excretis & detentis, animiq; affectibus, præcipue autem in aëre, qui non solum extrinsecus nobis semper adhæret, sed in intima corporis nostri penetralia per inspirationem cōtinuò adigitur. Quæ igitur ad cibos potusq; attinent, ceu satis per se nota, non exequor: nemo enim est qui nesciat, maligna cibaria, ac uaria, & malo ordine sumpta, cruditatemq; & crapulam, maximū & corporibus & animis afferre nocumentum. Residua uero quinq; genera, non adeò in propatulo posita, nec cuiuis manifesta, breuiter pertractabo.

Victus ratio in quibus cōsistat.

Somnus inter diem & noctem septem horarum spatium non excedat: sitq; potius nocturnus quàm diurnus: duabus horis à cibo, & supra dextrum latus, capite bene alto, duriore puluino, æstateq; corio tecto, initium capiat. Primo somno finito, uoluere corpus, & supra sinistrum redormire, non est inutile.

Exercitium quale esse debeat.

Exercitium prandium præcedat, quies sequatur. Nec quilibet motus exercitium putandus, sed ille tantum per quem respiratio permutatur. Illud autem maxime conduceret, quo inferiora corporis capite quieto mouerentur.

Enitendum summopere, ut excrementa omnia quotidie expurgentur, tam ea quæ manifeste per certos meatus exeunt, quàm quæ occulte. Nasus igitur mane bene mungendus, & quicquid sordium nocturno tempore adhæsit, expurgandum. & si quando nares obstructæ uidebuntur, uel digito butyro intincto, uel betæ succo, uel sampsuci surculis aperiantur. Gargarizandum & abluendum os aqua, cui quandoque aceti quid etiam admisceatur. Dentes autem sunt aliquo ex his quæ inferius describentur, abstergendi. Oculi quoque & aures bene à suis sordibus emundandi.

Danda opera ut quotidie aluus bis eat. Quod si sponte non fiat, iuuanda uel pruniis in aqua mulsa decoctis, uel capi iure cum saccharo, uel iusculis ex atriplice, beta & maluis multo oliuo dulci conditis: uel, quod omnibus his efficacius est, uini face contrita, aut senæ folijs cum iure decoctis. Vniuersa autem hæc sunt ante alium cibum accipienda: longeq; melius esset, si qua morula inter ea & prandium intercederet. Cauendum autem, ne quoties desidendi incessit cupiditas, uel meiendi, ob negocia differatur: summe enim hoc capiti nocet, adeò ut quosdam, uel ob solam hanc causam, pessimos incurrisse acclerales morbos cognouerimus.

Sunt & aliæ quædam uacuationes per occultos cutis meatus factiæ, quæ & ipsæ adiuuandæ. Caput igitur secundum consuetudinem semel ut minimum in septimana abluendum, lixiuio æstate mitiori, & in quo chamæmelon & rosæ bullierint: hyeme fortiori ex chamæmelo & sampsuco. Diebus quibus lotio non fit, caput linteolo aspero primo perfricandum, dehinc eburneo pecline bene pectendum est. Balneo dulcis aquæ uacuo stomacho utendum, bis uel semel in hebdomade, pro consuetudine: quotidieq; uniuersum corpus subaspero linteo perfricandum, à su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perioribus ad inferiora descendendo. Animi motus quantum fieri potest moderandi, præsertim ira: maioréque curæ & cogitationes post cibum sunt abigendæ. Sol, ignis, fumus, lunæ radij, uentus ualidus, præsertim Austrinus, à capite arcendi sunt. Itaque interdiu & noctu caput ita tuendum, ut nec algeat, nec æstuet. Et propterea in cubiculis, impense more patriæ calefactis, non est immorandum, multoq; minus in hypocaustis. Et hæc quidem ad uictus rationem breuiter dicta sint.

Ad alia accedendo, congruum mihi uidetur ut bis in anno uena secetur, post utrunq; uidelicet æquinoctium. Vere quidem, ea quæ est in cubito media: autumno, exterior. Illam communem seu medianam, hanc cephalicam uocãt. Extrahendæq;, Vere sanguinis octo ℥. autumno sex.

Laudo etiam, ut singulo quóque mense post plenilunium quatuor cucurbitulæ intra scapulas admoueantur: & si nigrescere locus uidebitur, tres unciæ sanguinis per consuetum modum loca pungendo extrahantur. Eisdem quoque temporibus ueris & autumni, præmissis quibusdam præparationibus, post uenæ sectionem corpus erit purgandum. Præparatio Vere per sequẽtem potum ter uel quinquies accepta facienda: Herbæ uel radicum fœniculi, foliculorum senæ, mediam cuiusq; unciam: sampsuci, rosarum rubearũ, utrinq; manipulum s. polypodij, passularum drachmas ternas. Res istæ in aqua arte coquantur: decocti tres unciæ mane bibantur, adiecta acidæ potionis, quam compositam uocant, uncia. Sumpta præscripta potione, purgatio erit his catapotijs in aurora sumendis facienda, quæ recipiunt pilularum Sine quibus, scrupulos duos, agarici præparati semiscrupulum, nucis mussatæ grana quinque, diagridij duo, cum aqua fœniculi. Fiant septem numero, & deaurentur. Duobus uel tribus diebus sequentibus quolibet mane accipienda mithridati drachma: post quam tribus aut amplius horis abstinendum. A Vere ad autumnum, nisi quando magni erunt æstus, utile erit ab una ad tres ex infrascriptis catapotijs accepisse, post leuem quidem cœnam, si caput: ante, si stomachus magis læsus uidebitur: Rhei electi drachmam, agarici electi scrupulum, senæ dimidium drachmæ, rosarum quindecim grana, diagridij septem grana, cum succo rosarum: fiant 21. Autumno bibẽdus sequens potus quotidie sub aurorã per integrã hebdomaden. Senæ unciam, radicum cicorij unciam s. summitatum boraginis manipulum unum: in aqua congruo modo hæc coque, & ex decocti ternis uncijs, & una syrupi de pomis Sabor (quem rectius fortè Saporis syrupum de pomis appellaremus, siquidem illius autor Persarum rex Sapor fuit.) Hinc fiat potus aromaticus cum rosis. Quo sumpto (ut dictum est) per hebdomaden, deinceps his purgetur catapotijs: Pilularum aurearum scrupulos duos, lucis scrupulum s. rosarum grana sex, diagridij grana duo, cum succo rosarum: fiant septem, & folio auri contegantur. Inde tribus sequentibus diebus, quolibet mane accipiatur medium cochleare sequentis compositionis: Sacchari rosacei unciæ duæ, pulueris aromatici rosati drachmæ dimidium, cum lulebo rosato quantum satis sit misceatur. Catapotia quibus tempore hyemis utendum: Aloës lotæ, rhei barbari electi ana drach. unam, epithymi cretici, pulueris de semine fœniculi scrupulum unum, nucis myristicæ, diagridij ana grana 10. cum aqua fœniculi: fiant pilulæ uigintiseptem, & deaurentur. Ex his sumendæ ab una ad quinque: mane, si totum corpus: ante cœnam, si stomachus: post cœnam, si caput, purgationem desiderare uideatur. Et hæc satis sint quantum ad purgationem.

Addentur nunc nonnulla oculis & dentibus accommodata. Hyeme mane abluendi oculi uino hoc pacto parato: Vini albi acerbi non ualde potentis lb. 1. herbæ fœniculi, si haberi potest, manip. 1. si non potest haberi, seminis eius uncia una, xylobalsami boni drachmæ 2. pompholygos, Nil uocant Germani, unciam mediam. Bulliant

Bulliant omnia unica ebullitione, postea per rudem laneum pannum stillent, & liquor in uase uitreo bene obturato conseruetur.

Aqua pro oculis æstate.

Rosarum partes tres, herbæ fœniculi, rutæ, ana partem unam: incidantur, & simul bene commisceantur, & post tres dies destilletur aqua, uel cum solo uapore aquæ bullientis, uel in sole, uel ad balneum Mariæ uocatum, ita ut in recipiente aquam uase pugillus earundem herbarum imponatur, ut super eas stillæ cadant, & rostrum superioris uasis cum inferiore illo studiose committatur, & circumlinatur, ut uapores exire non possint.

Pro dentibus.

Rosarum albarum & earum seminis ana drachmam unam, sandalorum albo-rum, succini albi (id est, lapillorum qui uulgò Pater noster de ambra uocantur) margaritarum albarum ana scrupulum unum, mastiches, cinamomi ana drachmam s. conterantur omnia mediocriter, & addito pauco melle rosaceo bene misceantur. In hanc miscellam uesperi intincto digito, dentes bene perfricentur. Mane ablutio fiat cum uino albo, in quo radix iridis sicca bullierit. Dentiscalpia fiant ex ligno lentisci. Optima est etiam radix unius speciei maluæ, quam in Italia herbam ungaricam appellant: alceam puto græce & latine uocari.

Poteram finem facere, sed libet adscribere res quasdam alias etiam oculis & dentibus eximie uel utiles, uel inutiles.

Confrentia oculis.

Myrobalanûm chebulam conditam mane comedere, & nucleum qui intrinsecus est, longo tempore in ore continere. Excellit etiam in hoc nux myristica, quam moschatam uocant. Semina fœniculi, saccharo cooperta. Vinum absinthites potum, & eo magis rutaceum. Cœna exigua capiti confert & oculis. Aspectus rerum uiridium, præcipue smaragdi. Acetum scyllite gargarizare oculis confert, præsertim post purgationem. Garyophili oculis sunt amici, & asparagi comesti, ac betonica. Iuuat & perdicis cerebrum, & rapa, præsertimq; folia. Euphragia herba crebro masticata. Semen fœniculi aceto maceratum, dehinc exiccatum, si ei tantũdem optimi cinamomi addatur, mediaq; pars optimi sacchari, puluisq; ex omnibus in usu sit, mire acies recreabitur.

Lædentia oculos.

Crapula, Venus, mustum, uinum dulce, turbidum, crassum, legumina, canapis, brasica, præcipue salita, raphanus, allium, porrum, cepe, & id generis reliqua, magni pisces, aspicere rem lucidam, uel uelocissime motam, legere literas minutas, maxime post cibum.

Iuuantia dentes.

Syluestris mentha uel mentastrum, saluia, origanũ, lupini, leporis caput ustum, tamariscus, cortex fraxini. Aqua in qua salitæ sunt oliuæ. Radix berbenæ masticata. Cimæ rubi. Vinum decocti radicis pentaphylli, quam tormentillam uocant. Radix lapathi masticata. Cornu cerui ustum, acetum scyllite, amurca olei, oleastri folia, quatuor hæc illita dentibus infricentur.

Nocentia dentibus.

Vehementer calida uel frigida, & maxime si unum post alterum dentes attingat. Dulcia, tenacia, acerba, dura, frequens uomitus, lac, pisces magni uel pingues, raphanus, porra, brasica, limonia.

Multa addi possent, sed Deo Opt. Max. adiuuante, pauculis his spero D. T. R. & dentium, & oculorum, & totius corporis sanitatem conseruaturam. quod ille

Universidad de Deusto
Biblioteca

efficere dignetur, qui est uera salus, cui laus & honor nunc & in perpetuum. Vale. Nonis Augusti. M. D. XIIII. Budæ.

EPIST. V. Ioanni Paulo Castiliono medico. Castigantur & exponuntur loca quædam Auicennæ: item aphorismus 26. libri sexti.

VTinam mi compater, multi hoc tempore medici inuenirentur, qui tecum sentirent, nec tantum nomini & quorundam autoritati, quantū ueritati & rationibus crederent: facile enim sperare possemus, ut antiqua & uera Medicina, quæ iam caput exerere occepit, exuta plene barbarie, deterſaq; omni caligine ac labe, leuigata ac splendenti facie, se totam speciosam & castam ueris amatoribus ostenderet. Sed magna medicorū pars, & hi maxime qui celebriores uuigō habentur, tam male initiati sunt, ut prædicare per compita & fora non uereantur, se malle cum Auicēna, Serapione, Mesue ac reliquis, quorum uerba pro oraculis hactenus habuere, non recte sentire, quàm cum recentioribus, qui medicinam à græcis fontibus hauriunt, recte. Tu uero nihil habens ueritate antiquius, non reliquis modo, sed nec Auicennæ ipsi, istorū numini, tantum tribuis, ut eius dicta in rationis æquilibrio non apponas, & sicubi deuergere putaueris, quæ tua est modestia, aliorū iudicium requiris. Quod ut recte facis, ita illud nescio an recte, quod me in eorum numero statuis, qui de tam celebratis uiris norunt iudicare. Paucorum est hoc priuilegiū, & quod non temere quispiā sibi debeat uindicare. Quod ut mihi neq; usurpo, nec arrogo, ita cuiusq; boni uiri esse puto, oculo ad ueritatē directo, libere quid sentiat, his maxime qui id expetunt, aperire. Quod si cui fortè negare possim, tibi nec possum, nec debeo, per epistolam petenti, ut quod uiua, ut aiunt, uoce te audiente multoties feci, & quotidie meis discipulis facio, id faciam absenti per literas, ut scilicet de nōnullis Auicennæ dictis quid sentiam tibi significem. Ne igitur te amplius uerbis morer, rem ipsam aggredior.

» Scribit, ais, Auicenna capite de tremore, hæc uerba: Et materia quidem frigida, »
» aut est pauca in meatibus, in quibus ipsa mouetur, & quandoq; cum uia penetra»
» tionis, & quandoq; cum uia prohibitionis, aut non est potens omnino. Hæc sunt
Auicennæ in uulgatis exemplaribus uerba. In quibus cum expositores errarint, te
alioqui ingeniosum mirari non est hæsisse: quoniam & in codice tuo, sicuti in plerisque mendose leguntur: & etiam si recte legantur, sunt difficilia. Castigabo igitur ea in primis, dehinc uerum eorum sensum aperire conabor. Sic legendum iuxta Hebraicam æditionem, quæ tamen præterquam unico uerbo ab antiqua lati»
» na non euariat: Et materia quidem obstruens, aut est patiens in meatibus, in qui»
» bus ipsa mouetur, & quandoque cum uia penetrationis, & quandoque cum uia
» prohibitionis, aut non est patiens omnino. Horum uerborum sententia est. Materia obstruens prohibensq; uirtutem, ne perfecte possit penetrare, sicuti superius dixerat, aut est patiens in meatibus in quibus mouetur, ita ut aliquando uincatur à uirtute, nec possit prohibere quin penetret: aliquando contrà, ita superat uirtutem, ut ipsam prohibeat penetrare, aut omnino non patitur: quia uidelicet semper uirtuti resistit, & nullum ei transitum permittit. Pati siquidem & patientem esse, uel non patientem, materiam in hoc loco intelligimus, non actionem in se aliquo modo suscipere, uel non suscipere: sed tunc intelligimus materiam pati, quando succumbit quodammodo & cedit uirtuti: tunc non pati, cum penitus resistit. Accepit autem hæc dubio procul Auicenna à Galeno libro tertio de causis symptomatum,

matum, qui in uulgatis Galeni æditionibus liber quintus de accidenti & morbo inscribitur, capite iuxta eandem barbaram æditionem secundo. Verba Galeni subiiciam, quæ Auicennæ uerbis lucem expositionis præbebunt: ut hinc quoque cognosci possit, medicinam à fontibus ipsis, non à turbidis lacunis esse hauriendam:

καὶ μὴν δὴ καὶ οἱ παχεῖς καὶ γλίσχροι χυμοὶ, τὰς ὁδοὺς τ δυνάμεως ἐμφράττοντες, ὡς ὑπερρεῖν » ἐλάττονα, τρόμων αἰτία καθίστανται, καὶ μάλιστα ὅταν ἀκριβῶς ἐμφράζωσι καὶ πρὸς ὀλίγον μόριον » ἄπλα νεύρων ἴνῶν. εἰ γὰρ ὑπόλοιποι τ ἰνῶν, ἀδυνατοῦσιν ἰσχυρῶς ὠθεῖν ἐφ τ μυῶν. ἐπειδὰν μὲν » πρὸς τὰ φράττοντα τὰς ὁδὰς τ νεύρων ὁδοὺς τ δυνάμεως ὑγρὰ μηδέπω πέλας ἐμπεπλασμένα » τύχῃ, δρᾶσαι δύναται δίχα τ δρᾶσαι κινεῖσθαι δυνηθῆ καὶ τὰς βιαιοτέρας ἐμποιῆσαι τ δυνάμεως, αἱ ποιοῦ» γίγνονται κινήσεις, οἷας ἐμπροσθεν ἐφαμεν ὀλίγον ἀρχομένας ὀλίγου συμβαίνειν, ἐπαι» ρομένου μὲν ὀλίγου τ κώλου, καταπίπτοντος δ' αὐτίκα. καὶ μὲν γὰρ τῶν ἐμποδίων τ δυνάμεως, » ὅταν ἐπεγέρασά τε καὶ σωβερώτερον ἑαυτῆς σφοδρότερον ἐπιθῆται, ἀποστῆναι τὰ τῶν νεύρων ἐμφράγματα κινεῖται τὸ κῶλον. αὖθις δὲ τ δυναμένου εἰς τὸν ὄγκον τόπον συρρέοντων. καταπίπτει » τε καὶ ἀκίνητον μένει), μέχρι πρὸς αὖ πάλιν ἐκ διαστροφῆς ἡ δυνάμις ἀθροώτερον ἐμπεσοῦσα, δρᾶσαι » διάσει οὓς χυμοὺς, οἱ κατελήφεισαν αὖθις τὰς ὁδούς. Crassi ac tenaces, ait Galenus, humores, quando meatus uirtutis ita obstruxerint, ut minor eius fiat influxus, tremoris causa sunt, ac tum præcipue, cum integram fecerint obstructionem, & in » neruorum quorundam partibus resolutionem: reliquæ enim fibræ musculum ue » hementer tendere non ualent. Sed quando humores uias uirtutis per neruos eun » tis obstruentes nondum integre impacti fuerint, sed adhuc aliquo modo agitari & » moueri queunt, conante uehementer potentia, tales eueniunt motus, quales fieri » superius diximus resolutione incipiente, subleuato aliquando membro, mox decidente. Per incursum enim uirtutis aut potentiæ quādo (seipsam uehementius ex» citans & colligens) obstructiones neruorum expellit, mouetur membrum. Rur» sus autem his quæ expulsa fuerant ad locum in quo in initio erant confluentibus, » decidit & immobile iacet, quoad rursus secundo potentia collectis magis uiribus oc » currens, humores qui sibi uires abstulerant, dissipauerit. Hæc Galeni uerba si quis » diligenter scrutetur, atque illis conferat quæ ab Auicenna scripta sunt, eandem in utriſque agnoscet sententiam, in illo clarius ac fusius, in hoc breuius & obscurius expressam. Nam quod dixit Galenus, ita obstrui aliquando meatus, ut minor fiat uirtutis influxus: hoc significat Auicenna, per materiam non esse patientem: quia scilicet non patitur ut uirtus aliquo modo pertranseat. Et per contrarium, id est, per hoc quod dicit materiam pati: obstructionem non esse integram, & aliquem pati uirtutis ingressum. Et quod Galenus ait, subleuari aliquando membrum, aliquando decidere, exprimit Auicenna his uerbis: Quandoque cum uia penetrationis, » quandoq; cum uia prohibitionis. Quando enim uis obtinet, tunc penetrat & membra subleuat: quando materia uincit, tunc prohibendo penetrationem prohibet & motum, sicq; membrum decidit. Et hæc ad primam tuam dubitationem dicta sint.

Quod ad aphorismū uero pertinet, ab Auicēna eodem capite uersus finem recitatum, & 4. lib. cap. de causo, neutro horum locorū Galenum reprehendisse uidetur, maxime si Hebræam sequamur literā. Libro enim tertio sententiam eius refert tantū, non taxat. sic enim iacet litera ad uerbum: Et Galenus quidem non cōcedit » hunc aphorismum, ex eo quod modum non habet. Quorum uerborū sensus est, » Galenū non cōcedere hunc aphorismū, non quia uerus nō sit, sed quia modum loquendi Hippoc. non habet. Liquet autem duo hæc de aphorismo sensisse Galenū, eius expositionem legenti. Primo enim ueritatem aphorismi ostendit, his uerbis: Quæ enim hanc febrem efficiūt causæ, in uenoso genere existentes, quādo ad ner» uos transferūtur primū tremores faciunt, cōpatiente uero principio, etiam deliria. » Deinde quibusdam interiectis, non uideri hunc aphorismū esse Hippocratis osten»

Universidad de Deusto
Biblioteca

» dit, dicens: Improprie igitur dictum est, febrem ardentem à tremore solui. Hæc
» enim dicere consueuit Hippocrates: Quibusdam superuenientia, eorum soluere
» consistentiam, quæcunque omnino hominem liberant, non quæ alteram gene-
» rant passionem, quæ nihilo minus sit priore periculosa. Ex quibus patet, probari
à Galeno aphorismi ueritatem: loquendi modum non probari, ueluti Hippocrati
non consuetum. Patet & aliud, hoc est, aphorismum à te non bene legi, essecp in
eo antiquam sequẽdam interpretationem, non nouam. quæ quidem noua habet,
ut tu scribis: Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur. Non
enim uoluit Hippocrates, delirio tremorem solui, sed à tremoribus & delirio arden
tem febrem. In quem sensum Auicenna quoque ipse aphorismum adducit, libro »
» tertio, in hunc modum: Et Hippocrates quidem iam dixit, Cui accidit in febre cau
» sode tremor, tunc sensus permixtio resoluit eam ab ipso. Licet libro quarto nouæ
» interpretationi suffragari uideatur, dum dicit: Et Hippocrates quidem dixit, quod
» si alicui accidit in febre causo tremor, tunc permixtio mẽtis soluit ab eo tremorem.
In qua re non uideo, quicquid imaginetur Gentilis, quomodo defendi possit: quan
do unum & eundem aphorismum, unico tantum modo ab Hippocrate scriptum,
aliter uno loco, aliter alio interpretatur. Prima autem, hoc est, tertij libri interpreta-
tio, græcæ literæ accommodatur, quæ uerbum ex uerbo sic habet: Quibuscunque
in ardentibus febribus tremores fiunt, delirium soluit.

Ad id quod tertio loco de Sucuto petis, nemo qui Auicennæ caput secundi li- »
bri 542. ubi de sucuto agit, capiti Dioscoridis de symphyto comparauerit, ambigere
poterit, idem esse Auicennæ sucutum, & Dioscoridis symphyton: erroréque uel
interpretis, uel ipsiusmet Auicenæ contigisse, ut semperuiuum dicatur. Errasse au-
tem Auicẽnam, uel potius nescijsse quid esset, ex eo constat, quod uarias de eo opi-
niones & secundo & tertio libro affert, nec uni præ alijs adhæret. Secundo enim li-
bro alios existimasse, quod esset semperuiuum, alios quod mandragoræ cuiusdam
semen, alios aliam rem. Libro etiam tertio, capite de sputo sanguinis, duas de eo sen
tentias affert. Nam postquam dixerat, quod est semperuiuum: aliam cuiusdam Ag
gregatoris subdit opinionem. Non enim de alia medicina loquitur, sicut Iacobus
cognomento de Partibus est arbitratus, sed de eodem sucuto ait, scripsisse uirum »
quendam in suis Aggregationibus esse calamenti, id est, origani specie, hoc est, si-
militudine. Origanum autem dici ab Auicenna calamentum, secundo libro mani-
festatur, cap. 158. ubi sub calamenti nomine de omnibus origani speciebus pertra-
ctat. Deinde subdit, eundem uirum dixisse, quod nascitur inter lapides. Vtrunque
autem primæ symphyti speciei adscribit Dioscorides, nasci uidelicet inter petras, &
origani trahere similitudinem, tertiumcp cum his, sputo sanguinis prodesse. Melius
igitur quàm Auicenna coniecisti, & sucutum esse symphyton, & utrancp eius spe-
ciem uulgò dici Consolidam: quarum maior passim apud nos nascitur, & à simili-
tudine radicis lucanicam uocant. Mirandulenses alam nominant, alum uolentes,
uel potius debentes dicere. Ita enim primam eius speciem nominat Plinius lib. 26. »
& 27. in saxis nascentem, ramis origani tenuibus, in cacumine thymi capitibus, sur
culosam, odoratam, gustu cum dulcedine saliuam cientem, radice longa, rutila, digi
tum crassa. Quam si, ut scribis, conspicatus es, & apud te habes, rem mihi pergra-
tam facies, si uidendam miseris.

Illud demum quod maioris momenti putas, & uerè existit, ceu in perniciem
certam hominis tendens, (si, quod plerique peccant, Auicennæ uerba oscitan-
ter lecta, ueluti oracula ad minimum usque apicem memoriæ commendentur,
ut pro certa regula sint, per quam medici opera dirigantur) facillime tollitur, si
litera, prout debet, castigetur. Capite enim de pleuritide in tuo codice, sicuti
in quodam

in quodam etiam meo, hæc uerba leguntur: Et cum accidit in pleuresi solutio »
uentris, & fuerit pleuresis succedens decollationi resolutæ ad latus, prohibe istud »
cum cura phlebotomiæ & lenificationis naturæ cum sufficientia sauic hordei. Quæ »
sunt hoc modo castiganda. Cum in pleuritide acciderit uentris solutio, fuerit que
pleuritis succedens anginæ, quæ ad latus resoluta sit, prohibet hoc omnem curam
phlebotomiæ & lenitionis uentris, sufficitcp ut cum polenta ratio uictus institua-
tur. Est enim sensus apertus, quod angina ad latus permutata, si uenter laxus fue-
rit, nec uena secanda, nec uenter leniendus, sed sat est polenta uti. Polentam Latini *Polenta.*
uocãt id, quod Græci alphithon, & Arabes sauic. Habes igitur mi compater, quid
de tuis petitionibus sentiam. In quibus si quid te offenderit, te potius culpa, quod
talem iudicem elegeris, quàm me, qui publicis (ut nosti) lectionibus, alijscp nego-
cijs implicitus, hæc ut amico morem gererem, qualiacunque pro tempore occurre-
runt, tumultuarie annotaui. Vale.

EPIST. VI. in qua diminutæ uisionis causæ inuestigantur.

Asus huius præclarissimi uiri, quantũ ex his quæ scripta & relata sunt,
potui conijcere, sunt diminutio, & quasi ablatio uisus, in sinistro ocu-
lo ex cicatrice, in dextro diminutio cõiuncta corruptioni. Symptoma-
ta hæc quidem euidentia. Dispositiones, & dispositionum causæ in de-
xtro immanifestæ: quod uel ex hoc constat, quia alter ex medicis quo-
rum consilio utitur, Nyctilopam, alter Agilopam putat. Et qui Agilopam, non sa-
tis etiam sibi constat: nam uel à subtilitate, uel à debilitate instrumentorum fieri ait,
& fuisse aliquando guttam serenam, id est, ut ipse definit, interiorem oppilationem
cum oculi in anteriore parte limpiditate: ita enim ipse loquitur. In hac igitur con-
trouersia, filij precibus impulsus, sententiã meam libere aperiam: non tamen pro-
pterea præiudicium aliquod ueritati, meliuscp sentientibus facturus, præsertim ex-
cellentiss. D. Anselmo tanquam fratri mihi obseruatissimo. Mihi quidem uidentur
Nyctilopæ symptomata huic uiro non adesse: siquidem qui eo affectu læduntur,
interdiu uident, sole occidente imbecillius, nocte nequaquam. Præstans autem hic
uir, male semper, ut scribitur, & in magno lumine nihil uidet. Agilopæ autem no-
men non nisi apud barbaros lego: uidenturcp ea uoce id significasse, quod alia bar-
bara uoce ab Auicenna Aliar dicitur, eum uidelicet qui in tenebris uidet, in lumine
minus. Videtur autem Agilopis uox corrupta à græca, aliam tamen rem signifi-
cante: ἀγίλωπα enim uocant Græci abscessum inter nares, & magnum oculi an-
gulum: qui si incuriose, ut inquit Paulus, tractetur, in Fistulam uertitur. Verum
uoces quidem, Agilopis & Aegylopis, propinquæ: res tamen, uti constat, in to-
tum diuersæ sunt. Siquidem ægylops extra oculum fit, & ab ea raro usus offen-
ditur: qui in Agilope ualde læsus est. Verum habent Græci aliam uocem huic non
adeò similem, sed cuius significatum magis cõueniat cum barbarorum uocato Agi
lope. ἀμβλυωπίαν enim uocant usus obscuritatem, ab immanifesta causa. Conue- *Amblyopia uisus obscuritas.*
nit autem Amblyopia cum alio affectu, qui ab eisdem Græcis uocatur ἀμαύρωσις, *Amaurosis plenum usus impedimentum.*
quatenus uterq; fit ab immanifesta causa. Differt uero, quoniam in hoc plenum est
totius uisionis impedimentũ: in amblyopia sola obscuratio, nõ plenus defectus. Vt
igitur ad rem ipsam, cuius causa nomina hæc inquisiuimus, accedamus, si uera sunt
quæ mihi narrantur, nullam uidelicet ostendi in oculo mutationem, certe amblyo-
piam pati clarissimus hic est uir dicendus, fatendúmque erit causam in uisuali esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

» neruo. Ait siquidem Galenus libro quarto de locis affectis: Cum nullo in oculo
» malo apparente cernendi sensus deperditus est, demissus à cerebro neruus causam
in se continet. Posset hoc præter Galeni autoritatem patère examinanti causas, & à
Galeno & ab alijs recitatas, à quibus impedimentum uisionis potest cõtingere. Sed
satis erit eas percurrisse, quas huius symptomatis esse causas D. Anselmus putauit,
subtilitatem scilicet instrumentorũ, uel debilitatem. Videtur autem per instrumen
ta intellexisse spiritus: siquidem alio in loco concludit, in oculo adesse, uel magnam
indigentiam spirituum, uel subtilitatem. Neutrum uero horum mihi deintegro ui-
detur posse accidere sine oculi mutatione. Diminutis enim adeò spiritibus qui de na
tura sua lucidi sunt, ut propemodum nulla uisio fiat, necesse est claritatẽ, limpidita-
temq; oculi obfuscari, imò etiam magnitudinẽ eius minui. Nam copia eorum in tu
nicas & humores penetrãte, omnes oculi partes uel maiorem locum occupãt: atq;
illis deficientibus, corrugari & contrahi eas necesse est, atq;, ut sequens est, minorem
locum occupare. Præterea sanguis qui in oculi uasis continetur, dissolutis spiritibus
minus quoq; spatij occupat, atque eam ob causam etiam oculus minuitur, & uasa
ipsa minus apparent, imò ex illis quæ apparebant, aliqua tota delitescunt: sicq; mu-
tatio in oculis cõtingit. Absentia item spirituum oculus frigefactus, & à pristino ha
bitu permutatur, & densior effectus minorem locum occupat. Vt enim calidi est di
latare, rarefacere & extendere, ita frigidi constringere, densare, & contrahere. Præ-
terea si diminutio hæc uisionis ex sola spirituum paucitate fieret, deberet longinqua
quidem male, propinqua bene uidere: cum tamen, ut scribitur, nihil uideat à lon-
ge, male prope. Concludit etiam hæc ratio, & spiritus non esse subtiles, quia spiritus
subtiles faciunt, ut propinqua bene discernãtur. Cum igitur in hoc homine, & pro-
pinqua & remota male uideantur, oporteret dicere, spiritus factos esse non solum
paucos, sed etiam turbidos: & sic necesse esset ipsam oculi substantiam turbidio-
rem apparere. Principale porrò propositum similiter probabimus, excutiendo cau
sas tenuis spiritus ab Auicenna assignatas, quæ sunt: siccitas magna, rarefactio, den
satio. Nullum enim horum absq; manifesta oculi mutatione uidetur posse contin-
gere. Multa addi possent, quæ breuitatis causa dimittuntur: ex his enim liquet, uel
paucitate & tenuitate spirituum hanc læsionem non fieri, uel mutationem aliquam
in oculi parte exteriore apparere: quæ cum, ut scribitur, non appareat, alia dispo-
tio est quærenda, à qua hoc impedimentum fiat. Quæ quoniam nec in tunicis, ne-
que in humoribus esse potest, nisi ad sensum ostendatur, ut facile probari posset, se-
quitur ut in neruo sit. Vt igitur tandem concludamus, his quæ scripta sunt inniten
do, fatendum in uisualibus neruis esse ægritudinem: quæ cum triplex, Galeno te-
ste, esse possit, inflammatio uidelicet, durities, uel obstructio: inflammationis q; aut
duritiei signa non adsint, sequitur ut sit morbus in compositione, qui oppilatio, uel
obstructio dicitur. Sicq; iam inuenimus symptomata & morbum: causam autem
obstructionis propriam mihi absenti impossibile, præsentibus non facile est uestiga
re. Verisimile tamen est, crassam esse materiam, uel pituitam uidelicet, uel atram bi-
lem. Sed dicat fortè excellentiss. D. Anselmus, si obstructio (ut ais) uisualium ner-
uorum adest, sequitur ut spiritus transire non possit: & sic recidis in opinionẽ quam
reprobasti. Dicam, spiritus ad oculum non solum per uisuales neruos, sed & per
motiuos, & per arterias transmitti. Nec solum carentiam spirituum esse causam in
casu nostro talis impedimẽti, sed multo magis uisionem impediri, quia species per-
transire non possunt. Rursus dicet secundum sententiam Galeni, uisio in crystal-
loide perficitur, ergo non potest per obstructionem neruorum uisualium, qui sunt
post crystalloidem, impediri. Dicam ex Galeni sententia, inter oculi partes crystal-
loidem principalius ad uisum concurrere, eiq; principaliter uidendi officium attri-
bui:

bui: perfectam tamen & completam uisionem, sicuti & aliorum sensuum opera-
tiones in cerebro absolui, ut aperte Galenus lib. decimo de usu particularum. Ne-
queuntibus igitur speciebus uisilium ad cerebrum peruenire, uisio compleri non
potest. Non negamus tamen deficere etiam spiritus in crystalloide, & propterea ui
sionem ipsam, prout ad eam pertinet, impediri: in anteriore tamen oculi parte ob-
structis illis neruis, adhuc reperiri tot spiritus posse contendimus, ut nulla mutatio
facta in crystalloide cognoscatur. Alioqui fieri non posset, ut nullo in oculo malo
apparẽte, obstructio esset in uisualibus neruis, quod tamen Galen. asseruit. Quan-
do enim ualde desunt spiritus, tunc uel corrugatio corneæ, uel phthisis oculi con-
tingit, ut idem Galenus ostendit: qui affectus sensu & inspicientis & bene conside-
rantis deprehenduntur. Sed de his fortè plura quàm esset opus: ad agenda enim
& operam medici festinandum. Facile autem ex dictis colligi possunt curatiuæ in-
tentiones. Læsionem enim uisionis diximus fieri ex obstructione: ipsam uero ob-
structionem à crassa materia. Erit igitur principalis intentio, materiam illam à ner-
uis uisualibus extrahere: quæ res ut facile cognoscitur, ita difficile fieri potest, adeò
ut multi impossibile hoc iudicarint. At quoniam morbus hic, id est obstructio, non
in totum est factus, sed adhuc fit: uel si non fit, periculum est ne adhuc crescat, & ple
na tandem obstructione ex amblyopia ad amaurosin fiat transitus, ideo præseruа-
tiuo etiam genere utendum, imò ab eo incipiendum: frustra enim materiam illam
obstruentem amouemus, si alia loco eius semper præstò sit. Cauendum igitur ne
materia adsit, quæ ad locum possit defluere. Congruo itaque uictu procurandum,
ut neque de integro generetur: uel, si qua est genita, uel generabitur, uacuanda,
& aliò distrahenda est. Et quia ex imbecillitate cerebri congregatur, roborandum
cerebrum, ne eam congreget: roborandi & oculi nerui, ne recipiant: eruntq; qua-
tuor in genere intentiones præseruatiuæ: ratio uictus, uacuatio, diuersio, mem-
brorum roboratio: curatiua unica, uacuatio. Quibus uero instrumentis explendæ
sint singulæ, ridendus sim, si præsentem medicum doctrina & experientia percele-
brem, docere uelim. Nam quæ ad uictum attinent, satis diffuse ab antiquis & re-
centioribus scripta sunt: ijdem etiam multa medicamina nobis reliquerunt, qui-
bus peccantes humores purgandi sunt: nósque docuerunt, non posse caput pur-
gari, uniuerso corpore non prius purgato. Ego tamen ex his quæ ab antiquis scri-
pta sunt aliqua eligerem, quæ non simul multam facerent uacuationem: quibus
semper aliquid miscerem quo cerebrum roboraretur: crebrisq; potius quàm ma-
gnis uterer purgationibus. Quod & in capite ipso uacuando, siue per caput pur-
gia uocata, siue per apophlegmatismos obseruarem: quibus etiam fortè curatiua
intentio perficeretur, uacuato uidelicet humore qui obstructionem facit. Quod ad
tertiam uero pertinet intentionem, secunda expleta, quacunque uia conarer ma-
teriam aliò trahere, neq; in hac, ut in secunda, leuioribus uterer, sed ad potentia sta-
tim uenirem, incipiendo tamen à partibus magis distantibus. Primo igitur cum
aliquo uim urendi habente, escharam in dextro brachio loco congruo excitarem:
factúmque ulcus cum ciceris grano, uel alia simili re, apertum diutius tenerem.

Secundo, in posteriore parte capitis, consueto etiam ad similia loco, factis à peri-
to chirurgo duobus foraminibus, setas equinas insuerem, quibus facta foramina
aperta diutius conseruarentur. Tertio, in confinio anteriorum futurarum caluæ,
cum auro, uel ferro ignito urerem: quod non solum ad præseruationem, sed etiam
ad curationem, si quid aliud, maxime idoneum puto, ceu potens materiam obstru-
entem dissoluere & distrahere. Quæ auxilia si fortè præstantissimus hic uir formi-
daret, loco ignis in tribus prædictis locis, calce & sapone commistis escharas face-
rem, uel ligno uitis. Quantum demum ad quartam attinet intentionem, pleni

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt medicorum libri, quibus rebus cerebrū, quibus oculi roborandi sint, tam per interius sumpta, quàm per extrorsum applicanda: in quibus etiam aliqua, quæ materiam obstruentem discutere uel dissoluere ualerent, miscerí possent. Curatiuam intentionem non aliter prosequor, quoniam eisdem auxilijs, quibus tres ultimæ præseruatiuæ, perficitur: ipsamq; , atque etiam quæcunque superius scripsimus, iudicio & arbitrio præsentis medici fratris mihi obseruatissimi relinquimus, cui me plurimum opto esse commendatum.

IO. MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBRI SEXTI FINIS.



NTER omnia uirtutum genera à philosophis, præcipueq; ab Aristotele Peripateticorum principe, celebrata, mea quidem sentētia, liberalitas plurimum excellit. Non solum enim nos hominibus reliquis admirabiles, sed si qua alia Deo maxime similes reddit. Qui non alia ex causa (si Platoni credimus) mūdum creauit, nisi ut bonus cum esset, suam bonitatem alijs impartiretur. Hanc tam eximiam raramq; hoc seculo uirtutem, uel ex beneficētia, qua in Leonicenum incomparabilem uirum, quoad uixit, usus es, in te eminere cognoscens, Alphonse Trotte uir benignissime, atque in alijs fortunæ, corporis, atque animi bonis, quibus locupletissime ornaris, ueluti preciosissimam in purissimo auro gemmam resplendere, sæpius mecum ipse cogitaui, ut quod Leonicenus ipse, quanquam nonagenarius, immatura tamen, si usum, quāto mortalibus erat, spectemus, morte præuentus, facere plene non potuit, tuam hanc liberalitatem, quod solum est uirtutis præmium, quātum pusillæ meæ uires possent, immortalem redderē. Occurrerat autem mihi uia, qua simul & Leoniceno de me, sicuti de omnibus qui literas colunt, bene merito gratias redderem, simul & meo illi desiderio satisfacerem: Si Leoniceni uidelicet interpretationes, quas emēdare ipse morti proximus cœperat, consultis græcis exemplaribus, quæ nunc inuulgata sunt, castigarem, & tuo nomini dedicarem. At dum huic castigationi operam do, tu (licet huius mei propositi penitus insçius) eadem beneficentia, qua in Leonicenum utebaris, me aggrederis, atq; certatim quotidie me, meosq; nouis beneficijs accumulas, & quasi obruis. Quare ne ingratus planè ex diutina mora uiderer, mutare sententiam coactus sum: atq; non de cudenda aliena moneta, sed ex propria, & iandiu in scrinijs adseruata, rationem non amplius Leoniceni, sed iam meam aliqua ex parte dispūgere. Libros igitur sex medicinalium epistolarum, in opistographis meis inuētos, sex prioribus, iam agitur sextus annus à me æditis, superaddere constitui, & sub tuo nomine publicare: ut ex hac, quamuis exigua solutione, me non omnino malum nomen esse cognosceres, facultatemq; mihi potius persoluendi deesse, quàm uoluntatem. Accipe igitur hæc qualiacunq; hilari illa, qua me semper excipis fronte, atque meliora, si tempus & uires suppetent, patienter expecta.

Vale uir magnifice, &, quod facis, literas, & earum amatores foue.

Ex ædibus nostris, XV. Calend. Ianuarij.

M. D. XXVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS MANARDI EPISTO LARVM MEDICINALIVM LIBER SEPTIMVS.

EPIST. I. ad Iacobum Ciglerium. Quod ſub æquinoctiali eſt habitatio.

CVM anno abhinc quinto primum Auicennæ medicinalem librum pro mea profeſſione in Ferrariæ patriæ meæ literario gymnaſio publice enarrarem, ad idq; caput peruenisſem, in quo de Temperaturis agitur: & ad eius capitis locum, ubi inquirit, quænam orbis regio ueræ mediocritati, exactoq; tẽperamento ſit propinquior: conſiderarem q; diligentius, atq; ſub examen experimenti & rationis ducerem, tam eius ſentẽtiam, quàm eorum qui ſecus ac ipſe ſenſerant: non tantum (quod ferè neoterici peccauerunt) dicentium autoritati, quantum dictorum tribuens ueritati: inueni nonnulla in quibus ſecum, nonnulla in quibus ſecus quàm ille, ueritas ipſa, qua nihil philoſopho eſſe antiquius debet, me & credere & docere coëgit. Mea autem hæc inuenta, quoniam tunc (ut conſueueram) non potui ob bellorum turbulentias examini publicæ diſputationis exponere, nunc tuo ſubijcere decreui iudicio, ut quem intelligam in mathematicis, ad quas quodammodo hæc pertinent, eminentiſſimum, ſicuti & in humana, diuinaq; philoſophia apprime eruditum. Vt igitur certo ordine procedam, in primis Auicennæ mentem, dehinc eorum qui in contrariam abiere ſententiam, explicabo, utrobiq; meum ſemper interponens iudicium: quod & rationibus enitar roborare, & contrarias argumẽtationes pro uiribus diluere. Duo inibi rerum capita ſunt quæ in controuerſiam ueniunt. Primum, ſub æquinoctiali circulo, niſi ex accidente aliquo impedimentum aduenìat, eſſe temperatiſſimã habitationem. Alterum, quod poſt prædictum locum quartum clima maiore gaudeat temperie. Primam ſentẽtiam, luciditatis maioris gratia, in duas ſeco, iuxta duo quæ in ſe claudit, ſcilicet ſub æquinoctiali eſſe poſſe habitationem, & eſſe temperatiſſimam. Quorum primum apertam noſtris temporibus ueritatem habet. Siquidem

Luſitanorũ peregrinatio.

Luſitanorum in extremo occidente habitantium hominum, per oceanum Atlanticum ad auſtrum primo, deinde ad oriẽtem nauigatio clare nos docuit, ſub æquatore, diuerſis in locis, in quibus nec mare, nec alia res impedit, uarias gentes habitare.

Lib. 2. de cælo.

Quod ſi quis credere nõ uult, plus Ariſtotelis autoritati tribuens, & Auerrois Cordubenſis, quàm apertæ ueritati, plurimorum fide digniſſimorumq; uirorum teſtimonio, qui ad ea loca nauigarunt, approbatæ, cum eo certe non eſſet alio modo diſputandum, quàm eo quo cum negantibus ignem eſſe calidum diſputat Ariſtoteles, ut ſcilicet cogeretur cum aſtrolabio, ſtylo & abaco, illuc nauigare, rem ipſam exploraturus. Nos tamen, ut obiter hoſce tam obſtinatos Auerroicos retũdamus, qui quicquid ille dixit, axiomatis loco habent, argumẽtationes ipſius Auerrois ſectatorumq; eius ſigillatim diluemus, ut uel ex hoc bonæ mẽtis iuuenes moneãtur, ne temere aliis in rebus ei credant. Qui ubi ſe demonſtrare putauit, cõtra ueritatem uix dialecticis argumẽtis pugnauit. Sed miſſis uerbis, rem ipſam aggrediamur. Habitationẽ ſub æquinoctiali circulo nõ eſſe, multiplici uia probare conatur Auerrois, primo ſigno ſumpto à ſenſu & ratione. Cuius uim ego ſic colligo: Senſu cõſtat Aethiopes ſub Cancri circulo habitãtes, ab humana tẽperatura eſſe ualde ſummotos, nec poſſe in eo loco ob exuperantẽ calorẽ, niſi per accidens, hoc eſt in ſpeluncis & aquis habitari. Cum igitur ſub æquinoctiali maiores ſint calores, quàm ſub Cãcro, ſub eo omnino erit impoſſibilis habitatio. Anterius ſumptũ ſenſu (ut diximus) cõſtat. Poſterius hac ratione: Sol ſemel in anno accedens ad uerticem habitantiũ ſub Cancri circulo,

Auerroi haud temere credendum.

circulo, cauſa eſt ut uix ibi poſſit habitari: Ergo bis accedens ſupra loca quæ ſubſunt æquinoctiali, impoſſibilem omnino inibi reddet habitationem. Cõfirmatur hoc ſignum, quoniam idem uidetur cõtingere eunti uerſus auſtrum, ob calorem, quod eunti uerſus ſeptentrionem propter frigus. Sed eunti uerſus ſeptentrionem occurrũt loca uix habitabilia propter frigus, ut quæ Theutones, & uocati (ut ait ipſe) habitant Sclaui, ultra quæ nulla eſt habitatio: igitur idem credendum eſt eſſe uerſus auſtrum: totamq; humanæ tẽperaturæ latitudinẽ, in Sclauorũ uocatorũ & Aethiopũ tẽperaturis, tanquã duobus extremis finiri. Hæc eſt prima Auerrois argumẽtatio. Cui reſpõdentes, negamus poſterius ſumptũ: cauſam enim maioris caloris ſub Cãcri circulo, non ſolum ex directione ſolis ad uerticẽ habitãtium eſſe dicimus, ſed ex mora & uarijs cauſis, quas inferius adducemus, nobis quidem & alijs multis intelectis: licet Auer. putauerit nõ intellectas: ex quibus etiã cõfirmatio adducta infirmabitur, oſtendentibus nobis habitationẽ uerſus utrũq; extremũ, ultra ea loca protendi, quæ terminos habitationis Auerrois exiſtimauit. Altera Auer. ratio, quam demõſtrationẽ eſſe dicit à ſigno, eſt huiuſmodi: Si eſt locus inhabitabilis ob frigus, erit in oppoſita parte locus inhabitabilis ob calorẽ, alioqui ob frigoris fortitudinẽ mundi fieret abolitio. Hæc autem ratio (quod cum bona Auerrois uenia dixerim) tantũ abeſt ut demonſtratiua ſit, ut uix dialectica dici mereatur. Frigus enim cum ſit res uitæ contraria, locum magis inhabitabilem reddit, quàm æqualis, imò eo etiam maior caloris modus. Econtra uero remiſſior calor à ſole, aſtriſq; reliquis, ac uniuerſo cœlo adiutus, expugnare uehemẽtius frigus, nedum ſe ab eo tueri poteſt, ut qui per ſe à natura intenditur, & ſicuti Ariſtoteli placet, rationem poſitiui habet, quemadmodum frigus priuatiui: atq; id potiſſimum frigus, quod in ora aquilonari ueluti relegatum eſt: frigent enim ea loca, potius quia cauſæ ibi deſunt calefacientes, quàm quod adſint infrigidantes. Quod uel ex ipſo Auerroë colligi poteſt, cauſas illius frigoris, in ſolis diſtantiã, debilem radiorũ reflexionem, cœleſtis motus tarditatem, diẽrum cum noctibus improportionem referente: ferè enim hæc omnia calorẽ potius tollunt, quàm frigus ponãt. Patet igitur Auerrois connexionẽ non eſſe neceſſariã, fieriq; poſſe ut mundo non deſtructo, ſit in eo locus inhabitabilis propter frigus, & nullibi ſit locus inhabitabilis propter æſtum. Neq; locus à cõtrarijs, quo ad eandem firmãdam argumentationẽ utitur, maius argumẽto robur addit: ſic enim argumentatur: Si inuenitur unum cõtrarium, inuenitur & reliquũ: ſed eſt locus in quo ob dominiũ niuis, quæ frigida eſt & humida, habitari nõ poteſt: igitur erit locus qui ob ignis calidi & ſicci dominiũ non poterit habitari. Dicam enim in primis, cõtraria nõ adeò neceſſariã habere connexionẽ, ut uno actu poſito, aliud neceſſariò ponatur: eorum enim oppoſitorũ potius ea eſt proprietas, quæ relatiue opponũtur, non contrariorũ. Et ſi illa aliquãdo Ariſtoteles utitur, non ut demonſtratiua, ſed ut probabili utitur. Deinde, eſto quod unum contrariũ eſſe non poſſit niſi aliud ſit, non tamen id ſequitur quod Auerrois uult: ſequetur quidem, ſi frigus ſit, calorem eſſe: non autem tantã uim in ſubmouenda habitatione habere calorem, quãtam habet frigus, quod ſcilicet ex natura ſua habet, ut uitæ principijs aduerſetur: cum econtrario calor, & uitã tribuat & cõſeruet: ut propterea per locum qui à cõtrarijs dicitur, oppoſitum potius ſequatur, ut uidelicet ſi frigus facit locũ inhabitabilem, calor faciat habitabilem. Liquet igitur & hãc, quam demonſtrationẽ ſigni Auerroës uocat, multifariam peccare, nihilq; habere ob quod demonſtratio dici mereatur. Sed age eas examinemus argumentationes, quas, quod ita ſit, & quam ob rem ita ſit, probare dixit Auerrois. Vna eſt huiuſmodi: Diſtantia ſolis maxima, & tarditas motus partiũ cœli maxima, maximum faciunt frigus: igitur maxima ſolis propinquitas, maximaq; partium cœli uelocitas, maximum operatur calorem. Duo autem hæc ſub æquinoctiali contingunt: ad uerticalem enim habitantiũ ſub æquinoctiali punctum, quæ

Calor poſitiuã, frigus priuatiuã rationẽ habet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

maxima eius propinquitas est, sol accedit, partesq; ibi cœli in æquali tempore maximum spatiū describunt, quod est secundum Aristotelem, uelocissime moueri. Tanto igitur uelocior est æquinoctialis motus, motu arctici circuli, quāto illius ambitus est huius ambitu maior: tam uehemens igitur est sub æquinoctiali calor, ut omnem penitus excludat habitationem. Signo quoq; tali hanc confirmat rationem: Ad sensum, inquit, constat, ex locis medijs inter polum arcticum & æquinoctialem, ea magis incalescere, quæ æquinoctiali: ea magis frigescere, quæ polo arctico sunt propinquiora, adeò ut in his frigus calorem, in illis calor frigus superet manifeste. Quātoq; maior fit ad æquinoctialem circulum propinquatio, tanto calor magis superat frigiditatē: Ergo ubi maxima propinquitas, ibi & maximus calor. Cum enim inuenitur unum cōtrarium & medium, alterum quoq; contrariū inueniri necesse est: & cum inueniuntur causæ unius extremi & medij, causas quoq; alterius extremi inueniri necesse est. Hæc est una ex Auerrois demōstrationibus, quam ei similem esse dicit, quam facit Aristoteles in libro Cœli: Si corpus maxime distans à motu cœli est maxime graue, necesse est corpus, quod est maxime propinquū cœlo, esse maxime leue. Rursus alio in loco aliam affert demonstrationē, quam sic possumus colligere: Causa quæ facit habitationem sub Cancri tropico difficilem, & ferè impossibilem, ex parte causæ agentis, inuenitur sub æquinoctiali: & præter illam alia ex parte materiæ, quæ maioris est potentiæ ad calefaciendum: igitur sub æquinoctiali erit omnino impossibilis habitatio. Patet antecedens sumptum: quoniam causa faciens caloris uehemētiam sub Cancri circulo est solis rectus, & ad perpendiculum aspectus, per quem radij ad angulos rectos reflectūtur, qui sunt omnibus alijs potētiores. Quod cum semel tātum in anno fiat in eo loco, scilicet sub Cancri circulo, bis fit sub æquinoctiali, sole uidelicet ad primam Arietis & Libræ partem accedente. Additur & alia (uti diximus) ex parte materiæ uocata ab eo causa: quoniā experientia constat, quod post maximam ad quemuis locum habitabilem, solis propinquationem, calor maior fit, tantoq; maiori tempore perseuerat, quanto locus magis ad meridiem uergit: unde longiores tanto æstates fiunt, quanto loca magis sunt meridionalia. Cum igitur in nostro climate, quod ab æquinoctiali ferè quinq; supra quadraginta partibus recedit, calores post solstitium quasi ad trimestre tempus extendantur, & in latitudine triginta partium ad quadrimestre: sequitur ut sub æquinoctiali propè ad sex menses protendantur, quo tempore altera fit propinquatio: atq; ut sequens est ferè cōtinua inibi erit exæstuatio, nec quatuor inibi erunt sibi succedentia anni tempora, sed uel unum continuum, uel octo: & sic tolletur animalium & plantarū conseruatio, quæ per quadruplicem temporū uicissitudinem alijs in locis cōtingit. Hæ sunt rationes quas uere demonstratiuas Auerrois existimauit: quæ licet prioribus efficaciores prima facie uideantur, si quis tamen acrius introspiciat, non maiorē uim de in his, quàm in illis adesse uim iudicabit. Nam ut demus illis plus etiā quàm possunt, nō plus certe habebunt, quàm loca æquinoctiali supposita, ratione binæ unico in anno ad uerticalem punctum accessionis, directionis radiorum, & ad angulos rectos reflexionis, motusq; demū cœli partium uelocioris, debere impense calere: non usqueadeò tamen probant calere, ut inde in totum arceant habitatores. Nam aliæ adsunt (ut ostendemus) repugnātes causæ, adeoq; potentes, ut non solum hebetare caloris acerbitatem ualeant, sed ad modum quendam & temperiem deducere, qui sit animalium uitæ conformis, præsertim quoniam (ut superius dictum est) non sicuti frigiditas, ita & caliditas uitæ inimicatur, præcipue cœlestis, quæ mitis benignaq;, quātum ex seipsa est, & uitam potius affert, quàm ausert. Ex accessu enim solis generationes, ex recessu corruptiones, teste Aristotele, proueniunt. Qui nec sub æquinoctiali ob aliam rationem negauit habitari, quàm quod prius deficeret habitatio, quàm umbræ, quæ ad septentrionē in nostra regione uergunt, ad austrum

Calor cœlestis uiuificus.

flecterentur, hoc est sub Cancri circulo: ibi enim non habitari propter æstum, nec in parte alia propter frigus: ut obseruationibus inniti potius uideatur, quàm rationibus, & narrāti potius similis quàm probanti: tantum abest ut demonstrationibus in hoc usus sit, quemadmodum putauit Auerrois: quem non modo non demonstrasse, sed nec probabiles ualde rationes attulisse, satis ex his quæ dicta sunt posset constare. Verum ut Auicennæ sententia, ueritasq; ipsa clarius eluceſcat, altius exorsi, causas afferemus quibus fit, ut sub æquinoctiali possit habitari. Experientia magistra scimus, regiones quę sub cœlo sunt, alias alijs magis minus ue incalescere, longioresq; aut breuiores æstus perpeti. Horum effectuum causa, alia è terra tantum, alia è cœlo pendet. Purè terrestres in præsentia dimittamus: cœlestis uel ex cœlo, uel ex astris pendet. Ex astris uel sole, uel aliquo aliorum. Reliqua, ut parum certa exiguiq; momenti, nunc prætermittamus: cœli tantum motum, solemq; consideremus. Cœlum motu calefacere uoluit Aristoteles: quod si uerum est, sequitur ut qua parte uelocius mouetur, ea & uehemētius calefaciat. Verum quicquid id est caloris quod cœlum suo motu nobis iaculatur, id adeò exile est, dum terram attingit, ut quantum ad nostrum propositum attinet, uix efficere sensilem uarietatem possit. Ipsum enim quod mouetur cœlum, maiorem minorem ue intra semetipsum calorem ex quocunque motu haudquaquam suscipit, imò si ad uiuum resecanda res est, nec cœlum, sed nec sol ipse, calorem quem in inferiora mittit, in se actu habet, sed potestate tantum ac ui: ex quo fit, ut non plus eo media regio incalescat, ubi uelocius, quàm ubi tardius mouetur, nisi quod uel uim illam excalfactoriam, quo uelocius mouetur, eo crebrius deorsum mittit, uel quia uelocissimo motu, contiguum citimæ suæ parti ignem secum rapit, ipseq; ignis aëra pariter contactu secū circumrotat. Vtrum horum dicatur, non magnus deorsum pertinget calor: uis enim illa influendi calorem, quæ uniuerso adest cœlo, quum mitis benignaq; suapte sponte sit, ut superius est dictum, non tam eximia est, ut exurentem calorem hic ualeat generare. Et quod ad alium modum attinet, ut concedamus totam ignis sphæram ad cœli motum circumuolui, primo non uidetur quomodo calorem ex hoc motu consequi ualeat eo maiorē quem ex se possidet, quum natura sua ignis sit calidissimus. Deinde non satis rationi consonum uidetur, ut simili uelocitate tota aëris sphæra eum consequatur: quam etiam scimus quacunque agitetur uelocitate, nunquam totam incalescere, cum & euidentia ipsa rei, & Aristotelis autoritas ostendat, mediā eius regionem ualde semper frigidam, ipso etiam Auerroë confirmante remanere. Insuper & à sensu & à ratione alienum sit, aërem hunc nostrum in quo degimus, circa terram magna uelocitate circumuolui: alioqui neque fœtor, neque pestilens aliqua affectio, sed neque nebulæ aut nubes diutius eandem ciuitatem obsiderent. Et sicuti uenti motum persentimus, ita & aëream illam girationem sentiremus. Quod cum neque hic, neque alibi fiat, disci potest aërem circa nos non adeò uehementer exagitari, ut nota dignum calorem ex eo motu uel indipisci possit, uel terris elargiri. Quæ si uera sunt, relinquitur unicus Phœbi calor, in quem huiusce modi referri caloris uarietas possit. Agit igitur in unum magis quàm in alium locum sol, uel quia terræ proximior, uel quia magis è directo radios in eum iacit, uel quia diutius respicit. & hoc dupliciter: uno modo, quia dies sunt noctibus longiores: alio modo, quod pluribus talibus diebus respexit. Propinquitas parum in hoc habet efficaciæ: siquidem sole in opposito suæ apsidis (quam augem nunc uocant) existente, cum maxime nobis propinquet, maximum tamen frigus patimur. Relinquuntur igitur duæ causæ, mora scilicet & directio: ex quibus opinionum diuersitas in hoc quæsito nata est, dum alius hanc, alius illam efficaciorem putat. Aristoteles, Auerrois, & ante omnes Pythagoras, directionem cæteris præstare arbitrati, quam bis in anno sub æquinoctiali habitātibus sciebant euenire,

Caliditatis per æstatem causæ uariæ.

Cœli motus qua ratione calefacere dicatur.

Aëris regio media semper frigida.

Sol qua ratione calefacere dicatur.

Solis propinquitas.

Solis aspectus directus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantum ibi caloris esse iudicarunt, ut in totum habitationē prohiberet. Contrà Auicenna & Ptolemæus, plus moræ quàm directioni tribuêre, duplici ad hoc sentiendum experimento impulsi. Primum, quoniam una uel altera post meridiem hora, calor impensius nos urget, cum tamen tunc à uerticali puncto magis quàm in meridie, æque uero ut totidem horis ante meridiem sol sit semotus. Altera experientia est, quoniā apud nos æstus maiores sunt, sole ultimam Cancri partem uel Leonem subeūte, Quintili uidelicet mense, quàm dum Geminos, uel primas Cancri partes, Maio uidelicet & Iunio, illustrat: licet in eadem sit uel maiore distantia à nostris capitibus. Quod certe non alia euenit ratione, quàm quod longiore tempore aërem ad incalescendum disposuit. Tametsi igitur sol eos qui sub æquinoctiali degunt, bis in anno è directo prospiciat, tamen quia totidem horis sub terra latet, quot terram illuminat, & statim ab æquinoctijs, longe magis ab illis declinat, quàm à nobis à solstitijs, ut 2. lib. magnæ compositionis demonstrauit Ptolemæus, & 1. lib. suæ medicinæ, parte secunda, tetigit Auicenna, cum minus possit directio uel eius propinquitas, quàm perduratio: sequitur longe maiorem esse sub Cancri & Capricorni circulo æstum, quàm sub æquinoctiali, nec sub hoc tantum, ut prohibere habitationem possit. Eos enim qui sub solstitialibus tropicis habitāt, uel circa eos, sol è directo percutit, & eo tempore longiores noctibus dies habent, nec citò ab eorū capitibus recedit, adeò ut duplex mora cum directo aspectu coniungatur: & si quid uelocitati motus dandum est, ea quoq; non deest. Sub æquinoctiali uero una tantum est caloris efficax causa, quoniam scilicet sol bis in anno ad perpendiculum radios in eos mittit: totoq; anni residuo non multum ab illorum capitibus submouetur, accedente etiam summa partium cœli uelocitate. Quæ licet causæ possint multum, à quibusdam tamen alijs multum remittuntur. Quarum una est, quod cum noctes semper ibi sint æquales diebus, ex absentia solis multum tepescit caliditas, quæ ex eius præsentia nasceretur. Ad quod & illud facit, quod nullibi quantum sub æquinoctiali ab horizonte sol noctu remouetur: præsertim eo tempore quo rectissime illuc radios mittit, scilicet tempore duarū æstatum: ad nullam enim partem tunc inclinat: sed per mediam exactissime inter utrunq; polum uiam progreditur: quod in nullo climate contingit. Tantum enim horizonti cuilibet intempesta nocte propinquat æquinoctij tempore, quāta est climatis latitudo. Alijs uero temporibus tanto plus, quāta est latitudo regionis, simul cum solis eo tempore declinatione. Alia causa est, (quam suprà tetigimus) quod post puncta æquinoctialia, quæ illis duas æstates faciunt, magis declinat sol, quàm post solstitium, quod nobis unicam facit æstatem, sed duabus illis longiorem. Addit & Aponensis aliam causam, aperte Auerroi repugnantē, quam iudicandam tibi & tui similibus relinquo, scilicet radios sub æquatore apicem terræ ferientes, non ita refringi, sicuti alijs in locis, ubi in conuexam incidunt superficiem. Ad hoc etiam facit, quod ibi sunt duæ hyemes, inter quarum utranque & æstatem tantum tres menses intercedunt: quo fit ut æstates multum calidæ esse non possint, sicuti neque hyemes multum frigidæ. Non enim in tam exiguo spatio, magna potest ab uno contrario in aliud fieri permutatio: quia superueniente æstate, frigiditas in aërem à præcedenti hyeme impressa, nondum est tota abolita. Videmus enim apud nos hyemes ultra tres menses perdurare, & frigus per hyemem in aërem impressum, bona etiam Veris parte perseuerare. Huic præterea sententiæ experientia ipsa suffragatur: refert siquidem Nicolaus Florentinus insignis medicus, conciuem eius quendam cognomēto Indianum, quoniam in India longo tempore fuisset, affirmare solitum, habitasse se in locis quibusdam, ubi essent duæ hyemes, & duæ æstates, quarum nulla multum in calore aut frigore excelleret. Affirmāt id & Lusitani, qui nostris tēporibus (ut superius diximus) noua, & antiquis incognita nauigatione, multa æquinoctiali subdita loca perlustrant.

Solis mora.

Quæ

Quæ si uera sunt, imò quia uera sunt, omnes aduersariorū corruūt rationes, etiam quas illi demonstrationes putarunt. Sub Cancri enim circulo & Capricorni, si uspiam, sunt loca ob calorē inhabitabilia, quæ maxime distant à septētrionalibus, non situ, sed qualitate. Dixi, si uspiam, quoniā Lusitanorum nauigationes torridam uocatam Zonam refertam habitatoribus testantur. Sub æquatore uero sunt loca satis cōmode habitabilia, nec habitationē directio aut reflexio impedit radiorū, quia ex 24. horis tantum per 12. solem uident, qui nec eos ultra modum æstatibus calefacit, quoniā paulò ante hyems præcessit: nec multo tēpore durat caliditas, quia in paucis diebus multū ab eis sol declinat, & citò ad punctum aliud, hyemem quoq; faciens, peruenit. Nec propter duas hyemes uiuentiū generatio tollitur, imò multiplici fœnore respondet: quoniā singulam hyemem, mox uer, dehinc æstas citò consequitur, ita ut quod apud nos semel generatur, bis generari apud eos possit. Maxima etiam directio maximū calorem sola facere non potest, nisi cum mora plurium dierum cōiungatur: sicuti nec mora sine propinquitate & directione: nam unius diei longitudo sub polo calorē facere non potest, cum sit à propinquitate, directione & reflexione destituta: & uti tarditas motus in faciēdo frigus, exiguū ibi momentū habet, sic & uelocitas in faciendo calorem sub æquatore, aut parū, aut nihil operatur.

Zona torrida habitatoribus referta.

Satis igitur iam, ni fallor, liquet & ueritas & causa, quare sub æquatore sit possibilis habitatio. Nunc aliud caput quæstionis aggrediamur, an scilicet sit habitatio tēperata. Putant nōnulli Auicennā sequentes, non solum ibi habitari, sed esse æquū omnino, & in neutrā partem uergens temperamentū. Ad quod credendum, uel ea ratione præcipue mouentur, quod paribus perpetuò interuallis, sibi inuicem noctes diesq; tēpora partiuntur: ideo fieri, ut quantū ex solis præsentia caloris, tantum ex absentia frigoris generetur. Cui rationi nonnulli Christiani ita manus dederunt, ut esse in eo loco paradisum putarint, quæ in sacris libris delitiarū appellatur. Petrus Aponensis in libro quem Conciliatorē appellauit, aliam (quam & suprà tetigi) rationem superaddit, quod scilicet minus quàm alijs in locis solares radij apicem cōuexi terræ feriētes, retro flectuntur. Et ob hoc tantā esse inibi putat temperiem, ut humana corpora eo loco generētur, quæ secundi modi ab Auicēna positi æqualitatē, quæ est inter omnes humanas tēperaturas exactissima, nanciscūtur. Ego licet rationibus & testimonijs idoneis adductus, non maximā ibi esse intēperiem putem, ad calorē tamen multo plus inclinare, quàm ad frigus regionē illam puto: ex gemina enim illa singulis annis cōtingente ad uerticē directione, & ad perpēdiculum radij iaculatione, fereq; angulo carente reflexione, multū omnino incalescere ea loca puto. Nam etsi ab exigua mora, alijsq; in contrariū faciētibus superius recitatis, uigor aliquātisper imbecillis reddatur, efficaciores tamē uidentur caloris causæ, ueluti per se agētes, & nō ex accidenti, q̄ causæ cōtrariæ, quæ nō agendo potius, quàm agēdo frigus faciūt, aut calorē remittunt. Et hæc de habitatione sub æquinoctiali dicta sint. Quod ad aliud uero quæsitū attinet, Auicen. aperta sentētia est: post loca sub æquinoctiali circulo sita, quartū clima exacto esse temperamēto proximius, eo quod ibi habitantes non uruntur ob directionē, sicuti hi qui in primo morātur climate: neq; impēsius calefiunt ob propinquitatē, sicut qui in secūdo & tertio: sed neq; cōgelantur, sicut hi qui in extremo sunt quinti, uel in maiori latitudine, solem nimis remotū habētes. Hanc Auicēnæ sententiā sequutus Aponen. homines in altera tantū contrarietatū tēperatos sub ea cœli inclinatione collocauit. Repugnat Auer. 2. sui Colliget, dicens non esse uerum, quod quidam dicūt, quartū clima esse melius quinto: licet secundo Meteororum, quartū & quintum climata dixerit tēperatiora. Et alio eiusdem libri loco, terras naturales in calore eas esse, quæ sunt mediæ in latitudine, sicut Græcia. Et alibi præposuerit quintum, eius mediocritatē probans ex temperamento habitantiū, quod ex colore & capillis præcipue dicit ostendi. Eandem quarti

Sub æquinoctiali an sit habitatio temperata.

Paradisus uoluptatis.

Temperatissima habitatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prærogatiuam confirmat Ebumasar Alpharabij, ut scribit Moses 25. lib. Aphorismorum, dicens homines ibi tam perfectius cæteris loqui, sicut perfectiores sensu, figura, ac forma sunt, & magis temperati. Omnes autē ex Galeno sumpsisse hanc opinionem uidentur, qui tertio Aphorismorum dixit, quod zona exquisitam habens temperiem ac media orbis terrarum, est quæ per Gnidum transit & Coum: & quæcunq; loca ab his non multum uel ad Aquilonem, uel ad Austrum recesserunt. Et lib. secundo salubrium: In immoderatis locis non sit exactissime temperatum corpus. Et paulò infrà: In nostra regione fiunt multa corpora ei similia: & in hac regione quæ latitudinem non paruam habet, id temperatissimum est, quod est exacte medium: ut Hippocratis patria, quæ æstate & hyeme est temperata, multoq; magis Vere & autumno. Ego autem, licet non ignorem quàm temerariū sit, secus quàm tot, talesq; uiri & sentire & scribere: sciens tamen nihil esse sanctius ueritate, ea præ oculis habita, dicam libere quod sentio. Teneo contra omnium, quos legerim, sententiam, temperamēto magis propinquam esse habitationē sub sexto, quàm sub quarto aut quinto climate. Ad quod probandum pro hypothesi esto, ex communi astrologorum sententia, principium quarti climatis, quod per Rhodon uocant, esse in latitudine triginta trium partium & duarum tertiarum alterius partis: hoc est, tot partibus ab æquinoctiali circulo remoueri. Ex hoc sequitur, quod distat ab aquilone partibus quinquaginta sex, & tertia alterius partis: tota enim nostra latitudo nonaginta partibus cōtinetur, quarta uidelicet parte CCCLX. in quot partes quemlibet circulum astrologi diuidūt: ex quo rursum sequitur, ut plus propinquet æquinoctiali, quàm arctico polo, partibus uigintiduabus & duabus tertijs alterius partis: &, ut sequens est, non sit medium orbis terrarum, sed distet à medio partibus undecim, & tertia alterius partis. Si igitur id est temperatissimum quod est exacte medium orbis terrarum, ut uoluit Galenus: uel id quod est medium in longitudine & latitudine, ut Auerrois: euidenter concluditur, clima hoc quartum non esse temperatissimum. Sed dixerit fortè quispiam, Galenum per orbem terrarum, non absolute totam hanc terræ quartam portionem intellexisse, sed id tantum eius quod habitatur, quam in septem climata diuidunt astrologi, quorum quartum est medium, tria ex utraque parte climata relinquens: eodemq; modo Auerroēm terram mediam in longitudine latitudineq; intellexisse, non absolute, sed habitatæ respectu, quam τὴν οἰκουμένην Græci uocant. At profectò quisquis id dixerit, aliquid dixisse fortè uidebitur, reuera autem nihil dixerit. Nam rogo quid in re ipsa facit septiformis ista diuisio? aut quid firmi habet & certi? Posset enim quis in septem, sed aliter quàm neoterici, ita secare, ut quod hac computatione est quartū, tertium esset, ut Plinius ex quorundam placito computat. Posset in octo, posset in plura, posset in pauciora pro libito segmenta habitatum à nobis orbem diuidere: quibus diuisionibus factis mediam non amplius sedem quartū hoc clima posslideret. Ipsam potius rei naturā sequamur, uidebimusq; clima hoc quartum, non propter hoc quod in medio numeratur, mediam quoque naturam in calore & frigore sortiri. Si enim caloris maioris minoris ue potissima causa est (ut superius est ostensum) maior minor ue solis ad uerticalem punctum appropinquatio, uel, ut uoluit Auerrois, maior anguli, quem radius solis terrā uerberans facit, ad rectum propinquitas: quum hominibus quarti climatis, sol satis propinquet, angulumq; illis faciat quinti, sexti, septimiq; comparatione non multum à recto differentem, sequitur calere eos potius quàm frigere. Sed uide quàm sit ista quarti climatis mediatio imaginaria potius quàm in re. Spatium quod à septem climatibus includitur, est partium 37. & trium quartarum alterius partis: principium enim primi est in latitudine partium duodecim, & trium quartarū alterius partis: finis uero septimi quinquaginta partium & mediæ alterius partis. Cum igitur medium quarti sit in partibus 30. & tertia alterius partis,

Clima sextum temperatissimum esse.

Clima quartum non esse mediū.

partis, sequitur quod distet à principio primi, quod est in partibus 12. & tribus quartis alterius partis, per partes 23. & septem duodecimas alterius. A fine uero septimi, qui est (ut superius est dictum) in partibus quinquaginta, & medietate alterius partis, distet per partes 14. & sextam alterius, &, ut sequens est, sit propinquius septimo quàm primo, per partes nouem & quinq; duodecimas alterius. Et consequenter capiat uniuersi interualli omnium climatum, partes 23. & septem duodecimas alterius, quæ sunt ferè duæ tertiæ eiusdem integri interualli, quod 37. partibus & tribus quartis diximus contineri: absitq; ab eius fam dicti interualli medietate, partibus quatuor, & septemdecim uicesimis quartis alterius: medium nequaquam dici meretur. Quomodo enim dici potest medium, cum nec sit medium totius latitudinis, sed ad æquinoctialem multo magis quàm ad polum appropinquet: nec sit medium æque distans ab extremis totius spatij ab climatibus septem introclusi, sed ad septimum magis inclinet quàm ad primum. Ad horologia fortè recurret quispiam, dicens, cum climata penes sensilem horologiorum uarietatem distinguantur, quæ in dimidio horæ notatu digna conspicitur, in totoq; discrimine differentia trium horarum semis cōprehendatur, cuius differentiæ dimidium hinc, dimidium illinc quartum clima relinquat, habere ob hanc causam mediocritatis quandam ueram rationem. Sed & hoc quoque parum habet momenti: siquidem ipsa per sese dierum quantitas, uel exiguam, uel certe nullam habet uim ad maiorem minorem ue caliditatem regioni tribuendam. Dictaret enim ratio, quantum est ex hoc, ut ubi dies longiores, ibi calores maiores. Contrarium uero experientia ipsa testatur: quo magis enim ad aquilonem uergimus, ut dies maiores, ita maiora frigora inuenimus. Neque uero in hac dierum uarietate quartum hoc clima mediocritatem possidet: medium enim eius maximam diem habet horarum ferè 14. semis, in qua quantitate nulla mediocritas uel fingi potest. Quod si quis omnino contendat, inter totam uarietatem quæ in habitabili parte contingit, hanc esse mediam: certe & hoc præsenti tempore falsum esse deprehenditur, quando iam innotuerit 24. climatum habitatio, ab æquinoctiali sumpto principio, ad eam usque regionem ubi latitudo est ferè 66. semis partium, differentiaq; maximæ diei à minore in hoc interuallo est duodecim horarum, cuius medietas non 14. semis horis, sed 10. & 8. continetur, & in latitudine 58. semis partium cōtingit, ubi quæ nunc Dacia dicitur, & ea Britanniæ portio sita est, quæ Scotia nuncupatur. Quæ tamen regiones non propterea temperatæ sunt, sed potius ingentibus frigoribus infestantur, sicuti quartum clima caloribus. Rhodos enim insula, quæ toti climati nomen dedit, ita uehementer calet, ut nisi aquilonares flatus, quibus ob loci positum maxime patet, æstum lenirēt, uix posset æstatis tempore habitari. Mauritaniam quoque, Aegyptum, Siciliam, atque eam Italiæ oram quæ ex aduerso iacet, ultra modum scimus incalescere, hominesq; in his gigni, qui sint à mediocri temperatura longe semoti. His ego tum rationibus, tum experimentis motus, recedere à summis illis uiris coactus sum: de quo spero me ueniam apud te, & apud eos impetraturum, qui non tantum dicentes, quantum dicta ipsa pensi habent. Quicquid uero alij uel sentiant uel dicant, fusq; deq; fero. Quintum porrò clima quod per Romam uocant, licet minore calore quàm quartum prematur, longe tamen magis & ipsum calet, quàm ut mediocre dici possit, sicut & in austrum magis quàm in aquilonem inclinat: principium enim eius latitudini trigintanouem partium subiacet: finis 43. semis, medium 41. & quarta alterius partis. Ex quo fit, ut ex alia parte 48. & tres quartas relinquat, atque per tres & tres quartas à uera medietate secludatur: quæ distantia eo in loco unius climatis differentiam, hoc est uarietatem diei maximæ in horæ medietate constituit. Quæ si uera sunt, sequitur, Auerroim amore proprij climatis seductum, quandoque repudiato quarto, prætulisse omnibus quintum, ueræ quidem mediocritati

Dacia. Scotia.

Rhodos. διὰ Ῥόδου.

Clima quintum quod διὰ Ῥόδου est, temperatum non esse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

propinquum, non exacte tamen mediocre. Quod si Auerroi in suo licuit, ex colore & capillis habitantium, non alia ex re sumpto argumento: cur non mihi liceat, meum, hoc est sextum, cunctis præferre? in medio exactissime septentrionalis huius quam incolimus, quartæ orbis partis situm, fœcundissimis campis, amœnissimis collibus, limpidissimis fontibus, piscosissimis lacubus, saluberrimis fluminibus ornatum, præcipueq; fluuiorū rege Eridano, qui ueluti maris uicarius, totius orbis merces, magnis nauigijs ad præclarissimas urbes, quæ utricq; insident ripæ, facillime deportat. Inter quas maxime emicat Ferraria, patria & alumna mihi dilectissima, siue mœnium decorem, siue uiarum rectam ad regulam latitudinem, siue magnificentissimas ædes, siue augustissima templa, siue cōpita, siue fora, siue pomœria, siue pomaria, siue agri fertilitatem, siue cœli salubritatem, siue suburbia, siue uillas, siue populi frequentiam, siue uirorum robur, siue mulierum pulchritudinem, siue ingenia, siue artes uel sellularias uel liberales, siue togam, siue arma spectes: in quibus quantum excellat, proximis annis Alphonso inuictissimo Duce, toti orbi, nedum uniuersæ Italiæ, re ipsa apertissime demonstrauit, duobus potentissimis hostibus intra paucos annos superatis. Ingrederer campum laudum Alphonsi Ducis, nisi rei magnitudo, quæ maiorem tubam quærit, me absterreret, cognoscerem q; hanc materiam, ut meis humeris, ita præsenti epistolæ non congruere. His ergo omissis, ad nostrum clima reuersi, dicimus id exacte medium existere in hac nostra septentrionali habitatione. Incipit enim à latitudine quadragintatrium partium & mediæ, & desinit in quadragesimam septimam & quartam alterius portionem, adeò ut medius eius punctus partū recedat à quadragesimaquinta parte, quæ medietas est nonaginta partium, in quas facilioris computationis gratia, quartæ huius nostræ latitudinem astrologi diuisere. Veram igitur medietatē habet, & à re ipsa natam, non ab hominum imaginatione, metiri dierum spatia cupientium: quantum enim distat à polo, tantum distat ab æquinoctiali: sed & medium existit in eo spatio, quod in tota hac nostra terræ portione satis cōmode habitatur: quod uidelicet inter Cancri tropicum & Arctoum circulum iacet. Distat enim Cancri circulus ab æquinoctiali partibus paulò minus uigintiquatuor: totidémque Arctous circulus à polo: quare remanent inter utrosque, partes ferè quadragintaduæ: quas si per medium secueris, uidebis sexti climatis spatiū, utriusq; dimidij partem capere. Quod etiam ratio mathematica demonstrat: demptis enim à lineæ extremis partibus, æquis portionibus, punctus qui in tota linea medius erat, in remanente etiam parte medius remanebit. Si enim ad alterum extremorum declinaret, sequeretur maiorem ab eo extremo portionem, quàm ab alio fuisse sublatam. Facit autem medius hic situs, ut anni tempora suum quodq; habeat temperamentum: nec tantum sit hyemis frigus, ut habitatores gelu torpeant: nec tantus æstate calor, ut exæstuent. Hæc sunt mi Cigleri, quæ olim in patria circa temperamenta nostræ habitationis meditatus sum, in quibus tantum à me probabitur improbabitur q;, quantū abs te probatum, reprobatum ue iri cognouero. Vale.

Climatis sexti temperies et cō moditas.

Eridanus fluuiorum rex dictus à Marone.

Ferraria.

Ex hospitio nostro Budæ. VII. Idus Septembris. M. D. XIIII.

EPIST. II. Ad Michaëlem Sanctannam Chirurgum, de nominibus morborum in exterioribus corporis partibus euenientium.

REm à me petis Michaël, ut sanè non facilem, ita his qui cōmunem medendi modum sequuntur, ualde necessariam, ut confusionem nominum, earum affectionum quæ in extima corporis humani superficie contingunt, submoueam: & quo singulæ nomine apud Græcos, Latinos, barbarosq; Medicos uocētur, sigillatim exponam. Magni enim & multiplices errores ex huiuscemodi nominum ignoratione communibus medicis quotidie obueniunt) dum idem nomen apud diuersos autores eundem semper affectum significare arbitrantur: quum tamen, ut inferius late patebit, eadem uox aliud Græcis, aliud Arabicis, aliud Latinis medicis plerunq; significet: quæ res multum auget negocij difficultatem. Cōmunes medicos cum dico, eos intelligo, quos & ex cōmentario medicos uocare possumus: quoniam uidelicet totam suam medicinam non in pectore & mente, sed in chartis habent & membranis sepositam: nec manum adhibere curationi alicuius morbi sciunt, nisi nomine prius habito, remedia proprio eius capite à libris requirant: quum ueri medici, ut qui methodo artem prosequuntur, exiguam nominum curam habentes, morborum substantias atque causas per diuisionem & resolutionem inquirant, è quibus curatiuas indicationes eliciant, & intentiones acquirant, quibus instrumenta inueniant morbos ab humanis corporibus propulsantia: & si quandoq; ad libros recurrunt, non tanquam cæci, ut illi, à nominibus se duci ad eos ueluti ad iudices permittunt, sed ad limam rationis quæ legunt applicantes, scriptis non tanquam dominis parent, sed ipsa potius tanquā mancipia ad suas prosequendas intētiones trahunt. Et propterea studio eis non est, quo quisque morbus nomine à prioribus medicis uocatus sit, sed sub quo contineatur genere, quot, quæ ue eius curatiuæ intentiones, & quibus sint auxilijs perficiendæ. Paucorum autem hoc munus est, tantumq; potest inueterata consuetudo, ut qui hanc uiam sequuntur, ludibrio ferè cæteris habeātur, nec possint cum medicis uulgaribus de rebus medicinalibus agere, nisi & ipsi norint morbos prosijs nominibus appellare, & ad proprium, ut illi appellant, caput singulos referre. Vnde fit, ut utrique sectæ sit ista exacta nominum notitia necessaria: illis quidem, quod aliter mederi nesciant: his, ut possint cum reliquis inire colloquia, & de curandi uia & ratione disputare. Vt igitur tibi morem geram, operámque sumam iunioribus medicis non inutilem, ordine locorū humani corporis seruato, orsus, ut multi, à capite, seriem nominum eorum affectuum explicabo, qui exteriores partes uel infestant, uel dedecorant.

Medici ex commentario.

Notitia nominum quatenus medicis necessaria.

DE MORBIS IN CAPITIS CVTE.

Inter hos primus est porrigo à Latinis uocatus, à Græcis πίτυρα in plurali, uel πιτυρίασις, ab Auicenna & Haliabate non inepte furfur: siquidem & uox græca idem significat, quæ est à re ipsa desumpta: quædam enim quasi furfuraceæ squamulæ absque ulceratione à cute eorum resoluuntur, qui hoc dedecore dehonestantur: ferēq; in capillo sit, Celso teste, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio.

Porrigo: πίτυρα, uel πιτυρίασις.

Furfur.

Ἀλωπηκία, & ὀφίασις areæ genera sunt Celso: uox utraq; græca est: prima à uulpe nomen habet, quæ frequenter eo morbo, ut scribit Galenus, infestatur. Secunda à serpentis similitudine, cui pars læsa similis existit, teste Paulo & Celso, qui addit eam incipere ab occipitio, nec duorum digitorum latitudinem excedere, & ad aures duobus capitibus serpere: commune utriq; esse dicens, quod emortua summa pellicula pili primum extenuantur, deinde excidunt. Auicenna & Haliabas, illud uoce parum corrupta, Alopitiam, hoc Tyriam uocant: qua uoce quandoq; omnes serpentes, quandoq; uiperas proprie significant. Sunt ambo capillorum defluuia, à uitiosis humoribus contingentia: hocq; differunt à Caluitio, Latinis, & Auicennæ uocato, Græcis dicto φαλάκρωσις, in quo ex indigentia humoris, non ex malignitate capilli decidunt.

Alopecia.

Ophiasis.

Tyria.

Caluitium.

Phalacrosis.

Manantia capitis ulcera, una uoce nominat Plinius, quæ Græci ἀχῶρας & κήρια, Auicenna saphatum, Haliabas tineam, generali & ipse nomine, sub quo non solum achores, & ceria Græcorum, sed & ficus, & ψυδράκια, & βλαυθύματα collocauit.

Saphatum.

Tinea.

Sunt autem ἀχῶρες Galeno & Paulo, cutis capitis cum tumore ulcera forami-

Achores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cerion. nulenta, è quibus sanies manat tenax, non aquosa, sed nec ut mel crassa. Κήριον achori simile maioribus foraminibus, in quibus sanies melli similis, instar faui apum
Ficus. cõtinetur. Ficus, ulcerosæ quædam eruptiones, rotundæ, subduræ, rubræ, quas dolor comitatur, & maiori ex parte capiti, sed interdum reliquo corpori cõtingunt.
Pſydracia. Ψυδράκια parum supra summã cutem eminent, & sunt φλυκτώναις, hoc est bul-
Phlyctænæ. lis, quæ ab igne excitãtur, similia. ἐξανθήματα, subrubræ, & asperæ in suprema cu-
Exanthemata. te ulcerationes, de quibus alio loco rursus nobis erit sermo.

Congregatur & interdum in capitibus, præsertim puerorũ, aquà in medio aut
Hydroce- cutis & pericranij, aut huius & ossis: ὑδροκέφαλον Græci uocant, Auicenna aquam
phalon. extra craneum: Haliabas, apostema intercutaneum.

Hi sunt affectus cutis capitis proprij apud antiquos reperti. Recentiores testudi-
Testudines. nes & talpas addiderunt, quæ penes antiquos proprium neq; nomen, neq; tracta-
Talpæ. tum inuenerunt: ideo à nobis etiam hic prætermittuntur, cum alijs recentiorũ no-
minibus inferius declarandæ.

OCVLORVM MORBI.

In oculis exteriore parte diuersa mala contingunt: primum quidem in adnata,
Tarsxis. seu coniunctiua membrana sit τάραξις à Græcis uocata, apud Auicennam contur-
Conturbatio. batio, uel uacillatio uocatur, & non uera ophthalmia. Est autem humiditas oculi
Vacillatio. cum rubore, & præternaturali calore, ab extrinsecus occurrente causa, ut sole, fu-
mo, uel puluere facta: quæ celerrime soluitur, submota quæ eam fecit causa: quæ
enim permanentior est, & absque manifesta extrinsecus occurrente causa facta,
Ophthalmia. ὀφθαλμίαι nominatur à Græcis: χύμωσιν tunc uocãtibus, quũ fortis adeò est inflam-
Chymosis. matio, ut utraq; palpebra intantum peruertatur, ut uix oculos operiant: & album
oculi supra nigrum ita extollitur, ut id in pluribus locis operiat. Auicenna & Halia-
Lippitudo. bas communi uoce tria hæc genera ophthalmiam nuncupant, & Latini lippitudi-
nem: tertiam tamen proprio nomine uocat Auicenna Alguadarnesi, uel algua-
darnegi, secundam ueram ophthalmiam.

Fit in eadem membrana parua quædam excrescentia, quæ ut nomine, ita & re
similis est his pustulis, quas diximus appellari ψυδράκια.

In membrana uero, quæ quoniam similis cornu est, Cornea uocatur, nonnulli
De affectibus etiam affectus proueniunt. φλύκταιναν uel φλυκτίδα uocant Græci eius extuberan-
corneæ. tiam, ab humore aliquo membranæ tunicas subexcoriante: Auicenna uesicas, Ha-
Phlyctæna. liabas pustulam, sicuti & Celsus. In eadem uocata cornea, ulcera diuersa fiunt, de
Vlcera corneæ. quibus Auicẽna scripsit cap. cui titulus, De exituris oculi & corneæ. Paulus unum
esse genus dicit, & particulares differentias plures: quod enim cauum, arctum &
Bothryon. purum est, βόθρυον, quasi fossulam dixeris, Auicenna anulum uocat. Secundum la-
Cœloma. tius & minus profundum, Paulus κοίλωμα, Auicenna Lilimie. Tertium Paulus ἄγ-
Argemon. γεμον. Auicenna ei nomen non reddit, Serapion Achymon: fit id in Iridis circulo,
exteriorem etiam locum occupans, ita ut intra Iridem albus color, extrà rubor ap-
Epicauma. pareat. Quartum, quod sordidum, impurũ, & crustosum existit, à Paulo ἐπίκαυμα,
ab Auic. adustiuum uocatur, à Serapione Ausume. In his autem ulceribus, sicubi
aliàs, maxime lapsus est Auic. septẽ species enumerans: quatuor Galeni autoritate,
quæ in superficie dicit cõtingere: cum tamen prima & secũda, non inter ulcera à Ga-
leno reponãtur, sed ex humiditate corneæ fieri scribat lib. 2. de causis symptomatũ,
ut ueluti per nebulam, uel caliginem, uel uaporẽ, uel fumũ fiat uisio: tertia & quar-
ta ad ea quæ profunda uocat, pertineãt. Error hic in tertia specie primi ordinis præ-
cipue detegitur, quæ dubio procul nil aliud est, quàm id quod à Paulo argemon in-
Arabum com- ter profunda est nominatum: sed fuit hoc Auicẽnæ cum omnibus Arabibus com-
mune uitium. mune: quorum ferè uitium, ut sicubi unus impegerit, reliqui absque iudicio balan-
tum

tum more sequantur: in hac autem re sequuti reliqui uidentur Serapionem.

Accidit & eidem corneæ πρόπτωσις. sic enim nominat Paulus, Auic, rupturam
Proptosis. corneæ, Haliabas acumen. Definitur ab eodem Paulo casus uueæ tunicæ, ab exesu
uel corrosione, uel disruptione corneæ contingens. Si exiguum sit id uuæ, quod
cadit, μυοκέφαλον, quasi muscæ caput, uocat Paulus: Auicenna & Haliabas formi-
Myocephalus. calem. Si formam habet uuæ, id quod egreditur, σταφύλωμα, id est uuatio, ab om-
Staphyloma. nibus dicitur. Si plurimum, adeò ut super palpebras cadat, μῆλον, id est mãlum,
Melon. uocatur à Paulo. Quod si callum obducat, ἥλωσις, id est clauus, dicitur.

Quandoq; sub eadem cornea pus congregatur, ὑπόπυον Græci dicunt, Auic. sa-
Hypopyon. niem in siphac, Haliabas saniem post corneam. & si redditur unguis similitudo,
ὄνυξ, id est unguem: quod etiam nomen alteri affectui à Celso & alijs adscribitur,
Onyx. de quo paulò post tractabimus.

Euenit quoq; in cornea καρκίνωμα, id est cancer: tenduntur, & rubent tunicæ,
Carcinoma. dolor pungens ad tẽpora usq; protenditur. Hæc sunt quæ corneæ accidunt mala.

Superadnatæ autem oculi membranæ, id est coniunctiuæ uocatæ simul & cor-
neæ, nonnulli quoque communes affectus eueniunt, qualis est qui ὑπόσφαγμα à
Hypospha- Græcis, ab Auicenna tarfati dicitur: ea est uenarum ruptura, ex ictu plurimũ con-
gma. tingens, ex qua in oculi extima parte ueluti sanguinis puncta demonstrantur. Ga-
lenus αἱματώδεις ἐκχύσεις, hoc est sanguineas effusiones, appellat.

Fit & in utriusq; uocatum πτερύγιον, quasi alam diceres, ungulam Auicenna nomi-
Pterygion. nat. Est autem Paulo neruosa quædam adnatæ membranæ excrescentia, à maiore
angulo ut plurimum orta, ad oculi coronam ita procedens, ut quandoq; pupillam
operiat. Celsus unguem uocat. Verba eius sunt lib. 7. Vnguis uero, quod πτερύγιον
» Vnguis. Græci uocant, est membranula neruosa, oriens ab angulo, quæ nonnunquam ad
» pupillam quoq; peruenit, eiq; officit. Sæpius à narium, interdum etiam à temporũ
parte nascitur. Diuersa eius genera facit Paulus. Ex colore quidem albam, rubram,
Genera unguis. russam, fuscam: ex tactu duram, & mollem: ex annexione ad membranam hæren-
tem & unitam: magisq; sanitatem eam recipere ait, quæ sit albior, tenuior, adhæ-
rensq;, non unita: ad quam referri mihi uidetur id quod Arabes sebel uocant.

Communis etiam utriq; membranæ est albugo ab Auicẽna uocata, cuius duas
Albugo. facit species: tenuem, quam dicit uocari nebulam: crassam, quam albuginẽ. Quam
Nebula. distinctionem (licet non perfecte) sumpsisse à Paulo uidetur, sic loquente: Cicatri-
» cum oculi, alia tenuis, in superficie apparens, quæ generale cicatricis nomen seruat,
» & à quibusdam dicitur nebula: alia profunda, quæ λεύκωμα nuncupatur. Halia-
» bas albedinem & pannum uocat, Latini cicatrices & albuginem, plerunq; tamen
Leucoma. græca ipsa uoce λεύκωμα.

Huic non ualde dissimiles sunt nominatæ à Paulo συνχύσεις, ab Auicẽna botor.
Synchysis. Id tamen quod Auic. dicit, super corneã albedinem, supra coniunctiuã ruborẽ ap-
parere, dictum est à Paulo in argemo, & ab ipsomet Auic. in tertia specie exiturarũ.

Lego apud Galenum quoque inter oculorum affectus ὑμένων ἐπανάστασις, qua-
Hymenon epa- si diceres membranarum rebelliones, uel insurrectiones: intelligo autem earum
nastases. præter naturam extuberantiam.

In tertia quoque oculorum membrana uuea uocata, nonnulla eueniunt incom-
Affectus uueæ. moda: aliquando enim eius foramen, quod pupilla uocatur, latius fit, quàm erat na-
turaliter. Et hunc affectum Auicenna alintisar, Græci μυδρίασιν, Latini pupillæ ef-
Mydriasis. fusionem, aut dilatationem uocant: aliquando constringitur, constrictionem pu-
pillæ uocat Auicenna, Paulus φθίσιν, id est tabem.

Phthisis
Ad hanc quoq; aliquo modo pertinere uidetur affectus, quem κατάχυμα Græci,
Hypochyma. Latini suffusionem, Auicẽna aquam, uulgus cataractam uocat. Est autẽ, teste Pau-
Suffusio. lo, effusio humorum lentorum inter corneam & crystalloidem congelatorũ. Huic

Universidad de Deusto
Biblioteca

Glaucoma. tam simile est id quod Græci uocant γλαύκωμα, ut aliqui idem putauerint, quum tamen sint res diuersæ. Fit enim glaucoma ex mutatione crystalloidis ad glaucū. Videtur Auicenna glaucedinem oculi utriditatem uocasse: quamuis eo capite, quod de uarietate oculi inscribitur, de naturalibus potius quàm de his qui præter naturam sunt oculorū coloribus loquutus sit: capite tamen de destructione uisus, glaucomatis meminit, eius nullum dicens esse medicamen.

Sunt præterea alij affectus qui ad totū oculum uidētur pertinere, ut qui à Græcis ἀτροφίαι, quasi innutritio dicit: qui quoties fit, totū oculum minorē, humiliorēq; hoc est, depressum magis reddit. Auic. profunditatē oculi uocat, Celsus imminutū oculum. Fit & ecōtrario, ut nimis promineat, ἐκπισμὸν uocat Paulus, Auic. exitū.

Atrophia. Ecpiesmos.

Euenit etiam toti oculo, & quādoq; palpebræ maligna ulceratio, quæ interdum perambulat. Paulus ἀνθράκωσιν, Celsus carbunculum uocauit.

Anthracosis. Carbunculus.

Est etiā totius oculi affectus strabositas ab Aui. uocata. Paul. σραβισμὸν uocat, qui modo resolutionē mollitiēq; musculorū bulbū mouētiū, modo cōuulsionē sequit.

Strabismus. Resolutio.

Accidit etiam ex resolutione, πτῶλυσιν Græci uocant, ut oculus nequaquam intendi possit, nec omnino consistat, sed huc atq; illuc sine deliberatione moueatur.

Aegilops. Habent & oculorum anguli sua mala: horum non leue est, αἰγίλωψ à Græcis uocatum, ab Auic. garab. Est autem abscessus inter magnum angulum & nares medius: qui si rumpatur, & indiligenter tractetur, in fistulam uertitur, quæ ad os usq; protenditur. Haliabas coruum nominauit. Plin. lib. 20. epinyctides uocari dicit ulcus aciem hebetans, & in angulo oculi perpetim humor emanans.

Epinyctides.

Crescit interdum in ipso magno angulo naturalis caro, adeò ut palpebras parū diduci patiatur: interdum ultra modum minuitur: primum ἐγκαυθίδια, secundum ῥυάδια Græci nominant. Auic. additionem alterum, alterum diminutionem carnis lachrymalium uocat. Haliabas primum gada, secundum fluxum.

Encanthis. Rhyas.

Ad hos quoq; angulos spectare delationes rheumatum uidentur, ὠφορὰς Græci, pituitæ cursum Celsus, Plin. delachrymationes, aliam rem putasse uidetur ab epiphoris: & certe latius patet epiphoræ nomē apud Græcos, cōprehendit enim quācunq; humiditatū ad oculos delationē, siue per angulos, siue per totū oculum fiat.

Epiphoræ.

Est & ubi Plin. lachrymosos oculos nominet, & lachrymātes. Nostri tantū lachrymas uocant. Videntur aliquando anguli ueluti erosi, κοιλιεδρωμένους uocāt Græci.

Lachrymæ.

PALPEBRARVM AFFECTVS.

Non pauciora quoq; palpebris, quàm oculis nocumenta contingunt. Est enim cum extra modum crassescunt cum rubore, & calore, pilorumq; plerunque casu: adeò duræ fiunt, ut difficile moueantur, dolentq;, ac sine humore rubent: σκληροφθαλμίαν Græci, Auicenna gesse uocat. Pruriunt interim absque fluctione, & ξηροφθαλμίαν Græci nuncupant, Auicenna oculi siccitatem. Paulus tamen σκληροφθαλμίαν & ξηροφθαλμίαν inter morbos oculorum, non palpebrarum, collocat. Interdum laxo quodam, & indoloroso tumore crescunt: ἐμφύσημα Paulus, Auicenna inflationem nominauit.

Ptilosis, πτίλωσιν Græci, silac Auicenna, Haliabas palpebrarum casum uocat. Sclerophthalmia. Xerophthalmia. Emphysema.

Accidit etiam aliquo casu ut palpebra superior, aut tarso inferiori, aut oculi albo, aut cornea tunicæ ita agglutinetur, ut aperiri oculus non possit: συμβλῶντας Paulus, Celsus ἀγκυλοβλέφαρον, inuiscationem Auicenna uocat. Superior etiam palpebra ita quandoq; conuellitur, ut album oculi non tegat: λαγοφθάλμους, id est, leporinos oculos habentes, qui hoc patiuntur, uocant Græci. Auic. ascera, & palpebræ inuersationem. Idem inferiori contingit, & ἐκτρόπιον Græcis est.

Ancyloblepharon. Lagophthalmos. Ectropion.

Fit & in eis pruriginosa quædam scabies, ψωροφθαλμίαν uocat Paulus, Galenus ψωριῶντας βλέφαρα ἐν κνησμώδεσι κολίβοις. Auic. scabiem & pruritū, Haliabas prurigi-

Psorophthalmia.

nem.

nem. Exasperātur quandoq; intrinsecus, & τράχωμα hæc passio à Paulo dicitur, à Celso aspritudo. Quod si asperitas intantū crescat, ut tēdi uideatur, σύκωσις ab eodem dicit, ficosa palpebra à Latinis: si antiquatur, & callū obducit, πύλωσις. Vniuersa autē hæc Auic. eodē de scabie cap. cōprehendit. Haliabas species pruriginis facit.

Trachoma. Sycosis. Tylosis.

Additur etiam quādoq; superiori palpebræ pinguis quædam, grauisq; materia, quæ uix attollere oculum sinit: leuesq; pituitæ curius, sed assiduos mouet. Paulus ὑδατίδια, Auic. alsarnac, Celsus uesicam, Haliabas scissuram appellat.

Hydatis uesica.

In eadem super pilorū locum tuberculum paruulum nascitur, quod à similitudine ordei à Græcis κριθὴν nominatur, & à nonnullis ποδίαι, ab Auic. ordeolum.

Crithe.

Aliud ibidem huic non dissimile nascitur, diuersæ tamē figuræ, mobile: si huc atque illuc pellatur, χαλάζιον à Græcis, à nostris & ab Auic. grando dicitur.

Chalazion.

Adduntur ab Arabicis nōnullæ palpebrarū affectiones, quas nō facile est apud Græcos reperire: inter quas est quædam carnis pustulosa eminētia, quam ob similitudinē uocat Auic. Morū: nec ad alium effectū quàm ad σύκωσιν referēda uidetur.

Grando oculo. Morus.

Addunt & susati, quam dicūt esse carnem mollem intra palpebrā, à qua fluit sanguis ruber, ater, aut uiridis. hæc autē ipsomet Auic. teste, est ad scabiē fortē referēda.

Susati.

Memínerunt & lapidis qui ad grandinem referendus est, & uocati alintisac, tumoris uidelicet, ab inflatione, uel pituita, uel aqua, uel nígro humore geniti: qui nō uidetur esse proprius morbus, sed sub generali tumorum diuisione reponendus, sicuti & acrochordones, quorum meminit Paulus.

Capis.

Accidunt & pilis palpebrarum sui morbi uel dedecora. Aut enim concidunt, & à Græcis μαδάρωσις, uel μίλφωσις, uel μύδωσις passio uocatur. Auic. casum pilorum nominauit. Aut præter naturalem ordinem augētur: Paulus uocat δυσριχίασιν, Galenus τριχιῶντα βλέφαρα, Auic. inuersos, uel additos pilos.

Dedecora pilorum. Madarosis. Milphosis. Mydosis. Dystrichiasis.

Et hæc quidem de oculorum exterioribus malis dicta sint: ad aures accedam.

DE MORBIS AVRIVM.

Exit ex aure modo sanguis, modo pus, modo uermiculi: αἱματηδόμενα ὦτα primū Paulus: secundum πυορρέοντα, sicut Galenus: Dioscorides autem ἰχωρρέοντα: tertium σκωληκιῶντα uocat. Latini aures uerminosas hoc ultimum uocant.

Crescit in eis caro, & uocant Græci ὑπερσαρκῶντα. Deest aliqua eius pars, & κολοβώματα idem Paulus, Celsus curta. Tumores post eas nascūtur, & πῳώτιδας uocāt. Et hæc de auribus.

Hypersarcōta. Colobomata. Curta. Parotides.

NARIVM AFFECTIONES.

Nasi exterior pars nullum proprium affectum patitur: interior duobus, & quidem uehementibus malis uexatur: alterum ὄζαινα, πολύπους reliquum, Græci & Latini uocant: in hoc caro multos ueluti pedes instar animalis polypi uocati, habens, intra narium foramina concrescit: illud ulcus est putridum ab effluctione acrium humorum factum, plures crustas, & odorem fœdum habens. Ad alterum autem horum morborum referendi sunt morbi, de quibus agit Auicēna capite inscripto de hæmorrhoidibus alcarnabet, & ad polypum Pauli sarcoma.

Polypus. Ozæna.

DE LINGVA.

Linguæ proprium quid euenit, quod Paulus ἀγκυλόγλωσσον uocat: sub hoc breuior fieri lingua uidetur, duratis, diminutisq; membranis linguā continentibus, aut duriore cicatrice ex ulcere derelicta. Auicenna abbreuiationem linguæ uocat.

Ancyloglossos.

Nascitur & sub ea tumor cum inflammatione præcipue in pueris, βάτραχον Græci, Auicenna ranulam, uocant.

Batrachos. Ranula in lingua.

Eidem alij quoq; affectus accidunt: resolutio uidelicet, conuulsio, excellens ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnitudo, prominentia, ustio, rhagada, & tumorum omnia genera, de quibus propria capita scripsit Auicenna. Sed quia nihil peculiare, nec propria nomina habent, ideo à Græcis prætermissa quum sint, à me quoq; non aliter tractabuntur.

GINGIVARVM AFFECTVS.

Parulis. Epulis. In gingiuarum morbis παρουλίδες, & ἐπουλίδες à Græcis enumerantur: uoces quidem similes, sed res diuersas significantes. Est enim, ut inquit Paulus, παρουλὶς, abscessulus circa gingiuas factus, qui nisi solutus fuerit, suppuratur. Ἐπουλὶς uero ab eodem definitur, superflua caro ex inflammatione in extremo molari dente, cui dolor quandoq; & febris iungitur. Celsus parulidas (licet corrupte in uulgatis codicibus parotides legãtur) tubercula quædam dicit esse in gingiuis iuxta dentes dolentia. Haliabas auralem illud, hoc abulem uocat. Auic. beralem & carnem additam.

Celsi locus emendatur.

Sanguinem quoque emittunt ulcera, corrosionem, fistulas, raghadaq; patiuntur, excarnes, laxæ ue fiunt. Quæ omnia quum satis per se nota sint, nihil amplius hoc loco de eis dicemus, sicuti nec de labiorum tumoribus & scissuris. Sed ad internas oris partes conuertemur.

DE ORIS VITIIS INTERNIS.

Aphthæ. In his mala aduenium ulcera, præsertim in pueris, ἄφθας Græci uocant. In antiqua trãslatione libri de medic. secũdũ loca, corrupte legĩ ascæ. Quæ aut alba, aut rubra, aut nigra sunt: interdũq; crustas, his quæ ab igne fiũt nõ dissimiles emittũt. Interdũ quasi depascẽdo, linguam & palatũ erodunt. Auic. alcola uocauit, Haliabas calaba.

Gargareon. Paristhmia. Cion. Columella oris. Staphyle. Antiades. Tonsillæ. In intima uero oris parte, ubi gulæ & asperæ arteriæ principium, particula est à Græcis γαργαρεὼν dicta, ueluti plectrum uocis existens: & iuxta eam utrinq; uocata παρίδμια. Gargareon hic, si fluctionem à capite suscipiens, longus & tenuis fiat, κίων uel κιονὶς, id est columna, uel columella dicitur. Inferiore eius parte crassa & orbiculari facta, σταφυλὴ, id est uua: παρίδμια uero inflammata & superaucta, ἀμυγδάλες uocantur. Auicenna paristhmia, amygdalas: gargareonem, uuam nuncupat: & propterea caput, ubi de affectionibus utriusque partis agit, de uua, & duabus amygdalis inscribit. Paristhmia & eorum inflammatio, à Celso tonsillæ nominantur.

AFFECTVS FACIEI.

Distentio oris. Cynicus spasmus. Hypopia. Ab ore ad faciẽ trãseũdũ. In hac fiũt diuersæ uel passiones, uel dedecora. Pessima est, quã oris distentionẽ Celsus, Græci κωικὸν σπασμὸν, Auic. torturã faciei uocauit. Sub oculis uero, quod uox ipsa græca designat hypopia, quæ uox prolatione quidem alteri similis est per quam affectũ significamus, quẽ inter oculi mala numerauimus, in quo scilicet pus sub cornea uocata tunica cõtinetur: scriptura tamen diuersæ sunt dictiones, sicut & significato: hæc enim per o in secũda, & per υ in tertia syllaba scribitur, ὑπόπυα, & à pure deducitur: illa per ι in tertia, & in secũda per ω, & ab oculo originem trahit, ὑπώπια, quasi subocularem diceres, & dehonestat potius faciem quàm lædit: quum contrà alius sit inter malos oculi morbos numerandus. Sunt autem ὑπώπια hæc nigrores sub oculis contingentes, à sanguine cõpressis uenis exeunte, & sub cute permanente, sugillata Latini uocant: nec sub oculis tantum, sed quacunq; parte ob ictum caro liuescit. De his egit Auicenna lib. 4. capite cui titulus est, De sanguine mortuo, & lentiginibus magnis, & panno.

Sugillata.

Ionthus. Varus. Ficus. Lenticulæ. φάκοι. Fit præterea in facie à crasso humore tumor exiguus & durus, uocatus à Græcis ἰονθὸς, Celsus & Plinius uaros nuncupant. Fiunt & συκώσεις quædam eminentiæ in loco barbæ, si tenuis & acris quædam ueluti sanies crassis humoribus miscea-
tur: Ficus Latini uocant, de quibus inter capitis affectus suprà loquuti sumus. Fiunt & lenticulæ toto quidem corpore, sed præcipue in facie, & cum maiori mulierum molestia, φακὸς uocant Græci.

Est &

Est & alia cutis leuior infectio, quæ sæpius ex mora in sole, aliquando ab alia non absimili causa fit, ἐφηλίδας uocant Græci.

Ephelides. Stigma. Est & uocatũ σίγμα, quasi pũctũ dixeris uel uarietatẽ: alguasen Auic. nũcupauit. putauerim ego significari ea uoce infectionẽ quandã, qua uaria & quasi pũctis quibusdã interstincta cutis uideĩ. Vernicatã uulgò dicũt, uariegatã uolentes opinor dicere. Apud Auic. in 2. duobus locis, cap. uidelicet de Kebikengo, id est batrachio, & de labrol, id est mãdragora, pro stigmatibus legĩ albaras. Sunt & aliæ faciei defœdationes, quæ quũ sint cęteris quoq; partib. cõmunes, inferius loco suo tractabunt.

COLLI MORBI.

Hernia gutturis

Iam ad collum descendendum. Huic proprius quidam accidit morbus, quem βρογχοκήλην Græci uocant: nostri herniã gutturis, & gutturosos qui eo morbo dehonestantur: uulgus botium. Est autem tumor inter cutem & asperam arteriam, in quo modo caro, modo humor aliquis melli, adipi, pulti, aquæ ue similis, includitur: interdum etiam, ut ait Celsus, minutis ossibus pili immixti, adeò ut ad apostematis genus, de quo inferius agetur, referri debeat.

Meminit etiam Hippocrates inter puerorum ægritudines alterius huius loci affectus, in quo ceruicis aliqua uertebra in interiora deflectitur.

Opisthotonos. Emphrosthotonos. Tetanus. Et grauis quidẽ hic: sed illi grauiores, quibus quodã rigore neruorũ modo caput scapulis, modo mẽtũ pectori annectiĩ, modo intẽta & immobilis ceruix manet: priorem Græci ὀπισθότονον, posteriorẽ τέτανον, mediũ ἐμπροσθότονον nominãt. Nostri cõmuni & una uoce tetanum. Auic. cuzen, uel alcuzen. Celsus rigorem.

MAMMARVM MORBI.

Lactis superfluitas & caseatio. Pilo hausto mãmas dolere. Trichiasis. Mulierum mammæ propria quædam & ipsæ habent mala: nam abundat supra modum in eis quãdoq; lac, ut propterea & doleant, & inflammentur: ἀπαργῶντας eas uocant Græci. quandoq; instar casei lac in eis concrescit, & χονδριῶντας appellant. Auicenna illud lactis superfluitatem, hoc caseationẽ uocauit. Interdum si forte pilum hauserit mulier, uehementissime dolet: magnaq; sæpenumero interdum exoritur febris. τριχίασιν uocat Aristoteles hoc malum, Latini pilarem.

DORSI MORBI.

Hybi. Cyphi. Cyrti. Lordi. Regibbi. Scolioſi. Satyriasis. Nec dorso sua quoq; desunt mala: modo enim extrorsum spina flectitur, modo introrsum, modo in obliquũ: ὕβδες, uel κυφὸς, uel κυρτὸς primos Græci uocãt, gibbos Latini: secũdos illi λόρδωσις, Latini regibbos: tertios illi σκολιωμένους, Latini obliquos.

OBSCOENARVM PARTIVM MORBI.

Error exemplarium cõmuniũ Auicennæ. Priapiſmus. Obscœnis partibus hi peculiares morbi aduenium: σατυρίασις, quæ saltus quidam pudendi est, seminalium uasorum tentionem cum inflammatione sequens: & nisi saltus & palpitatio illa cesset, incurrere resolutionem, aut conuulsionem eorum uasorum patientes solent, celeriterq; cum uentris tumore & frigido sudore intertermori. Auicẽna acrain, & arsacon uocat, mulieribus quoq; faciens communem. Error tamen est in cõmunibus exemplaribus morbum frigidum dicẽtibus, quum calidus ualde sit. Paulus euenire quidem interdum ait mulieribus, sed raro. πριαπισμὸς auctio uirilis membri est secundum longitudinem & rotunditatem, apta permanere sine impetu ad Venerem. Auicenna scripsit de eo, capite cui titulus, De multitudine erectionis absq; desiderio, & de priapismo. Haliabas priapismum erectionem, satyriasin titillationem nominauit.

Phimoſis. Periphimoſis. Tegĩ interdũ penis glans, ita ut nudari nõ possit: Græci φίμωσις uocãt. Interdũ ita est detecta, ut tegi nõ ualeat, & etiã φίμωσις uel περιφίμωσις à quibusdã nominat.

Gonorrhœa. Exit aliquãdo uigilantibus ſemen nolentibus nobis, γονορρόιαν Græci, noſtri cor-
Ouirogmos. rupto uocabulo gomorheã uocant. Exit & per ſomnia, & uocant Græci ὀνειρωγμὸν, imaginariam Venerem Latini.

MORBI TESTIVM.

Nec teſtibus ſua deſunt mala: laxata enim aliquando ſcroti cute, interioribus in ſua ſede manentibus, ſit fœditas, quam Auicenna mollificationem uocat, Paulus
Rhacoſis. ὀχεῶν ῥάκωσιν.

Aliquando fracto uel producto peritonæo, in ſcrotum corpus aliquod deſcen-
Enterocele. dit. Et ſi inteſtini fuerit portio, ἐντεροκήλην Græci, Latini inteſtinorũ ramicem, Auicenna rupturam, herniam, & ramicem.
Rupturæ.
Hernia. Si deſcendit omentum, ἐπιπλοκήλην Græci, omenti ramicem Latini, Auic. zirbi
Ramix. ramicem nominat.
Epiplocele. Si humor lentus, Græci ὑδροκήλη, Latini & Auic. ramicem aquæ. Deſcendit etiã
Hydrocele. aliquando res quædam feci ſimilis, aliquando ſanguis, aliquando flatuoſus ſpiritus, à rebuſq; ipſis locum opplentibus ſinguli affectus nomen accipiunt. Interdum ue-
Sarcocele. ro dura concreſcit caro, & σαρκοκήλην Græci dicunt, nos carnoſam herniam.
Cyrſocele. Interdum uenæ ultra modum repletæ glomerantur: κιρσοκήλην Græci, nos uari-
Varicoſus ra- coſum ramicem dicimus.
mix. Aliquando plura ex his miſcentur, & nomen cõpoſitum affectio ſortitur: apud Græcos tamen longe quàm apud nos cõmodius. Vbi enim omentum ſimul cum
Epiploentero- inteſtinis deſcenderit, ἐπιπλοεντεροκήλην uocant. Nos inteſtini ſimul, & omenti ra-
cele. micem poſſumus appellare. atq; pariformiter reliquas.

At ſi corpora hæc non intra ſcrotum deſcendant, ſed in inguine retenta intume-
Bubonecele. ſcere locum faciant, βουβωνοκήλην Græci uocant, nos inguinis ramicem.
Exomphalos. Si uero in umbilico, ἐξόμφαλον Græci, Auicenna umbilici augmentum, Celſus
Vmbilicus pro- prominentem, Plinius prociduum umbilicum uocat.
minens.

MVLIEBRIVM LOCORVM MORBI.

Sua etiam mala mulierum genitalia patiuntur: clauditur enim aliquando, uel à primo ortu, uel caſu aliquo illud oſtium, quod ſæpius nimis patêre uiri queruntur:
Phimoſis: clauſas Auicenna uocat, Græci ἀτρίτους, id eſt imperforatas, cum à natura: ſed φίμω-
Myſis. σιν, cum caſu euenerit, appellant. Eſt & quando μύσιν.

Deſcendit interdum uterus magis, minus ue: augmentum matricis Auicenna,
Proptoſis. Paulus πρόπτωσιν, id eſt caſum, uocat: Celſus os uuluæ procidiſſe tũc dicit: Plinius uuluarum procidentias uocat.

Duratur & plerunq; uterus: & ſi hoc abſque dolore ſit, cum inæquali tumore &
Scirrhus. magna ad tactum repugnãtia, σκίῤῥον ſimpliciter dicitur: ſi minus repugnat tactui,
Scirrhoma. & cum mediocri dolore eſt, σκίῤῥωμα. conſiſtit hoc autem præcipue in ceruice eius.

Fiunt in eodem oſtio uteri eminẽtiæ quædam, modo rubræ, modo albæ, & ferè
Thymi. abſq; dolore: quæ quoniã corymbis thymi ſimiles exiſtũt, θύμοι, id eſt thymi uocant.

Extolluntur interdum per ambitum ueluti tubercula ſanguinẽ fundentia, quæ
Condylomata. à ſimilitudine extremorum in pugno clauſo in quatuor digitis nodorum, κονδυλώματα à Græcis uocantur. Hæc omnia eodem capite Auicenna cõprehendit, quod de hæmorrhoidibus bothor, & clauo in matrice apparentibus inſcripſit.

Nymphe. Creſcit quibuſdam νύμφη, id eſt membranoſum id corpus quod in medio puden di eſt, adeoq; creſcit, ut inſtar uirilis membri tendatur, & ad concubitum incitet.

Quibuſdam caro adnaſcitur totũ pudendũ implens, & in exteriora inſtar caudæ prominẽs, quæ à caudæ ſimilitudine κύρκωσις à Græcis nominatur. De his agit Auicen. cap. cui titulus, de carne addita & lõgitudine allakie, & apparitione ſicut uirga, & rei

& rei nominatæ ſurſus. Et hæc quidem mulieribus propria.

VTRIQVE SEXVI COMMVNES AFFECTVS.

Illud uero utriq; ſexui cõmune, quod utrunq; utriuſq; ſexus uideri facit: herma-
Hermaphro- phroditas Græci pariter & Latini appellãt. quorũ tres in uiris differẽtiæ, una in mu
ditæ. lieribus: in uiris enim ſimilitudo muliebris pudendi, aliquãdo in ſcroto, aliquãdo in perinæo apparet, aliquãdo per mediũ ſcrotũ urina exit. In mulieribus ſupra puden dum per pubẽ uirilis mẽbri cũ duobus teſtibus forma prominet. Hæ ſunt quæ in obſcœnis mẽbris cõtingũt affectiones: in quibus deſcribẽdis ſi obſcœnis quoq; uer bis uſus uideor, ignoſcẽdũ eſt, alioqui nulla in uerbis turpitudo, ſi Stoicis credimus.
In uerbis turpi- tudo nulla.

MORBI EXTREMORVM MEMBRORVM.

Extrema demum membra, pedes uidelicet ac manus, proprios quoſdam perpe-
tiuntur affectus. Circa unguium enim radicem abſceſſus malus cõtingit, παρωνυχίαν
Paronychia. Græci, Arabes & noſtrates corrupta uoce, panaricium, Latini reduuiam uocant.
Panaricium. Fit & eodem loco maxime in pollicibus, manus quidem ferè poſt paronychiam,
Reduuia. pedum uero ob ictum, ut propinqua ungui caro ita creſcat, ut partem unguis ab-
Pterygion. ſcondat: πτερύγιον Græci uocant.
Scabri ungues. Naſcitur & ſupra ungues aſperitas quædam: λιπαρὸς Græci, Plinius ſcabros, Auicenna baras, & lepram patientes ungues uocat.

Fiunt & per hyemẽ in digitis pedũ præcipue & in calcaneis, tumores quidam cũ liuido rubore, qui niſi citò occurrat, in ulcus tranſeunt, perniones latine uocati, græce χιμετλαι, uulgò mugas, uel bucãtias dicũt. Meminit Celſus inter ulcera, nec ullum
Perniones. eis peculiare nomẽ adſcribit, ſed ex hyberno frigore in pedib. manibuſq; oriri dicit.
Chimetla.

DE MORBIS QVI CERTAM SIBI SEDEM *non determinant.*

Et de his quidem exterioribus morbis, quæ peculiarẽ aliquam ſibi ſedem decer-
nunt, dictum hactenus ſit: ſi qua enim deſunt, ad aliquod eorũ quæ dicta ſunt, uel dicenda, (ni fallor) referri ualent. Tempus eſt ut ad eos qui in toto corpore uagantur, hoc eſt, qui nullam certam ſibi ſedem depoſcunt, tranſeamus. Ex his quidam ad tumorũ genus, quidam ad ulcera ſpectant. Tumores aut ab humoribus fiunt, aut à flatuoſo ſpiritu, qui quandoq; ſub cute, quãdoq; ſub circumoſſalibus membranis, quãdoq; in uentre, quandoq; in inteſtinis, quãdoq; in medio horũ & peritonæi col
ligitur, quod Græci ἐμφύσημα, Auic. apoſtema uentoſum uocat. Si ab humoribus, aut calidi, aut frigidi ſunt, aut mixti. Calidi aut fiunt à ſanguine bono, & φλεγμονὴν
Emphyſema. Phlegmone. Græci, Latini inflammationẽ uocant. Aut à bile, uel ferũgi, & tenui ſanguine, uel ſanguine & bile calidioribus: ἐρυσίπελας illi, hi Ignem ſacrum. Frigidi uel à tenui pituita, & illi οἴδημα, noſtri laxum tumorẽ uocare poſſunt. Auic. undimiam. Aut ab
Eryſipelas. Ignis ſacer. Oedema. humore atræ bilis, uel craſſa & tenaci pituita: σκίῤῥον illi, Latini duritiem, Arabes ſephiros uocant. Miſcentur aliquando ſimul hi tumores: & ſi alter alteri dominetur,
Scirrhus. dominantis nomen præponitur, ut phlegmone dominãte eryſipelati, phlegmonẽ dicemus eryſipelatoden. Si pares ſint, per copulam cõiungimus, phlegmonem di-
Phlegmone ery ſipelatodes. cẽtes, & eryſipelas. Atq; ad hoc exẽpli reliquos etiã, ſi triũ uel quatuor ſit cõmixtio.
Phlegmone & eryſipelas. Et hi quidem ſunt principales tumores. Sunt uero & nonnulli qui licet ſub aliquo dictorum generum comprehendantur, uarijs tamen ex cauſis diuerſa ſortiti
Phygethlon. ſunt nomina: ſicuti phygethlon, phyma, & bubon, laxarũ partium, quas Græci uocant adenas, affectus. φύγεθλον enim Græci [illegible]cãt inflammationem eryſipelatoden, uel eryſipelas cum inflammatione. Celſ[illegible]eſinit tumorẽ non altum, latũ, in
Papus. quo quiddã puſtulæ ſimile eſt, Panũq; uocari à noſtris dicit, ad ſimilitudinẽ figuræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Phyma. Tuberculum. Terminthos. Helcodes pustulæ. Bubo.

φύμα, quod tuberculum à Celso dicitur, uocant tumorem qui citò augetur, & ad suppurationem accelerat. Huius speciem Oribasius statuit τέρμινθον, cui suprà infracta adiacet bulla nigra, qua fracta excoriatio quædam apparet. Hos uidetur Celsus helcodes nominasse pustulas: bubonem, simplicem eorum locorum inflammationem. Galen. lib. 3. in sextum Epidem. Τέρμινθοι sunt, inquit, adnascētiæ quædam nigræ, in cruribus præcipue factæ, colore & magnitudine terebinthi fructui similes. Auic. sub cap. de Althohoino, uidetur hæc omnia cōprehendisse, curam tamē magis applicat pestilentiali: sequēti uero capite, cuius uidelicet titulus est de Apostematibus accidētibus in glandulis, ponit curā huiusce modi tumorū nō pestilentialium.

Dothienes.

Duritie sola à phymatibus differūt uocati à Græcis δοθιήνες, ait Galenus. Celsus acutie etiam differre dicit: phymaq; rotūdius & planius esse, & sæpe maius. Paulus, δοθιῆνες sunt, ait, tumores cum abscessu à crassis humoribus geniti, qui in carnosis præcipue locis cōsistunt: & sunt satis mites, nisi cum profundi fuerint, quia tūc coniunctam habent malignitatem. Auicēna de his scribit capite de Aldemurenul. Celsus furunculos uocat, dicitq; esse tuberculum acutū, cum inflammatione & dolore.

Furunculi.

Sunt etiam prope phlegmonem, ut Galenus inquit, carbunculi & gangrenæ: imò γαγγραίνα, ait idem Galenus, inter maximas phlegmones est reponenda, quæ ad mortem ducit membrum, & nisi præstò sanetur, præter hoc quod moritur facile patiens particula, transit quoq; ad proximas partes corruptio, & totius corporis uita aufertur. Retinet gangrænæ nomen hæc affectio, donec insensibile penitus factum est membrum, tunc enim à Græcis σφάκελος dicitur, à Latinis syderatio, Auicenna corrupte ascachilon dixit, in eoq; duos gradus intellexit. Quando enim ad partes continuas transit corruptio, esthiomenon uocauit: quo nomine in alia re utuntur Græci, sicuti paulò inferius demonstrabo.

Gangræna. Sphacelus. Syderatio.

Carbūculus uero, quem ἄνθρακα uocant Græci, magna ex parte à bulla quadam exoritur, his simili quæ ab igne excitantur: quandoq; sine ea, sed ita tamen, ut pars læsa incendatur. Sequuntur unica, uel plures instar milij bullæ: quibus perfractis, ulcus cum crusta apparet cinerulenta, uel nigra, circunstansq; carò flamminulenta fit, & nigrescit. Galen. lib. 6. de med. secundum genera, uidetur sub ulcere reponere. Ita enim definit: ἄνθραξ est ulcus escharam celeriter faciens, cum forti totius circunstantis particulæ inflāmatione. Auic. de eo scribit cap. de pruna & igne Persico.

Carbunculus. Anthrax.

A sanguine quoq; fit, uocatum à Græcis αὐσύρωμα: nostri corrupta uoce emporisma, & matrē sanguinis dicunt. Fit autem quoties aperta arteria cutis superiacens integra est. Spirituosus enim sanguis ab arteria exiens in altum cutem attollit.

Aneurysma.

Et hi quidem tumores ad genus φλεγμονῶν pertinent. Ad erysipelata uero uidentur aliquo modo referri, uocati à Græcis ἕρπητες. Fiunt enim & hi à flaua bile, sed alteri humori commixta: ex quibus uocatus ἕρπης ἐδιόμβλος fit à bile crassa & acri, quæ totam cutem ad carnem usq; exulcerat. Herpes autem simpliciter dictus, qui solam superficiem quasi urit à tenuiore: sicuti miliaris à tenui minusq; acri & calida, & propterea bullulas paruas in cute excitat milio similes. Aëtius & Oribasius ex mixtam bili pituitam, hunc facere tradiderūt. Auicenna formicas tria hæc mala uocauit, nominisq; similitudine deceptus, quoniam Græci μυρμηκίας, id est formicas, genus quoddam uerrucarum uocant, eodem capite uerrucas illas cum herpetibus turpissimo errore commiscuit. Quem lapsum, sicut alios multos, ante nos agnouit Nicolaus Leonicenus, in extirpandis barbarorum erratis censor acerrimus. Celsus sub Ignis sacri nomine hæc uidetur significasse.

Herpetes. Herpes esthiomenus. Herpes miliaris Formica. Error Auicen. Laus Leoniceni

A bile etiam ferè proueniunt φλύκταιναι à Græcis uocatæ, de quibus agit Auicenna capite de uesicis, & inflationibus.

Phlyctænæ.

Ad tumores pituitæ pertinent nōnulli tumores sub apostematis nomine à Græcis cōprehensi, ab Haliabate selaa dicti, Auic. nodos uocat. Quorum iuxta diuersas materias

materias in eis contentas, diuersæ sunt species. Si enim ueluti adeps sit, quod continetur, στέατωμα à Græcis, à nostris adipinus nodus nominatur. Si ueluti mel, μελικήρεις ab illis, à nostratibus melleus nodus. Si ueluti puls, ἄθηρωμα ab illis dicitur.

Steatoma. Meliceris. Atheroma.

Est & apostematum huiusce modi genus in quo res aliæ continentur, ut ueluti cænū, urina, thrombus, mucus, ossa, ungues, pili, lapides, arenæ, ostraca, ligna, carbones. huius mentionem fecit Auicenna capite inscripto, De exituris calidis: & dicit se de eo tractaturū inter dubelet frigida: nullum autem est caput tali inscriptione, De exituris frigidis: nec ad aliud caput referri posse uidetur, præterquam ad nodos quos definit dubeleta pituitosa.

Diuersæ res in apostematibus contentæ.

Huc quoq; spectant uocata à Græcis γάγγλια, ab Auicenna Glandulæ. Differūt à uocatis Nodis, quia oblique tantum mouētur, non autem uersus exteriora & interiora, sicuti illi: stupidúmque quendam, dum premuntur, sensum præbent. Euenium, inquit Paulus, in pluribus corporis partibus, sed in his præcipue quæ mouentur, ut manibus pedibus ue. Et licet Auic. ut diximus, de his scripserit proprio capite de Glandulis inscripto, eorundem tamen (quanquam, ut arbitror, inconsiderate) mentionem fecit in tractatu de Nodis, circa finem capitis quarti & quinti, inueniri nodos proprie in iuncturis dicens, & constrictione cum rebus grauibus curari.

Ganglia. Glandulæ.

Scroffulæ quoque uulgò uocatæ à pituita fiunt, quæ nihil aliud sunt quàm indurati adenes, in collo, alis, & inguinibus præcipue consistentes. dicuntur à Græcis χοιράδες, uel à chœradibus petris per marinas aquas transparentibus, uel à suibus multiparis animalibus, & eo morbo frequenter affectis. Latini uocant Strumas. Et hi quidem sunt tumores à pituita generati.

Scroffulæ. Chœrades. Strumæ.

Ad eos qui atræ bilis sunt, pertinēt uocati Cancri, de quibus superius etiā aliquid tactū est, à Græcis καρκῖνοι & καρκινώματα, uel quia uenæ circa eos plenæ, & extētæ instar pedum animalis cācri sunt, uel quia adeò pertinaciter hærent loco quē apprehendunt, ut cācer animal. Fiunt ab atra bile efferuescēte: quæ si acrior fuerit, ulceratos cācros operatur. Celsus Cancrū à Carcinomate ita seiūgit, ut illum ab his quæ extrinsecus incidunt, oriri dicat & serpere: hoc corrupta interius aliqua parte innasci. Cancrū in multas species deducit, erysipelas scilicet, gangrenā, & ulcus nigrum.

Cancer. Carcinoma.

Ab his differt uocata à medicorū uulgo Lepra, uel S. Lazari morbus, & à Græcis ac Latinis Elephantus, uel ἐλεφαντίασις, quod eam faciens humor non est unico loco, ut in Cancro contentus, sed in totam exteriorem partem expellitur. Qui humor, ut ait Galenus, ab initio est sanguis, atræ bilis naturam habens, procedente uero tempore exacte ad atram bilem conuertitur, quo tempore fœtidi & aspectu horribiles sunt, huiusce modi morbum patientes.

Lepra. Elephantus.

Cauēdum aūt ne nomine decepti hunc morbū cum elephātia Auic. & multorū Arabū cōfundamus, qui elephantiā definiūt pedum tumorē. Cauēdum & illud, ne recētiores quosdā secuti, morbū, qui Gallicus uocaī, elephātiā putemus. Nā, ut inferius, deo dante, ostēdemus, nouus hic morbus Gallicus uocatus, ut nouus est, ita & antiqua caret nūcupatione. Cauendū demū, ne quis eadē uocū similitudine deceptus, uulgarē hāc leprā, quę, ut dictū est, elephātia à Gręcis dicīt, eādē putet cū morbo à Græcis lepra uocato: hæc siquidē adeò similis scabiei est, ut uix ab ea discernaī, ambæq; solā cutē occupāt: cū elephātia carnē quādoq; totā depascaī, & ad ossa usq; ingrediaī. Vt uero discrimē lepræ à lepra noscaī, nō ab re fuerit, naturā Græcorū lepræ melius declarare, pręsertim cū & ipsa à simili humore, atræ scilicet bilis generēī.

Error circa morbū Gallicum. Lepra Græcorum alia est à leprarecentiorū. Elephantia. Lepra & psora in quibus conueniant, differant ue. Psora & scabies idem.

Sciēdum igitur λέπραν & ψώραν affines esse affectus, aspredinē uidelicet cutis cū pruritu, & corporis colliquatione: ab eodēq; fieri humore, id est atra bile: Differre, quod λέπρα cū manifestis squāmis cutē profundius per circulum depascīt, ψώρα superficiē tantū uarijs figuris lædit, & furfuracea quædā corpora remittit. ψώρα à Latinis scabies uocaī: lepra nomē suū ideo apud Latinos seruauit, quia aliud nō inuenit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Impetigo. Licet sint nonnulli qui impetiginem uocari à Celso cõtendant: quum tamen ab ea manifeste differat, sicuti intellecta impetiginis natura facile dignoscetur. Est enim *Lichenes.* impetigo, id quod Græci λειχῆνες uocant. Fiunt lichenes, teste Galeno & Paulo, mixtis saniebus, tenuibus & acribus, cum alijs crassis, & celeriter in lepram & scabiem transeunt. Non sunt igitur lichenes lepra, si proprie loqui uolumus, alioqui idem in seipsum mutaretur. Definitiones etiam in libro definitionum positæ, quanquam liber ille nec Galeni sit, nec Galeni dogmatis in multis consentiat, ostendunt res esse diuersas, leprámque addere supra lichenas cutis, in contrarium habitum mutationem, dolorem, & squammarum resolutionem. Est igitur impetigo latine dicta, λειχὴν græce, leuis cutis infectio, uulgò dicta Volatica, quæ dum talis manet, cum sola uidelicet cutis aspredine ac pruritu, impetiginis nomen retinet: dum peior fit, nomen, sicuti & formam mutat. Si enim manifestas squammas facit, fatisq; profunda est, Lepra dicitur: si per extimam tantum superficiem extenditur, & furfuracea corpuscula emittit, ψώρα à Græcis, à nobis scabies uocatur. Sciendum tamen non omnem cutis infectionẽ uulgò, & à medicis etiam multis uocatam scabiem, esse puram & ueram scabiem: sed quemadmodum diximus impetiginem in scabiem, aut lepram transire, ita dicendum scabiem in alios frequẽter mutari morbos: ipsa quoq; scabie simul uel in eadem, uel in alia corporis particula permanente, ut furunculos, phlegmonas, erysipelata, rhagadas, profunda & crustacea ulcera, psydracia, exãthemata, herpetas, & id genus multa. Latius igitur patêre scabiei nomen apud nostros liquet: significari tamen proprie per illud, affectum à Græcis ψώραν uocatum, adeò notum est, ut mirari satis non possim fuisse apud nos magni nominis uiros, qui Albaram nigram Auicennæ, scripserint esse psoram Pauli, & Græcorum, præsertim cum legerent apud Auicennam Albaram nigram emittere squammis piscium similia, esse uehementer asperam, adeoq; malignam, ut prætia sit ad lepram suam, id est elephantiam, affectio, & quod non sanatur si sit antiqua: quæ nemo nescit scabiei, uel quod idem est psoræ, non conuenire, quam in superficie magis consistere scripsit Paulus, nec squammis piscium, sed furfuri similia emittere, ut suprà quoq; ostensum est.

Galeni non esse libri qui inscribitur, Definitiones medicæ.

Impetigo quæ proprie.

Lepra.

Psora.

Scabies.

Scabiei nomen late patêre.

Error quorũdã in Albaras.

Omnia autem hæc melius cognoscentur, si Albaras ab Auicen. uocatæ, & Morpheæ eius sociæ natura explicetur. Quarum tanta est affinitas, ut eodem capite de utraq; scripserint autores, & Celsus uno uitiliginis nomine utranq; cõprehenderit.

Vitiligo. Est autem Vitiligo, si genere quodam cõprehendatur, fœdus cutis color, ex malo particulæ habitu proueniens, nutrimentum bene assimilare non potẽtis: eiusq; alia solam cutem inficit, alia altius descendit, adeò ut carnem quoq; contingat, ac pilos coloret, & utraque albo uel nigro præcipue colore commaculet. Primam, id est eam, quæ sublimior quum sit, solam attingit cutem, siue alba, siue nigra sit, Græci eadem uoce ἄλφον uocant, Auic. Morpheam. Celsus uim uocis sequutus, albam, leucam alphon: nigram, melan nominauit. Altera, quam profundiorẽ dixi, à Græcis, & Celso Leucæ, ab Auicenna & ferè Arabicis autoribus Albaras dicitur. ferè dixi, quoniã Haliabas lepram uocauit. Eam sicuti & primam Auic. in albam & nigram diuisit, diuisione uticq; uocis in sua significata, nõ generis in species: ipso etiam met Auic. teste, nigram genus esse diuersum ab alba dicente, eamq; tali modo describente, ut, quẽadmodum superius notauimus, ambigi non possit, quin eum affectum intellexerit, quem Græci λέπραν uocant: ut uel ex his intelligi possit, quàm parum nominibus sit fidendum, nisi res bene fuerit explorata: quando & lepræ nomen leuem morbum apud Græcos, à scabie non multum differentem, apud Auic. grauissimum, ac pernicioſissimum, apud Haliab. fœdum quidem, & difficile curabilem, non pernicioſum tamen significat. Et hoc nomen Albaras apud Auic. modo ἄλφον, modo Græcorum lepram. Et de his quidem satis, & fortè plura quàm desiderares.

Alphos.

Morphea.

Leucæ.

Albaras.

Tria significata à diuersis per lepræ nomen.

siderares. Sed nominum confusio longiorem me esse coëgit, ut scilicet rerum confusio, quæ ex nominibus non bene intellectis sequi solet, effugeretur.

Ferè autem & hi affectus ab atra bile procedunt, ad quam etiam referuntur uerrucæ ab Auicenna uocatæ latina uoce, quæ proprie additorem montis partem significat. Quoniam igitur tumores isti instar monticulorũ quorundam in cute eminent, ideo uerrucæ dicti sunt: à uulgò porra dicuntur, quia quandoque intra se fila quædam continent porrorum radicibus non dissimilia. Græci nomen non habent quo omnia genera complectantur, sed quanque proprio nomine speciem nuncupant. ἀκροχορδόνας quidem eas quæ sub cute coëunt, infrà tenues, ad cutem latiores, ita ut suspendi uideantur. Auicenna clauos. Quæ ecõtrario se habent, hoc est, ima parte qua ad cutem uergunt, latiores, suprema angustiores, uocãt μυρμήκια, ac si formicales diceres: quoniam dum attrectantur, morsui formicarũ similem inferunt dolorem: ἥλους illi, nos clauos, Auicenna almismar, albas rotundas clauorum capiti similes: quæ alijs quidem partibus, præcipue uero digitis, plantisq; pedum contingunt, cum dolore & incedendi impedimento.

Verrucæ.

Acrochordones.

Myrmecia.

Elos.

Est & uerrucula fabæ græcæ magnitudine super corpus iacens, ima parte & ipsa tenuis, summa latior & aspera, unde & sanguinem quandoq; fundit in manus, & pedis planta, fœminibus, præcipue uero circa pudenda contingens: Græci & Celsus thymum, uel thymium uocant, quoniam thymi herbæ capita repræsentat. Auicenna uidetur tusium, uel, ut alia habet litera, tarsecum nominasse, reponiq; inter uerrucas dicit: licet ab eis eo differat, quod saniem, uel materiam quandam (ut Hebræi legunt) sub se continet: melius tamen legemus sanguinem, quoniam (ut superius dictum est) thymi quandoq; sanguinem fundunt.

Thymus uel Thymion.

Ex uerrucarum quoq; genere sunt uocata ab Auic. cornua, non alio à cæteris distantia, quàm quod cum oblonga sint, instar cornuum recuruantur.

A clauis non magnopere differũt calli, τύλοι quos uocant Græci, nisi quod per se indolorosi sunt, eodem quo cutis colore, neque sponte, sed ex labore obdurata cute gignuntur.

Tyli.

Calli.

Ad atram quoq; bilem spectare uidetur morbus, quem Auicenna uenam medeni, Haliabas uenam sanioſam, Græci δρακόντιον uocant, à sanguine atræ bilis naturam habente, uel ab exusta & ualde sicca pituita. Vermi quædam similia corpora sub cute consistunt, quæ & locum instar animalis mutare uidentur, & progressu temporis suppurationẽ in membro faciunt cum dolore. Aliqui uerum animal esse dicunt. Alij uideri quidem animal, sed non esse. Ab hac animalis forma dracontij nomẽ accepit. Infrequens, uel nullus est hic morbus in occidentali plaga, frequens in India, & Aegypti superioribus. Appellant quidam uenam ciuilem.

Venamedeni.

Draconium.

Accidunt præter magnos hoſce quos recensuimus tumores, in corporis superficie non infrequẽtius, paruæ quædam, uel eminentiæ, uel maculæ: illas pustulas uel bothor, has cutis desœdationes uocant: quæ licet & inter se, & ab his tumoribus quos suprà nominauimus, differant, ab eisdem tamen humoribus fiunt, à quibus & magni, maioris tantum minoris ue ratione distantes. Harum pustularum nonnullas, à sermonis consequentia & uocum similitudine tracti, superius numerauimus, sicuti lepram, scabiem, impetiginem, alphon, leucen: nunc reliquas percurramus, ab his orsi quæ maiorem habent ambiguitatem, & in quibus magnos nostro æuo medicos anhelantes uideo desudasse, identidem inquirentes, sub quonam nomine de illis loquuti sint antiqui. Hæ sunt quæ uariolæ & morbilli ab Auicenna, à Raze exanthemata & eulogium nuncupantur: nisi in hoc quoq; erraui Valla Placentinus, eius libri interpres, qui de pestilentia nõ recte ab eo inscribitur, alioqui ratiõ non errare in suis interpretationibus assuetus. Alsaharauius algidra & alhasba, nuncupauit. Qua in re (mea sententia) non erat multum laborandum. Si enim

Pustulæ.

Bothor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Variolæ. Morbilli. uariolæ (ut uoluit Auic.) sunt pustulæ sanguineæ,& morbilli ex bilis sanguinisq; fiunt mixtione,nihil certe addunt supra cõmunem pustularũ rationem, nisi quod per modum crisios, hoc est,cuiusdam ueluti iudicij, in malignis quibusdã febribus contingunt,& epidemialium cõtagiosarumq; ægritudinum more, & pluribus eodem temporè accidunt,& de uno in alium uagando pertranseũt. Nihilq; supra earundem pustularum curationem,nisi quod repellendæ non sunt, sed potius ueluti naturæ opere genitæ,morbi materiam in ignobiliores partes expellentis,iuuandæ omni ingenio & prouocandæ. Quisquis autem hoc nouit,frustra est de nomine solicitus,quum quocunq; nomine uocitẽtur,eandem curationem desiderent. Si quis tamen pertinax adeò fuerit, ut morbum non posse curari putet,eius proprio ignorato nomine,pergatq; adhuc inquirere,sub qua uoce de eis scripserit Galen. dicam uocari ab eo exanthemata: quod aperte cognoscitur legenti cap. 11. lib. 5. artis curatiuæ,ubi pustulas in quadam pestilentia in asperarum arteriarum interiore tunica,totaq; extima corporis parte contingentes, non alio quàm exanthematum nomine appellauit. Nec mirari quispiam debet,si superius inter morbos capitis & faciei exãthemata numeraui: non enim hoc maiore admiratione dignũ, quàm quod erysipelata,aphthas, ophthalmias,atq; aliorum morborũ plurimos qui in ea pestilentia uagabãtur,eisdem nominibus appellauerit, quibus dum seorsum & sparsim aduenirũt,appellare consueuit. Si quis uero adhuc aliud nomen inquirit,legat Hippoc. 3. lib. Epidemiarum,in pestilenti constitutione aduenisse inter alios morbos dicentem,magna ecthymata. Quem locum enarrans Galen. nuncupari ait ἐκθύματα tumores sponte in cute florentes,à crassis humoribꝫ genitos. Additq;,quod tenues humores exulcerationẽ potius faciunt quàm tumorem: crassi in tumorem cutem extollunt. Ex quibus certe uerbis licet colligere,non solum quo nomine uocati hi morbi ab antiquis sint,sed quo modo etiam inter se differant. Variolæ enim & scopuli à uulgo lingua Italica uocati,à materia fiunt crassiore,morbilli à tenuiore. & illi quidem ecthymata: magna quidem scopuli, minora uariolæ. Hi,hoc est morbilli, herpetes nominantur,de quibus eodem loco ait Hippoc. Herpetes multi magni. Magnos, ait Galenus,Hippoc.dixit,uel quia magnum occupant locum, uel quia cum maligna contingunt erosione. Vidimus autem nos morbillos,quandoq; altero tantum,quandoq; utroq; modo magnos. Et de horum quidem morborum nomine hæc sufficere puto: nisi quis latinum nomen adhuc desideret: cuius desiderio satisfacturi,dicimus à Plinio uocari papularũ,& interdum pituitæ eruptiones. Addunt medici Arabes,Zoar præsertim & Isac,peculiare quoddam his morbis, quod uidelicet ex malignitate sanguinis fiunt,quo in utero matris nutrimur, dum uel ab interna uel ab externa causa ueluti ebulliens, efferbuerit: & propterea necessariò cuiuis homini uel semel cõtingunt. Quæ res ut nõ temere credenda,ceu sine ratione narrata solum,non probata: ita non obstinate penitus reijcienda, quãdo in eam cõmunis uulgi sententia concurrit: Aristotele monente,uulgarem famam non omnino inanem esse solere. Verum autem id sit uel non,haud multum referre puto, quum propterea non sit uarianda curatio. Licet frustratoria uideri sic putantibus possit præseruatio: frustra etenim cauetur quod uitari nullo modo potest. Nisi dilatio,præseruatio quædam dicenda sit,quam & in morte ipsa omnino ineuitabili,omni ingenio molimur.

Morbillos Variolasq; uulgo dictas, à Galeno uocari exanthemata.

Ecthymata.

Variolæ. Morbilli.

Scopuli à qua materia fiant.

Magni herpetes qui.

Papularum uel Pituitæ eruptiones.

Arabum sententia de uariolis: cuinõ repugnat opinio Manardi, & uulgi.

Sed de uariolis cum multa dicta sint,reliquas pustulas breuiter,quãtum fieri potest,percurramus. A uaris incipientes,quos nolim quenquã uocis similitudine deceptũ,idem esse cum uariolis arbitrari. Hos,ut superius annotaui, ἴονθους Græci,lingua uernacula uulgus apud nos (ni fallor) cossi. Sunt autem tubercula duriuscula, in facie præcipue contingentia,quæ uel resoluuntur, uel exiguo ingenito pure maturantur. Paulus Aegineta, & ante eum Galen. ἴονθους definit exiguos & duros in uultu

Vari. Ionthi.

uultu tumores. ὠϊνυκτίδας definit Paulus ulcuscula instar bullæ exeuntia,subrubra,quibus eruptis effluit sanies subsanguinea: in die quidem non ualde,noctu uero multo magis quàm ulceris ratio exposcat affligentia. Pollux,pustulas subliuidas modice tumescentes & plenas sanguinis in tibijs & pedibus,ferè noctu maxime infestantes.à quo nominat Plin. pustulas liuentes,ac noctibus inquietãtes. Quas desinitiones si quis cõtulerit his quæ de essere ab Auic.scribũtur,& de saire ab Haliaba te,proculdubio iudicabit eundem affectum ab utroq; nomine significari. Si quis uero nomina attendat,Plantam noctis ab Auic. uocatam,esse Græcorũ ὠϊνυκτίδας putabit: à nocte enim uox & ipsa græca originem trahit. Si remedia utroq; capite apposita percurrerit,anceps in initio remanebit. Siquidem cap. de essere, nullum ex his inueniet quæ à Græcis in epinyctide præcipiũtur, sed ea ferè excripta ab his quæ legũtur apud Serapionem. Cap. uero de Planta noctis,cognoscet ipsum Auicennam,Rasim Aimansorem sequutũ,ubi agit de alhasapho. Quod autem mihi de his pustulis uidetur,est: quod Græci ac Latini epinyctida, id Arabes essere,sere, uel saire uocare. Quod Græcis sunt ὑδρῶας,Latinis quibusdam sudamina, Plin. papulæ sudorum,id Auic. esse Plantam noctis,& Rasi alhasaphum. Sunt autem sudamina hæc,Galeno teste,aphor. 21. lib. 3. ex genere pustularum in summa corporis parte hærentium,quæ instar ulcerum cutem exasperant,fiuntq; (ut nomen ipsum indicat)ob multos sudores uel bilioſiores,uel mordaciores, cutẽ mordentes & prurigino sam reddentes,ac per modum ulcerũ exasperantes. Hæc Galenus. Ex quibus satis nota fit hæc affectio,puerulis atq; iuuenibus,his præcipue qui bilioſi natura sunt,æstus tempore communis,adeoq; facilis curationis,ut per se absq; ullo præsidio albicãtibus quibusdam squammulis dimissis sanescat. Epinyctis tantum abest ut facilis dici debeat,ut eam Celsus pessimam pustulam esse dixerit, colore uel subliuido,uel subnigro,uel albo,nec faba maiorem,in eminẽtibus partibus orientem, & ferè noctu. Plinius,quod & suprà diximus,pustulam liuentem noctibus inquietantem. Quæ conditiones malam potius quàm bonam pustulam indicant. Vnus tamen adhuc restat scrupus,quoniam Auic. præter capita illa ubi de sere & de Planta noctis agit,aliud quoq; scripsit,cui titulum fecit,De sudatione, quæ nomine ipso uidetur respondere his quæ à Græcis ὑδρῶας dicuntur. Quem amouentes scrupum dicimus,non tam nomina ipsa apud barbaros sequenda, quàm rerum descriptiones: quas si in his Auicẽnæ desudationibus sequamur, eas potius exanthematibus Celsi,quàm sudaminibus Galeni uidebimus respondere.

Pustulæ liuentes.

Planeta noctis.

Hydroa.

Sudamina

Epinyctis pustula pessima apud Celsum.

Desudatio quid apud Auicen.

Legitur apud Auic. lib. 4. cap. de bothor lenibus, quæ dubio procul sunt quas pustulas albas uel lacteas Rasis & Serapion uocauerunt: apud Græcos uero nullum nomen inueni quod uideatur arabicæ illi nomẽclaturæ respondere: sed quum remedia quæ ad eum affectum ab Auic. facere scribuntur, à Dioscor. ad ephelidas præcipiantur, uideri potest,quod Græci ἐφηλίδας,id Arabes appellasse pustulas lacteas leues uel albas: descriptio tamen earum ad Ionthos potius pertinet, de quibus inter morbos faciei superius meminimus,& post uariolas.

Ephelides. Pustulæ lacteæ.

Mentio est quoq; apud eundem Auic.lib. 3. de quibusdam pustulis quas iunctu rarum bothores uocat,& lib. 4. aluatim. Quas quum nigras esse dicat & uiridibus granis similes,proculdubio erunt quæ à Græcis autoribus τερμίνθοι uocãtur,à nobis suprà inter phymatis species enumeratæ: siquidem Arabes, (ut constat ex Auicennæ lib. 2.) terebinthi fructum granum uiride nominant: has uidetur Celsus similes uaris facere,& dici à Græcis ἑλκώδεις,id est, ulcerosas putare.

Terminthi.

Sunt & pustulæ apud Auic. lib. 4. glandosæ dictæ, quæ differre à ganglio non uidentur, nisi maioris minoris ue ratione.

Glandosæ pustulæ.

Latini autores,præter eas quas superius enumerauimus,quarũdã pustularũ meminerũt,quæ à nobis prætermittendæ non sunt, ne prudentes scitesq; uideamur

Universidad de Deusto · Biblioteca

aliqua præterijsse, quæ huic nostro instituto & tuo desiderio essent necessaria.

Celsus inter pustulas meminit phyzacij, pustulæ parũ durioris, subalbidæ, acutæ, ex qua quod exprimitur humidum est. Ego quum phyzacij nomen nusquam legerem, corruptam dictionem putaui, procq; ea legendum psydracium, de qua superius inter capitis morbos loquuti sumus. *Psydracia.*

Scribit idem Celsus de impetigine, eiusq; quatuor species facit. Quod magno argumento est, aliam rem eum intellexisse quàm lichenas: siquidem nullum legimus græcum autorem, tot genera in lichene agnoscentem. At è diuerso Plinius in principio libri 26. scribens lichenas omni ævo priore nõ Italiæ modo, uerumetiam uniuersæ propè Europæ incognitos, tanta fœditate, ut quæcunq; mors præferenda esset: tanta contagione, ut oculo solo ueloci transitu inficerent: mentagramq; latine appellari: nec nominis impetiginis ullam mentionem faciens, rem omnino aliam ab impetigine usus est eo loco significasse, longeq; peiorem affectum, quàm quem Græci lichenis nomine intellexerunt. Licet in medicinis quandoq; Græcorum lichenes impetiginem sit interpretatus: & apertissime lib. 20. cap. 1. lichenem esse Latinis impetiginem dixerit, sicut psoram scabiem. *Impetigo & lichen idem sunt cõtra Plinũ.* *Mentagra.*

Est præterea apud eundem Celsum post impetiginis tractatum, capite in quo de duplici scribit papula, una leuiore, altera maiore, quam ἐρυσίπελαν, id est feram dicit à Græcis appellari: in utroq; tamen genere minus uitij quàm in impetiginibus agnoscit, adeò ut id quod difficilius sanescit, nisi sublatũ sit, in impetiginem transire dicat. *Papulæ.*

Hæc omnia cum diligẽtius considerarem, atq; his conferrem quæ à Græcis, Galeno præcipue & Paulo, de similibus affectibus scripta sunt, tandem in hanc sententiam ueni. Quæ sub duobus nominibus, impetiginis scilicet & papularũ à Celso, & à Plin. sub lichene cõprehensa sunt, per plura à Græcis significari: fieri tamẽ omnia ex tenuibus acribusq; humoribus, diuersis portionibus cum crassioribus admixtis: quam miscellam Galen. & Paul. in lichenibus ostenderunt. In quibus eam quoq; pro lichene agnouisse Galen. uidetur, quam lib. 26. Plin. in Italiam Tiberij Cæsaris temporibus primum importatam testatur: quinto enim lib. de medicamẽtis secundum loca, fœdissimam quandam impetiginem fieri in barba dicit, cum angustia & pruritu, & quæ serpendo quãdoq; ad oculos usq; procedit. Meminit præterea ionthosi cuiusdam affectus, quem principium esse dicit elephantiasis, sub quo affectu uidetur tertium & quartum genus impetiginis Celsi comprehendisse. Auicenna affectum elephantiasin præuenientem albedsanem nuncupauit: cæteri Arabes alguasen: qua uoce Auicẽna aliam rem intellexit, quam nempe suprà diximus Græcos *στίγματα* uocare. Hæc sunt quæ de minoribus his tumoribus pustulis uocatis mihi occurrêre. *Stigmata.*

Eueniunt præter maiores minoresq; quos recensuimus tumores, exteriori cuti nonnulla, quæ licet minime lædant, quia tamen dehonestant, maiori plerunque tædio præsertim mulieribus sunt, quàm multi, lædentes quidem, sed latentes morbi. Horũ quædam consequentia sermonis tracti suprà enumerauimus, deinceps quæ supersunt percurrere conabimur. Inter hæc præcipui sunt qui à Græcis *σπίλοι*, Plinio maculas, modo uitia cutis uocat. Est tamen ubi pro spilis uaros uertere: &, quod magis quispiam miretur, furunculos recentiores Panum appellant. *Spili.* *Maculæ.* *Cutis uitia.* *Aliud significari per Panũ apud Plinũ & apud recẽtiores.*

Cauendum autem ne similitudine uocum decepti, quod nonnulli alioqui magni nominis medici peccarunt, cum panos apud Plin. legimus, eandem cutis maculam intelligamus: Panus enim Plinio, quod & suprà monuimus, est φύγεθλον Græcis. Apud Serap. non semel pro spilis legitur liuor: apud Auic. pro ephelide quandoq; panus. Maculas albas uocat aliquando Serapion ἄλφους Græcorum, sicuti cap. de faba & de rubia tinctorum. μελανίαι græce, latine nigrores, cicatrices nigras Græci, ἕλκη μέλανα. Rugæ græce ῥυτίδες. Liuores Græci πελιώματα. Auic. *Maculæ albæ.* *Melaniæ.* *Cicatrices nigræ.* *Rugæ.* *Peliomata.*

Auic. uestigia percussionis. Huiusce modi tamẽ uerberum uestigia ubices proprie Latini uocant. Vestigia sanguinis cap. de aceto, in Auic. legimus pro hypopijs, de quibus inter faciei uitia suprà loquuti sumus. Et cap. de calamento, pro eisdem hypopijs habentur uestigia nigra. ἰκτερὸς, inquit Paulus, est effusio bilis uel flauæ uel nigræ in totum corpus: regium morbum Celsus & arquatum: Plinius sellis suffusionem: sunt qui auriginem, ab auri pallore: medicorum uulgus ictericiam. *Vibices.* *Vestigia sanguinis.* *Vestigia nigra.* *Ictheros.* *Regius morbus.* *Arquatus.* *Aurigo.*

DE SOLVTIONE CONTINVI.

Fiunt præterea exterioribus in membris uariæ integritatis continuitatis ue solutiones. In carne quidem ἕλκος dicitur, inquit Galen. id est ulcus: sicuti & uulnus. Auic. plagã uocat, ubi nondum est pus, & ulcus ubi iam adest. In osse *κάταγμα*, uel ἄγμα, id est, fractura. In neruo *σπάσμα*, id est, conuulsio: & est continuitatis solutio, absq; uulnere contusis neruorum fibris. Huius generis est & *ἀποσπασμα*, id est, euulsio: quod fit in coniunctionibus, hoc est ligamentis. Et ῥῆγμα, id est, ruptio absq; uulneratione in carne facta. sicuti & θλᾶσμα, id est, contusio uel collisio. fiunt duo hæc ex uiolento ictu, aut casu, aut uehementi alio motu, aut quia subitò & repente præter modum membra intenduntur. ἔγχυμωσις & ἐγχύμωμα, id est, effusio, magna ex parte fit cum ruptione & contusione: aliquando uero ex relationis apertura ue uasis. Et ea quæ uocatur à quibusdam *διαπήδησις*, id est, dissultatio, altero quodam solutæ continuitatis genere: sanguis enim exiliendo ex uenis, subcute ἐγχύμωσιν facit. *Solutio.* *Vlcus.* *Agma.* *Spasma.* *Apospasma.* *Rhegma.* *Thlasma.* *Enchymosis.* *Diapedesis.*

Soluitur interdum continuitas ex corrosione, *κατάβρωσιν* uocant Græci: sed hæc ægritudo composita est, quoniam secum habet ægritudinem aliam in quantitate diminuta, deficiente scilicet ea parte quæ est erosa. Fit corrosio uel ab interno, id est, ab humoribus malis erodentibus: uel ab externo, igne uidelicet, aut simílem ei uim habentibus medicamentis. Facta ab interno, si ossa uitientur, ab Auic. & recentioribus spinæ uentositas uocatur. *Corrosio.* *Spinæ uentositas.*

Fractura, quam *κάταγμα* & ἄγμα diximus à Græcis uocari, quũ simpliciter profertur, de caluariæ, hoc est cranij fractura, interdum à quibusdam solet intelligi: cuius ut plures sunt modi, ita diuersa sunt apud Græcos nomina, taliaq;, ut uix possint latine bene exprimi. *Catagma.* *Agma.*

Inter hos modos, siue species malis appellare, prius est ῥωγμὴν à Græcis dicta, ac si diceres rima, per longũ procedens scissio, uel superficialis sit uel profunda, osse non transmutato: quæ si adeò arcta fuerit ut sensum effugiat, τριχισμὸς, uel τριχίασις, quasi capillaris dicitur: quæ, ut inquit Paulus, multis fuit mortis causa. *Rhogme.* *Trichiasis.*

ἔκκοπὴ, quasi dixeris effractio, est scissio in qua os læsum disruptum est. At si pars oblæsa à reliquis ossibus recesserit, *ἀποσκεπάρνισμὸς* uocant, à securi facta denominatione, quod disruptum os uideatur, ac si securi esset percussum. *Eccope.* *Aposceparnismos.*

ἔκπτισμα, est ossis in multas partes diuisio talis, ut rupta ossula ad membranã usq; cerebri descenderint. *Ecpiesma.*

ἐγγίσωμα fit ubi os perpessum, ita infra sanum subsidet, ut membranam cerebri contingat. *Engisoma.*

καμαρώσις, est diuisio ob quã ossa in testudinis formã, & quasi camerata uidentur. *Camarosis.*

θλᾶσις quum fractura non sit, inter fracturas tamen à nonnullis numeratur. Est autem contusio qua os quidem non frangitur, sed in interiora deflectitur. *Thlasis.*

ἀπόχυμα, secundum nonnullos est quando non pars caluæ percussa, sed alia opposita perfringitur. Paulus hoc fieri posse negauit. Celsus solere ait euenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit. Recentiorum turba Celso consentit, atq; inter eos Nicolaus Florentinus eius rei locuples & oculatus est testis. Hi sunt fracturarum caluariæ modi. *Apochema.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

At reliquorum quoque ossium fracturæ sicuti uarijs & ipsæ modis contingunt, ita diuersa apud Græcos nomina inuenerunt.

Cauledon. Raphanedon. Sycycdon. καυλικηδὸν, ῥαφανικηδὸν, & συκυηδὸν uocãt Græci eam, quæ in ossis crassitie per trãsuersum fit, à raphanorum uel brassicarum (utrunque enim ea uox apud eos significat) caulium, & cucumerum, quæ sic ferè perstringuntur, similitudine. Auicenna raphanalem, hastalem, & arundinalem.

Schidacedon. σχιδακηδὸν, quasi scissionem diceres, quæ in longitudinem fit, nec in totum ossis partes seiungit. Auicenna linealem.

Calamedon. καλαμηδὸν, uel ad unguem, quæ secundum aliquam partem est recta, in extremo lunaris. Auicenna lunarem.

Alphitidon. ἀλφιτηδὸν, uel καρυηδὸν, quæ in multas, & eas quidem tenues partes fit. Auicenna sanchiam.

Apothrausis. Apocope. ἀποθραυσιν & ἀκροπλὼ, quando pars ossis ablata est. Celsus tria tantum genera facere uidetur. Verba eius sunt: Omne os modo rectum, ut lignũ in longitudinem
» finditur, modo frangitur transuersum, interdum obliquum: atq; id ipsum nonnun
» quam retusa habet capita, nonnunquam acuta, quod genus pessimum est.

Soluitur & alio modo ossium continuitas, quando scilicet os ab osse seiungitur, cui à natura fuerat connexum: διαρθρήματα & διαρθρώσεις, ἐκπτώσιας & ἐκπτώματα uocant Græci: & sunt secundum Galenum ossium ex propria regione transmutationes absq; fractura euenientes. Paulus excisionem esse ait articuli à propria concauitate ad locum insuetum, à qua uoluntarius motus impeditur: differentiasq; nullas habere, nisi maioris minorisq; ratione. Vbi enim perfecte exierit articulus, communi generis nomine διάρθρημα, quasi exarticulationem dici: eo autem solum moto, nec penitus extra cauitatem recedente, παράρθρημα. Auicenna dislocationẽ, si integra, id est plena & perfecta sit. Si non sit integra, separationem iuncturæ uocat & torsionem: quæ uox ei id significat, quod Græci στρέμματα nominant. Nos euersionem dicere possumus. Dioscoridis tamen noui interpretes, Plinium sequuti, pro stremmatibus semper legunt luxata: quæ Celso nihil aliud sunt, quàm ossa à sedibus suis mota, & ut sequens est, non aliud quàm Græcorũ διαρθρήματα: quæ quum diuersa sint à stremmatibus, nõ recte uidentur stremmata latine dici luxata. Fit præterea ut articuli ipsi ita laxẽtur, ut membrũ longius effectum uideatur: χαλασμοὺς, id est laxatos articulos, uocant Græci. Auic. prolongationem & algmenon.

Exarthrema. Exarthrosis. Ecptosiæ. Ecptomata. Paxarthrema. Stremmata. Noui Dioscoridis interpretes lapsi. Luxata.

Celsus duobus modis à suis sedibus moueri ossa dicit. Altero, si ea quæ iuncta inter se sunt, dehiscant: hoc est, ita dissocientur, ut mediũ quendam locum uacuum relinquant, ut si radius submoueatur à cubito in brachio. Radium & cubitum uocant recẽtiores duo brachij focilia. Vbi igitur unum ab alio seiungatur, primus erit luxati ossis modus apud Celsum. Secundus, quando articuli suis sedibus excidunt.

Chalasis. Ossa dupliciter à suis sedibus mouentur. Radius. Cubitus. Focilia brachij.

Sunt & apud Paulum ἀγκυλώσεις & ἀγκύλαι uocatæ, quæ detentiones quædam sunt articulorum, ob densitatem, uel neruorum aliquam tensionem contingentes. Celsus, recenti cicatrice cõtractos articulos uocari ait à Græcis ἀγκύλας. De his Auicenna egit lib. 4. cap. de neruorum duritie & torsione: nec abhorret ab ea quam lib. 3. uocauit contractionem & azemenam. Est & apud eundem Auicennam caput de duritie iuncturarum in eodem lib. 4. in quo quum nullum peculiare auxilium tradat, non magnam iacturam fecerit, qui id præterierit.

Ancyloſis.

Thlasis. Thlasma. Contusio. θλᾶσις, uel θλᾶσμα Græcis, est nobis cõtusio, uel collisio: latius tamen apud recentiores medicos patet contusionis nomen, quàm apud Græcos thlasmatis: siquidem sub eo spasmata & rhegmata Græcorum comprehendunt, imò & apospasmata. Auicenna duobus locis libro quarto de his agit, secundo uidelicet tractatu, cap. de contusione & attritione, & 4. cap. de attritione neruorũ & torsione. Postremum hoc caput, quo ad ultimam eius partem respondet his quæ à Galeno scribuntur libro sexto

bro sexto artis curatiuæ, ubi agitur de cura nerui contusi, quod in uulgata æditione est tertium. Prima uero eius pars accepta est à Paulo cap. de thlasmate. Alterum caput respondet rhegmati & spasmati. ῥῆγμα enim ibi uocatur contusio, σπᾶσμα contritio: sicuti & in uulgata æditione, libro de differentijs morborum, qui liber inscribitur perperàm primus de accidenti & morbo. Quæ autem dicuntur ab Auicenna pro cura contusionis, ferè accepta sunt à Galeno capite ultimo, lib. 4. artis curatiuæ, ubi docet curare ῥῆγμα & ἐγκύμωμα. Serapion cap. de aristolochia, rhegmata & spasmata uocat conquassationes accidentes in capitibus neruorum & musculorum: cap. de betonica, attritiones & conquassationes à casu.

Ploma. Delecti. Rupta. Conuulsæ. Pyricaustæ. Vstæ. Theriodectæ. Cynodectæ. Lysodectæ.

De casu & offensione scribit Auicenna: πλῶμα Græci uocant. Plinius, deiectos, quandoq; simpliciter, quandoque addens, ex alto. Idem Plinius ῥήγματα rupta, & σπάσματα dicit conuulsa, uel uulsa.

πυρίκαυστα Græci uocant, Latini usta, uel ambusta. Auicenna seorsum de ignis & aquæ combustione pertractauit.

θηριοδηκτὰ Græci, nos bestiarum morsus. κυνοδηκτὰ illi, nos canum morsus: qui si rabidi fuerint, λυσοδηκτὰ ab illis nominantur.

DE VLCERIBVS.

Vlcera, late sumpto ulceris nomine, multas differentias ueras habent, multas quoque quæ non sunt ueræ differentiæ, sed ex alijs fiunt dispositionibus cum ulceribus complicatis.

Propriæ ulcerũ differentiæ.

Propriæ differentiæ sunt, quæ ab ipsa ulceris substantia accipiuntur, non ab effectu alio, qui possit per se consistere. Ex figura, rectum, obliquum, circulare, &c.

Ex quantitate, magnum & paruum. Ex dimensionibus, longum, breue, latum, angustum, sublime, superficiale, profundum. Ex tempore, recens, sanguinolentum ue, & multi pauci ue temporis. Ab exterioribus alijs, apparens uel non apparens, in toto uel in parte. Ex incisione, laniatione ue, uel utroque.

Ex loco, in extremo musculi, uel medio, &c. Simplex, compositum, crudum, callosum. Auicenna ostracinum, fistulosum, cuniculosum, græce ὑσσώμα, profundum.

Vlcerum denominationes.

Quædam computantur à multis pro differentijs, quæ non sunt differentiæ, sed alterius dispositionis complicationes: sicuti phlegmonodes, erysipelatodes, cancerosum, gangrænosum, putrefactum, comedens: Auicenna corrosiuũ, dolorosum, concauum, superfluæ carnis: ὑπερσαρκῶντα Græci: Auicenna carnem additam super uulnera, sordidum, ῥυπαρὸν uocant Græci: rheumaticum à Gal. dicitur, quod fluentes humores uetant sanescere: uerminosum, σκωληκῶδες dicitur à Græcis.

Rheumatica ulcera.

Immunda apud Auic. sunt, in quibus humor plurimus, sed non malus.

Vlcera maligna.

Vlcera κακοήθη, id est male morigerata, uel mali moris, maligna ue dicũtur, quæ cum omnia decenter & recte feceris, non tamen curantur: quia scilicet, ut dicit Gal. in loco ulcus patiente malignitas adest, sanari ea prohibens. Atq; in hoc differunt à rheumaticis, quæ, ut diximus, influxum malorũ humorum aliunde recipiunt. Celsus primam carcinomatis speciem hoc nomine appellauit.

Sepedon. Nomæ. Phagedænæ.

σηπεδὼν, est ulcus putridum.

νομὴ uocatur putredo, quæ ad sanas partes distribuitur: cuius species est φαγέδαινα. Vlcus nomodes, comedens carnem subiectam, & circunstantem corrumpens, factum à materia quæ est media inter materiã quæ facit herpeta, quæ tenuissima est, & eam quæ facit cancrum, quæ crassissima.

Therioma.

Celsus θηρίωμα nũcupare, quãdo neq; tactus, neq; medicamentũ sentit: sed si intẽditur, ad ἕρπητα διαιόμενον trãsit: aliud per hoc nomẽ intelligens, quàm quod nos suprà inter ἕρπητας, id est formicas, definiuimus, id uidelicet quod σφάκελον Græci dicunt.

Herpes esthiomenos. Sphacelon.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod & apud Auicennam eodem nomine, scilicet ἐδιομένη nuncupatur. Videtur autem (ut dixi) cancrum ulceratum significare: nec omnem, sed qui exedendo & depascendo uicinas partes ad ossa usq; deuorat.

Chironia & Telephia ulcera.

χειρώνια & τηλέφια sunt species phagedænæ: illud quidem, quoniam ob eius malignitatem Chirone medico indigere uideatur: hoc, quod Telephus eo fuerit uexatus, nomen sortitum est. Sunt autem antiqua & difficile ad cicatricem uenientia. Celsus tamen chironium uocat ulcus magnum, non serpens, doloris modici, oras duas callosas tumentes habens, sine inflammatione quidem & periculo, sed difficile sanescens.

Pladara. *Dysoda.* Sunt & quæ πλαδαρὰ Græci uocant, id est, laxa & mollia. & quæ δυσώδη, id est, male olentia seu fœtida.

Colpos. κόλπος, latine sinus, est in quo cutis adiacens, est à subiectis corporibus adeò separata, ut agglutinari eis haud facile possit. Quod si in totum erosa fuerit, ita ut lacernæ similis uideatur, ῥακώδης, hoc est, lacernosum dicitur: ab Auicenna autem absconsio, & cauerna si flexuosum sit. Græci uocant ὑπόνομα, Latini cuniculosum, ut suprà diximus.

Rhacodes. *Hyponoma.*

Syrinx, fistula. σύριγξ uero, id est fistula, dicitur sinus qui obcalluit, per metaphoram, ut inquit Paulus, à fistulis quæ ex calamis fiunt. Celsus desinit, ulcus altum, angustum, callosum.

Thymium. Est etiam apud Celsum thymij mentio, ulceris pessimi ex carcinomate facti, & quod tolli nō potest, sed curationibus irritatur. Nostri cancrum ulceratū appellant.

Cancer ulceratus.

Ignis sacer. Meminit & inter mala ulcera Celsus Ignis sacri, duas eius facies species, & utranque serpentem: minimi tamen periculi inter ea quæ serpunt, sed quæ propè difficillime tollantur. Videtur autem duabus hisce speciebus comprehendisse ἑρπητα comedentem & φλυκταινώδη Græcorum: formicas corrodentes uocant Arabes. Sed & erysipelas exulceratum. Mentio est huius formicæ & apud Auicennam cap. de pruna & igne Persico.

Rhagadia. Inter ulcera quoq; numeranda sunt quæ Græci ῥαγάδας uel ῥαγοειδῆ, Auicenna fissuras, Latini rimas, uel scissa, uel fissa: sunt autem cutis scissuræ cum callosis labris. Sunt & attrita à Plinio dicta, & intertrigines: Græci ἀτριμματα, Auicenna excoriationem uocauit, miscuitq; cum alio ulcere quod Græci ἀποσύρματα uocant, & Plinius desquammata. Intertriginem proprie uocat Plinius eam quæ ex membrorum ad inuicem, in itinere potissimum, confricatione. Et de ulceribus hæc dixisse sat sit.

Scissa. *Attrita.* *Intertrigines.* *Aposyrmata.* *Desquāmata.*

DVM cogitarem iam epistolæ finem imponere, subijt in memoriam multa in recentiorum medicorum libris morborū exterius euenientium legi nomina, apud antiquos non reperta: de quibus meritò dubitari possit, an ut noua sunt nomina, ita nouos quoque morbos indicent, antiquioribus medicis incognitos. Ne quid igitur huic nostræ epistolæ, quantum per me fieri poterat, deesset, ea percurrere decreui, & quid in eis quoque sentirem, aperire.

Morborum noua nomina apud recentiores medicos.

Incipiā igitur rursus à capite, ut simili quo hactenus usus sum ordine procedam.

Testudo. Testudinem uocant tumorem mollem uel non ualde durum, satis autem magnum, in quo pinguis materia tunica quadam obtecta continetur, quæ caluariæ ita hæret ut ipsam plerunq; uitiet. Hanc non est dubium de numero esse abscessuum sub meliceride uel atheromate contineri: uidetur tamen ad meliceridem magis inclinare.

Talpa. *Caries.* *Rima.* Ad genus abscessuum pertinent uocatæ ab illis talpæ, quæ non magnopere distant à nuper dictis, nisi quod quum albam materiam contineant, ad ἀθηρώματα potius quàm ad μελικηρίδας referuntur. Pertinent ad idem genus, morbi quos cariem & rimam Gilbertus Anglicus appellauit.

Fit in

Fit in facie malignus quidem tumor, qui quoniam ferè cum magno rubore fit, Gutta rubra à uulgo & nouis medicis nuncupatur. Sunt & qui ob eius fortè ingentem molestiam, Guttam rabidam appellent. Qui morbus sub erysipelate maiori ex parte continetur. Est tamen interdum, ut alios humores habeat cum bile commixtos, & tunc commixtum nomen habebit: ut si sanguis misceatur uincente bile, ξυσίπελας φλεγμονῶδες: si è diuerso sanguis superet bilem, φλεγμονὴ ξυσιπελατώδης. Atque pari modo in alijs humoribus dicendum, sicuti suprà quoque in generali mentione tumorum docuimus. Nihil enim uetat quin omnia tumorum genera, sicuti alijs in membris, ita & in facie oriantur.

Gutta rubra.

In capite quoq; & facie, fereq; toto corpore, præsertim infantiū, ulcuscula quædam gignuntur, maiori ex parte crustosa, statim uel paulò post initium: lactumen uocauerunt, quoniam lactis impuritatem sequi putabant. Hæc non est dubium ad ἐχῶρας, & uel κήρεα, uel ψυδράκια, uel ἄγανθήματα antiquorum pertinere: licet enim eodem semper nomine lactuminis à mulieribus appellentur, uariant tamen multum, iuxta materiæ à qua gignuntur uarietatem.

Lactumen.

Scribunt proprium caput de zerma: quam tamen ab impetigine non differre, nec ipsimet insiciantur: licet zermæ nomen ei tantum quæ ad ulcus peruenerit, falsò tamen, adaptent.

Zerma.

Sanguinem mortuum, mortuiq; & diaboli morsum uocāt, quæ latine diximus uocari sugillata.

Sanguis mortuus. *Sugillata.*

Guttam roseam appellant, malum faciei, & præcipue nasi ruborem, qui præire elephantiasin solet, cuius superius meminimus.

Gutta rosea.

Peior longe morbus is est, quem nonnulli fornicem, alij ob eius fœuitiam & ueluti feritatem uocant, Noli me tangere. Est autem malignum adeò ulcus, ut ex remedijs, etiam quæ congrua uidentur, irritetur potius quàm mitigetur, & in sanas partes depascendo uagetur. Sunt qui cancrum putent: ego ad phagedæna pertinere putauerim.

Fornix. *Noli me tangere, morbus.*

Lupum appellant ulcus aliud à priore non ualde dissimile, nisi quod non faciem ficuti illud, sed inferiores partes, præcipue autē crura, infestat, celerrime depascens, & quasi lupus famelicus proximas sibi carnes exedens. Quod & dubio procul de genere est phagædænæ, à magis exusta tantum materia factum, & propterea uelocius obambulans.

Lupus.

Malum mortuum uocant exulcerationem quandam malam crustaceam, ardam, brachia & crura præcipue inficientem: ego non aliter nominauerim quàm ulcus ἐσχαρῶδες.

Malum mortuum.

Spinam & clauum uocant nonnulli tuberculum, quod superius ὀδυνᾶται dicimus à Græcis, à nostris furunculum appellari.

Spina. *Clauus.*

Natam uel naptam appellant tumorem dolore carētem: nisi fortè adeò magnus existat, ut partes membri trahendo, soluta continuitate aliquem dolorem circunstantibus inferat. De numero est & hic abscessuum, & ad στατώματα ferè spectat.

Nata, & Nepta.

Folium, carūculas quasdam ori prope caput arteriæ asperæ factas, loquelam impedientes, quæ ad ægritudinē numeri pertinent, & per solam ablationem curātur.

Folium.

Ignem sancti Antonij dicunt perfectam membri corruptionem, sensum penitus auferentem, quam superius diximus à Græcis σφάκελον uocari.

Ignis sancti Antonij.

Ranculæ nomen legitur apud Ioannem Anglicum, significatq; ei tumorē cum dolore & pulsu uulneribus contingentem: qui certe nihil aliud esse potest, quàm phlegmone inchoans. Hæc sunt quæ in recentiorum libris morborum exteriorum nomina ad hunc diem, quod mihi nunc occurrat, inueni. Recētissimi aliud nomen addiderūt, per ora uulgi non minus uolitans, quàm morbus ipse quem significat, per corpora uagatur: Gallicum morbum uocat Italia, Hispanicum Gallia,

Spacelus. *Rancula.*

Morbus Gallicus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hiſpanam ſcabiem Germania. Contrahitur morbus hic peſſimus raro aliter quàm per contagium, nec quarumcunq; partium, ſed ferè obſcœnarũ: ut non incongrue nonnulli, Romanorum nomenclaturã in mentagra ſequuti, Pudendagram uocarint. Puſtulæ primũ eas partes inficiunt, longe difficilius ſanitatẽ recipientes, quàm quæ eodem quidem loco, ſed aliſs ex cauſis cõtingunt. Has, reliquarũ partium, præcipue uero uultus & capitis, deteriores aliæ puſtulæ excipiunt, diuerſorum quidem generũ, ſed maiori ex parte cruſtoſæ, nec ab iſs ferè diſſimiles, quæ ab igne excitantur, niſi quod ſunt quadantenus craſſiores: quæ ubi uel ſuapte ſponte, uel medici auxilio ſubmotæ fuerint, corpore prius non plenè expurgato, extremorũ membrorum dolores uehementes, per noctem potiſſimum, quam inſomnem reddunt, miſerrime affligunt, nullo exterius ab initio tumore apparẽte, qui tamen quibuſdam citius, quibuſdam tardius, & in his etiam quãdoq; locis in quibus nullus præfuit dolor, ſe oſtendit: quem ſi preſſeris, tantum abeſt ut dolorem augeas, ut quandoq; ſe iuuari ex loci contrectatione patientes fateantur, & unicum hoc habeant in tantis cruciatibus leuamen. Tumores hi per magna interualla (à ualde enim craſſis humoribus fiunt) ſuppurantur, uel potius ſaniem quandam malam gignunt, ei quæ à Celſo hydrops, aut melicera uocatur, non diſſimilem. Non uniuerſus tamẽ ſimul tumor ſuppurationem hanc recipit, ſed per partes, portionem ſæpe aliquam omnino ad maturationem contumacem gypſo ſimilem derelinquens. Suppurationem uarij modi ulcera, ſemper tamen maligna, comitãtur, quæ plerunq; oſſa etiam ipſa uitiant, & ubi cicatricem contraxiſſe uidentur, alio uel eodem loco erũpentia, medicos multoq; magis patientes ipſos deludunt. Comitantur interim hunc morbum aliæ quædam malæ affectiones, non uſqueadeò crebrò, ut hæ quas numerauimus, ut ophthalmia, tubercula nares cum eroſione dehoneſtantia, articulorum luxatio, oſſium fractura, elephantiaſis, aphthæ, præcipue poſt argenti uiui uel minij, uulgò cinabrij uocati uſum, & poſtremo febricula ad tabem, & paulò poſt ad mortẽ perducens. Ex his autem omnibus non difficile eſt definitionem colligere, hunc morbum comprehendentem, & ab alijs generibus ſeparantem. Ea erit huiuſmodi:

Pudendagra.

Definitio morbi Gallici.

Gallicus morbus eſt ſoluta continuitas, ab exuſtis humoribus per contagium ſerè in concubitu genita, à malignis quibuſdam puſtulis incipiens, pudenda plerunque, deinde reliquas corporis exteriores partes, caput præcipue inficiens: dehinc intimas partes ingreſſa, dolores circa articulos & oſſa noctu præcipue facit, arque abſceſſus duros, in peſſima adeò ulcera, ut oſſa quoque plerunque uitient, poſt longum tempus deſinentes.

Variæ opiniones de morbo Gallico.

Ex his autem cognoſcere licet, quàm inaniter laborauerint ab huius peſtis exordio medici ferè quicunque celebriores habebantur, conati multicipitem hanc hydram ſub unum caput redigere. Aliqui ſaphatum: alij duos morbos, ſaphatum & articularem: nonnulli lichenas: Veneti medici uariolas: Galli uariolas quidem, ſed craſſas. Fuere & qui carbonem, & qui ignem Perſicum: ſed & qui elephantiaſin, & qui epinyctidas, & qui Celſi phygethlon. Leonicenus demum noſter, deiectis ſtrenue tribus ex nuper recitatis opinionibus, propriam erexit: quam utique, quod in Lactantio optat Hieronymus, uellem ita bene adſtruxiſſet, ſicuti alias deſtruxit. Eius definitio ex pluribus locis cõmentarij ab eo ſuper hoc morbo æditi collecta, hæc eſt: Morbus epidemialis & æſtiuus, puſtulis primum partes obſcœnas, deinde reliquum corpus, cum magno plerunq; dolore, atq; ipſam præcipue faciem occupãtibus, ex uaria humorũ corruptione genitis, propter nimiam aëris in calore atq; humiditate præſertim intemperiem. In qua definitione uir alioqui eminentiſſimus, uel in hoc maxime lapſus eſt, quod hunc morbũ ex aëris humiditate, quæ eo anno quo eum in Italiam Caroli exercitus portauerat, magna fuerat, genitum putauit; & propterea cenſuit inter epidemicos numerandum: quum tamen res ipſa

Leonicenti opinio.

Leoniceni lapſus in morbi Gallici definitione.

ipſa oſtenderit, nihil huic morbo cum aëris uel humore, uel qualitate alia eſſe commune: quæcunq; enim conſtitutio ſit, & quãtumcunq; ſicca, ſi uir etiam ſiccißimus cum muliere ea lue infecta cõmiſceatur, bene ſecum agi putet, ſi non & ipſe pollua tur. Idemq; contingere ſanè mulieri uiro infecto congreſſæ, pleræq; cum magno ſuo malo expertæ ſunt. Dici igitur quomodo debet epidemicus, quum morbi epidemici, ut Galenus docet in procœmio enarrationis in lib. Epidemiarum Hippoc. ſint morbi pluribus ex inſpirato aëre communes: Gallicus autem non ex aëris inſpiratione, ſed ex contagio ut plurimum contingit? Non magis quoq; æſtiuus dici meretur quàm epidemicus. Aeſtiui enim morbi breues ſunt, hic plerunque cum iuuenibus conſeneſcit, & commoritur cum ſenibus. Quo fit, ut genitalium putredines, quas inter æſtatis morbos 3. lib. Aphoriſmorum enumerat Hippoc. morbum hunc ſub ſe comprehendere nequaquam poſſint: alioqui nec putredo dici meretur ea puſtula, quæ ab initio pudendum exulcerat, quum ad ſiccũ potius quàm ad putridum uergat. Et ſi demus Leoniceno, à genitalium putredine hunc morbum inchoare: non continuò fatebimur, Hippocratem eum in aphoriſmo ſignificaſſe, quum nocumentum in pudendo, præ his quæ poſtea conſequuntur, exiguũ adeò momenti ſit, ut uix ullam moleſtiam afferat: quæ res facit ut procliuior ſit ad propagandam hanc luem uia, ipſis patientibus, concubitus: per quem, ut diximus, uel ſolum, uel maxime transfunditur, concupiſcentibus potius quàm refugiẽtibus. Nihil ergo in aphoriſmo legitur, quod ad hunc morbum tam radicatum pertineat: ſed quod ibi legitur, ad eius exile quoddam initiũ pertinere quidem uideri poteſt, uere tamen (ut oſtendimus) non pertinet: ſicuti nec ad eum pertinent quæ ex ſecunda epidemia à Leoniceno recitãtur. Carbones enim in hoc morbo minime uiſuntur: ſed nec humores liquidiores in cute, (ſic enim ἰχῶρας Leonicenus interpretatur) nec ueſicæ quales in igne leniter exuſtis, ſed eſcharæ potius quales in plenè exuſtis excitantur. In tertia epidemia, ſi eo modo apud Hippocratem, quo apud Leonicenum legeretur, eſſet omnino aliquid, quo is credi poſſet ſimilem huic morbum deſignaſſe. Hippocratẽ autem nihil minus eo loco cogitaſſe, quàm hanc malorum catenam, quam morbus Gallicus uocatus, ſecum trahit, oſtendam: idq; pauca quædam attingens, quæ ad id oſtendendum ſufficere puto. Prius tamen indicabo, conſtitutionem de qua Hippoc. ibi loquitur, non in totum ei, de qua Leonicenus, fuiſſe ſimilem: & hoc per ipſius Hippoc. uerba: Ἄπνοια enim, inquit, per totũ annum: hoc eſt, uentorum ualidorũ carentia. Factis autem ſiccitatibus, ſub primis anni tẽporibus auſtri, circa arcturum aquæ multæ: autumnus tenebroſus, nubilo- ſus, aquarum multitudo: hyems auſtralis, humida, mollis. Poſt ſolis autem uerſiones, prope æquinoctium retrocedens hyems, & circa ipſum iam æquinoctium niuoſi aquilones non per multum tempus. Ver rurſus auſtrale, uentorum carentia, aquæ multæ per totum, ad ortũ uſq; caniculæ. Aeſtas ſerena, calida, ſuffocationes magnæ: eteſiæ exiguæ ſparſim ſpirauere: rurſus circa arcturum in aquilonibus pluuiæ multæ. Hactenus Hippocrates. In hac igitur conſtitutione non pauca leguntur, quæ nec ipſomet Leoniceno teſte, in noſtra uiſa ſunt: ſiccitas uidelicet ab initio, autumnus tenebricoſus, hyems in fine retrocedens, uer aquilonium & niuoſum, æſtas ſerena, calida, & alia quædam.

Epidemialis morbus.

Nihil morbo gallico cum aëris humiditate.

Inter morbos uero, præter eryſipelata, carbunculos, & uentris perturbationes à Leoniceno quidem memoratos, ſed uix unquam puto in hoc morbo uiſos, alij quoque numerantur morbi ab Hippocrate, nihil cum hoc habentes commercij, ut καῦσοι, φρενῖτιδες, κώματα, id eſt, profundi ſomni, magnæ phlegmonæ, lienteriæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, tineſmi, ſτρόφοι, id eſt tormina, febres tertianæ, quartanæ, nocturnæ, continuæ, longæ, erraticæ. Addit demum, quoſdam citò, quoſdam ſerò interiiſſe: quum Gallicum patientes morbum, mortem potius optent quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

oppetant. Si quis præterea discurrat XVI. ægrotos ab Hippocrate seriatim sub hac constitutione descriptos, mentior si quem inueniet, de quo uel suspicio haberi possit, quod Gallico uocato morbo laborauerit: omnes enim febrem, & quidem uehementem sunt perpessi: in Gallico morbo, uel ipsomet Leoniceno teste, rarissimam. Sed cur frustra laboro, quum Galenus ipse hanc litem dirimat, statim in primo uerbo enarrationis suæ in hanc epidemiam, constitutionem, de qua Hippocrates meminit, pestilentē nominans. Ita enim ad uerbum loquitur: Pestilentem cōstitutionem in hoc loco scribente Hippocrate, &c. Et alio loco, exponens uerba illa Hippocratis: Et multi interiere, ait: Pestilentes fuisse morbos qui uagabantur, ostendit, ex eo quod dicit: Et multi interiere. Tam igitur longe abest ab ea cōstitutione Gallicus morbus, quàm longe abest à pestilentia & mortalitate. Scio futuros qui mihi uitio dent, quod in re tam aperta anxie nimis & scrupulose depugnauerim.

Præstet igitur & uincat ueritas proprijs utribus nixa, diuersos quidem affectus huius morbi esse sigillatim ab antiquis scriptos: connexionem uero eorum & sequelam, à nemine fuisse scriptis demandatam. Nec pergant homines in aëre uel in cœlo causas huius morbi perquirere, sed in aëris cœlicq; moderatorem, hoc morbo flagitia hominum, libidinem præcipue & linguæ petulantiā punientem, (ferè enim à genitalibus incipit lues, & in os desinit) & in inficientis infectiq; corporis natura, causas & differentias huius morbi perquirant.

Hugo Senēsis, inter omnes quos hactenus legi, salutі cuiusdam iuuenis per scripturam consuluit, qui propè hunc morbum uidetur accessisse. Passus enim est pustulas, tumores duros, ulcera, capitisq; & diuersorum membrorum dolores, noctu etiam magis quàm interdiu affligentes, ita ut caruisse tantum pustulis genitalium & capitis inter capillos uideatur, quæ tamē sunt uel primæ, uel maxime huius morbi propriæ.

Vnde accepta uulgaris Gallici morbi curatio.

Curatio autem quæ ei passim ab imperitis, præsertim per argentum uiuum & minium adhibetur, ab eo morbo accepta est, quem recētiores Chirurgi malam scabiem, & malum mortuum appellant, alium tamen longe ab hoc morbo.

Morbus Gallicus quo modo nouus dici possit, simul & per contagium generatus.

Sed dixerit forte quispiam: Si hic morbus non nisi per concubitus cōtagium generatur, quo pacto primum nouus cœpit: uidentur enim duo hæc inuicem repugnare, quod scilicet nouus sit, & quod per solum contagium innascatur: si enim nouus est, cœpit primo, nec prius erat à quo posset per contagium deriuari: si per contagium cœpit, non potest nouus esse, quia necessariò in eo fuit à quo est per contagium deriuatus. Dupliciter hic possumus respondere, iuxta duplicem historiam de eius origine. Sunt enim qui dicant nouum non simpliciter esse, sed ex insula quadam antiquis incognita, ubi frequentissimus est, in hanc quam nos incolimus habitabilis terræ portionem, per Hispanos qui illuc nauigarunt importatum, principio apparuisse. Alij sunt, & hæc est antiquior sententia, & maioribus fulta testimonijs, qui cœpisse hunc morbum per id tempus dicunt, quo Carolus Francorum rex expeditionem Italicam parabat: cœpisse autem in Valentia Hispaniæ Taraconensis insigni ciuitate à nobili quodam scorto, cuius noctē elephantiosus quidam ex equestri ordine miles, quinquaginta aureis emit: & cum ad mulieris concubitum frequens iuuentus accurreret, intra paucos dies supra quadringentos infectos: è quorum numero nonnulli Carolum Italiam petentem sequuti, præter alia quæ adhuc uigent importata mala, & hoc addiderunt, inter minima non deputandum. Quæ historia si uera sit, ut ego non inuitus credo, nouus simul erit, & per contagium ortus, non alterius hominis eodem affecti, sed elephantiasi quæ in hunc quasi degenerauerit, & de suo gradu in proximū decciderit. Minus autem de hoc mirabitur quicunq; apud recentiores legerit, eos qui mulieri coierint quæ parum antea cum leproso (sic enim elephanticum uocant) rem habuerit, semine quidem adhuc in utero ma-

Huttenus lib. de Guaiaco.

Gallici morbi ortus.

ro manente, elephantiasin quandoq; incurrere, quandoque non, sed alias oblæsiones, maiores, minores ue, prout & ipsi affecti sunt, & elephantiosus ille qui mulierem infecit. Hæc igitur sunt quæ de morbo Gallico hactenus potui intelligere. Curam eius in aliud tempus & locum distulimus, neque enim nunc morborum curam, sed nomina tantum inquisiuimus: in quibus enumerandis, si fortè defecimus, boni consulant quicunque legerint, & quæ desunt, suppleant, & errores si quos offenderint, qui certe in tam ampla & confusa adeò materia uix euitari poterant, amicè corrigant. Tantum enim abest ut id moleste laturus sim, ut ingentis beneficij loco sim habiturus. Tu uero Michaël hæc diu desiderata lætiore facie suscipe: solent enim quæ longo tempore desiderauimus, esse gratiora: tarditatisq; culpam non in uoluntatē alioqui tibi propensissimam, sed in meam ualetudinem uariasq; occupationes reijce. Ferraria. M. D. XXV.

Quare nō scripserit Gallici morbi curationem.

EPIST. III. ad Bachiensem Canonicum, dolore capitis & artuum, cum sanguinis mictu, & præuio quodam ad elephantiam affectu laborantem.

MOrbi longi, longam curationem desiderant, difficiles diligentiam: qui utrunq; habent, præsertim cum sunt plures, maximo studio & cautela indigent. Quum igitur patiaris dolorem antiquum capitis & articulorum, cum sanguinis mictu, præuioq; quodam ad elephantiasin affectu, quæ in facie iam & unguibus exerit se manifeste, si uitam propriā diligis, non secus ac pro animæ salute diuina, sic nostra pro corporea obseruare præcepta debes, quæ sunt: Victus parcitas, laborum & curarum moderatio, Veneris fuga, uigiliæ & somni æqua distributio, ita ut nō minor septem horis somnus sit, nec maior octo: nocturnusq; potius quàm diurnus: & si necessitas dormire interdiu coēgerit, ante cibum potius, quàm pòst dormiendum. Semperq; cauendum, ne statim à cibo somnus occupet, sed duarum horarum interuallo ad minimū discludatur. Durum sit stratum, lana potius quàm pluma oppletum, corióque potius quàm panno opertum. Idem de ceruicali intelligatur, quod etiam satis esse debet elatum & eminens. Caput leui operimento interdiu, leuissimo noctu tegendum. Summopereq; uitandum, ne uel mora in sole, uel prope ignem, uel in æstuarijs seu hypocaustis, uel alio quouis modo præter modum caleſiat. Renes etiam & hepar à calore, quantum fieri potest, defendenda: ideo conandum ne etiam hyeme pelles corpori proxime hæreant: & propterea uestis pellicea, si quando ea utendum, lata esse debet, nec per zonam arctius corpori adnecti.

v. de V. C. lib. epist. 4.

Somnus à cibo pernicioſus.

Cibis his uescendum: Panis sit bene coctus, salitus, fermentatus, & ab exterore crusta emundatus. Caro sit uituli, hœdi, ueruecis anniculi. Pulli gallinacei, capi, phasiani, perdicis, auicularū, turturum. Pisces, uel parui, uel lucij, uel hi qui ab eo quod assari solent, nomen à uobis acceperunt. Oua gallinæ recentia, & uel sorbilia, uel in aqua cum omphacio leuiter cocta. Vniuersa aromata penitus interdicuntur. Ex oleribus maxime conueniunt, intybum tam domesticum, quæ dicitur endiuia: quàm syluestre, quod cicorium uocant. Item utraq; bugloſſus, scilicet quam boraginem, & quam communi nomine bugloſſam appellant. Lactucas quoq; concedimus, atriplices, & spinacia. Oxylapathon, quod acetosam uocant, cōmendamus. Ex granis ordeum, auenam, far, orizam, milium, panicum, tantum concedimus. Ex fructibus cerasia acida, bona uestratia pruna, bistricia quæ à loco dicitis, & pira, uuas uel suspensas in sole, uel penitus exiccatas, concedimus, & amygdalas, & auellanas. Casei usus, nisi recentis, & rarò, prorsus abdicetur. Cappares & asparagos non uetamus, si cum melle & aceto condiantur.

recentia acida

Universidad de Deusto · Biblioteca

Aceti tamen rarus sit usus, & si quãdo utendum, passulæ in eo antè maduerint.

Oleo oliuarũ condiri, & panem de more patriæ, & alia iusculenta, potius quàm butyro, uolo: reliqua olea præter amygdalinum prohibeo, immodicamq; qualiscunq; sit pinguedinem. Omnia animalium interanea, præter gallinarum hepata, dimittantur. Cauenda omnia sale condita, uel etiam nimium salita. Et hæc quidem de cibis dicta sint, illud semper in mente habendo, quod quæcunque concessa non sunt, prohibita intelligantur.

Potus sit uinum leue, album, uel subrubrum, clarum, non dulce, sed potius ad acerbum inclinans, cui tantum aquæ misceatur, ut omnis ad caput euaporatio, omnisq; acuitas amoueatur: quod fieri in uestris uinis uix posse uidetur, nisi ut minimum tertia pars aquæ addatur. Neque uinum, neque aqua quæ bibitur, est aut glacie, aut niue, aut alio ingenio infrigidanda: sed, præsertim hyeme, potius ad tepidum uergat. Ex alijs potibus, aquã cum saccharo, uel cum exiguo melle coctam concedimus, & eos qui cum syluestribus pomis uel piris parantur. Aquam quoq; olerum, de quibus suprà mentionem fecimus, per modum quem destillationem dicunt, extractam. Non autem iturus balneum puræ aquæ, nisi in ea herbæ, quas infrà scribemus, ebullierint, sed aquarum sponte calidarum laudamus. Moderatis uero etiã frictionibus in partibus non læsis utendum. Enitendum porrò ut quotidie uentris excremẽta exeant: quod si natura per se non fecerit, uel enemate, uel balano, uel maluarum & brassicæ iure est irritanda. Nõnulla tamen infrà inter medicinas scribemus, quæ huic rei poterunt subuenire. Vehementes animi affectus fugiendi, ueluti ira, tristitia, cogitatio. Sed & clamor quoque, risus effusus, rixa, & cõtentio. Odores magni, præsertim rerum calidarũ, sunt euitandi, ut moschi, ambræ, styracis, binzoi, chamæmeli, eius spicæ quam lauandulam uocãt, & similium.

Et de his quidem quæ ad rationem uictus attinent, hæc dixisse sat sit: si qua enim desunt ex dictis facile possunt intelligi: nunc ad medicamenta transeamus. Non enim sat est bono uictu, ne malus gignatur sanguis præcauere, sed simul quoq; antiqui corruptio, ita medicamentis purganda est, ut simul malitia auferatur, & bonus sanguis paulatim subnutriatur. Membra quoq; principalia roboranda ueniunt, in quibus uirium uigor resident, & quæ infestant accidentia mitiganda.

Ad primum exequendum, præter tres iam factas uenæ sectiones, uariasq; purgationes, summe confert per uices, modo aquam in qua cicorium & borago bullierint, in aurora bibere, modo serum caprinum. Quibus si aluus adstricta fuerit, cochleare magnum fecis uini albi tenuiter contritæ adijciatur. Aestate autem semel in hebdomade, quinque ex catapotijs eadem hora sumendæ, quæ habent: Aloës lotæ, agarici electi, sennæ ana ʒ. i. s. myrob. citrinorum ʒ. s. rosarum ʒ. i. diagridij grana 15. pilularum de lapide lazuli ʒ. i. id est, de lapide cyaneo. Cum succo rosarum fiant pilulæ numero 35. Vbi calores remitti cœperint, ineũte autumno, extracta prius ex media sinistri brachij uena sanguinis selibra, seri caprini binis calicibus, quatuor ebuli molles ramusculi, & medius centauri pugillus, uesperi immittenda sunt. Hinc postridie mane herbæ excolandæ, & serum bibendum. Singulaq; hebdomada, quinq; ex his pilulis sumendæ, quæ recipiunt: Aloës hepaticæ, sennæ, agarici, corticum ellebori nigri, myrob. Indorum ana ʒ. i. diagridij, nucis unguentariæ, quam moschatam uocant, rosarum ana ʒ. i. Cum decoctione tenuioris centauri fiant pilulæ 35.

Herbæ in aqua ubi balneandum coquendæ: Calamentum, serpyllum, hyssopus, lapathium, fumus terræ, hoc est capnum, saluia, chamæmelon. In quo balneo sudor eliciendus est, uase in quo fiet (ut aliàs diximus) cooperto. Vnguento omnia membra, mane tertio quóque die ungenda, quod recipit: Vini albi Sirmici uel Cretici lb. i. florum chamæmeli, fructuum Populi uel abietis ana unciam. Exco

quatur

quatur dimidium uini, atque uino excolato adde tantundem chamæmelini olei, & tantisper ambo in duplici uase simul bulliant, donec totum uinum sit cõsumptum.

Regio uentriculi & hepatis, sæpe ante cibum uino rubro fouẽda, in quo par absinthij & rosarũ portio cocta sit. Caput singula hebdomade bis lixiuio ex sublimi uase cadente abluendum, in quo hæc bullierint: Rosæ, chamæmelon, sampsucus, id est maiorana. Sacculus sinistræ mamillæ superponendus, qui ex rosis, maiorana, melissophyllo, id est melissa, & garyophilis plenus sit.

Dolentia loca hoc unguẽto linenda: Olei uulpini ʒ. 4. pinguedinis tauri ʒ. 2. castorei ʒ. 1. rutæ siccæ semunciam: euphorbij, piperis ana ʒ. s. cæræq; quãtum sufficit: fiat unguentum molle. Singulo quoque mense luna plena, duæ cucurbitulæ natibus, duæ dorso adhibendæ, atque cum his tres unciæ sanguinis in totum extrahendæ, bisq; in anno, ineunte uidelicet Vere, & iam cœpto autumno uena media supra sinistrum cubitum aperienda, & selibra sanguinis auferenda. Regio renum ex unguento quotidie ungenda, quod ex oleo & aqua rosaceis, oui albumine, stilla aceti addita compositum sit.

Sequenti die quo pilulæ sumptæ fuerint, caput purgio naribus imposito cerebrum purgandum: quod uel ex betæ radice, uel ex maioranæ succo, uel ex pipere naribus insufflato, uel ex batrachij radice, quod pedem columbinum uocãt, uel ex chelidonij, uel anagallidis succo fiat.

Doloribus per hæc quæ scripsimus auxilia non interquiescentibus, ulcus aliquo ingenio in sinistri brachij exteriori parte excitandum erit, octo digitis supra cubiti iuncturam, longoq; tempore ciceris grano imposito seruãdum, & quotidie expurgandum. Manus sæpenumero immergantur in aquam, in qua calamentum, lapathum & sulphur bullierint. Brachiũ & crus dolentia illota lana tegenda sunt. Vehementer infestantibus doloribus, antidoti cuiusdam quam dabimus, hora somni sumendum est, quãtum est aurei pondus: nec hoc assidue, sed per magna interualla, & magna urgente necessitate faciendum.

Ad antiquos articulorum dolores efficacissima.

Poteram finem fecisse, sed placuit nonnulla adijcere, ad dolores articulorum antiquos efficacissima: quæ sunt: Semen & folia urticæ, cum adipe ursi inuncta. Oleum in quo uulpis uiua impositã tãtisper bulliat, donec caro colliquetur. Debet autem integra sicuti est, cum pelle imponi. Stercus caprinum cum farina ordei & aceto, ad formam cataplasmatis reductum. Radix altheæ cocta, & cum adipe anatis commixta. Oleum in quo radices enulæ bis uel ter permutatæ ebullierint. Rapa in iure pingui bene cocta. Sacculus sale cõtrito plenus in uino bulliente sæpe calefactus. Stercus bouinum calidum, ut exit, modo cataplasmatis applicatũ, uel cum irino oleo calefactum. Lotio in aqua in qua sales, & medius sambuci cortex ebullierit. Chamæpityos, quam iuam uocãt, pugillus, in uino coctæ, si ex uino locus dolens lauetur, & herba ipsa calida superligetur.

His adhibitis remedijs, spero D. T. quotidie in melius profecturam, supremo adiuuante medico, in quo solo uera salus consistit, domino nostro Iesu CHRISTO, cui honor, gloria, & imperium, Amen.

Budæ. XXVI. Maij. M. D. XVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. IIII. ad Cælium Calcagninum, uirum undequaq; doctiſs. de Taxa Lauri ſpecie. Quod Milos & Melia confundantur apud Plinium.

TAxam Lauri ſpeciem nullibi, quod meminerim, præterquam apud Plinium legi: quo fit, ut errorem omnino ſubeſſe eo loco putem, non librariorum qui Plinium ſcripſere, ſed uel autoris quem ille ſit ſequutus, uel cuiuſpiam ex his quorum opera utebatur in excerpendis quæ de uniuerſæ naturæ hiſtoria in tam uaſtum uolumen cõgerebat. Deceptum autem illum, quiſquis fuerit, duorum nominum uicinitate, fraxinumq; in taxum commutaſſe: illam enim μελίαν, hanc μίλον nonnunquam appellant Græci. Eſſe autem quandam fraxini ſpeciem laureis foliis, poſt Theophraſtum Plinius lib. 16. cap. 14. teſtatur: in quo etiam capite ex earundem græcarum uocum ſimilitudine, duplex error (ni ego potius erro) deprehenditur. Vnus, ubi fraxinum, quæ ſit in Ida Troadis, intantum citro ſimilem dicit, ut emẽtes fallat cortice ablato: quod non de fraxino, ſed de taxo ſcribit Theophraſtus. Nec mirum eſt, μίλον in μελίαν mutatam, quum & cedrus in citrũ tranſierit. Alius error eo loco uiſitur, quo folia fraxini iumẽtis mortifera ſcribuntur: quod de taxi foliis, non fraxini, tradit Theophraſtus. Sed & ſenſus ipſi, præter Theophraſti autoritatem, utranq; rem eſſe ut Theophraſtus uoluit, non ut in Plinio legitur, demonſtrant: maximam ſcilicet inter taxi & cedri ligna ſimilitudinem, nullam fraxinei ad citrinum uel cedrinum. Iumenta etiam innocue foliis fraxini ueſci, nullus eſt paſtor qui non nouerit. Si igitur proxo, bis fraxinus legitur lib. 16. quis non ſuſpicetur, ſemel lib. 15. eadem lapſus cauſa concurrente, pro fraxino legi taxum: præſertim nulla inter laurum & taxum ſe oſtendente affinitate, nec alio loco uel apud Plin. uel alium autorẽ huius taxæ lauri inuenta mẽtione. Nec eſt ut aliquis mihi obijciat, fraxinũ aliquam eſſe quidem lauri foliis ſimilem, non magis tamen numerari inter lauri ſpecies ullam quæ fraxinea dicatur, quàm quæ taxa. Dicimus enim eo cap. quod eſt libri 15. ultimum, non ſolas ueras lauri ſpecies, ſed & multas plantas quæ lauro uel nomine, uel effigie ſunt ſimiles, numerari, ueluti chamædaphnem, alexandrinã, & daphnoidem. Inter quas nemo miretur & arborem hanc reponi, quæ, licet uera fraxinus ſit, foliorum tamen figura laurum repræſentat. Hæc ſunt quæ meæ mihi dominæ, podagra & chiragra, & meditari & ſcribere permiſerũt: quarum tyrannidi condonandum, ſi quid caſtiſſimas tuas aures offenderit. Vale

Plinij locus caſtigatur.

Doctorum doctiſſime,
& amicorum amiciſſime.

Ex ædibus noſtris. M. D. XXIIII.

LARVM MEDICINALIVM LIBER OCTAVVS.

EPIST. I. Ioannes Manard. Marcello Virgilio uiro doctiſs. S. D. Examinantur eiuſdem interpretationes libri primi Dioſcoridis.

ONTIGIT neſcio quo fato Marcelle doctiſs. ut paulò poſt quàm Dioſcorides tuus ad nos peruenit, dolore pedum uexatus, ſurgere è lecto per dies multos non potuerim. Cui malo non aliud magis præſentaneũ remedium inueniens, primum tuæ interpretationis uolumẽ ſine interſpiratione percurrens, magnopere leuatus ſum. Reconditam lectionem, exactiſſimã diligentiam, grauiſſimũ iudicium, & (quod ueluti noſtro ſeculo rarius, impẽtius ſum admiratus) ingenuæ mentis candorem, in eo apertiſſime cognoſcens. Huic maxime confiſus, ſimili ingenuitate & notare, & tibi ſignificare non ſum ueritus, quæ inter legẽdum non uſquequaq; à me probata ſunt: Non monendi tui gratia, ut quem in eo albo eſſe dudum ſcierim, ut docere, nõ doceri, à me præſertim ſimilibus, debeas: ſed duo ex hoc labore, ſi meum hoc ſtudium nõ penitus fueris aſpernatus, lucraturus, profectũ uidelicet, & tuam amicitiã: ad quam mihi nihil deeſſe putabam, niſi ut qui à me ob eximias & tota Europa notiſſimas animi dotes diligeris, hoc ipſum à me diligi te ſcires: non ambigens, quæ tua prædicabatur humanitas, quin me uiciſſim eſſes amaturus. Hac ergo ſpe animatus à proœmio exordior. In quo non probo quod pro ἀκμὴ græca dictione, integrã ætatem conuertas: licet enim ea interpretatio eo loco forte poſſit tolerari, frequẽter tamen ἀκμὴ in alio ſignificato & ab ipſomet Dioſcor. & ab aliis medicis uſurpatur, cui non uidetur poſſe integra ætas cõuenire, ſicuti (ut reliqua obmittam) in 1. Aphoriſmorum Hippocratis lib. ubi, Galeno teſte, ſummũ in morbis oſtendit: cui quemadmodum nec ætas, ſta nec perfecta ætas, niſi per impropriam quandam translationem uidetur quadrare. At ſi conſiſtendi uigorem, Celſum ſequuti, pro ea reddiderimus, non ſolum in herbis & morbis, ſed aliis quoq; in rebus uim dictionis, meo iudicio, commode exprimemus. Et hoc quidem in proœmio.

Ex proœmio.

IN IPSO uero tractatu, cap. de Iride, ſuſpectũ eſt mihi, quod dicitur, Illyricã non ſine cauſa cõmendari, quoniam frigida & aquilonia regio eſt, quo cœli ſtatu & afflatu materia omnis in omnes uſus melioreſcit. Nam præter id, quod magna ex parte Illyriũ ab aquilone rectum auſtrum proſpectat, quicquid ſcribat Plin. medicinales herbæ ex Creta meridionali inſula, ad Galeni uſq; tẽpora Romam portabantur: fereq; medicinalis materia, ab auſtro potius quàm ab aquilone, & nũc petitur, & à maioribus noſtris petebatur. Ego igitur nõ aquilonis gratia præferri Illyricã Iridem puto, alioquí Threſſam & Dacam magis cõmendare oporteret: ſed quia in Illyrio melior ea ratione naſcatur, qua hic ſegetes, illic ueniunt felicius uuæ, quod ſoli cauſa præcipue fit, aëris circunfuſi frigus non admittentis, & internũ calorem adſeruantis, ut Theophraſtus lib. 6. de cauſis plantarũ teſtatur. Eodem cap. ubi de floribus agitur, res ipſa facit, ut Hermolaum magis probem, ſcribentem flores in caule ipſo alternis ſemper coliculis inflexos: uel, ſi uerba malumus ſequi, flores in caule æqualibus inuicem ſpatijs inflexos. In bonis enim codicibus legitur, αὐθις ἐν ἴσῃ κατὰ πρόσκλισιν, ἰσονεμπτῶ. Nam in uniuerſo quoque caule, non in ſummo tantum (ut ais) flores uiſuntur: nec ſinguli, ſed in uno caule plures. In eorundem quoq; florum colore non placet, quod duo illa uerba, ποικιλλόμενα, ideo, ut ſcribis, in participium *uariantes* conuerſa ſint, quod Iris cum luce colores mutet: certi enim ego &

Ex cap. 1. de Iride. Iris Illyrica. Creta herbarũ medicarũ ſtrax

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iridis flores non mutare colorẽ.

stati coloris flores in Iride semper uidi, nec ex lucis modo, sed ex natura ipsa plantæ & loco ubi creuit, uariãtes: nam præter purpureos, qui passim uisuntur, candidos, pallidos, luteos, cæruleósq; aliquando conspexi, uirides nunquam: ut probandi etiam mihi uideãtur qui ὠχρὰς pallidos intellexerũt, cõsuetiore apud medicos illius dictionis significatione, quàm tu qui uirides. Ita cõstantis tamen singulos coloris semper animaduerti, ut quocunque situ, & ad quamcunq; lucis refractionem, uel parum, uel minime mutarentur, tantum abest ut tot coloris discrimina possit unus atque idem flos recipere. Fidelius igitur & uerius quis uerterit, uarij: aut enim albi, aut pallidi, aut nigri, uel, ut Oribasius legisse uidetur, subnigri, aut purpurei, aut cærulei uisuntur: uel, ut Plin. dixit, floret diuersi coloris specie. Excusandus quoq; in medicinis Iridis uideri potest Ruellius, qui communem lectionem sequutus, habentem, πνεύμασι ψυχροῖσιν ἢ ῥιγοῦσι, uento infrigidatis, aut rigentibus conuerterit. Non enim penitus ratione caret, ut aliud remedium desiderẽt, qui uento, aliud qui alia ex causa, præsertim intranea refrixerũt: uoluisseq; Dioscoridem docere, utrosque ab Iride iuuari, tam eos uidelicet qui uento alia ue extranea causa infrigidati essent, quàm eos qui ex intranea algerent: sicuti ratione non caret, & ex uento posse purũ frigus algoremq; excitari. Nec uideo non posse eum affectum rigorem etiam latine uocari, eodem scilicet nomine quo Græci utũtur, dicente Virgilio, Terram aquilone flante rigere: ut illi rigere quidem dicantur, qui πέτανον græce uocatum patiuntur. At rhigere cum aspiratione, uoce à Græcis (ut pleræq; aliæ) mutuata, qui frigent. Nec hæc dixerim, quod præferendam Ruellij lectionem putem: siquidem in melioribus libris ego quoque ut tu πνεύμασι ψυχροῖσι lego, non πνεύμασι ψυχροῖσιν, sed ut hominis fidei patrocinium aliquod ferrem. Nam fides tanti apud me est in hoc interpretandi munere, ut quiduis aliud quod in exacta omnibus numeris interpretatione desideratur, quàm eam deesse malim. Nec accedere illis possim, qui sententiam quam esse putant autoris, sequuti, à uerbis recedunt, præsertim ubi uerba ipsa quæ uertimus, diuersos tolerant sensus. Quod tu & aliàs quandoq; & hoc loco fecisse uideris, generale infrigidationis & rigoris uerbum ad febrium frigora, & tremebundos algores contrahens: mihi uideris autoris uocem, imò Iridis latam potestatem coartare. Si enim remedio est Iris in uniuersum aduersus frigora, ei etiam frigori quod in accessionibus contingit, aduersabitur: non tamen ratio reciprocat, ut si frigori febrium opitulatur, alijs quoq; frigoribus necessariò opitulatur. Neq; hi solum ῥίγεσι, ut uis, qui à tertiana febre inuaduntur, sed & qui à quartana, uehementissime. Et nonnulli, Galeno teste, sine febribus à uitrea uocata pituita, sicuti pleriq; à causis extraneis: ut nõ magis sit tertianæ peculiaris hic casus, quàm quod tu etiam scribis quartanæ, περίπλυξις, & semitertianæ φρίκη. Adde quod non recte ῥῖγος definitur, frigus cum tremore: cum sint res omnino diuersæ ῥῖγος καὶ τρόμος, si Galeno potius quàm Platoni in medicina credendũ est. Fidelis igitur interpretis officio fungemur, si Plin. Hermolaoq; adhærẽtes, absolute absq; omni febrium mẽtione, perfrictionibus Irides mederi dixerimus: uel eis qui exteriore corporis superficie frigent, ut exponit Galen. lib. 3. περὶ ῥίγους. Melius etiam intelligemur à medicis, si pro algoribus rigores scripserimus: alioquin latius patet algoris uox. Celsumq; uidemus, horrorem, non algorem, ubi apud Hippoc. ῥῖγος legit, uertentem.

Ruellius.

Rigor latine dici potest, ubi Marcell. dixit, perfrictionibus.

Algoris uox.

Ex cap. 2. de Acoro.

CAPITE secundo scribit Dioscorides. καὶ εἰς ἐγκάθισμα ὡς ἕδρις πρὸς τὰ γυναικεῖα ἀφεδρήματα. Quæ uerba hoc pacto conuertis: Vtiliterq; Iridis modo insidentibus acoro mulierbria, id est mẽses, foueãtur. In qua interpretatione iterũ uniuersale ad muliebria mala iuuamen, ad unum tantũ malum, hoc est mẽses, determinas. significari enim per eam uocẽ non solum menses, sed diuersa mulierũ mala, Hippoc. ostendit, librũ, in quo de uarijs mulierũ morbis agitur, περὶ τῶν γυναικείων inscribens. Latam uero etiã hoc loco esse eius uocis significationẽ ipsemet Dioscorides demõstrat, dicens, quod iuuat ad mulie-

Marcellũ à uerbis Dioscoridis quandoq; recedere.

ad muliebria ut Iris, de qua priore cap. temet interprete scripserat, quod potu menses duceret, infessu uero fouerentur fœminæ, calido eius decocto muliebres locos molliente & aperiente. Ego igitur sic uerbum ex uerbo cõuerterem, *infessu sicut Iris ad muliebria utilis est*: nec uererer, ut ais, cum periculo humanæ salutis hæc scribi. Siquidẽ non uulgo produntur, sed medicinæ peritis, qui remedia in libris inuẽta norunt & morbis, & ægrotãtibus, suis quæq; tẽporibus accõmodare. Non paruũ enim nocumentum his accidit, Galeno teste, qui credunt medicamentis absq; determinatione scriptis: quoniam, ut dixit Herophilus, IPSA PER SE MEDICAMENTA, ET NIHIL SVNT, ET MANVS DEI SVNT. Maius autem discrimen tuam circunstare interpretationem uidetur, si quis ex ea intellexerit, utiliter menses redundantes, iride & acoro foueri. Quod certe imperitus quispiã ex tuis uerbis facile poterit existimare, quæ sunt, Vtiliter Iridis modo insidentibus acoro muliebria, id est, menses fouentur.

Herophilus.

MEDICINIS quæ lambendo sunt, non magnopere in inferiorũ partium noxis uti medici consueuerunt: & propterea uitium subesse puto, ubi linctus Mei qui in fluctionibus thoracis cõmendandi uidentur, ad dolores articulorũ, uuluas, tormina, aliaq; superius descripta remedia retrahuntur: & ad omnem quoque à capite in subiectas partes destillationem extenduntur, cum multæ fieri possint à capite destillationes, quas talis linctus irritare potius ualeat, quàm sistere.

Ex cap. 3. de Meo.

SCRIBIT Dosc. inter alias potestates Cyperi, quod adiumento est λιθιῶσι, id est, calculosis: ubi nescio quare addas uesicæ: quum notũ sit apud medicos, difficilius longe per ea quæ bibuntur, uesicæ calculum, quàm renũ, & atteri & pelli. Scribatq; Galen. saltem de ipso Cypero, quod incidendi quandam uim habet, qua calculosis prodest. qui loquendi modus ostendit, non tantum ei in hoc tribuisse Galenũ, ut ad uesicæ conterendum calculum sufficere existimauerit. Melius igitur fuerat calculo laborãtibus simpliciter dixisse, quàm addidisse uesicæ, cuius nulla in Dosc. mentio.

Ex cap. 4. de Cypero.

Cyperi facultas

NEΦPIKOΥΣ uideo à medicis uocari, renum uitio, quodcunq; illud sit, laborantes. Sic enim intellexit Galen. lib. 6. Aphorismorum, uocem νεφελικά. Quare miror scribente Dioscoride, Cardamomum nephriticis conferre, transferri à te, nephritim, renum cum urinæ malo aliquo dolorem: quum multi renum affectus sine dolore contingant.

1. de Cardamomo.

IN NARDO multa à me desiderãtur: ut in Gangitide nescio quare præteriris, longiorẽ esse: scribente Dosc. quod ἐπιμηκεστέρα: ratione etiã consentiente: quoniã ferè imbecilliora esse consueuerunt quæ longiora, & aquosis locis nata: consentiente etiam huic lectioni Oribasio. In montana nõ intelligo qua ratione uerbum πολυβόστρυχος, torosæ spicæ conuertas, quum πολυβὸν mutilum & mancum Aristoteli & alijs, & tibi quoq; in alijs locis significet. Sed hæc exigui momenti. Illud uero non parui, quod mutata usitatiore lectione, quæ in usu nardi auferre iubet lutum, si quod forte radicibus hęserit: eam sequeris, quæ auferre radices ipsas, & quasi inutiles abijci præcipit: quũ tamen, teste Gal. in lib. de antidotis, præferendæ in theriaces præparatione radices sint, spica neglecta. Qui etiã lib. 6. de simplicib. medic. uires radicis explicat, tacita spica: quem (ut tu quoq; notasti) sequutus est Paulus, & Arabes medici. Nec à Dioscor. serie hoc abhorret, plurali uerbo uires nardi explicante, quasi radices intellexerit, quas uoce similiter plurali, paulò superius nominauerat. Scio tamen ad enumerata nardi genera, pluralem hanc locutionẽ posse referri, quemadmodum tu fecisti, addens de tuo duo illa uerba, *Nardi omnes.* quum tamen simpliciter scribat Dosc. δυνάμιν ἔχουσι, non addens nec nardi, nec omnes. In quibus ipsis uiribus explicandis, scribente ibi Dosc. ad literam: Appositæ, fluctiones ex utero & sanies sistunt. Tu diuidis hoc pacto: Appositæ muliebriũ locorum fluctiones sistunt. deinde addis: Compescunt præterea sanies. quasi uoluerit Dio-

6. de Nardo.

Annot. 1

Spicæ nardi radices utiliores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scorides quod saniem undecunque manantem compescant, quod nequaquam pu
to, sed ex utero duntaxat, ut uerba sonant. Sed alius maior restat eodem cap. cir- VI
Cardiogmos. ca Cardiogmon scrupus, quem tu stomachi erosionem uocas: in reddendaq; talis
καρδια. interpretationis ratione, altius exorsus, καρδιαν ais antiquissimis & Hippocrati, os
uentriculi, non cor significasse. Mihi autem Galenum sequēti, uidentur ueteres os
quidem uentriculi cor nominasse ab affectibus quæ inferre cordi consueuit: disse-
rentiam tamen & ipsos agnouisse inter illud & cor. Et si hoc quoq; tibi detur, ut sem
Veteres os uen- per antiquiorib. os uētriculi significauerit, non sequitur tamen, ut idem quoq; Dio-
triculi cor nomi- scoridi significet, multis seculis Hippoc. secuto, nec inter antiquissimos numerādo.
nabant. Vnicuiq; tamen apertum est, qui Hippocratis græca cōmentaria aliquando euol- 10
uit, ubicunque cordis mentio incidit, non alia in eo nominando quàm καρδιας, uel
καρδιης uoce illum uti. Et constat, quod cardiogmi uox, non semper ad uentricu-
lum apud eum sit referenda: quando aphorismo 66. quarti libri (si Galeno credi-
Hermolaus ex- mus) cordis motum palpitationi similem designat: ut propterea excusari possit Her
satur. molaus, tremores cordis hoc loco intelligens. Et 41. libri secundi, uehemētissimum
Syncope. cordis affectum, quem momento sequitur interitus, & qui συγκοπη à Græcis dici-
tur. Nec quæ pro te affers testimonia aliud certe dicunt, quàm antiquos per cor,
quandoq; os uentriculi intellexisse. Si quis enim uerba Gregorij Nysseni accurate
» pensitet, ea nobis consentire cognoscet, quæ (ut scribis) hæc sunt: Consueta appel-
» latione ueteres cor, & os uentriculi uocant. Quid enim aliud notat cōiunctiua, & 20
particula, quàm ultra proprium & commune cordis significatum, os etiam uentri-
culi ab antiquis aliquando per cor significari? Nemini ergo, mea sentētia, ambigen-
dum apud ueteres Græcos καρδιας nomē, primaria significatione, extum illud desi
gnasse quod in medio corporis situm, metæ figura assiduo motu uitam instar fontis
cæteris membris elargitur: sic Plato, sic Aristoteles, sic amborum schola loquuta est.
Secundario uero ad os quoque uentriculi translatum esse, quod consimiles cordi
Cardiaca. affecto morbos interdum solet excitare. E quorum numero sunt cardiaca & car-
Cardiogmos. diogmos. Qui tamen, etsi uitio uētriculi interdum euenire possint, consentiente ta
men corde fiunt, ut lib. 5. de locis affectis, Galen. testatur: qui etiā lib. 2. de Hippoc.
& Plat. Dogmatis, ὁμωνυμίαν quandam in καρδίας nomine ait esse, nemini ignotam 30
in antiquorum scriptis uersanti, & 6. de causis symptomatum: ut uel ex hoc liceat
Librum de defi- coniectari, libros de definitionibus, & Introductoriū uocatos, Galeni non esse: qui-
nitionibus, et In- bus tu aliquando nimis tribuens, contra Galenū multa definis. Ego igitur uerbum
troductorium, ex uerbo, pro cardiogmo cordis morsus conuerterem: integrum relinquens lecto
Galeni nō esse, ri, per proprietatem ne, an per uentriculi compatientiam, sit cordis ille morsus intel
ut putauit falso ligendus. Alioqui non satis consonum rationi uidetur, ut morsus uentriculi ferè ab
Marcellus. acribus humoribus facti, potu nardi rei calidæ liberentur. Sed est id uerisimilius, ut
cor odore nardi recreatum, repellat à se quæ nocebant.

Ex cap. 9. de Asaro. Odorem nō esse causam ut herba coronaria dicatur. ASARVM si in coronas non addebatur, non uideo quare coronaria herba à Dioscoride dicatur: licet enim odor præcipua fuerit causa, quare in coronis herbæ necterentur, non omnes tamen herbæ bonum spirantes odorem, coronariæ dice-
bantur. Quod ex Plinij lectione licet cognoscere, seorsum de coronarijs scribente, prætermissis tamē multis, & in alium locū dilatis, quæ ualde sunt odoratæ. Præterea si solus odor faciebat, ut coronaria herba Asaron diceretur, quare utrūq; appositi Dioscoridis coronariū simul dicens & odoratum? Quare etiā cum omnia ferè de quibus hactenus egit, boni odoris sint, unicam hanc coronariæ nomine dignatus est? Ego certe causam nō uideo: sicuti nec quare damnādus Hermol. uerba hæc Dioscoridis ἔχει καυλία γονιοειδῆ, ὑποβραχέα αἰρομενα, hoc pacto cōuertens: Coliculi angulati leuiter aspe-
ri ac soluti. Nec enim ignorasse putādus uir tali ingenio, tam multifariæq; lectionis, quid sint καυλιοειδῆτες apud Homerū & Aristotelem: sed potius cōsultò uoluisse uo

cem herbarijs protritam, eorum magis more, quàm poëtæ aut philosophi interpre-
III tari. Nec minus congrua uideri Dioscoridis series debet, post seminis historiam,
quod ferè in caule oriri solet, de cauliculis loquentis: fecit enim natura ipsa flores
in hac herba, non ex caule, ut consueuit, sed inter folia, à radicibus eos producens:
ut concinne & cohærenter à foliis ad flores, ab his ad semina procedens Dioscor. ad
IIII cauliculos demum & radices conuersus sit. Eadem quoque ipsa natura ostendit
in hac herba cauliculos angulatos, (quomodo enim angulorum figura aliquid esse
potest, quod angulos non habeat?) non subasperos quoque simul & molles, sed le-
niter asperos & raros, uel (ut ipse Hermolaus) solutos. Quanquam nec molle aspe- 10
ro, ut tu putas, sed duro potius aduersatur, sicuti asperum leui, quemadmodum tu
quoque capite de Phu, apertissime docuisti. Et hæc quidem dicta sint communem
Dioscoridem literam sequentibus. Si quis uero castigatiori inhæreat codici, omnes huiusce
modi perplexitates effugiet: in capitis enim initio, & turba illa nominum obmitti-
tur: & quod coronaria sit, non dicitur: sicut nec in II. Oribasij legitur, in caulibus,
sed in radicibus: nec uerba illa legūtur, ἔχει καυλία γονιοειδῆ ὑποβραχέα αἰρομενα, quæ ne-
Antiot. I que Serapion legit: quod argumento est, aliunde accreuisse illa Dioscoridi.

Ex cap. 10. de Phu. IN CAP. de Phu, non recte, ut mihi uidetur, pro ἀνθηρήσιον, æqualis reddi-
II tur: cum græca ad qualitatem, latina ad quantitatem spectet. Non placet & loco
ὑπερφύρᾳ, color in purpura albicans: quasi non possit color alia uia à purpureo re- 20
cedere, nisi ad album accedat. Sed hæc leuicula. Illud maioris momenti, quod olu
III satri, & (ut sequens est) phu herbæ folia, elleboro albo, piro, betæ, & plantagini si-
milia facis, apud me tam dissimilia, quàm herbæ ipsæ diuersæ. Similia quidem inter
se quadantenus hæc omnia: illa, id est olusatri, apij modo fibriata. Sed & ualeriana Phu Valeriana
uocata, quæ phu esse creditur, multiplici apud nos uisitur specie & magnitudine, uulgo dicitur.
ita tamen ut omniū generū folia apium potius referant, quàm aut album elleborū,
aut plantaginem. Quibus etiam consentit Oribasius, hipposelino similia scribens.

Ex cap. 11. de Malobathro. Epiphoræ. Lippitudo. Inflammatio. Phlegmone. OCVLORVM epiphoræ apud idoneos autores, delationes fluctionū sunt: quæ licet lippientibus accidant, aliud tamen sunt quàm lippitudo, quam Græci & nostrates ophthalmiam: aliud quoq; quàm inflammatio, quam phlegmonem uo- 30
cant: quod (ut alios obmittam) ex Paulo aperte monstratur, seorsum de ophthal-
mia, chemosi, taraxi, quæ inflammationes oculorum sunt, maioris minoris ue tan-
tum ratione ac præincipientis causæ inuicem differētes: atq; de epiphoris. Quo fit,
ut communem lectionem mutandam, cap. de malobathro, non putem: sed legen-
dum utrunq;, & quod ad lippitudines, & quod ad inflammationes decoctum ui-
no, & contritum si inungatur, opituletur: ut sit lectori integrum, an oculi tantum,
an absolute inflammationes intelligendæ. Simplexq; hæc interpretatio à me magis
probatur, quàm uel Hermolai, quæ habet, Oculorū epiphoras uino inseruefactū,
uel farina inunctum: uel tua quæ addit, expresso uino. Vterque enim uestrūm, 40
zelo Plinij uictus, à uerbis Dioscoridis recessit, qui uel πρὸς τὰς ὀφθαλμίας καὶ φλε-
γμονὰς, uel πρὸς τὰς ὀφθαλμικὰς φλεγμονὰς αὐαζιδὲν φὶ οἴνῳ καὶ λεῖον ὑπογριόμενον
facere dixit.

Ex cap. 12. de Casia. Casiæ genera tria. TRIA Casiæ genera tradit Galenus. Primam, quam reliquis præfert, uocari
ait Gizi, duabus uidelicet literis ac totidem syllabis, (sic enim ipse utraq; numerat.)
Secundam Noto, & à nōnullis acruo & daphnitim. Tertiam omnium uilissimam,
Antiot. I fistularem, quæ extimo quidem cortice, fistula uocato, odore & gustu est uehemen
II ti: intima uero parte imbecillissima, & ad nullum usum accommoda. Quæ Ga-
leni dicta animo reuoluens, atque his quæ de cinamomo sequenti capite dicuntur, Casiam ligneā
rebusq; ipsis comparans, adducor ut credam uulgarem nostro tempore casiam, li- nō esse, quæ uul-
gneam uocatam, rem omnino diuersam esse ab omni ea quæ tribus generib. à Ga- go in usu habe-
leno & Dioscor. enumeratis cōprehenditur. Id uero quod pro cinamomo passim tur.

Universidad de Deusto Biblioteca

Cinamomum quod passim uē ditur, esse Casiam.

uenditur, ut mentitum cinamomū, ita ueram esse casiam. Quæ si uera sunt (ut cer-
te puto) reprobandi qui casiam folio Iridis describunt: folio enim uulgare hoc cina
momum constat, ad rotundum uergente, nullamq; cum Iride similitudinem præ
se ferente. Nec probandum, ut gustata erodere dicatur: quoniam uerbum id, si Cel
so credimus, plus aliquid notat, quàm exedere. Verba eius sunt: Illinitur medica-
Erodere. » *Exedere.* » camentis quæ sic exedunt ne erodant: σηπτὰ Græci uocant. Hæc Celsus. At quod
hodie Cinamomum uocatur, non solum exedendi ui caret, sed & per se à nonnul-
lis estur, & delicatissimis escis miscetur. Alioqui nec uox græca δηκλαχὴ id signifi- 11
cat, sed quod pungentis cuiusdam mordacitatis sit particeps, quam in ficis quoq; le-
pidus poëta Martialis figurate commendauit. Minus etiam congruere uidetur, to
ut ἀρωματίζειν amarescere intelligamus: saporum enim nomina ad odores transfer- 111
Amaritudo ab uocatis proprie aromatibus aliena.
re docet Aristoteles, non econtrario. Amaritudoq; ipsa adeò est à proprie uocatis
aromatibus aliena, ut quibus adest, quocunque odore præcellant, nomen aroma-
tis auferat. Cum proprie aromata dico, zingiber, cinamomum, atque cætera id ge-
nus intelligo, quorum odor tantum abest ut uino (quod tu opinaris) repugnet, ut
uinum illud maxime probetur, quod aromatis modo suauiter spirat. Quod cum
uina ex propria natura non habent, arte ad maiorem gratiam cōciliamus: ut in exi-
Vina moschatula.
mijs illis uinis, quæ, me iudice, à moscho suauissimo aromate, moschatula nuncu-
pantur: quorum odorem in carentibus eo uinis desiderantes, musto odorata quæ-
dam miscemus, quæ illum aliquo pacto repræsentent. Non putarim etiam ego to
meliora illa exemplaria, in quibus pro βλαισὸν, βάτυ scribitur. Quid enim huic plan- 111
Rubus Mosyleticus & Musylitis.
tæ commune cum rubo? nisi forte quis dixerit, rubum mosyleticum dici: uel, ut ca-
pite de cinamomo legitur, musylitin: uel potius ut in Theriaca ad Pisonem, mosyle
lon: quasi forte rubus in sacris literis quem uiderat Moses, huius generis fuerit. In
codice ultimo formis excuso βλάκτα & legitur. Sed dum exiliora hæc insectamur, v
illud ferè obliti sumus, quod ad rem ipsam, hoc est curandi rationem pertinet, & in
quo possit error cum uitæ discrimine cōtingere, in uoce αὐδυσμὸς: quam tu ita in-
terpretaris, quasi uoluerit Dioscorides infessu & suffitu decocti huius plantæ, muliebres
locos laxari: cum tamen dilatatio quædam per eam significetur, & ea proprie, quæ
reseratis arterijs cōtingit cute cōglutinata, ut Gal. definit in lib. de tumoribus præ- to
ter naturā, & æmulator eius Paulus. Quæ cum te legisse ostēdas cap. de quinquefo
lio, mirum est quare ad contrarium significatū hoc loco, eandem aneurismi uocem
traxeris, ut quod Dioscor. ualere dixit ad dilatationem, tu laxationes facere dixeris,
quæ uel dilatationes sunt, uel eas potius faciunt, quàm remoueant. Quin ratione
etiam caret, ut res adstringendi ui prædita, laxationes efficiat. Quod uero dilatatio-
Casiam dilatationi uteri conducere.
ni uteri conducat casia, præter allatam rationem, testimonium Arabum Auicēnæ
& Serapionis confirmat.

Ex cap. 13. de Cinamomo.

SI VERVM est quod de casia diximus, id uidelicet quod cinamomum nunc
creditur, casiam esse, non cinamomum, cum nulla res alia seculo nostro, ex orienta- 40
libus locis feratur, quæ uerè cinamomū dici uel putari possit: relinquitur, nos uero
cinamomo nunc carere: ut propterea minus admiratione dignum sit, te, licet inge
nio & doctrina plurimū excellentem, multum hoc capite laborasse, & parum pro-
fecisse. Vbi enim in plantarum historia diuersi & mendosi sunt codices, nō aliunde
celerius & tutius subsidium patet, quàm ab ipsa re, sub obtutū & sensum ueniente.
Nō inueniri autē nunc uerū cinamomū, præter ea quæ dicta sunt, ex his cōstat, re-
Cinamomi ueri notæ.
cōditis quidē adhuc, & paucis cognitis. Scribit Gal. in lib. de antidotis, optimū cina
momū facillimū esse cognitu, his qui multoties conspicati sunt, reliquis difficillimū.
Sex enim eius genera uidisse, bonitate ita inuicē differentia, ut pessimū cinamomū
optimæ casiæ esset propinquū. Quod minime admirandū, scientibus utrūq; in eadē
etiā planta inueniri, sicuti præter Gal. 2. lib. suæ medicinæ, ex quorundā autoritate,
refert

refert Auic. Probatissimæ notæ indicium est, eodem Galeno teste, ut odore quo- *Cinamomi odor inenarrabilis.*
dam inenarrabili omnibus præstet, gustu autem calorem quendam inuehat, non
usqueadeò tamen uehementem, ut cum tristitia mordicet: colore, ac si lactis color,
colori uocato phæo, adiecto etiamnum exiguo cyaneo, commisceatur. Esse autem
ueluti arbustum quoddam sex uel septem plus minus adnascentias habens, longi-
Annot. 1 tudine quidem inæquales, sed quarum maxima semipedem Romanum non ex-
cellat, utriusque ellebori similitudine, uel potius damassonij. Ex his Galeni dictis
colligitur, suppositititū esse quod de rutæ & cardami odoris similitudine, in quibus-
dam (ut ais) codicibus scribitur: ingratus enim utriq; odor, qui est in cinamomo gra
to tissimus. Quod ad colorem attinet, communi lectioni consentit Galenus, si om-
11 nia uidelicet simul sine copula legantur, miscellaq; quædam intelligatur, ex nigro,
cinereo & uinoso: ex qua unicus dissultet color, qui in cinamomo maxime cōmen
datur. Nec nouum est apud medicos, ut quid colore uini describatur, urinas etiam *Vini color. Vrinæ οἰνώδεις.*
111 quasdam à uini colore οἰνώδεις uocātibus. Illud potius nouum, ut uino ablutum,
ex atro in cinereum calorem transmutetur, scientibus tam esse infectoribus difficī-
Annot. 1 le, quàm sophistis facile, nigrum in candida uertere.

Ex cap. 14. de Amomo.

IN Amomo βότρυον uuam nescio an recte interpretaris. Ego racemum dixe-
rim, concinente magis hac uoce his quæ à Dioscoride subijciuntur. Quod tu quoq; *Amomo.*
11 agnouisse paulò inferius uideris, βοτρυώδες racemosum uertens. Nescio etiam
20 quare bryoniā tot uerbis exprimas, & labruscā nomines, aliam certe rem, uel ipso *Bryonia. Labrusca.*
teste, qui solo cultu differre labruscā à domestica uite lib. 4. scribis, & bryoniā uitem
111 albam uocas. Eadem dubitatio mihi cōtingit in eo, quod scribente Dioscoride in
laudem Armenici esse δυῶδες ἰκανῶς, tu odoratissimum dicis: apud me enim satis uel
1111 abunde odoratū, non tamen odoratissimū, uoces illæ significant. Sicut & ὑπόχλωρον
v ροῳ subuiride, nō pallidum. Et πληκλεῶδες non tentans, uerum uel percutiens, uel
v1 cōuulnerans. Et ὑπέρυθρον subrubrum, non modice rufum: adiecta etiam disiun
gendi particula, ne utrunq; requirere uideatur, ut scilicet album simul & subrubrū,
sed ut singulum probetur, tam id uidelicet quod est albū, quàm id quod est subru-
v11 brum. Nec repugnare hæc mihi uidentur (ut tu dicis) his quæ de armenio dicta
30 sunt, quod scilicet subrufum, & colore ad aurum uergens maxime probatur. Sed
armenij hæ notæ, simpliciter etiā in quouis alio, hoc loco probātur. Vno hic (quan-
tum ad colorē spectat) adiecto, quod album quoq; eligendum sit, si non præ rufo,
v111 præ alijs certe coloribus, & præcipue uario. Quod ad medicinas uero attinet,
prætereundum non est, Melicerida non tam ulceris nomen esse iuxta Galen. & *Meliceris.*
Paul. quàm abscessus: cuius curatio triplici uia cōpleri potest, putrefactione scilicet, *Abscessus triplici uia curari.*
1x discussione, & sectione. Nec putandum concoctionē discussionemq; ita pugna-
re inuicem, ut idem medicamentum utrunque non possit efficere: sicuti necq; faten
dum, suppurationem per res calidas, discussionem per frigidas perfici. Nam cum
utraq; operatio calida desideret, suppuratio æqualiter, discussio exigit magis calida. *Suppuratio. Discussio in absce ssibus.*
40 Clariora hæc apud medicos sunt, quàm ut declarari oporteat. Pleni sunt medico-
rum libri medicaminū, quæ utraq; ui pollent. Ferè etiam contingit, ut quod uni cor
pori suppuratorij est, sit alteri discussiui. Et plerūq; in operibus artis uidimus, me-
dicum cōfectura fallente, ut quod suppurādi gratia appositum fuit abscessui, ipsum
x discusserit, atq; ecōtrario. Melius igitur, mea sententia, fuerat utrunq; priuilegiū
integrū amomo permittere, multis iam seculis præscriptum: ut scilicet inflammatio
nes ac meliceridas, non uno eodemq; loco & tempore, sed uarijs uel particulis, uel
temporibus, & concoquere ualere & discutere, uel unius simul abscessus uno atq;
eodem tempore, eam partem quæ discuti ualeret, discuteret: id quod cōtumax ad
discutiendum esset, concoqueret, & in pus cōuerteret: nec mutare Dioscoridis uer-
ba, dicentis: φλεγμονάς τε καὶ μελικηρίδας διαφορῆ. quæ nihil aliud significant, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

inflammationes & meliceridas discutit: uel si magis placet uulgata æditio, addens ἡ πεπαίνει, id est, & maturat: quoniam, ut ostendimus, eadem simul res maturare, & discutere potest.

Ex cap. 15. de Costo. πνεία. AMBIGVA est mihi cap. de Costo interpretatio, pro uoce ἄδηδος, quæ crassum, etiam te alibi interprete significat, speciosum reddens. Et pro καταντλήματα ἢ ὑγρὰ πνεάσεσι, liquida & sicca fomenta: per πνεῖαν enim significari fomenta humida, liquidò patet ex Galeno, in expositione aphorismi 31. lib. 6. Melius quoque meo iudicio fuerat, huic capiti hoc peculiariter indulgere, ut castigationem non pateretur, quàm particulam ἢ in ἢ commutare. Galeno Græco & Auicenna Arabe disiunctiue legentibus, cum aqua aut melle.

Ex cap. 16. de Schœno. NESCIO quare inter medicinas schœni florum prætermissum fuerit, dolores pulmonum potu eorum adiuuari, consentiente ratione & Auicennæ testimonio.

Nec uideo quod supplendum aliquid sit in eo loco, ubi dari radicem iubet cõtra aquam intercutem, & conuulsa, cum pari pondere piperis. Satis enim intelligi potest æquis portionibus eas radices, & piper esse miscenda, nec in huiusmodi medicamentis certũ necesse est modum definire, qui semel dandus sit, sicut in medicamentis purgatorijs, alijsq; in quibus maior quædam existit potestas. Mitto quod discrimen inter lethargum & caron, aliter hoc loco reddis, quàm & per te alibi, & per Galenum & alios medicos proprijs locis reddi solet.

Ex cap. 17. de Calamo odorato. Odorato calamo caremus. ODORATVM calamum, quem tu adeò notum esse ais, ut non sit de eo longius agendum, me nunquam uidisse ingenue fateor. Res enim quæ uulgò prouenditur, non calamus, sed radix: albicansq; potius quàm rufa: nec ex India aut Arabia petita, sed in Europa, uel proxima illi regione (ut ego puto) nascens. Vidi enim & aliàs plerunq;, & semel in Pisonio superioris Pannoniæ ciuitate adeò succosas, & planè recentes huiusce modi radices, ut non nisi proximo loco natæ iudicari possent.

Ex cap. 18. de Balsamo. Dioscorides à Galeno notatus in Balsamo. Balsami succus Galeno calidus in secundo, Dioscoin quarto ordine. BALSAMI succum esse θερμαντικώτατον, scribit Dioscor. tu egregie calidum dicis: quod certe minus est quàm calidissimum, quale ipsum esse, & uox Dioscoridis significat, & Galenus intellexisse uidetur, Dioscoridem in hoc (tacito tamen nomine) notans, quod nimis calidum existimauerit. Cum in secundo ordine calefaciat, cuius ordinis egregia quidem satis uis dici potest, non tamen extrema, qualis in his quæ ad quartum usq; ascenderunt. Scribit idem paulò post: ἔστι δὲ καὶ πεπτικὸς καὶ ὀρεκτικὸς πνεύματος. tu, potus urinam ciet, maturat & concoquit. Ego cõtentus essem uerbo concoquit: nihil aliud (ut mihi uidetur) uolente Dioscor. nisi quod cõcoctionem cibi facit, quæ maturatio præterquã improprie, dici non potest. Magis quoque placuisset, ut semen de quo scribit Dioscor. quod uteri ὑγρασίαν extrahere humiditates diceretur, quàm (ut tu uertis) humores proritare: humoris siquidem uox absolute prolata penes medicos, quatuor illas primas substantias ex cibo primitus genitas designat, sanguinem uidelicet, utranq; bilem, ac pituitam. Mens uero Dioscor. sicuti & Auicenna quoq; intellexit, fuit, ut ei affectui conferret, qui ῥεῦς à medicis uocatur, qui nihil aliud est, quàm assidua muliebriũ locorũ humectatio: quum ex uerbis tuis facile posset quispiam intelligere, quod humores purgaret.

Humoris uox apud medicos. ῥεῦς.

Ex cap. 19. de Aspalatho. IN Aspalathi medicinis magis placet, ut contra pudendorũ (ut Hermol. cõuertit) putrilagines laudetur, quàm ut tu, difficiles purgationes. Purgatio enim (cum de pudendis est sermo) menstruam significare solet. Videtur autem Dioscor. cõmuni utriq; sexui uoce usus, de maris quoq; pudendo intellexisse. Sed & Galeni auctoritas huic parti fauet, ad σπερδύνας utilem dicens, siccitatis ratione.

Ex cap. 20. de Musco. VITIO dandum nõ est uel Paulo, uel librarijs scribentibus, in Pino muscum nasci, si id uerum non sit: sed Galeno potius, cui subscribunt. Nec solum in hac parte, sed etiam in uiribus adstringendi, simul discutiendi, atque emolliendi, quas in uno

in uno eodemq; medicamento conuenire posse, mille exemplis probari potest.

Non magis quoq; agnosco uitium in eo loco ubi primæ partes cedrino, secundæ populeo, nullæ quercino tribuũtur: quandoquidem ubi tria ordine quodam collocanda sunt, primo atq; altero locato, tertij locus absq; alia mentione statim patefit.

Annot. 1 TANTOPERE mihi placet, quemadmodum dixi, in interprete fides, ut tacere nequeam, ἄνθος ποικίλον non colore uarium, sed penè uarium in agallocho signi-
ficare. Nec πᾶσι γορῷ πλάδιν σωμαχὸν, idem posse, quod tu uertis, stomachi aquosos humores siccare. In torminum autem uoce, nescio cur à Celso recedendum, dysenteriam tormina simpliciter nominante. Et si recedendum, difficultas potius intestinorum uocanda est dysenteria, quàm tormina intestinorum: quum σκῶρες intestinis accidentes, intestinorum σκῶρες, id est tormina, etiam Paulo teste dicantur.

Ex cap. 21. de Agallocho. Tormina. Dysenteria.

NASCAPHTHON similem cortici sycamini, id est mori, facit Dioscorides: tu Aegyptiæ sici. Quod certe satis miror, quando & tuipse hoc eodem uolumine sycaminon morum interpretaris. Videtur etiam mihi huius rei mentionem fecisse Theophrastus, licet sub alio, hoc est, nartæ nomine, ut fortè in uulgato Dioscoride pro narcaphthon, legendum sit nartaphthon, quod meliora habent exemplaria.

22. de Nascaphtho.

IN VLTIMA uel penultima canchami medicina prætermissum esse miror, uinum, consentiente præsertim cõmuni lectioni (ut alios taceam) Paulo Aegineta.

23. de Canchamo.

Annot. 1 SVPPOSITITIVM in Dioscoride esse de Cyphi caput, non est cur ex eo suspiceris, quod Paulus inter simplicia medicamenta eius non meminerit: congrue
re enim magis ei usum, ut cum cõpositis locaretur. Nec inter eclegmata, sed inter thymiamata, ceu mediæ existens materiæ inter antidota & trochiscos qui bibuntur, & trifariam in usum ueniens, suffitu, potu, olfactu. Nec illud augere suspicionem debuit, quod cum simplici materia miscenda non uideretur compositio: siquidem non hoc tantummodo, sed uaria & olea, & unguenta, & uina composita, huic libro locis suis uidemus inserta.

24. de Cyphi.

PRIMAS Corycio Croco non dat Galenus eius gratia Corycium antrũ ingressus: quoniam repentino odoris robore & diuturnitate à quibusdam alijs inuenit superari. Tribus enim notis optimũ dignosci ait, ut sit flauum, odoratissimum, & longi temporis spatio proprium uigorem conseruet. Hoc tempore Aquilanum cæteris, non modo Italicis, sed & orientalibus præfertur. Vincitur hoc tamen tantum à Pannonico, præsertim Viennensi, quantum uincit reliqua. Nescio igitur quare tu bonitati coloris ruborem addideris, dicente simpliciter Dioscoride ξύλον esse: & dicente Galeno, illum esse optimũ qui sit maxime flauus. Rei quoq; ipsius ueritas facit, ut codices magis probem, in quibus ἄθραυστον legitur, quàm in quibus ἄῤῥαυστον. Si enim friabile ex seipso esset, cur insolandum diceret Dioscor. ut friabile fieret. Nouerũt hoc & speciarij, in patella illum subinde leniter assantes, ut conteri facilius possit. Non placet etiam ut Siculum ideo uituperetur, quod satiuũ sit: nusquam enim de croco memini me legisse quod de nonnullis plantis, ut satu deterior fiat. Leuius enim degenerare, id quod est satiuum, scribit Plinius: lætius tamen esse, maius & nitidius sylueſtre. quasi his uerbis declaraturus, quare sylueſtre optimum dixerit. Theophrastus odoratius dixit, non melius. Quicquid tamen uel ipsi uel alij scripserint, experiẽtia ipsa nostro tempore docet cultu non degenerare, sed excellentius reddi, & quod nunc cæteris præstat, non esse sylueſtre. Sed nec Dioscoridis uerba id uolunt, λαχανώδης uocantis: quando & inter olera pleraq; sponte nascentia connumeretur. Melius itaque erat oleraceos, quàm satiuos dicere: & quod sic à Dioscoride uocaretur, integrum legentibus relinquere. Phlegmonæ erysipelatodes Gal. sunt, tumores ex phlegmone & sacro igne compositi, uincente phlegmone: in his enim sanguis & bilis inueniuntur uincente in mixtione sanguine, & uicta bile. Quæ miscella non bene exprimi uidetur, per hoc quod dicis,

25. de Croco.

Croci optimi notæ.

Phlegmonæ Erysipelatodes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrorum ignium inflammationes. sed per hæc potius uerba, inflammationes cum sacri ignis portione. sic enim nominat Galenus.

Ex cap. 26. de Crocomagmate. IN CROCOMAGMATE desiderari nonnulla ad fidem spectantia possunt: quale est quod ἀναπλαδήτων in pastillos dicis conformatis: quasi non aliam quàm pastillorum seu trochiscorum formam ualeant aromata illa suscipere. Et σύῤῥης odoratissimum. κροκώδης τὴν χρόαν, colore croci rubens. πλεῖστον multum. Fidelis enim meo iudicio interpres, positiuum in superlatiuum, aut econtrario, hoc in positiuum, non conuerteret.

17. de Inula. IDEO nec in Elenio probo quod ὠμότης longissima dicatur. Magis etiam placeret, ut subalba & subrufa radix diceretur, quàm intus albicans, foris rubens: dicente Dioscoride, ὑπολεύκαν καὶ ὑπόκιῤῥον eam esse. Subesse quoq; librarij cui errorem puto in ea parte ubi ais, ex radice ad consitiones oculos assumi, nulla adnatorum habita mentione: cum tamen tuipse πῤῥαφανίδας, qua uoce ibi utitur Dioscorides, esse nobis adnata, non oculos dicas.

28. de omni oleo. QVAM parum credendum libris, qui Definitiones, & Introductorium Galeni inscribuntur, uel ex hoc patere potest, quod tenuioris & crassioris intestini morbos, inflammationes esse definiunt: qui tamen & ab alijs causis, & à pituita, frigido humore, ut Galenus in seipso expertus testatur, non rarius quàm ab inflammatione contingunt. Non placet eodem de oleo capite, ut δωράμας, id est, uires exulcerantium medicamentorũ, maleficia nũcupentur, ut quæ magno plerunq; sunt nobis beneficio, quoties uel mala caro erodenda, uel bona, uitandi maioris mali gratia exulceranda. Nec putãdum uoluisse Dioscoridem quod oleo perunctum sit, ulcerari quicquam non posse, quemadmodum tu intelligis: sed quod oleum mixtũ ulcerãtibus uim eorũ hebetat, & minus potentem facit: quod & multis locis testatur Galenus.

29. de Elæomelite. IN ELAEOMELITE, nisi plus interpreti licet, quàm sensum autoris reddere, non est addendum, sponte: scribente Dioscor. simpliciter ῥᾳ̃. Et si (ut ego quoq; puto) sponte fluere intellexit Dioscor. non tamen cogimur cõmunem lectionem mutare, pro uoce λίπος, λέπος scribendo. Possumus enim duos liquores in eadem arbore intelligere: unum crassiorem, sponte ex trunco manantem: alium qui ex pingui in surculis latente, sicuti ex plerisq; alijs plantis, arte paretur, minus crassum: & propterea oleum simpliciter uocatum, non olæomel ut primum. Duas autem res indicari ordo ipse demonstrat: in prima enim parte post elæomelitos historiam, eius apponitur medicina: dehinc subdit Dioscor. σκυδάλλεται ἡ καὶ ἐκ τοῦ λίπους τῷ θαλλῷ ἐλαίου. id est uerbum ex uerbo: Conficitur autem & ex pinguedine surculorum oleum. Sequuntur post hæc bonitatis indicia, & demum olei quoq; huius medicinæ. Non difficile quoq; fuerit Plinio hoc capite patrocinari, scientibus esse affectum quendam, in quo simul cum somno uigilia iungitur. Et propterea composito nomine ἀγρυπνόφωμα, soporem uigilatiuum uocari, commixtis simul bile & pituita: quarum hæc somnum, illa uigilias conciliat. Mixtum igitur hunc affectum intellexisse Plinius uidetur, dicens eos qui hunc liquorem biberunt, torpescere, excitariq; crebrò.

40. de oleo Laurino. INTER laurini olei uires ἀναστομωτικὸν reponit Dioscor. id est, ut mihi quidem uidetur, apertoriam. tu laxare ais, rem longe diuersam, & Gal. χαλαστικὸν uocatam.

41. de Lentiscino oleo. IN PAVCVLIS illis de Terebinthino oleo uerbis, subesse errorem puto, uel ipsomet Dioscoride teste, qui capite de Terebintho, calefacere fructus eius scribit: hic uero dicitur oleum ex ipsismet solis fructibus paratum, refrigerare: quare magis probandus inuulgatus græcus codex alter, in quo nulla uirium mentio, sed præparatio tantum Terebinthini olei docetur.

41. de Mastichino oleo. CAPITE de oleo Mastichino non laudo, ut testimonio Pauli, Galenum potius imitati quàm Dioscoridem, Dioscoridis uerba quæ in uulgata æditione hoc pacto iacent,

cto iacent, ὧν πᾶσι τὰ πρὸς τὸ στόμαχον ὠφέλιμα πρόπολις. uel, ut in secunda æditione legitur, ὠφέλιμα πρόπολις σκιῤῥώματα καὶ κοιλιακὰ καὶ δυσεντερικά, ita mutentur, ut uerbum σκιῤῥώματα in κηρώματα transeat: ex emolliendi enim ui adstrictoriæ iuncta, habet Mastiche, ut duritiebus uĕtriculi cõueniat: durities siquidem quatenus durities est, emollientia: quia autem in uentriculo est, adstringentia desiderat. Ductus quoq; ipse uerborum admittere nequaquam uidetur, ut morbi cum medicamentis, sub eodem loquendi modo contineantur, ut scilicet mastichinum oleum facere ad uteri affectus & ad cerata dicatur. Quanto illud concinnius, ut seruata communi lectione, conferre ad uentriculi durities intelligatur, quàm ea mutata ad ceromata.

Mastiches facultas.

10 Annot. 1 CVM uaria sint mala quæ serpũt, tutius esset, hoc quod peculiari nomine ἑρπετὰ Græci uocant, non absolute nominare malum quod serpit, sed uel addere, *per eum*, uel potius ipsa græca uoce uti, quum sint apud Gal. herpetes quidã qui nõ serpũt. Placeret eodẽ de Melino unguẽto cap. ut quod in uulgatis græcis codicib. legitur ψωρώδη ἕλκη, scabiosa ulcera dicerent, nõ diuisa cõstructiõe, ulcera & scabies. Alioq nõ uideo quomodo profundiora ulcera possint melino hoc unguẽto sanari.

Ex cap. 46. de Melino unguento.

Herpetes non semper serpere.

IN CALCE Telini unguẽti, seruanda cõmunis lectio est, quæ trium sensuũ examine electionẽ eius facit, odore, gustu, tactu: emturientibus enim probare tribus his uenales res cõcedunt, qui uendunt, non uirium experimẽto, atq; tali præsertim, quod longũ exigat tempus: atq; si fortè capillis careat emptor, impossibili. Apposita uero unguento manu, eáque naribus primo, dehinc palato admota, exiguo temporis spatio tribus indicijs unguenti bonitatem glaber quãtumuis emptor experietur. Sed etsi huius rei mẽtio facienda erat, quod scilicet capillos abstergeret, inter alias medicinas erat facienda: sicut & eo quem tu affers loco, cap. de fœnugreco, cæteris potestatibus hæc coniungitur, ut capillos, furfures, & achoras abstergat.

48. de unguento ex Fœnugr.

53. de Lilino unguento.

Annot. 1 LICET superius quoq; dixerim, non placere mihi ut τὰ γυναικεῖα, ad menses solum referãtur, non possum tamen & hic tacere, quod scribente Dioscor. susinon unguentum referare uteri præclusiones, inflammationibus utile esse, & in uniuersum utilissimum omnium esse ad muliebria: non esse coartandas eius uires ad menses tantum, sed relinquendum integrũ legentibus, ut ad reliquos quoq; muliebres affectus utilem ualeant intelligere. Simile quoque & hic & alibi peccatum (ni fallor) cõmittitur in uoce ἐξανθημάτων & ἐκζεμάτων, generali earum uocum significato, ad capitis tantum pustulas cõtracto. Posse autem exanthemata in quauis corporis parte fieri, ex tuis hoc capite dictis colligi hoc modo potest: Vari (ut dicis) sunt cicatrices pustularum, quæ in pueris toto corpore, præsertim in uultu fiunt. Pustulas uero quas uari sequuntur, esse putas exanthemata. Sequitur igitur, ut sicuti uari in toto corpore fiunt, ita exanthemata. Non tamen, si Galeno credimus, putandum est ἴονθους, quos tu Plinium sequutus uaros uocas, esse callum uel cicatrices ex pustulis relictas: sed rem proprij generis, duros uidelicet & paruos tumores, à crasso humore in cute faciei cõsistentes, mollientibus ac discutiẽtib. medicamẽtis curãdos.

IN LIGVSTRINI unguenti confectione, non intelligo quo pacto incertæ olei mensuræ, certus adijci possit aromatũ modus. Sic enim incipis: Sumito eloti acerbi olei quam uolueris portionem. Accipiam, postquam hanc mihi concedis portionem, testatem, olei libellam: quomodo capax hæc fuerit librarum paulò minus decem & septem? Quod si dixeris, addendas ad hanc libras olei nouem & quincuncem: nondum ne summa quidem ista sufficiet; decem enim libræ olei, 17. aromatũ nunquam capient. Adde quod paulò post in 28. huius olei libris, libræ 40. florum apponuntur, unde enim auctum est oleum? Error igitur absque dubio est in capitis initio. Licet enim quãdoq; per portiones indeterminatas à medicis aliquæ cõpositiones describantur, ubi tamen semel à portione cœptũ est, oportet reliqua ex proportione, nõ ex certo numero metiri. Quare & hoc loco magis probãdus nouus codex, quẽ

16. de Ligustrino unguẽto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam Hermolaus sequutus uidetur, partem unam olei accipiens, & aquæ unam & semissem.

Ex cap. 57. de Irino unguento

HAEMORRHOIDES licet res præter naturã esse, uel nomine ipso uidean- Ann.
tur, non minus tamen quandoq; utiles sunt, quàm sanguis, qui quod singulo mense exire à muliebribus locis debet, menstruus uocatur. Scribit enim Hippocrates, his qui atra bile uel renũ uitio uexantur, hæmorrhoides superuenientes bono esse: & cõsuetis eas pati, nisi unica seruetur, periculum esse aut tabis, aut intercutis. Non est igitur mirandum, si inter Irini unguenti remedia, id quoque numeratur quod hæmorrhoides aperit. Scribit eodem cap. Dioscorides, dari idem unguentum 11
πρὸς τραχύτητας ἀρτηρίας: tu faucium uertis asperitates: cum tamen arteriæ nomen, 10
non fauces, sed (ut uerbo tuo alio in loco utar) animæ canale significet. Fauces uero nostris sint, id quod Græcis φάρυγξ.

58. de Gleucino unguento.

CAPITE de Gleucino scribit Dioscor. κινεῖ ἐπὶ ὧν ἡμέρας λ'. δὶς δὲ ἡμέρας. id est, mouetur diebus XXX. bis in die. Ad quem modum etiam loquitur Galen. lib. 8. de cõpos. med. secundum loca. Tu uero (nescio qua de causa) scribens, triginta diebus omnia miscentur, nullam, quod bis in die moueri debeat, mentionem facis.

59. de Amaracino unguento.

INTER Amaracini unguenti uires πυρωτικὸν numerat Dioscor. tu his uerbis Ann.
latinam facis, Calore fouet: minorem meo iudicio faciens, quàm sit ignis uis, à qua uox illa græca deriuatur: alioqui quis nesciat, si calefaciendi uires habet, ut prius dixit, quod calore fouet? Maiores uero ei uires adesse uoluisse Dioscor. ex eo constat, 20
quod conferre fistulis scribit. οἰδήματα etiam medicis rarò omnes, sed laxi plerunque & indoloroi tumores sunt, à pura pituita geniti. Et propterea aliquid adhuc addendum est, ubi discutere durities & tumores uteri, Amaricinum dicitur, quod pituitosos tantum tumores faciat nos intelligere.

οἰδήματα.

61. de Hedychroo unguẽto.

HEDYCHROVM magma componere docuit post Andromachum Galenus, post hunc Paulus & reliqui, ubi Theriacen, quæ dicitur, cõponunt: mutato tamen in barbaris libris, ut plerũq; sit, hedychroi nomine in alindaracaron. Tanti autem & fuit & esse nunc debet, quãti Theriace, quæ absq; eo parari non potest. Galeni autẽ confectio, si olea demas, non multũ abest ab Amaracini unguẽti cõfectione.

62. de Metopio.

LIGNVM ex quo fit chalbanum, metopium uocari ait Dioscorides: tu arbo- Ann.
rem ex qua stillat, diuerso sanè, uel reipso teste, significato, qui ὀπὸς, id est liquorem, uocas eum qui non per se destillat, sed secta arbore exit. Esse autem chalbanũ ὀπὸς, 11
constat ex Dioscor. lib. 3. Et quod ille ait parari ex amygdalis amaris, tu ex oleo 11
ex amygdalis amaris expresso. Et χελᾶ, mollit: improprie (ut mihi uidetur) hæc 111
omnia conuertens.

65. de Cinnamomino unguẽto.

IN CINAMOMO, quod pro ἄγαν πικρὸν, id est, ualde amaro, amarissimum: Ann.
pro σφόδρα δριμέιαν, id est, uehementer acri, acerrimum: pro μαλακτικὸν, aptissi- 11
mum ad molliendum, pro eo quod est apte facit, efficacissimum est, reddis, nequa- 111
quam probo. sicuti nec uocem πικρὰν, mutari in πεπτικὴν. Nam si qua mutatio 111
ex coniectura facienda est, in πυρωτικὸν potius uidetur facienda, hoc modo: Potestatem habet uehementer acrem, calefaciendiq;, & urendi: propterea aperit, discutit, diffundit, & reliqua. Ducunt me ad hanc cõiecturam, quæ ab eo paulò infrà dicuntur, scilicet adiectis oleo, cera & medulla, leniri eius acredinem, qua in comburẽdo, durandoq; reliquis crassis unguentis præstat. Nec placet ut uerba πρὸς τὰ ῥίγη καὶ πρὸς τοὺς τρόμους, hoc est uerbum ex uerbo: Et ad rigores qui per circuitũ fiunt, & ad tremores: in hæc cõuertantur: Inungũtur eo] in accessione circularium febrium contra earum cum tremore algores.

66. de Nardino unguento.

IN PROBATIONE Nardini unguenti, probare non possum probatissimum illum tuum codicem, in quo pro πεπτὴν, λιτὴν legitur. Quis enim credat, cum à Nardo nardinũ unguentũ nomen capiat, eligendam in eius confectione ignauam nardum?

nardum? præsertim dicente ipsomet Dioscor. ea magis cõmendari, quæ rem à qua nomen capiunt, magis redolent. Sed ut probatissimo illi tuo codici id uerbum condonemus, quomodo reliquis tua respondebunt? legendum enim erit sic ad uerbũ: Est autem optima ignaua, non acris, bene olens ut sicca nardus aut amomũ. Te uero uertente probatur in nardini unguẽti confectione nardus, quæ non adeò præcipua, acrimonia careat, & siccæ nardi aut amomi odorẽ referat. Nam ut mittã, quod nulla in Dioscor. confectionis nardini unguenti hic mentio, quis putet nardum ignauam siccæ nardi odore esse, cum sicca sit longe quàm humida odoratior? aut quàm ignaua hæc fuerit doctrina, ignauam nardum per siccam nardum (quam & ipsam 10
ignauam esse oportet, si ignauæ est similis) faciens cognoscere? Quanto igitur melius ex fœmina hermaphroditũ, hoc est neutrum, facere, quàm seruato genere fœminino uigorem ferè omnem, & masculinum robur unguẽto auferre, & uerba in græcis exemplaribus non inuenta superaddere. Non ab re autem laudare uidetur id quod aridæ nardi odorem habet: quoniam, ut diximus, arida, sicut pleraque alia, est odoratior: legendumq; & λεπτὴν, non λιτήν. Ex hoc colligi potest, quod paulò post hoc unguẽtum nisi resinam habuerit, liquidum esse dicit, ut intelligamus id cui addita resina fuerit sicuti minus tenue, ita minus bonum reddi: & hac de causa inter bonitatis notas positam tenuitatẽ. In quo loco fœmininis quoq; uocibus Dioscutur: quas cum in neutras cõmutaris, non uideo cur citra culpam non potuerit eadem quoq; mutatio superius fieri. Quare autem fœminino genere toto hoc capite utatur Dioscorides, alijs cogitandum relinquo.

Annot. 1

IN CALCE capitis de Iasmino, scribit Dioscor. βαρυτέραν ἔχειν τὴν ὀσμήν. id est ad uerbum: Grauiorem habet beneolentiã. Tu alio (ut mihi uidetur) sensu transfers, Ingrata in eo odoris nimia bonitas. Esse enim quosdã odores graues, & Theophrastus & alij testantur. Vnum est haudquaquã prætereũdum, priusquã unguẽta relinquamus, te in plerisq; (ut tu ex Columella uocas) spissamẽtis, ubi in uulgatis codicibus χίνα est mentio, χοῖνα cum legas, odoratũ rotundum iuncum transferre: quum ratione non careat, lentiscũ intelligendam, ut in qua maior adstringendi uis, quàm in hoc iunco, leniter tantum (ut Dioscait) adstringente: & cum odore 30
præstet, odorandis potius, quàm spissandis unguentis, idoneo.

Ex cap. 68. de Iasmino ung.

Annot. 1

ANDROMACHVS in Theriaces cõpositione myrrham crassam probat: unde fit, ut cõmunem lectionẽ probem, secundæ bonitatis myrrham, λεπτὴν, id est tenuem, non λόβακὴν, id est albam. Desiderare enim uidetur Andromachus eam quæ optima sit & primæ notæ. Inter reprobatas myrrhas enumerat Dioscamineã, tu mineã uocas: sed hãc cæteris Troglodyticis præfert Gal. ceu odoratissimã, & præcipuum hoc habentẽ, quod in balsamũ non mutatur. Eas enim quæ in balsamũ mutantur, si intra corpus sumãtur, uenena esse. Et propterea mineam præ alijs cõmendat, ceu præter odoris excellentiã periculo carẽtem. Mutãda ergo non uidetur communis lectio, ne cogamur fateri Galenũ à Dioscdissentire. Inter myrrhæ uirtutes scribit Dioscor. περαίνει γὰρ καὶ χρονίους καταῤῥόους σκληρύνουσα πῶρον τῶν μυξωτήρων. hoc est, lenit antiquas destillationes inuncta alæ nariũ. Tu uero (nescio quare) addis destillationibus nariũ: quod nec dixit Dioscnec est rationi cõsentaneũ: naribus enim inuncta, caliditate sua & acredine proritare ad eas humores aptior est, quàm sistere. Eaq; de causa diuturnis fluctionibus ad pectus est idonea, ceu aliò materiam ad pectus defluere assuetã distrahens. Quod uero de parte nasi quadam inungẽda præcipit Diosctu ad instrumentũ quo inunctio faciẽda sit referens, ais: Inũctis pennа naribus: sensu (ni fallor) mẽti autoris & seriei sermonis minime cõgruente. Verba Dioscσκληρύνουσα πῶρον τῶν μυξωτήρων. id est, uncta parti cuidam nasi πῶρον uocatæ, ei uidelicet quæ in ima parte sphæri, sola utrinq; instar pennarum mouetur. Vocari autem eam πῶρον seu πῶρύγιον (ut Pollucem & alios mittã) testatur Gal. lib. 11. de

69. de Myrrha.

Universidad de Deusto
Biblioteca

usu particularum. Quod de Bœotica myrrha in uulgatis codicibus legitur, gra v
uissimum habet in medicina testem Galen. lib. 8. de simplic. medic. easdem illi uires adscribentem, quas Dioscorides. Quo fit, ut tanquam legitima proles seruanda hæc pars, non quasi abortiua uel spuria exponenda, aut reiicienda sit.

Ex cap. 70. de Styrace. STYRACEN Catabaliten, Pisidiacon & Cilicium laudat Dioscor. Tu quia Annot.
nullibi scis esse locum qui Catabala dicatur, autoritate Plinij Catabaliten in Gabaliten mutas. Ego in Calamitem, si qua mutatio faciēda, libentius mutarem, Galeni de Antidotis testimonio, cui plus in hoc tribuo quàm Plinio. Quanquā locus etiam Plinij corruptus esse potest. Inquit enim Gal. è Pamphylia ferri Styracen, intra ca-
Styrax calamites. lamos (quam ob rationē quidam etiam nostro tēpore pharmacopolæ Calamitem 10
uocant) tanto reliquis præstantem, quāto Phalernum uinum à cauponibus uendito. Qui quidem styrax sit colore pallidissimus, odore & gustu uehementissimus. Scimus etiam Pisidiam ac Ciliciā proximas Pamphyliæ, hancq; procul abesse à Syria & Phœnice, ubi est Gabala ciuitas. Inueniri quoque scribit Dioscorides 11
lachrymam gummi simílem splendidam, σμυρνίζοντα, id est, myrrham referentem: tu myrrhæ odore conuertis, quasi colore, sapore, substantia, alia ue re quàm odore non possit myrrhæ simile aliquid intelligi.

71. de Bdellio. Saraca urbs. SI ALIA non cogit ratio, quàm nullum fuisse Saracenorū nomen dum hæc Annot.
scriberet Dioscor. cōmunem ego lectionem non mutarem. Siquidem Saraca urbs, à 20
qua Saraceni, teste Stephano, dicti, in Arabia post Nabathæos exitit, penes quam credi potest arbores gigni, quarū Arabicum Bdellium lachryma sit. Inter nos 11
tas probati bdellij, sic scribit Dioscor. ὀυδὲς γὰρ τῇ θυμιάσει ὅοικεν ὄνυχι. quæ uerba sic latina reddis, Cum incenditur odoratū, & humano ungui colore simile. duo addens uerba, scilicet humano, & colore: quæ ad alium trahūt sensum, quàm quem Dioscor. uerba uel faciunt, uel facere possunt. Duplex enim sensus ex illis intelligi potest: unus, ut bdellium quum bene odoratū sit semper, incensum sit ungui simile: alter,
Vnguis odoratus. quem Hermol. est sequutus, quod dum incenditur, odore similatur ungui. Scimus uero, uel ipsomet Dioscor. docente, in paludibus Indiæ odoratum unguem inueniri. Vtrunq; autem sensum tua tollit interpretatio: in qua idem tu quoq; peccasse uideris, quod in alijs dānas, quod scilicet ex Plinio potius, quàm ex proprijs uerbis, sen- 30
sum uolueris Dioscor. aucupari, scribente Plinio, Bactriano multi candidi ungues.

71. de Thure. THVS quod artificio rotundatū, atq; ei quod natiuam habet rotunditatem red Annot.
ditū simile, ab his qui eo pacto afformarūt, nomine quoq; sicut figura fallere cupientibus, ἄτομον potius, quàm ὄγκομον nuncupari uerisimile est. Et propterea antiqua lectio mutāda minime uidetur, quæ ἄτομον uocari dicit. Primū enim masculum uocatum, est uerè atomū potius quàm dicatur: factitiū uero hoc ecōtrario cum non sit, falsò tamen atomū nominatur. sicuti, si tuæ castigationi standum est, etiam stagiron. Quo pacto uero sit atomi uox Latinis reddenda, haud satis mihi constat: non enim uideo quid ei bonitatis accrescat, si nihil ab eo derasum, desectū, ablatum ue fuerit, aut quid ab eius præstātia tollatur, si qua particula auferatur, cum possit aliquid de- 40
radi, quod si adsit, minus illud spectosum & efficax reddat. Quod rheo barbarico, alijsq; medicamētis quotidie cōtingit: sed & gēmis, atq; omnib. ferè, quę ad usum hominis ueniūt. Si indiuiduū quoq; dixerimus, nescio an mentē Dioscor. exprimemus.
ἄτομον. Ego, si uertēdus à me esset hic locus, non sectū dicerē: sicuti enim quæ Græci ὄγκομα,
ὄγκομον. Latini appellant insecta, ita quæ illi ἄτομα, possumus uocare nō secta: nec hoc à tua interpretatione multū abest, licet aliā in appēdice primi libri uidearis habere sententiam. Posset fortè, nec absq; ratione, insectile, hoc est, quod facile secari nō potest, intelligi. Id enm quādoq; significari ea uoce, lib. 5. primæ philosophiæ scribit Aristot. 11
De eo quod est secūdæ bonitatis, sic scribit Dioscor. δεύτερόν ἐστι ὁ ἀρραβίας, ἢ ὁ ψιλῶ, ὃν ὄνιοι κωπίσκον καλοῦσι, μικρότερον ἢ κιββότερον ὄντα. hoc est uerbū ex uerbo: Secūdum

dum locum habet Arabias, & quod in Smilo, nōnulli Copiscon uocāt, minus & rufius existens. Tu uero proprīū magis, quàm autoris sensum, ut mihi uidetur, sequutus, ita cōuertis: Secūdæ bonitatis est quod orobiā & melioton appellant, quātitate
III minimū, colore uero maxime rufum. Inter medicinas mihi nō probatur, quod & suprà noratū est, ut arteria fauces dicatur: siquidē arteria trachēa, id est aspera uo- Arteria.
cata, est canalis animæ, aërem ultro citroq; ad pulmones ferens: fauces ad os perti- Fauces.
IIII nēt. Nec quod in secūdo modo cremādi thuris perforari æneum uas ad fuliginē
V colligēdam prætermittatur. Sicuti nec quod uerbum φάγνυτ, in uerbū frigitur,
10 cōuertis, obuio existente uerbo, torretur, quod græco melius, ni fallor, respondet.
KOIAΩMATA nescio an rectè dicantur concaua ulcera, cum sint (Paulo te- Ex cap. 73. de
ste) bothrio quidem latiora, minus autem profunda. Thuris cortice.
THVRIS mannā φύχονδρον laudat Dioscor. tu thuris micis grumosa. Quod ne- 74. de Manna.
scio quomodo puluerī, pollini ue possit cōuenire. Non enim māna, sed thus ipsum fuerint grumosæ illæ micæ: frustraq; laborarēt interpollatores giri, uel excribrata resina, aut cōtuso thuris cortice, quæ omnia grūmis carēt, eā adulterātes. Hæc quoq; ratio facit ne Hermol. probē, cartilagineā intelligētē, & propterea ad tertiū chondri significatū pulsus, alicæ simílē intelligerē, nisi uiderē 3. ab hoc præcedēte, & proximo seq. cap. per chōdrū, thuris portiūculā significari eā, quę ueluti callus nucleus ue est.
Annot. I PICEAE & tedæ folia lenire inflāmationes absolute scribit Dioscor. Tu (nescio 76. de Picea.
20 qua ex causa) generalem inflāmationis uocē ad uulnera cōtrahis. Scribis enim, uulnerū inflammationes lenīūt, & tuta ab inflāmationib. ea seruāt, Dioscoride dicēte,
II φλεγμονὰς πρωτογενῆ ἐν τραύμασιν ἀφλέγμαντα διατηρεῖ. De Dadio scribit Paul. pro
III priū caput, propterea certi generis res esse uidetur, nec omnis materia harū arborū
δαεδίος uel δαεδίον esse secūdum Paul. ἀσαλθὲς eodem cap. nō ἀσαλθημα legendū,
IIII & series & res ipsa ostendit. Ait enim: ἀσαλθὲς δὲ ἵνα αὐτῶν γίνεται εἰς ἀνώπωσ σκυασίας.
πτίλωσις, si Paulo potius quàm libro definitionū credimus, crassities quædam pal- πτίλωσις.
pebræ est, callosa, rubra, quam plerunq; pilorū casus consequitur. Auic. silac uocat.
SI VOX πυρὰ ab igne deducta, significare id cōsueuit, quod adeò aridum est, 77. de Lentisco.
30 ut igne torrefactum uideri possit: quod significatum & tu agnoscis: capite sequenti
Annot. I expungenda non erit, sed eius loco, arida uel torrida Latinis reddendum.
TEREBINTHI fructum ἄειρυ, id est optimū ad Venerem, dicit Dioscor. Tu 78. de Terebintho.
II Venerē adiuuare simpliciter scribis, nihil addens per quod præstantia eius hac in re
III ostēdatur. Vbi uero diffijcere resinam omnē ait, tu collectiones addis. Verbū quoq; καίειν, quod urere significat, coquitur cōuertis, alio omnino significato. quod magis mirandum, quādo paulò post, eiusdem uerbi plurale καίουν, tuipse uruntur, uertis, addita &, particula, ut uidelicet intelligatur ustionē quoq; hoc loco doceri.
Annot. I ΘANÁΣIMA φαρμακα, hoc est, letalia medicamenta, ea Dioscor. esse ais, quæ in 79. de Picis liquida.
medicina usum quidem aliquē habent, per se autē letalia sunt. Quod ego non pro-
40 bo, cum uenena ipsa quæ totis substantijs uenena sunt, pharmaca quoq; dicantur,
& mortalia pharmaca. Eodem etiam modo phthisis nomen nimis contrahere Phthisis.
II uideris, dicens Græcos ea uoce tantū uti in his in quibus à capite in pulmones descendens destillatio, eos exulcerat. Galen. siquidem librum Epidemiarū exponens, phthisium duas esse scribit maximas differentias: unam, quæ ex fluctionibus à capite contingit: alteram, quæ ex proprijs pulmonis affectibus trahit originem, maiori quidem ex parte ob sanguinis sputum, præcipue ubi uas fuerit perfractum. Quan- Phthisis species duæ.
III doq; tamen fluctionem aliunde quàm à capite recipiente uiscere. φθόη uero, φθόη.
eodem Gal. 7. aphor. lib. teste, Græci, præsertim Athenienses, proprie uocāt, uniuersi corporis cum exigua febre extenuationē, pulmonis insanabilia ulcera conse-
IIII quentem. ἐμπυήματα Hipp. & Gal. sunt, non solum purulentæ (ut ais) excreationes, quæ sanguinis sputū sequuntur, sed quādoq; omnes suppurationes, sæpius

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen puris inter thoracem & pulmonis effusiones.

Ex cap. 80. de oleo Picino. ALOPECIAM non bene definiuit (quisquis ille fuit) qui librum definitionū composuit: color enim, Galeno teste, in alopecia, aliquando ad album, aliquādo ad nigrum, aliquando ad flauum, iuxta uidelicet dominantis humoris naturam inclinat: ille uero uergere semper dixit ad aurum.

86. in fine ex positiōis de Naphtha. SANGVINIS thrombos, non in uesica tantum, sed in utero, uentriculo, alijsq; humani corporis cauitatibus posse coagmentari, & medici testantur, & experientia comprobat. Sed in aneurismate quoque gigni posse, Galenus in lib. de tumoribus præter naturam, scriptum reliquit.

87. de Cupresso. Adstringentia aluum urinas mouent. NON erat ut magnopere dubitares, & subesse mendam suspicareris, si cupressi folia adstringendi uim habentia, urinæ angustijs opem ferre dicātur. Non nouum est hoc, atq; huic tantū rei peculiare: sed ferè euenit, ut quæ adstringendæ aluo sunt, urinas moueāt: dicente Hippoc. urina multa noctu facta, exiguū secessum indicari: & econtrario. Vtrasq; etiam uires paulò infrà Paliuro adscribit Dioscorides, & alijs plerisq; alijs medicamentis: alioqui cupressus acredine quadam participat & calore.

88. de Iunipero. IVNIPERVM nescio quare scribas cupresso similem, tacēte hoc Diosc. nec re ipsa multam similitudinem ostendente: sicut nec fructus in eo apud nos quidem, quos ego meminerim uidisse me, apparet, qui nuci maiori uel minori, aut fabæ uel magnitudine, uel forma respōdeat: sed magna ex parte ciceri potius, qui est odoratus, & dum manditur dulcis, & postea subamarus: ut mirari etiam subeat, quare scribente Diosc. γλυκὺς φὼ τῷ ὀδμασάσθαι, dulcedine tacita, in commanducando odoratum dicas, ratione ipsa & experientia contestante, odorem ei adesse antequam manducetur, & dulcedinem primo ostendi dum manditur, deinde lenem quandam amaritudinem, suffituq; potius ostendere odorem quàm dum estur.

89. de herba Sabina. INTER uires Sabinæ sic scribit Dioscor. ἀφαιρεῖται τὰ μελανίας σὺν μέλιτι καταπλασόμενα, καὶ τὰς ἐνπύους ἰᾶται ἕλκη φαγεδαίνας ὑδρωπικά. σὺν οἴνῳ πινόμενα καὶ αἷμα δι' ἕδρας ἄγει. quæ sic ad uerbum mihi sonant: Expurgant etiam cum melle illitæ nigrities, atque sordities, & carbones auferunt, cum uino potæ, sanguinē per urinas agunt. Tu uero ita uertis: Ex melle itidem illita nigredines abstergunt, sordesq; alias cutis, carbunculorum crustas ex uino impositæ exterunt, & cum urina sanguinem pota ducunt. In qua interpretatione illud in primis non placet, ut quod sordes ille dixit, tu alias cutis sordes dicas: ex hoc enim loquendi modo intelligitur etiam nigrities sordes esse, & cutis tantum dehonestationes, non morbos ab eo intelligi: cum tamen Galen. denigrata potius, & ualde sordida ulcera intellexisse uideatur, carbunculos etiam cum eis cōiungens, amoueri eos ex ipsa cum melle appositæ dicens, nulla de crustis mentione habita, uel de uini commistione. Alioqui series ipsa Dioscor. aperte ostendit uinum ad sequētia referendum, per quod bibitæ sanguinem per urinas pellunt. licet mala per commata distinctio aliud præ se ferat significatum.

90. de Cedro IN CEDRO unicus tantum locus est, quo offendor, in quo aduerbium αἰσθητῶς, his uerbis, ut in homine sit, circumloqueris: cum esset longe facilius per aduerbium utiliter, exprimere. Sensus enim Dioscor. est, oleo cedrino utiliter, hoc est uehementer perfricando inuncto, scabies quadrupedum sanari. Quem, iudicio meo, tua uerba minime assequuntur.

91. de Lauro & Lauri baccis CAPITE de Lauro, nescio quare quod cōiunctim ipse Diosc. dixit, cum pane & polenta, à te disiunctim dictum sit, cum pane polenta'ue. Et participium πιοῦσαι, id est pota, in participiū deuoranda cōmutaris. Odorati adiectionem in ultimo remedio tacueris, quam præter Diosc. Galen. Paul. cæteri uino cōiungunt.

Non ab re autem ambigis in uerbo πραΰνῃ, quod lenire seu mitigare cum significet, aduersari uidetur his quæ sequūtur: quæ enim stomachū leniūt, uomitiones potius sedant quàm mouēr. nisi fortè quispiā dixerit, leniri stomachū nauseantem atq; angustias

angustias inferentem, uacuata per uomitum materia, quæ molestiam faciebat, Auicenna mollire dixit.

Ex cap. 91. de Platano. PLATANVM compescere oculorum fluctiones scribit Dioscorides. Postea addit: Leuat autem & laxos tumores, & inflammationes. Tu uero generale de tumoribus dictum, ad oculos tantum coarctas.

93. de Fraxino. DE FRAXINO ita ad uerbum scribit Dioscorides: Fraxinus arbor est nota, cuius foliorum succus & ipsa folia cum uino pota & illita morsis à uipera opitulantur. Tu hoc pacto interpretaris: Folia autem, foliorumq; succus, illa illita, hic potus, uiperarum morsibus subueniunt.

49. de Populo albo. SIC SCRIBIT capite de alba Populo Dioscorides: τὰ δὲ ἐπὶ τῶν ἐμβλαστησάντων φύλλων σφαιρία. hoc est, ut mihi uidetur, Pilulæ quæ in germinatione foliorum gignuntur. Tu alio sensu uertis: Conuoluta in orbem pilulæ modo in prima germinatione Populi albæ folia.

96. de Vlmo CRASSIOREM ulmi corticem cum uino aut aqua frigida potum, educere pituitam scribit Dioscorides. Tu addis ambobus, hoc est, uino & aqua frigidis. quod nec ille dixerat, nec Serapion aut Auicenna intellexerunt. Sed nec in melioribus codicibus aliqua est frigiditatis mentio.

98. de nigra Populo. DESIDERO (quod aliàs sæpe dixi) in Interprete præcipue fidem, & propterea exigui aliquando momenti res prosequor: qualis hæc est, quod quum dicat Dioscorides, Populi nigræ folia ex aceto imposita, podagricos dolores iuuare: tu utiliter imponi podagricis dicis. quod certe aliud est: utiliter enim podagricis adhibentur non solum quæ dolores leniunt, sed & quæ uel repellunt, uel discutiunt, uel emolliunt eorum tumores.

101. de Tamarice. FRVCTVM fert, ais, Tamarix, quemadmodum & florem, concretione sua muscosum: sensu, ut mihi uidetur, à Dioscoride, & re ipsa diuerso. Inquit enim: καρπὸν ὅμοιον αὐθῳ φέρουσι βρυώδεις. id est, fructum ueluti florem ferens muscosum. ut uoluerit Dioscor. non florem describere, sed fructum qui similis flori sit: id est, qui flos potius quàm fructus uideri possit. Nec placet quod eodem cap. eandem uocē καρπὸν, primo fructum, postea semen conuertis: licet enim utrunq; significet, credi tamen facile possit à minus perito lectore, fructus aliud quàm semen. Videtur autem secundo loco fructus nomen magis conuenire quàm seminis, quum gallæ similis dicatur, quæ fructum potius quàm semen repræsentat. Nec placet etiā, quod & suprà tetigi, ut οἰδήματα simpliciter tumores dicantur: tumoris enim nomen per se semper generale est phlegmone, erysipelati, œdemati & scirrho. Oedema uero, Galeno (præter cæteros) teste, ut plurimum laxus tantum, & absq; dolore tumor est, ex simplici pituita factus. Foliorum ex uino decoctum si bibatur, lienem liquare, ait Dioscorides: tu minuere dicis, alio certe, ni fallor, significato.

Tumor. *Oedema.*

106. de paliuro Bubones. Phymata. Phygethla. BVBONES, phymata, & phygethla, adenum esse affectiones, scribit Galenus, eo inter se differentes, quod bubo phlegmone absolute est: Phyma statim ab initio augescens, ad suppurationes tendit: Phygethlon uero est uel phlegmone erysipelatodes, uel erysipelas phlegmonodes. Quæ definitiones non in totum congruunt his quæ cap. de Paliuro per te scripta sunt.

107. de Oxyacantha. OXYACANTHA fructū ferè myrto ἐμφερῆ, id est similem, ait Dioscorides: tu æqualem reddis: cum tamen similitudo & æqualitas inter se differāt: sintq; multa æqualia, quæ nō sunt similia: multa similia, quæ non sunt æqualia. sicut alio quoque loco suprà ostensum est.

108. de Cynosbato. OPTAREM ut spinas Cynosbati, quas ἰσχυρὰς dicit Dioscor. fortes, robustas, uel duras absolute dixisses, non durissimas.

109. de Ligustro. FRIGIDVS certe sensus Dioscor. erit, si more tuo legamus, ligustrinū unguentum calefacere, admixtis quæ calefaciēdo sunt. Si uero legamus uerbum ex uerbo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

unguentum ex eo paratum calefacit, neruosq; emollit, si quod ei smigma adijcia-
tur, quod feruidam igneamq; uim habeat.

Ex cap. 110. de Tilia. NON prętereundum profectò erat caput de Tilia, quo pacto folia, quæ adstrin
gendi ui pollent, non solum urinas, quod tu in iunipero admirabaris, sed & men-
ses mouere dicantur.

111. de Cisto. CAPITE de Cisto, uel nihil, uel unicũ uerbũ deesse mihi uidetur, si uerba ex si
de reddãtur, hoc modo: Flores ut punica, fœminæ albi. Intelligemus enim in mare
flores colore punicæ, in fœmina albos: addemusq;, si subintelligi non poterit, quod
Hermol. fecit, primæ parti, *mari*, figurã tacentes, quã nec nominat, nec innuit Dioſc. 10

113. de Ladano. FOLIA Ladi adstringendi uim habere, omniaq; posse quæ Cistus, scribit Dio- Ano-
scor. Tu uero ad pinguitudinem hæc refers, de qua paulò infrà agit Dioſc. 11
Anodyna. dyna quæ uerè anodyna sunt, non somno, sed temperato calore tenuiq; substantia
dolorem leuant, teste Galeno 5. lib. de simplicibus medicamẽtis. & propterea me-
lius erat simpliciter dicere, Ladanum utiliter misceri his quæ dolorem leuant, & his
quæ tussim, ac malagmatis: quàm ut tu, Miscetur utiliter his quæ somno dolorem le
uant malagmatis, & contra tussim medicamentis: dicente Dioscoride, καὶ πρὸς αὐτὰ
ὀδύνοις καὶ βηχικαῖς καὶ μαλαγμασι χρησίμως μίγνυται.

114. de Ebeno. ΞΗΡΟΦΘΑΛΜΙΑ, hoc est, arida lippitudo, est, ait Paulus, pruriginosus ocu
li affectus absq; fluctione. Ψωροφθαλμίαν uero, id est, scabiosam lippitudinem, desi- 20
nit pruriginosam palpebræ scabiem, à salso ac nitroso humore factam: cuius senten
tiam si sequamur, non erit xerophthalmiæ scabies, quemadmodum tu fecisti, asso-
cianda, sed psorophthalmiæ, quod & græcæ ipsæ indicant dictiones.

115. de Rosis. ROSAS siccas magis adstringere quàm recentes, & ratio, & experiẽtia, & Dio Ano-
scoridis, ac reliquorum medicorum autoritas testatur. Perdere autem eas refrige- 11
randi potestatem, omnibus prædictis repugnat. Et propterea melius est antiquam
seruare lectionem, quæ habet, Refrigerant, & adstringunt rosæ, siccæ autem magis
adstringunt: atq; ex his uerbis non aliud intelligere, quàm præferri in adstringendi
ui siccas, nec ab eis frigus tolli. Vinum in quo rosæ decoctæ sint, doloribus ca- 11
pitis, oculorum, aurium, gingiuarum, sedis, uuluæ, recti intestini prodesse, ait Dio-
scorides, ἐγχριόμενον καὶ παρασκυζόμενον: tu inunctum, aut clystere infusum intelli- 30
Antheræ. gis. Quod cum non possit capiti, oculis, & gingiuis congruere, melius (ut mihi uide-
tur) fuerat collutum intelligere. Antheras uocant medici compositiones 114
quasdam ægritudinibus oris accommodatas, quibus rosæ miscentur. Quo fit, ut
non floridas antidotos pro antheris reddendum putem, sed uoce eadem utẽdum,
qua & Latini usi sunt, præsertim Celsus, diuersas antheræ scribens compositiones.
Apud Galenum tamen latius patêre uidetur antheræ nomẽ, lib. 5. de comp. med.
secundum genera. Rosarum florem facere insperſum, ait Dioscor. πρὸς ὄλωφ 111
ῥόδμαλισμούς: id est aperto sensu, ad gingiuarum destillationes. Quem sensum tu am
biguum reddis, per hæc uerba, Insperſi in gingiuas destillationes cõpescunt. quasi
sic insperſi omnes compescere destillationes possint.

119. de Amurca. ἘΚ ΠΕΡΙΣΣΟΥ, non priuatim & egregie, ut tu uertisti: sed ex superabun- Amur-
danti, ultra ea uidelicet quæ potest lycium, mihi cap. de amurca significat. Em- 11
plasticen uim (ni fallor) non bene exprimis per ea uerba, Quæ opplendo, & ob-
struendo sunt: ut infrà clarius monstrabitur.

110. de Vitice. CAPITE de Vitice, unico uerbo ὑποδραύσας, omnibus his respondes, uitilium Amur-
modo lentore suo infragiles: aptius dicturus, ad frangendum difficiles. Purpu 11
reum etiam dicis florem, quem Dioscor. subpurpurizantem.

112. de agresti olea. Exanthemata. CAPITE de agresti olea, de ægritudinibus cutis nõnulla tradis, quæ sunt mi- Amur-
hi ualde ambigua. Primo, exanthemata apud Græcos proprie fieri densatis in cute ca-
crassioribus humorib. magisq; ubi dẽsior summa cutis superficies fuerit: quæ uerbũ mu-
ferè

ferè ex uerbo à Paulo accepta sunt. Addis præterea, quod non aliud significare ui-
dentur, quàm exiguas pustulas, quales ex urtica uel sudore fiunt. Quæ dicta mihi
inuicẽ uidentur pugnare: cum crassi humores qui uel pituitæ, uel atræ bilis naturæ
existunt, exiguas adeò pustulas posse facere non uideãtur: & si quas fecerint, albæ
erunt uel nigræ, non rubræ, quales sunt quæ ab urtica, uel sudore gignũtur: latæq;,
non exiguæ: frigidi enim humores lata exãthemata faciũt, Galeno teste, exponen-
te illud Hippoc. latæ pustulæ non admodum pruriũt. Paulus tamen alio loco, ubi
de capitis pustulis agit, exãthemata definiens, in superficie factas ulcerationes sub-
rubras & asperas, aliam rem intellexisse uidetur: sicuti & Galen. aphor. 21. tertij li-
bri, genus quoddam exanthematum ἰδρῶτα uocatũ, fieri dicens in summa corporis
parte, quod instar ulcerũ cutem exasperat. Ex quibus colligitur, exanthematis no-
men latius patêre: Celsiq; exanthemata, à quo ea quæ secũdo loco attulisti sunt acce
pta, alia esse ab utroq; Pauli genere, quorũ altera capitis propria, altera toto corpo-
re prouentũt: nec recte à te Pauli & Celsi dicta fuisse cõiuncta. Dubium & illud
mihi est, quod pustulas esse ais, quæ cõcepto intra se pure, graui dolore cruciant. la-
tius enim patet etiam pustularum nomen. Et quanquam à pure ortum uideatur, Pustulæ.
non tamen putandum, esse non posse pustulam, nisi intra se & pus habeat, & gra-
ues dolores moueat. Antiquæ destillationes oculorũ, non solum ex augmento
magni anguli contingunt, sed alijs quoq; de causis, ex libris medicorum cognoscen
dis. Quare nõ bene ab eo, quisquis ille fuit, definitæ sunt, eo qui à te recitatur modo.

SCRIBENTI Dioscoridi cap. de Colymbadibus oliuis, ὁ δὲ ἐκ φλάμπος χυλὸς Ex cap. 123. de
ὠμῶν ἀσκλυζόμενος, ὅλα σέλμει, nescio quomodo respondeant uerba hæc tua, Repri- Oliuis conditis.
mendisq; gingiuis earum muria utiliter colluuntur: cum nulla in eis sit uox quæ χυ
λῷ, id est succo, respondeat.

ΔΙΑΚΑΥΣΜΑ ἔλαιος μυλῶσι, esse oleum oleastri, legitur in melioribus codi- 124. de oleo
cibus. Tu πλαδῶσι legis, atq; πλαδιαρὸν ais Græcis significare, non humens simplici- Oleastri.
ter, sed quod cum humore flaccescit: oportereq; in eo intelligere humorem, & ex
humore infirmitatẽ. Ego autem scio inter ptisanæ laudes ὑφ' πλαδιαρῷ eam ab Hip
poc. commendari, alio certe eius uocis significato. Scio etiam à Galeno in 1. lib. ex-
positionis in secũdum Epidemiarum, pladon definiri superfluam humiditatem. Et
propterea aliam lectionem magis probo, & putrescentes gingiuas intelligo.

NON uideris Dioſc. sententiam in glande bene expressisse, ubi ipse scribit, ὃ δὲ 126. de Quer
πρὸς τῇ βαλανῳ ὑπὸ τὸ κάλυφος. uertens in hæc uerba: Quod inter corium glandis & cu.
carnem interpositũ est. quum ille id quod sub calice circa glandem est, intellexerit.

OMPHACITIM gallam, paruam & condyloden, ait Dioscorides. Tu exi- 127. de Galla
guam, & articulorum in digitis magnitudine: iudicio meo addens quod non opor
rebat, nec bene exprimens quod ille intellexit: magnitudinem enim satis ostende-
rat, exiguam dicens. Figuram igitur dehinc demonstraturus, inse condyli, id est, Condylus.
extremæ partis articulorum in digitis cum flectuntur, similem esse dixit.

PLANTAE quæ coriaria rhus dicitur, nescio quare cubitum abstuleris, con- 128. de Rhu.
sentiẽtibus reliquis medicis Dioscor. bicubitam facienti: nisi fortè quia minor apud
Annot. 1 uos gignitur, ideo cubitalem ferè dixisti.

CVRANTIBVS non quomodo Plinius, sed quomodo Dioscorides loqua- 129. de Pal-
tur, μεσοπωρῖζε ἀκμὴν, non paulò ante maturitatem, sed mediam maturitatem signi- ma.
ficabit: maturitas enim quum tempore, non momento absoluatur, principium ha-
bet, medium, & finem, qui ἀκμὴν, id est consistendi uigor dicitur. Quocunque au-
tem modo maturitas intelligatur, mediocritas hæc nõ potest paulò ante eam intelli
gi. Paulò enim ante incipientẽ maturitatẽ, nulla adest maturitas: paulò ante mediã,
nõdum est media: paulò ante summã, est plusquã media. Intellexisse igitur uidetur
Dioſc. mediocrẽ maturitatẽ, quæ scilicet inter summã & incipientẽ sit media: quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

& tu intellexisse uideris in cõmentario, alijs tamen uerbis eam circumscribens, ante totam scilicet maturitatem: quæ uerba mentem Dioscoridis melius explicant, quàm ea quæ in interpretatione sunt scripta. Verius autem forte quis τλὴν ὀπώρας, non ad palmulas tantum, sed ad eam anni partem retulerit, qua matureſcere ficus & uuæ solent, atq; hoc pacto cõuerterit: Colliguntur in eius temporis medio quo
Stomachici. ad summum uigorem maturitas uuæ uenit. Stomachicos uocant medici non solum eos, qui cibum non continent, sed quibus etiam aliàs lacessitus & imbecillis est stomachus, nec in aperto est, quænam causa sit imbecillitatis. Vocant & causona, ardentem febrem, non sitim eam consequentem. Quare scribente Dioscoride,
Causus. πυώδεα κάυσωνα, fidelius uertisses, ardentem febrem sedat, quàm sitim.

Ex cap. 130. de Elate. CAPITE de Elate, ingenuitatem tuam laudo, qua plus ueritati quàm cuicunque tribuens nomini, Plinij autoritatem euidentissime cõuellis. Vnum tamen adijcio, id quod ueluti ἀμύξιτμα, fructus uocat Paulus, uideri aliã rem quàm Elate. Galenus enim, à quo omnia accepit Paulus, sic ad uerbum scribit lib. 8. de simplicibus
» medicamentis: Germen molle palmæ, quod Elate uocant, eandem potestatem ha
» bet uocato Cerebro. Id uero quod ueluti aphiesma ipsius est, adstringendi quoque
» uim habet, omnibus tamen prædictis est siccius. & reliq. Vbi notãdum, aphiesma, non amphiesma apud eum legi, nisi in libro sit menda. Libro uero qui de attenuante inscribitur uictu, à lateribus pullulare hãc Elatem dicit, sicuti Cerebrũ uocatum à summo cacumine. Mirum tamen est si de hoc tantum cortice hoc loco scribit Dioscorides, quare fructus intra eum clausi mentionem fecerit, quum de fructibus omnium palmarum, tam acerbis quàm maturis superiori capite abunde tractauerit.

Nec silendum, ubi tu legis, adhuc florentium, in uulgatis codicib. legi, ἀκμὴν ἀνθόντων: hoc est, perfecto uigore flores habentium. Addisq; inter notas probatissimi adstringens, & his quæ pascẽdo serpunt, adijci ulceribus. Atq; demum, ubi tu legis, Candido & ipsum colore: legi in Dioscoride, Cor autem trunci album, & ipsum recens in cibo sumptum.

Ex cap. 131. de Punicis, siue granatis mâlis. NON abre dubitas, an per πυρῆνας, cap. de Punicis mâlis, sint nuclei, uel toti acini intelligendi: docente Dioscoride, ex ipsis expressis fieri cum melle medicamentum ad multa ualde utile: quod male uidetur nucleis ipsis posse conuenire, aridis & absq; succo. Non erat tamen, meo iudicio, tam facile ferenda sententia, ut alteri parti omnino præiudicaretur, Galeno præsertim & Paulo, quem te legisse ostendis, maiorem siccandi uim πυρηνὶ tribuentibus, quàm succo: quod uix intelligi potest, nisi seorsum à succo accipiatur. Sed & Dioscorides ipse aliter non uidetur posse intelligi. Nam si de acinis ibi loqui incipit Dioscorides, ubi ait, ἡ δὲ ἐξέιας ὁ πυρὴν, de quanam re prius dixit, quod esset boni succi, sed exilis stomacho nutrimenti, quod ardoribus stomachi prodesset, urinamq; cieret? Certe non possunt illa nisi de succo intelligi, uel de totis acinis. Mihi igitur diligentius rem consideranti, uidetur Dioscorides usq; ad eam partem, ἡ δὲ ἐξέιας ὁ πυρὴν, de acinis ipsis egisse, qui soli è toto mâlo granato cibi rationem subeunt: post acinos agere de nucleis, tertio de floribus, quarto de cortice, sicq; in uniuersum de omnibus pomi huius partibus. Nec probandus etiam in hoc probatissimus ille tuus codex. Vix enim poterit succus intantum exiccari, ut in puluerem cõuertatur, nisi planè exustus omnem uim prius amiserit. Nuclei uero recenter exempti, tantum adhuc humoris seruant, ut extrahi ex eis succus ualeat: & nisi in sole uel aliter siccentur, puluis fieri uix possint. Sed de hoc plusquam satis. Illud uero non prætereundum, non uideri rationi consonũ, ut penitus nutrimento carere punica dicãtur. Et propterea uox ἄτροφος, exigui potius quàm nullius nutrimenti rem hoc loco putanda est significare: sic enim & corpora ἄτροφα dicimus, non quod penitus non nutriãtur (quomodo enim uiuerent?) sed quia uix, & non plenè ac rectè nutriuntur.

Cap. de

Annot. I CAPITE de Myrto, ubi ualere inflãmationibus dicit, in meo codice additur, cum tenui polenta. Vbi etiam tu legis, Et denigrando capillo inspergitur: uerbum Inspergitur, superadditum uidetur. Exc. cap. 133. de Myrto.

Annot. I DISCRIMEN illud inter λύειν, μαλθάσσειν, ὑποτείνειν, non uidentur Græci medici, præsertim Galen. agnoscere. Nec οὐσιώδιας ea dicere, quæ medio habitu aluũ relinquũt, sed quæ leniter, plus tamen quàm natura per se faceret, subducũt. Quod cerasia quidẽ ipsa & brassicas facere euidentius est, quàm ut probari à nobis debeat. 134. de Cerasijs.

DECOCTVM Cotoneorum πρόκλυσμα esse idoneum procidenti sedi & utero scribit Dioscorides: tu aspergi interpretaris, cum prolui potius ea uox significare uideatur. 136. de mâlis omnibus.

Quicquid Nicandri interpres dixerit, notum est ex Galeno lib. de alimẽtis, aliud esse Persicam arborẽ à Persea: hancq;, non Persicam, ex Perside translatam interficiendi uires in Aegypto amisisse. Et lib. 7. de simplici medicina, de Persico inter mâla recenset. Lib. uero 8. de Persea, uires ei alias quàm Persico attribuit. Notũ etiam ex Dioscoride. Quare non in dubium à medicis reuocãdum, sed inquirendum potius, quænam ea nunc sit arbor, quæ ab antiquis Persea dicebatur: Persicum enim omnes norunt pomum mensis expetitum, & ori ualde commendatum. Perseam uero nemo mirabitur à nobis ignorari, qui apud Galen. lib. 2. de medicinis secundum loca patiẽtia, legerit, nullibi sub Romanorum imperio eam arborem, præterquam in Alexandria, à se uisam. Persica arbor aliud est à Persea. Persea à nobis ignoratur.

Annot. I CAPITE de Piris, duo sunt quæ me offendunt. Primum, quod etiam maioris momenti est, quod Dioscoridem dicere facis, Cataplasmatis, quæ discutiendo sunt, ea misceri, quod rationi & uerbis minime consentaneũ est. Calida enim esse oportet, quę discutiendi uim habent, qualia pira non sunt: & ἀνακρουσικὰ ea dixit Dioscor. hoc est repellentia, non discutientia, diuerso utriusq; uocis significato, ut quisq; penè nouit, qui duas uel tres paginas in libris medicorũ euoluit. Alterum, quod non adeò tamen clarum existit, quod capite de Acradibus Dioscorides ait, cinere ipsorum aperte eos iuuari, qui fungis suffocantur: tu de omnibus piris intelligis: quod nec dixit Dioscor. nec Auicenna intellexit. 137. de Piris.

MESPILVM mâlo simile scribit Dioscor. tu figura addis & magnitudine. quod faciendum meo iudicio non est ab eo qui fidelis interpres uideri uult, præsertim cum constet uix adeò exiguum mâlum inueniri, quod maximũ mespilum non uincat magnitudine. 138. de Mespilo.

LOTON fluentem capillum detinere, præter Plinium scribit Galenus, nulla quod eum coloret facta mentione. Idem & Paulus. Quo fit, ut ingenium & diligentiam tuam summe laudem, ita in hoc sicuti in toto hoc libro, & subesse omnino uitium in uoce ξανθίζει, tecum putem. 139. de Loto.

CORNVS fortis quidem, speciosa uero arbor mihi minime uidetur: & propterea satis erat pro uoce ἄδροον, reddere Latinis fortem, nec addere speciosa. 140. de Corno.

Annot. I GVMMI pruni & amygalæ calculo prodesse absolute scribit Dioscorides: tu uesicæ addis: cum longe tamen difficilius sit (quod & superius monui) hunc quàm renalem perfringere: nec sit Interpretis officium, etiam si uerum sit quod additur, adijcere quidpiam autori: alioqui aperte ei imponit, qui falsum aliquid superaddit. 143. & 144. de Amygdalis. Interpretis officium.

Communem lectionem eodem de Amygdalis cap. magis probo, quæ copulat rosaceum aceto, non disiungit, & suadente ratione, & Arabum autoritate confirmante. Σηπέδονες Galeno aliquando sunt putredines, non semper ulcera exedentia. Paulus etiam ἀπὸ τῆ φαγεδαίνης, id est comedentibus, distinguit. Melius igitur erat eodem de Amygdalis cap. ad putredines, herpetas, & canis morsus eas cõmendare, quàm contra exedentia ulcera. ἀνώδυνα sunt medicis (quod & superius monui) non solum quæ somno, sed & quæ æqualitate substantiæ dolores leuãt. Alio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui bis dixisset Dioscor. somnum ab eis fieri, καθεύδειν dicens & ὑπνωτικά.

Excap. 145. de Pistacijs. PISTACIA iecur laxare ais ex Pauli sententia: melius dicturus si reserare dixisses, & obstructiones aperire.

148. de Sycomoro. INTER notas sycomori πολύκομον scribit Dioscorides: tu multo lactis liquore abundans, quasi πολύγαλον legeris, conuertisti.

149. de Ficis. VBI tu duobus locis strumas, ego θηλώσας lego, alium certe morbũ, uel remet alibi teste. Vbi etiam de olynthis sermo, quos tu caprificorum, uel ficorũ grossos uocas, qua parte uerrucas & thymos tolli per eos scribit Dioscorides, addẽdum uidetur, crudi. Non uideo etiam cur non potuerit humidum synapi intellexisse Dioscorides.

Hæc sunt mi Marcelle, quæ percurrenti mihi primũ tui Dioscoridis librum, moram attulere: quorum teipsum censorem & arbitrũ constituo, id probaturus reprobaturus ue, quod abs te probatũ reprobatum ue iri cognouero. Ea igitur ut æqui bonique consulas rogo: meq; in eorum numero esse scias, qui te suspiciunt, atque in hoc nemini cedere. Vale. Ex Ferraria. M. D. XIX.

EPIST. II. cuidam uiro doctiss. pariter & amiciss. qui Marcelli defensionem rogatus acceperat.

EGi uir doctissime, quæ pro Marcello aduersus me acutissime simul & eruditissime disputasti. Quibus primo congressu adeò deterritus prostratusq; sum, ut deditionem uel fugam potius, quàm defensionem cogitarem. Verum quum post primum illum impetũ, epistolam tuam humanitatis & modestiæ, qua semper tua scripta scatent, undique refertam relegerem, præsertimq; eam partem in qua ais, obsequendi mihi gratia, magis quàm ueri delectu te contendisse: resumptis aliquãtisper uiribus, quoniã amant quisq; sua, cœpi respirare, simulq; cogitare, an meos illos quanquam abortiuos partus, tueri quoquo pacto à morte ualerem: arreptoq; calamo, tumultuatim, ut occurrebant, quæcunq; mihi fauere uidebantur, in unum aceruum collegi, digesturus, si ea tibi digna uiderentur, ut prodire in conspectum hominum possent. Ea ad te hactenus non misi, pudore quodam prohibitus, quod te alioqui maioribus rebus occupatum, tam crebrò in hæc adeò exilia demitterem. Nunc uero postquam, ni fallor, supra biennium apud me delituissent, aliud quærenti, quum se mihi obtulissent, deuorato pudore, accedere ad te iussi, reuerenterq; ueluti mancipia salutare, sententiamq; tuam, etiam si capitalis esset, demissa fronte expectare.

IN PROOEMIO.

Celsus morbi tempora enumerans, eam morbi partem quam Græci ἀκμὴν uocant, consistendi uigorem interpretatur: quam interpretationẽ dixi me magis probare, quàm Marcelli, qui, Integram ætatem.

Aquilonio cœli statu & afflatu, materia omnis in omnes usus melioresci, ait Marcellus. Aduersus quod uniuersale dictum ego ostendo, materiã medicinalem diligere potius australia, quàm aquilonaria loca.

Ex cap. 1. de Iride. DE FLORIBVS Iridis, ad ipsosmet prouoco, & ad Dioscoridis uerba, ὧν καυλὸν ἀφάλλους ὀλίγους παρὰ πολλοῖς, nihil in his de summis caulibus, imò nec de pluribus caulibus, nihil quod in altum surgant, quod in singulis singuli, quod rectà, nihil demũ de arcu. Modus etiam loquendi alternatiuus in coloribus, ipsis floribus quãdo apparent cõcordans, cogit me credere, non omnes illos colores simul in uno flore ostendi, sed in diuersis diuersos. Postquã enim flores dixit uarios, statim addit, Aut enim

enim albi, aut pallidi, aut purpurei, &c. Quare non probaui, ut adiectiuum, uarij, III in participium, uariantes, mutatum sit. Quid rigoris uox apud Latinos possit, IIII non est meum uobiscum contendere. Illud autem in Marcello probare non possum, quod πνεύματα ψυχρώδη, uel, ut ipse mauult, nec ego abnuo, πρίψυχρώδη V eos solum dicat, qui in accessionibus febrium frigent: cadere enim in hoc mihi uide VI tur à boni, nedum fidi Interpretis officio. Nec illud quod ῥίγη & sit tertianis pe- VII culiaris: ῥῖγος, semitertianæ: πρίψυξις, quartanæ.

Acoro. TÀ ΓΥΝΑΙΚΕΙΑ posse menses intelligi, non abnuo: sed in acori medicinis intelligi, uel ex hoc maxime, quod Iridis modo conferre insessu ad muliebria à Dio- 10 scoride dicitur, quam Iridem potu quidem menses ciere, insessu uero mollire & aperire muliebres locos, superius dixerat.

3. de Meo. SI SINE uitio sermonis trahi uis Mei lincti ad superiora potest, sine uitio tamen rationis, & artis præiudicio, nõ potest ad pedes usq; pertingere: pectore enim licet purgatissimi, pedes plerunq; misere affliguntur.

4. de Cypero MVLTA sunt quæ renum calculos frangunt, uesicæ nequaquam: inter quæ cyperus reponitur. Propterea non sequitur, si calculum potest comminuere, ut uesicæ possit, quod est longe difficilius. nec commeat ratio, ut quod potest leuiori malo succurrere, possit & grauiori: sicut econtrario, quod grauiori, id & leuiori. quanquam nec hoc perpetuũ: nõ enim quod potest phrenitin sanare, potest & reduuiã.

5. de Cardamomo. INIVRIA possessori fit, quoties possessionis fines arctiores fiunt. Quod certe de Marcello uox νεφρικὸς queri potest, cuius ambitus in omnes renũ affectus expansus, ad eos tantũ limitatur, qui urinæ malo aliquo cum dolore affliguntur. Nec illustrare hoc est, sed in angustum ambitum uocis & autoris mentem redigere.

Annot. 1

6. de Nardo. IN GANGITIDE miror prætermissam proceritatem: cui defectui nihil quod à Marcello addatur, satisfacit: quum ad interpretãda alia Dioscoridis uerba omnia sint apposita. Vitio ego potius uel exemplaris, uel librarij puto defectum huiuscemodi contigisse, quàm Marcelli. Nulla enim ratio suadere mihi potest, ut dimittendum sit uerbũ in græco exemplari, cui nihil respondeat in latino: sicuti nec quod 30 uerbum sit ad contrarium sensum trahendum, ut in πολυβότρυος uerbo, quod, Marcello ipso teste paulò infrà, decurtatæ spicæ significat, & torosæ spicæ hoc loco cõuenitur. Hanc autem interpretationẽ exigui momenti dixi, non in ipso interpretandi munere, sed sequentis cõparatione, quæ meliorem partem abijci iubet, deteriore in cõpositionem medicaminũ admissa. Sic enim intelligẽdum Marcellus ipse ostendit, dicens lectionem quam sequitur & probat, omnem radicũ usum damnare, præcipereq; tanquam inutiles à reliqua nardi materia separãdas abijciendasq; esse. Seruata autem antiqua lectione quæ purgari radices docet, non adeò frigida uidetur cõstructio, si uires radicum, non spicarũ intellexerimus. Fideliorq; habendus Interpres, qui sententiã & uerba Dioscoridis sequutus, simpliciter cõuerterit ad hũc modum: Vires habent &c. Sicuti & ille fidelior qui paulò post sic conuerterit: Fluctiones uteri appositæ & sanies sistunt: quàm Marcellus, transferens: Appositæ muliebriũ locorum fluctiones sistunt, cõpescunt præterea sanies. Dicente Dioscoride uno cõtextu: τὰς ἐκ μήτρας ῥύσεις ἐγχριόμεναι κέλλουσι. Atq; ille rursus qui cardiogmon cordis morsum uel erosionẽ, quàm qui stomachi erosiones καρδίας nomine, ita antiquis sicuti & recentioribus cor significante, non autem solum uentriculum, ut Marcellus affirmat.

Annot. 1 Quod autem de acribus humoribus dixi, de his intellexi qui à Græcis δριμεῖς dicuntur, quos calidos esse potius quàm frigidos constat, sicut & alia quæ uere acria sentiuntur.

9. de Asaro. ET ODORATVM Asarum est, & flecti aptum, &, ut sequens est, re ipsa & Dioscor. sententia, nisi error in communibus exemplaribus sit, coronarium. Quod uero Asarum dicatur, alia quærenda ratio, quoniam nec caput infestare uidetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed & rosæ,& alia pleraq; caput infestantia,ad coronarum usum ueniunt: imò & quædam odore carentia,ueluti gramen. Non cõtenderim ego, modo loquendi Dioscoridis magis congruere,ut caulia feminis potius,quàm totius plantæ intelligantur: scribenti tamen herbæ historiã,ea uox potius significare ipsius herbæ caulem,quàm cuspidi simile semen uidetur,ut scilicet redeat sermo ad herbam, nec amplius feminis sermo habeatur. Postrema tamen Dioscoridis græca æditio hanc litem dirimit,in qua nulla mentio περὶ τῦ καυλιδῶ. sicut nec apud Oribasium. Quicquid de uoce γωνιωδεῖς statuatur,constat nullum aut caulem aut semen, angularem speciem habere,nisi ueré angulatum sit. Possunt quidem sensus deludi, nihil tamen est quod similitudinem anguli uerè præ se ferat,quod uel orbiculare,uel ad lineam sit rectum,uel omnino angulis priuetur.

Ex cap. 10. de Phu.

SI πλατυφύλλου similem proprie significat,cur mutandum in æquales? ex qua uoce debeat potius quãtitatis,quàm qualitatis conformitas intelligi. Pauci enim (ni fallor) erunt, legentes Phu æquali folio esse olusatro,qui quãtitatem non intelligant.

Interpretis officium.

Secus esset,si æquali uiriditate diceretur. Aliud est interpretis,aliud exponẽtis officiũ. Potest hic quam putat autoris mentẽ,proprijs uerbis explicare: ille sensum ita autori dimittere debet, ut si uerba aliã q̃ ipse putat sentẽtiam tolerant,idem etiã ferant translata. Quod in uerbo ἐμπορφύρου non custoditũ à Marcello queror, *albicantem* addente,nec integrũ relinquente lectori,ut in alium colorẽ uergere possit putare. Tam dissident inter se betæ & olusatri folia,ut si quis folium ignotæ herbæ per alterum uoluerit notum facere,ridendus sit: si reliquo etiam simile dicat. Et propterea repudiandi omnino uidentur,qui pro elaphoboscо elleborum legunt.

11. de Maloba thro.

EPIPHORIS oculorum non semper accedere maximas inflammationes, præter Pauli autoritatem,remedia quoq; ipsa attestantur,quorum multa sunt uade calida. In postrema tamen æditione legitur ὀφθαλμικὰς φλεγμονάς.

12. de Casia.

QVOD uulgò Casia nasci traditur,& aliquando in Italia frequens fuerit,non meam infringit sententiam: siquidem de casia herba nostrates,Græci de frutice loquuti sunt. Si cinamomi uocati folium,nullam cum Iride similitudinẽ gerit,eademq; in planta casia cum cinamomo crescit,non in tenebris pugnare dicẽdus,qui casiæ foliũ,quod idem & cinamomi est,rem hoc tempore notam,nullam cum Iride habere similitudinẽ dicit. Non lacessendi gratia,sed pro ueritate & uerbo Dioscor. dixi,non placere ut δριμεῖα uox erosionem significet,quæ à cinamomo,non solum ubi primo gustui occurrit,sed semper aliena est.

De quibus aromatibus aliena sit amaritudo.

A proprie uocatis aromatibus alienam esse amaritudinem dixi,ea intelligens quibus ad condienda opsonia præcipue septentrio utitur: inter quæ nullus puto rheon barbaricum numerauerit (quãquam odore præcellentem) ob insignem scilicet amaritudinem. Non igitur dicens,ad cõciliandam uino gratiam addi aromata,mecum pugnaui, sed potius firmaui quod uolebam: aromatum odorem ita uino congruere, ut si qua eo careant,ut cõmunia uina,arte odorata à nobis reddantur, ad æmulationẽ moschatorum uocatorum,quæ natiuũ habent moschi odorem. Vt Plinium mittam, lauda

Plinij locus.

tissima fuisse apud priscos dicẽtem uina miro odore,uel (ut legendum potius mihi uidetur) myrrha condita. Modus loquendi Dioscoridis,& alijs in locis,& hoc capite,aneurismũ pro morbo censeri ostendit. eodem enim loquendi modo utitur, quo paulò ante in inflammationibus usus fuerat: ac si dixisset, ualere ad intraneas omnes inflammationes,ad renes, ad uteri aneurismum. Et propterea probare nõ possum Marcellum,ad laxandos muliebres locos casiam ibi commendantem,ubi aneurismum legebat.

15. de Cinamomo.

MEO iudicio in cinamomi bonitate non dissident Gal. & Dioscor. Propinquũ dixit Gal. pessimum cinamomũ optimæ casiæ perfectione. Dioscor. optimum cinamomum optimæ casiæ effigie ac specie comparauit. Odorem Cardami, multoq; minus

minus rutæ,non esse miscẽdum cinamomo,puto quisq; existimabit,qui Galen. audiat dicentem ipsum δυωδέστερον, ἀξιόλογόν τινα σύνοδίαν ἔχειν ἅπαντα τὰ ἄλλα. Et Dioscor. σφόδρα εὐώδεις. Neq; enim eorum iudicio standum (si qui tamen hi sunt) quibus rutæ aut cardami odor suauis est. Alioqui,si paucis credendum, omnis sensus iudiciũ in controuersiam ueniet. Consentit tamen lectioni Marcelli in ruta,ultima Dioscoridis æditio,ubi legitur, ποικιλώτερα καρπαμώμου ἐμφορήν. De colore sic scribit Gal. τῇ χρόᾳ γὰρ διάδηλον, ὡς εἴ τις μίξειε τῷ γάλακτι χρῶμα τοῦ φαιοῦ καλουμένου, μετὰ βραχέως τινὸς τοῦ καλουμένου. quæ uerba nemo negauerit magis congruere cõmuni Dioscoridis literæ, μέλαν, πυρρίζον φησὶ τοῦ οἰνώδους, quàm ei quam magis probat Marcellus, nigrum simpliciter,& ex natura sua statuente,& ablutũ uino cinereũ reddi. In Galeni autẽ illis uerbis (ut ingenue ueritatẽ fatear) nullam agnosco corruptelam: è græca uero in latinã linguam ea melius uertant, qui utranq; me melius callent. ego neutrã mihi arrogo.

Annot. 1

OIONEI βότρυς. Expeditius & lucidius uerterit quispiam,instar racemi,quàm, uuæ modo: quæ enim sequuntur,alijs Dioscoridis uerbis respondent. Nec curandum hoc loco magis quomodo Plin. sed quomodo Dioscoridis loquatur. Nec bryonia in labrusca mutanda. Si modus loquendi Marcelli,facit ut disiunctio intelligenda sit,erit etiam in prima qualitate intelligenda: eritq; sensus,eligendum quod uel recens,uel candidum,uel modice rufum. Non omnis abscessus in ulcus trãsit,multa enim sunt ulcera sine abscessu,sicuti & multi abscessus sine ulcere. Concoqui autem & discuti abscessibus potius,quàm ulceribus conuenit. Maturare & discutere,dissidere ut cõtraria,dicit Marcellus: illudq; calidis,hoc plerunq; frigidis fieri. Nos uno medicamento utrunq; fieri diximus: & si à diuersis fiat, à calidis tamen semper fieri: reprimunt enim frigida,non discutiunt. Coagulum fatetur Marcellus contraria facere,non tamen maturare & discutere. In hoc autem fibi tantum placuit Marcellus,ut uerbum διαφορεῖ abraserit.

Ex cap.14.de Amomo.

Annot. 1

IN Indico Costo magis placet crassities, quàm species,quæ nec qualis esse debeat explicatur. Humida actu esse multa, potestate siccantia,nullus medicus ambigit. Idem autem medicamenti genus,esse forma humida & sicca, nemo dixerit. Plus potest apud me in legendo & intelligendo Dioscoride,Galeni autoritas,quàm mille antiqui codices: nec cogit ratio,ut si mel exterendi uim habet,misceri semper debeat: quando & Costo ipsi per se ea uis adest,quæ cuti alicui cõparata, quandoq; potest adeò uehemens existere,ut retundi aquæ admixtione desideret.

17. de Costo.

Plus potest Galeni autoritas apud M.nard. q̃ codicũ antiqtas

Annot. 1

PVLMONEM esse prætermissum ὀσκιτατίονε librarij,non negauerim: nunquam tamen probauerim industria Marcelli dimissum,ex reliquis uolentis intelligi: alia enim membra sæpenumero alia exigunt remedia. Suspicatus est Marcellus,mendam eodem cap. de iunco odorato subesse, ubi par piperis pondus dandum dicitur,quia referri ad aliud oportet quod par dicitur. Ego nihil deesse dixi,& par utriusq; pondus intelligi: nec definiri quantum semel sit dandum. Sunt tamen exemplaria in quibus addatur,drachmæ unius pondere.

16.de Schœno.

17. de Calamo odorato.

ODORATVM calamum (quod ego minime puto) esse Canellam si putauit Marcellus,plus longe errauit quàm prius putaueram. In Canella enim uocata,nulli geniculi,non glutinosus lentor,non amaror,non demum aliud quicquam,quod calamis adnumerari eam faciat. Fistularis enim dici fortè potest,non tamẽ calamus.

18. de Balsamo

Annot. 1

HAVD uticq; eum probauerim patronum,qui nisi per inficias nequeat patrocinari: per testes enim re probata,reus cliens cõuincitur. Locupletissimi autem testes,in balsami calore omnes libri Dioscoridis sunt θερμαντικώτατον habentes: quare male patrocinatus uidetur Marcellus, calidissimum, in egregie calidum commutans.

Si maturare aliud est quàm concoquere,ut ipsemet fateris,quare πεπτικὸς, quæ unica uox est,per duas illas latina redditur? Nec per ebibita,sed per apposita,maturatio absessuũ,quibus proprie,non ulceribus,maturitas conuenit,procurari solet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epispastica. Quum epispastica, teste Celso, dicantur, quæ extrahunt: ἀνασπαστὰ cōmodius uer III
teretur, ni fallor, extrahit, quàm proritat. Aliud autem quandoque esse extrahere, quàm euocare uel retrahere, nemo est qui nesciat.

Ex cap. 19. de Asphalatho. ΑΚΑΘΑΡΣΙΑΣ, ni fallor, feliciter, & ad Galeni mentem uertit Hermolaus, putrilagines: immunditias enim ea uox proprie designat, quas eleganter (ut solet) maluit Hermolaus dicere putrilagines. Purgationes autem, ut uiris etiam fieri concedamus, non tamen dicimus eos facile uel difficile per genitalia expurgari.

20. de Bryo. VITIVM in Paulo subesse suspicatur cap. de musco, Marcellus: quia Dioscoridi non consentit, pro Cedris Pinos dicens. Nos non Dioscoridi subscribere Paulum, sed Galeno dicimus. 10

21. de Agallocho. LATINVM hominem debere potius Celsum sequi, quàm sibi uoces fabricare, æquum mihi uidetur. Celsi uerba sunt: Pessima his inter intestinorum mala tormina esse consueuerunt, dysenteria græce uocatur.

22. de Nascaphtho. TAM diuersa est mihi in Nascaphtho à Marcello mens, quàm diuersa morus ab ægyptia fico. Nescio igitur quare eandem mentem esse utrique dicas, uerba uaria.

25. de Croco. NON ut accusarem Marcellum dixi, primas Corycio Croco nō dare Galenū, sed ut monstrarem non ita stata hæc esse, ut ueluti perpetua decreta essent accipienda. Non debuit Marcellus interpretis officio fungens, si doctis tantum Dioscorides loquebatur, uelle indoctis loqui, illudq; addere, quod non apposuerat Dioscorides & suspicionē relinquere medicis, putandi Galenum Dioscoridi aduersari, altero flauum, altero rubrū crocū laudante. Vt facile friabilis fiat crocus, insolandus est: igitur natura sua facile friabilis nō est: ergo inter notas probati croci magis probandus codex, non facile friabilem dicens, quàm qui facile: quem enim eligere docuit Dioscorides docet & insolare, nō ut melior uideatur, sed ut ad conterēdum aptior reddatur, qui natura sua ἄθραυστος erat, id est, ad conterendum non aptus. Oleracei nomen idem nobis significat, quod Græcis λαχανώδεις. Quid ergo interrogas me quid significet? Dioscor. potius interroga. Nec Marcellum laudes, non solum crocos hosce, sed pariter omnia olera satiua facientem. Si nemo paulò humanior ignorat erysipelas, ignes sacros à Latinis dici: nemo homo medicus nescit, erysipelatodes phlegmones dici, in quibus superat phlegmone, superatur erysipelas: non ut Marcellus transfert, sacrorum ignium inflammationes.

27. de Inula. ὑπὸ præpositio (ni fallor) nunquā inuenietur intus uel foris, multoq; minus utrunq; significare. quod Marcellus facit, ὑπόλευκον καὶ ὑπόκιρρον, intus albescētem & foris rubentē interpretatus. Sunt tamē codices in quibus ὑπόκιρρον tantū dicitur.

28. de omni oleo. SI definitio debet reciproca esse definito, definitio illa non potest recta esse, quæ tenuioris intestini morbum per inflammationem definit, quando (quod & tuipse fateris) potest ille morbus sine inflammatione contingere. Sed præter hoc multa sunt, quæ librū illum ex Galeni officina non exisse ostendunt. Non ut arguerem inscitiæ Marcellum dixi, διώκμιν cap. de oleo, uim, non maleficium esse intelligendam: sed ad rem ipsam respiciens, quoniam exulcerantia medicamenta magno interdum nobis essent beneficio.

29. de Elæomelite. NON putasse Marcellum duas res indicari cap. de elæomelite, uerba eius demonstrant, ubi de secundo (ut ego quidem puto) fit mentio: sic enim ipse Dioscoridem loqui facit: Conficitur præterea ex furculorum corticibus eiusdem arboris idem oleum. In quibus uerbis tria superadduntur uerba, scilicet eiusdem, & arboris, & idem. & unum mutatur leui argumēto, quia scilicet uerbum Confici, ad eam rem spectat quæ prius non erat. Vnguen autem per se ad olei naturam accedit: scimus enim unguen, quando à ligno separatū est, speciem olei habere: in ligno uero quandiu latet, oleū nec est, nec uidetur, sed dum elicitur, confici tunc demū dicitur.

40. de oleo Laurino. QVVM alia sit ὠμότριψα, & alia χελαστὸν uis apud Græcos, diuersis quoq; uer

bis sunt Latinis reddendæ. Igitur quoniam χελαστιλῶ communi usu laxatiuam consueuimus interpretari, ὠμοτριψιλὴν aliter est interpretanda: Ego reserandi uel aperiendi dixerim.

Ex cap. 41. de Lentiscino oleo. LICET plerunque alia cortici, alia medullæ uis sit: cum tamen oleum terebinthi ex toto fructu exprimatur, simili ui esse fructui, rationi est consonum. Et propterea magis probanda ultimo impressa exemplaria, in quibus uerba illa tacentur, scilicet infrigidat, & adstringit.

42. de Mastichino oleo. SI durum est, durities cap. de Mastiche intelligere: durissimum certe mihi uidetur, ut cum eodem uerbo, πιεῖ uidelicet, medicamentum cum morbo construatur: ac si dixisset, Facit ad omnes uteri affectus & ad ceromata & cœliaca. Alioqui nusquam alibi uel Dioscoridis uel alius medicus, simplicia medicamenta, ad hæc uel illa composita facere dicit, sed misceri potius, uel addi.

Annot. I 46. de Melinо unguento. EADEM fides quam in Interprete exigo, facit, ut non probem herpetas dici malum quod serpit: quoniam ea uoce medici, non absolute malum quod serpit, sed certum morbi genus significāt, qui uulgò formica dicitur, cuius etiam quædam species non serpit. Sicuti nec eum probarem, qui πυρίβωρ ignitum morbum interpretaretur. Defenderetur certe satis belle Marcellus in scabiosis ulceribus, nisi ipsemet sibi tuam defensionem ademisset, eadem serie cum scabie & ulceribus, furfures, perniones, & quæ serpunt, sine copula pronuncians: quanquam nescio quàm rite ψωρώδη, scabies dicatur.

Annot. I 53. de Lilino unguento. SI ἐκζέματα possunt toto corpore cōtingere, quare sic interpretanda ea uox est, quasi ad solum spectet caput? Si hoc ideo fit (ut ais) quia in uultu maiorē præbent deformitatem: sequitur, ut quæcunque uoces deformitatem aliquam denotant, ut lepra, psora, lichen, & id genus cætera, cum eadem uultus adiectione debeant transferri. ἴονθοι Galeno sunt exigui tumores cum duritie, Marcello cicatrices ἠμυθυμαδῶν. Tantum ergo dissidet Marcellus à Galeno, quantum cicatrices à tumoribus.

56. de Liguстrino unguen. QVICQVID dicatur, omnino suspicandum in compositione Liguстrini unguenti mendam subesse, quoniam nusquam tali modo componere docet Dioscorides. ut uncertæ olei mensuræ, certam adijciat aromatum quantitatem.

Annot. I 57. de Irino unguento. QVARE ad noxam magis pertinere putandum sit, hæmorrhoides Irino unguento aperiri quàm Cyclamine, ego certe nō uideo: nec possum non zelotypum putare, qui nulla occurrente suspicionis causa, adulteram uxorem credat. Si faucium nuncupatio late patet, in homine tamen non asperam arteriam, sed quod Græci φάρυγγα, solet significare: nec testimoniū Lucretij mihi probat aliud, quàm canale animæ per arteriam significari.

Annot. I 59. de Amaracino unguento. IN Amaracino μυρωλιῷ maius quid esse quàm calore fouere, ita probaui, ut tu etiam fatearis, petens à me quo pacto transferenda ea uox sit. Ego certe à te & à Marcello hoc potius expectauerim: igni tamen similem, uel, si dici posset, ignitoriam, uel inflammatoriam uim dicerem. Hermolaus corpus adurere dixit. Interpreti explicandus proprius uocis significatus, qui in œdemate est, nō tumor absolute: communis est enim tumoris uox apud medicos, quatuor speciebus, phlegmonæ scilicet, erysipelati, scirrho, œdemati. Sicuti igitur bonus Interpres non redderet pro τὸ ἀνθρώπου, animal, ita nec pro œdemate, tumorem. Tumor.

61. de Hedychroo. RARVM aut nullum in medicina hedychroi usum scribit Marcellus, à Galenoq; neglectum. Necessariò igitur, & non ostendendi studio, eius usum docui.

66. de Nardino unguento. ARIDAM Nardum non esse odoratiorem, uerba Dioscor. minime probant: nisi fortè ex eo quod πρόσφατος melior dicitur, humidam odoratiorē esse uelis argumentari. Cum sit tamē cogitatu facile, Indicam herbam non posse humore madentem ad Græciam ferri: omnésque sciant, aliud esse recens quàm humidum, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

contrarium est sicco. Quod uero additur pro fortissimo argumẽto, quod scilicet in alia præparatione annectitur ☙, certe satis est frigidũ. Nulla enim ibi mentio apud Marcellum de ignauia, sed de simpliciore unguenti præparatione, sicut superius de Nardo, non de parandi modo. Nihil ergo ad rem, imò facilius possit contrarium intelligi, eam uidelicet compositionem quæ prius scripta est, melius unguentum facere, hanc postremã ignauum. Docte autem (ut soles) causam reddis, quare toto hoc capite fœminino genere utatur Dioscorides. Ariolabar quidem & ego quid simile, sed nesciebam ostendere. Mirum uero, quàm hæc arrideant nostræ sentẽtiæ.

Ex cap. 68. de Iasmino ung. ALIQVA esse ingrati, quæ non sint grauis odoris, unusquisq; puto cognoscit: multa etiam esse grauis odoris, quæ multis sunt grata, multi sciunt. In noua tamen æditione caput hoc non legitur. Sententiã meam de unguentis, per lentiscum potius, quàm per odoratũ iuncum, qui odorandis aptior quàm spissandis, multis testimonijs firmare possem: sed satis erit Dioscoridis cap. de unguento nardino, quod odorandum dicit inter reliqua Costo, qui iunco ipso odorato minus est odoratus.

69. de Myrrha DESTILLATIONES intelligo ad pectus fluentes, quas Græci nonnulli καταῤῥόους uocant. Leniuntur hæ materia ad nares deriuata, factisq; per eas destillationibus, uel auctis per myrrham, non delinitis. Nonnullos dixi, quoniam sunt & qui catarrhum dicant fluxionem ad fauces & palatum. Quàm uero ductus ille uerborum uiolenter ad Marcelli interpretationem trahatur, non alium quàm te iudicem elegerim.

79. de Styrace STYRACEN aliam rem esse à uocata Ambra, ita notum apud nostrates & Arabes medicos, ut probationem non desideret.

71. de Bdellio. ONYX nota adeò res & antiquis & nobis est, ut nõ sit mirãdum, Bdellij odorẽ eius similitudine ostendi. Nec series ipsa orationis huic repugnat: possumus enim hoc modo dispũgere: Odoratũ, in suffitu simile ungui: hoc est, per se odoratũ esse, in suffitu uero simile reddi ungui, qua etiam in suffitu utimur. Vel hoc pacto: Odoratũ in suffitu, simile ungui: ut prius in genere dicat, deinde odoris species declaret.

72. de Thure. PRIMAE bonitatis Thus uocatũ Stagonias & masculum, ἄτομον quidem est, sed non uocatur: sicuti album etiam est, non tamen album uocatur. Ast Indicum ἄτομον, cum non sit, uocatur.

122. de agrestibus oleis. FRIGIDI humores, Gal. teste, lata exanthemata faciunt. Igitur non bene definiuntur exanthemata, quod sint exiguæ pustulæ, quales ex urtica fiunt uel sudore. Pituita enim albas, atra bilis nigras, nunquam rubras pustulas faciũt. Quas uero Paulus subrubras & asperas exulcerationes, exanthematum nomine nuncupauit, non à crassioribus humoribus, sed à tenuioribus fieri putãdum. Cum igitur late pateat (ut ais) exanthematũ nomen, non bene Marcellus dixit, nihil aliud significare quàm exiguas pustulas, quales ex urtica uel sudore fiunt. Non rectius etiam ab eo definitas pustulas, uel teipso teste patet, & oculorum destillationes. Non qualem putas saltũ ego feci, sed librarij oscitatio, qui mediũ ternionem cæcutiendo prætermisit, ut est uidere legẽtibus hæc in epist. antecedẽte, ubi resarta sunt omnia.

127. de Galla. QVICQVID significet κονδυλώδης, nullus mihi persuadebit, modo loquẽdi Dioscoridis cõuenire, ut magnitudine simile condylo uoluerit significare. quare enim diceret paruam, & condylo magnitudine parem? Et si non satis erat paruã dicere, quia paruũ relatiue dicitur, satis erat dixisse, cõdyli magnitudine esse. At nónne cõdyli digitorum, ita magnitudine differũt, sicut & digitis solentq; uoces huiuscemodi desinen-

desinentiam habentes, similitudinem potius quàm æqualitatem designare, sicuti γονατώδης, uel Marcelli ipsius testimonio.

Ex cap. 129. de Palma. MATVRITAS (si philosophandum est) quum proprie, loquendo ut philosophi, alteratio sit, tempore absoluitur, sicuti & calefactio. Sicuti igitur mediam calefactionem aquæ dicimus, non quando propè est ut sit calidissima, sed cum mediũ obtinet caliditatis gradum, ita & de maturitate censendum.

130. de Elate. STOMACHICOS & in causone sitientes, relinquamus: ad Elaten cõuersi, in qua ex propugnatore oppugnator effectus, in Marcellum ita irruis, ut malim cũ eo lugam capere, quàm tecum cominus decertare. Vnam tamen fugiẽdo, Parthorum more, sagittam emittam: Pollucem non dicere ramum uocari Elaten, sed palmam: nimisq; coactum uideri, ut ramus arboris πτελεκάλυμμα dicatur fructus.

Annot. 1

131. de Punicis seu Granatis. CAPITE de Punica, πυρῆνες ais duritiem cum carne significare: Acinos ad utranq; speciem referri, quæ durum habeat & quæ non habeat. Nucleos speciem eam tantum esse quæ duritiẽ habet. sicq; uideris acinos ueluti genus quoddam statuere supra nucleum, ut sit omnis nucleus acinus, non omnis acinus nucleus. Quæ si uera sunt, idem erit Latinis nucleus, quod Græcis πυρῆν. Quare reprehensione non carebit Marcellus, pro specie genus reddens, cum æque cõmode speciẽ redderet. Videtur tamen Marcellus nucleũ intelligere, durã & arentem, & sine succo, rem: & propterea acinum uertisse, non nucleũ. Sed non meum hasce inter uos lites cõponere. Illud potius mihi cõsiderandum, quam rem πυρῆνα Dioscorides uocauerit, ut ea si quãdo opus fuerit, uti sciam. Multa autem sunt quæ me cogãt credere, purũ sine carne os intelligere. Primo, quod nisi ea ossa intelligamus, mancus ea in parte fuerit Dioscorides, nihil de ipsis à succo & pulpa seclusis determinans. Secũdo, male à Galeno & Paulo compararetur πυρῆν succo, si & ipse secum succum haberet. Tertio, ossa illa cum carne, non possent (quod Dioscor. iubet) in puluerem uerti. Quarto, quod alij sic uidentur intellexisse, Auicenna uidelicet & Serapio. Legendum δύτροφον non ἄτροφον, non sine ratione licet dicas, non tamen accedo: non enim ea uoce uti consueuerunt medici, nisi in his quæ abunde nutriunt. Minimi autem potius nutrimenti, quàm uel nullius uel multi, teste etiã Gal. est Punicũ intelligẽdum.

136. de Malis omnibus. PRAETERMISSIS his quæ ad medicamenta uentrem mouentia, & Persica attinent, in Piris aliquantisper immoremur.

131. de Piris. HIC nonnulla dicuntur quasi medica, medicis minime consentanea. Medici ulcera non discutiunt, sed agglutinãt. Nihil enim aliud sunt ulcera, quàm discissa unitas, quæ per coalitum & cohærentiam dissep aratarum partium ad integrum reducenda est, non per discussionem. Tumores uero præter naturam, inflammationes uidelicet, ignes sacros, & reliqua id genus, discutiunt, non quidem quando incipiunt, sed quando consistunt: incipiẽtes repellunt: quod longe aliud est quàm discutere. Sicuti alia sunt ἀκροστικὰ, quàm διαφορητικά: hæc enim calida, illa frigida esse oportet. Inter quæ, pira bene à Dioscoride numerantur, male autem à Marcello discutiendo esse dicuntur. An uero emitti dicãtur ulcera uel abscessus, quando ad maturitatem excoquuntur, mihi (ingenue fateor) est incognitũ: sicuti illud ualde perspectum, medicamenta quæ id faciunt, concoquere & mouere pus à Celso dici.

Apocrustica. Diaphoretica.

Differentiam hanc inter repellentia & discutientia, etsi alibi sæpe clare, tamen lib. 3. de medicamẽtis secundum loca patientia, declarat Galen. dicens: Repellunt austera & acerba, quæ communi uoce styptica dicuntur: discutiunt calida & sicca.

144. de Amygdalis. PERID quod difficilius est, ais, id quod factu facile est ostendi. Vt hoc tibi & Marcello donemus, quomodo probabitis, si ab aliqua ui potest id quod facilius effici, posse & ab eadem id quod difficilius? Potest enim imbecillis senex libellam plumbi ferre, qui non poterit myriadem. Possunt gummi in hac ui imbecilles calculum renum confringere, non tamen uesicæ. Peccat igitur quicunq; apud Dioscor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Calculos uesicæ frangere nullũ medicamen potest.

legens, Gummi calculum perfringi, adiícit id quod difficillimũ, ſcilicet ueſicæ. quod adeò difficile eſt, ut multi ſint qui negent inuentri uſqueadeò efficax medicamen, ut id efficiat bibitum. Boni itaque Interpretis officio melius functus erat Marcellus, ſi quoties nulla eſt apud Dioſcoridem, medicamini cuipiã calculi frãgendi uim adſcribentem, renum ueſicæ ue mentio, nihil ipſe plus addidiſſet, quàm quod apud Dioſcoridem legebat: ſed integrũ reliquiſſet legentibus medicis, num tanta uis medicamini adeſſet, qua ueſicæ calculus poſſet perfringi. Sed hac de re nimis multa, ut de qua ſuperius fuerit ſermo. Receptui iam canendum, ut ſi quæ ſuperſunt copiæ, ad feliciorem pugnam integræ adſeruentur. Vale uir doctiſſime pariter & amiciſſime. Ferrariæ.

EPIST. III. Ioannes Manardus Barth. Tingo Piſtorienſi medico S. D. Interpretatio Marcelli in reliquos Dioſcoridis libros examinatur.

SVadebant olim nonnulli amici, quorum conſilio in re literaria uti ſoleo, ut eam cum alijs in publicum Epiſtolam darem, in qua primum Dioſcoridis librum per Marcellum latinitate donatum, conſultis græcis exemplaribus, ſub examen rationis adduxeram. Quibus ego morem gerere prius nolui, quàm tuam in hoc ſententiam exploraſſem, qui ad auſpicandam inter nos amicitiã ueluti proxeneta extiteras & mediator. Conſultus igitur tu à me per literas, eam minime publicãdam duxiſti: parum decere putans, ut quæ amicè inter nos fuerãt agitata, in omniũ notitiã peruenirent. Tuis itaq; monitis acquieſcens, nõ ſolum ab æditione Epiſtolæ abſtinui, ſed & examinare reliquum operis deſtiti: uni tibi plus in hoc tribuens, quàm pleriſq; contrariũ ſuadẽtibus: inter quos erant qui affirmarent, Marcellum apologiã & cõſcripſiſſe, & Leoni põtifici nominatim dicaſſe: ut uel ex hoc me quoq; ad æditionẽ animarent: nullam iniuriam amicis fieri dicentes, ſi ſepoſito omni liuore, quiſq; quod ſibi uidetur, ueritatis ſtudio & legentium uſui, quieto & pacato animo, & ſcribit, & publicat. Nullis tamen rationibus adduci ad hoc potui, ne importunus uideri poſſem, ſi ſeni amico & ualetudinario negociũ faceſſerem, & moleſtiam adferrem: amico præcipue alio, te uidelicet, diſſuadente. Poſtquam uero mœſtiſſimum de illius morte nunciũ accepimus, negare itidem eſſlagitãtibus amicis nõ amplius potui, quin reſiduo libri perlecto, quæ ſecus ac ille uel legebã, uel intelligebam, annotarẽ. Ea qualiacũq; ſunt, ad te mitto, ut uel, ſi tibi uidebitur, unà cum ipſo Marcelli Dioſcoride, quẽ & nunc (ut audio) ſub prælo affines tui Giontæ habent, in lucẽ ueniãt, uel cum bona tua uenia alibi publicentur. Quanquã enim in his, ut in prima etiã epiſtola, nõnulla ſunt quæ leuiuſcula mihi ipſi etiã uidẽtur, nõnulla in quibus facile defendi Marcellus poſſit: uidebis tamẽ (ni fallor) multa ad rem, id eſt medendi artẽ ſpectãtia, in quibus ille ueluti homo, atq; homo qui in libris poëtarũ & oratorũ magis quàm medicorũ uerſabatur, aperte eſt lapſus: quæ ſi incaſtigata remanſerint, poſſint & multis medicis imponere, & hominũ uitæ non parum obeſſe. Nec eſt ut quiſpiã uereatur, manibus Marcelli iniuriã hac æditione fieri. Si quis enim harũ rerum illi ſenſus eſt, putãdum eſt gauiſurũ potius, bonisq; conſulturũ, quicquid bono animo, ueritatis inueſtigãdæ gratia, cuius inter nos agens ſtudioſiſſimus ſemper fuit, ſcriptis mandatũ eſt. Nõ ſecus etiam te facturũ confido: atq; quoſcunq; Marcelli ſtudioſos, ut factãt, moneo, rogoq;. Nec me aliam ob cauſam hæc & ſcripſiſſe & publicaſſe putent, quàm ob ueritatis amorem, & amicorum id petentiũ obſequium. Sed iam rem ipſam aggrediamur, orſi ab his quæ in fine primi libri aduerſus Hermolai æditionem diſputauit.

Marcellus medicæ artis imperitus.

Probari

PROBARI inquit Dioſcorides, Iridem quæ ſit τῆς ὀσμωδεστέρας ἐλλιπεχνὴς νῦ μὴ νοπίζουσα. Cap. 1. Hermol. olfactu ſyncero non madido: Marcellus ſermonis ſeriem & uerborum ductum oſtendere ait ad Iridem, non ad odorẽ eius referendum participiũ νοπίζουσα, & propterea, humore nõ lenteſcens, Iris ſcilicet, non odor eius, conuertit. Ego ad odorem pertinere nõ dubito, ſicq; propemodũ ad uerbũ transferrẽ: Olfactu ſyncera, nec ſitũ obolens. ſitus enim corruptionẽ quãdam ſignificat ex diuturna mora rei in humido loco, quæ tetrũ quendam odorẽ ſpirat, qui etiã ſitus uocatur. Vnde Plin. crocum damnat quod ſitum redolet, aliiſq; locis odorẽ quendam terræ nominat. *Situs.*

DAMNAT cap. 2. quod τὰ γυναικεῖα deſideria mulierũ appellauerit, multisq; teſtimonijs probat ea uoce menſes ſignificari. In qua re certe laborãdum non erat. Sciunt enim hoc quicunq; aphoriſmum Hippoc. legerunt libri quinti 28. ſed oſtendere debuit, non aliud poſſe quãdoq;, præcipueq; eo loco ſignificare: cuius contrarium nos cap. de Acoro, prima epiſtola probauimus. Quanquã ſi à nobis locus ille uertendus eſſet, nec Marcelli, nec Hermolai exemplo uerteretur, ſed in hunc modum: Facit & inſidentibus ad muliebria Iridis modo. Hermolai tamen traductionem magis quàm Marcelli probamus: ſatis intelligi huiuſcemodi deſideria putantes, per ea quæ in Iride dicta fuerant: præter enim menſes, quos potam Iridem ciere dixerat, mollire quoq; eius decoctum uteros fotu aſſeruit & reſerare. Cap. 2.

Nec pariter probauerim Marcellum, id quod Dioſc. dixit, miſceri panacem κεφαλικαῖς δυνάμεσιν, de his tantum quæ contra cephalæam componuntur intelligentem: ſcimus enim κεφαλικὰ à Græcis uocari, non ea tantum quæ uehementi illi capitis dolori conferunt, cephalæa uocato: ſed quæcunq; alijs etiam capitis affectibus ſunt utilia: ad quem modum Celſus cephalicã emplaſtron quandam Philotæ nuncupauit, capitibus fractis accommodam. Et Galen. in lib. de medic. compoſ. ſecundum genera, multas tales componere nos docuit. Nihil igitur aliud uoluit Dioſcor. niſi his compoſitionibus panacem miſceri, quæ ἕνοπτα, & his quæ κεφαλικὰ à Græcis appellantur: à qua ſententia non multum remota eſt Hermolai interpretatio, miſceri dicens acopis, & his quæ ad deſideria capitis componuntur. *Cephalica.*

In θηριοδήκτοις non eſt ut laborem Hermolaum defendendo, Plinij in re literaria, præſertim in his quæ ad latinæ linguæ eruditionẽ ſpectant, imperatoris inuicti clypeo ſatis tuti. Sed illud potius notandum, quod ad rem, hoc eſt, ad curatiuam artem pertinet, non bene dici à Marcello, quæ à morſu beſtiarum fiunt uulnera, communi aliorum curatione eſſe curanda: propriam enim hæc curam deſiderant: & ideo ſeorſum de illis ſcribunt medici, quoniam uenenoſitatis cuiuſdam & ipſa participant: ut propterea melius fuerit ubi θηριόδηκτα legimus, communi ſerpentibus & quadrupedibus uoce ferarum uel beſtiarum morſus reddere. *Morſus beſtiarũ propriã curationẽ deſiderare. θηριόδηκτα.*

SI calumniandus eſt Hermolaus, Cyperi folia porraceis dicens longiora & exiliora, quæ Dioſcorides Porro ſimilia dixerat, longiora autem & gracilliora: certe nec calumnia multis in locis carebit Marcellus, longe magis à uerbis Dioſcoridis recedens, quàm hoc loco Hermolaus: alioqui uerba ipſa quibus ipſe uſus eſt, ſimilem porri uidentur oſtendere. *Cap. 4. Hermolao pætrocinatur.*

Defendit quoq; Hermolaum eodem cap. uulgatus nuper codex, in quo ſic ad legitur: ῥίζαι ὑπεισιν ὧν ἡ χρῆσις, ὥσπερ ἐλαίας σωκάρπου ἐλαιώδεις. hoc eſt ad uerbum: Subſunt radices quorum & uſus eſt, ueluti oblongæ oliuæ ſimiles.

IN CARDAMOMO non auſim tueri Hermolaum, pro calore feruorem reddentem. Velim autem Marcellum, quod in alio reprehendit, in ſua interpretatione cauiſſe, nec ſimili errore lapſum, unam pro alia (quod ſæpe, ut prima epiſtola notauimus, fecit) uocem reddidiſſe. *Cap. 5.*

DE nardo in ead. epiſt. ad Marcel. ſatis oſtẽdimus, poſſe cardiogmi uoce, cordis morſum intelligi. Nũc addimus, nõ abſolute uerũ eſſe, quod hoc loco ſcribit Marc. *Cap. 6*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cor affectũ cuiuis posse cõtrarí Marcellum.

Cor περὶ πρωτοπαθῶν, hoc est, primarium affectum offensum, nullam medicæ artis opem admittere. Scimus enim quamplures cordi primarios morbos cõtingere, qui & per se, & medici auxilio, nec difficilem curationem accipiunt. Scimus etiam, Galeno docente lib. 4. aphor. 66. aliquos medicos cordis παλμῶς, cardiogmos uocasse: cuius contrarium asserit eodem loco Marcellus.

Cap. 7.

REPREHENDIT præterea Hermolaum, quod contra Dioscoridis præcepta nardi Gallicæ purgationes docuerit. nos uerbum ex uerbo Dioscoridis sertem uertemus, ut integrum sit unicuiq; græcas literas non callenti, uter melius autoris mentem expresserit, iudicare. Caulium, inquit Dioscorides, tantum & radicũ usus est & odor. Quare oportet ante unam diem conspersos aqua fasciculos, & à terreno emundatos, super humido sternere pauimento, supposita prius charta, posterio re autem die expurgare. Non enim simul cum paleari & alieno, id quod utile est expurgabitur.

Cap. 19

CAPITE de Aspalatho, pecus pro embryo trãsfert Hermolaus, Apuleij herbarium sequutus: quod arguit Marcellus. Ego alijs hanc litem dirimendam relinquo, contentus signasse autorem, quem forte Hermolaus est imitatus.

Cap. 28.

IN OLEO, cap. 28. pro uoce μαλακλινῷ, non bene dictum ab Hermolao putat, lenit, referendum ad aluũ iudicans. Ego cum superius μαλακλινῷ γαστρὸς oleum dixerit, libentius hoc loco intellexerim, uim molliendi quæ obduruerint. Non agnosco etiam in uerbo καθαίρειν, mitiorem illam quam Marcellus, purgationem: cum uideam Hippoc. in uehementibus purgationibus, ualdeq; laboriosis ea uti, & cathartica à medicis dici, etiam quæ cum magna ui purgant, sicuti elleborus & scammonium. Ad fœminas Hermol. retulit, quod de ileosis eodem cap. scribit, quia (ut ego quoq; in meo) & ipse in suo codice πῶς τὰς ἐιλεώδεις legebat.

Cathartica.

Cap. 50.

CAPITE de Ocimino unguento, in uulgatis nuper codicibus, nulla Liguſtri mentio: ut mirum uideri non debeat, si aliter Hermolaus quàm Marcellus legerat, non consentientibus sibi inuicem exemplaribus, neq; ulla suppetente euidenti ratione, quare una præ alijs lectio probanda sit. Ego tamen potius eam laudauerim, in qua non nominatur Liguſtrinum unguentum, ceu adhuc incognitum, nec cuius antea docuerit Dioscorides confectionem.

Multa & alia in Hermolai interpretatione taxat Marcellus, quæ ad secundum librum festinans, consultò prætereo: uel quia leuioris notæ, uel quia in prima epistola defensa, uel quod in eis ego quoq; peccatum cognosco, aut Hermolai, aut, quod libentius crediderim, librarij. Placuit autem breuitatis gratia alium modum in sequentibus libris sequi, uerba uidelicet Marcelli quæ castigationem desiderare uisa fuerint, signando: dehinc prima litera mei cognominis præsignata, addere quæ mihi uidentur: & hoc absq; ulla præfatione, locũ duntaxat libere notans, integrumq; lecturis relinquens, utram sentẽtiam maluerint approbare: non enim tantum mihi arrogo, ut mea uelim quasi extemporanea, Marcelli meditatis, absq; magna indagine præferri.

LIBRO SECVNDO.

Cap. 2. de terrestri Erinaceo.

Renum cum urinæ malo aliquo doloribus.] MAN. nephriticis ait Dioſc. Nos autem in epistola superiore ad Marcellum ostendimus, non bene eam uocem sic uerti, ut Marcellus semper facit.

Solidæ partes in aquã resolui non possunt.

Toto corpore resoluentibus se in aquæ naturam solidis partibus.] MAN. multi hic errores: neq; enim solidæ partes uel in hoc, uel in alio morbo in aquam resolui possunt: nec tumor qui in membris hypofarcidio laborantibus ostenditur, ab aqua, sed à pituita fit.

Et his, quorum corpus macie conficitur.] MAN. legendum elephantiosis, & his qui

his qui mali sunt habitus. Verba enim Dioscor. sunt, ἐλεφαντιῶσι & κεχοίκοτες. Ex lib. II

Maiore ui tamen urendo exulcerat.] MAN. ad uerbum, causticis magis sunt. Cap. 4.

Utilissimum & utilissime.] MAN. lege utilem & utiliter.

Difficillime eadem corrumpitur.] MAN. difficile. 9

Facillime.] MAN. facile.

Fluuiatiles uirus habent.] MAN. βρωμώδεις à Dioscoride dicitur.

Syluestribus.] MAN. syluestres, ut uidelicet cochleas ipsas syluestres intelligas.

Possunt crematæ omnes] MAN. crematæ earum testæ.

Viuentibus cochleis exempta caro.] MAN. lege, uiua caro.

Præsenti remedio.] MAN. φάρμακος, id est, aperte. 10

Spica folio ue nardi.] MAN. lege, spica nardi, aut folio, aut malobathro. 16

Venenatorum morsibus.] MAN. θηριοδήκτοις, quæ uox mihi ferarum morsus significat, ut primo libro dictum. 24

Τένοντας uideo appellari omnes chordas, tendones à nonnullis uocatas, non tantum ceruicis, ut Marcellus putauit, essẽque rem à neruis diuersam, sicut & copulæ sunt, quibus ossa inuicem copulantur. 25 Tenontes. Copulæ.

Fauces.] MAN. ἀρτηρίας, id est, asperas uocatas arterias, quæ aliud sunt à faucibus, ut primo libro dictum est. 26

Salsamentoso liquore fouentur.] MAN. ἁλσὶ ἐγκάθισμα, id est, si in eo sedeant.

Rabidorum canum.] MAN. simpliciter canum scripsit Dioscorides: sicuti aliàs sæpe, ubi Marcellus rabiem addidit. Morsus uero canum absolute per uocem κυνοδήκτων esse intelligẽdos, Galeni testimonio patet, in hoc Dioscoridem non probantis, quia nihil propriũ habere morsus canis non rabidi uidetur, quin idem adsit alijs quoque morsibus. 30

Sistat & emendet.] MAN. communis lectio, ut ipse quoq; Marcellus testatur, habet ὠφελεῖσι, id est, iuuat: & satis quadrat, siquidem à Galeno & alijs, pleraque urendi uim habentia, dysentericis injiciuntur. 31

Eius canali.] MAN. ὀρθικῷ πορῷ, id est, meatui per quem lotium egreditur. 33

In aquosis & humidis.] MAN. legendum ὑπὸ τὰς ὑδρίας, id est, sub hydrijs: intelligendasq; situlas aperte docet Galenus, dicens plurimos ruri sub his hydrijs nasci, quibus à fontibus aquas rustici ferunt, & prope focum reponunt. 34

Arcentur excitandæ in pedibus.] MAN. clarius Dioscoridis mentem Hermolaus est assequutus, attritus calciamentorum conseruari dicens absque inflammatione, ut scilicet intelligamus locum à calciamẽtis læsum, his pulmonibus ab inflammatione defendi. 37

Nyctalopas uocat Galenus, sicuti & Paulus, eos qui interdiu uident, uesperi parum, noctu nihil: ut uel ex hoc intelligi possit, libros Definitionum, & Isagogen (quorum autoritati Marcellus nimis credens sæpe lapsus est) non esse inter Galeni commentaria numerandos. 38

Aliquot diebus.] MAN. ἱκανὰς ἡμέρας, multis diebus, ego libentius cõuerterim. Galenus continuè. 40

Lichenis seu impetiginis naturam, non bene descripsit Marcellus: fœditas enim quædam est scabie leuior, nisi ex earum numero sit quæ feræ dicuntur. 41

Soleæ.] MAN. διφθέρας, id est, pelles, scripsit Dioscorides. 42

Cibum in stomacho non continentibus.] MAN. στομαχικοῖς, scribit Dioscorides. Ego uel eadem uoce scriberem stomachicis, uel uentriculi imbecillitate laborantibus, sicuti etiam libro primo latius monui. 43

Gallorum uero.] MAN. in secunda Dioscoridis æditione ea uerba sunt addita, quæ à Marcello afferũtur. Ego uero apud Galenum lego ὠφελεῖ τοὺς ἀλεκτρυόνας διὰ κέρ, id est, retentricem uim ius simplex gallinæ habere. Et propterea suspicor in uerbo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ὠμὴ πρῶσις, apud Dioscoridem mendam esse, fuisseq; eandem utriusque sententiam, gallinæ quidem iunioris ius uentrem adstringere, antiquorum gallorum purgare: iudicandum tamen hoc peritioribus relinquo.

Eorundem in senectute gallorum.] MAN. accreuisse hoc remedium Dioscor. cum Marcello sentio.

Cap. 44 Glutinat.] MAN. græcè ἐμπλαστικὸς, quod uerbum aliam proculdubio habet significationem, ut Galen. docet lib. 5. de simplicib. medic. Emplastica enim ea esse dicit quæ ita hærent corpori, ut auelli difficulter possint, meatusq; obstruant. Emplastica.

46 Crassioribus cruribus.] MAN. μεγαλόκωλος, inquit Dioscorides: & propterea magis placet, ut magnis, quàm ut crassioribus dicatur: & extremis membris, nō tantum cruribus.

49 Lapillos inuenies duos.] MAN. legit, lapillos inuenies, ex quibus duos accipies. sic enim loquitur Dioscorides, & experientia ipsa plures inueniri testatur.

Bucculæ.] Dioscor. λαμυλλωσ.

52 Cum spinæ quam tragacantham appellant.] MAN. non addit tragacanthon Dioscor. nisi post uesicæ dolores. & Galen. qui ad reliquos hic enumeratos affectus, præter uesicam, laudari hoc cornu dixit, tragacanthæ nō meminit: quo fit ut Barbarum in hoc magis probem, doloribus tantum uesicæ tragacantham addentem.

54 In summum corpus calorem trahere.] MAN. Quum simpliciter dicat Dioscor. quod calefaciunt, nescio quare Marcellus tot uerba addiderit.

Antidotis ad ciendam urinam factis.] MAN. non sic Dioscor. sed quod antidotis miscentur ueluti urinam mouentes.

56 Plagellæ confricatus.] MAN. Dioscor. sententiam non bene expressit Marcellus: iubet enim Dioscor. emolliri hoc animal cum aliquo ex uocatis Splenijs, mox fronti aut temporibus apponi.

57 Pellit.] MAN. scribe uel intellige, amouet uel aufert: quod etiam ipsemet Marcellus testatur.

62 In confesso apud omnes,] MAN. ὁμολογῆται simpliciter dixit Dioscor. hoc est, creditur, uel in confesso est.

63 Saporis & succi.] MAN. alterum intelligi oportet, non utrunque. δύχυμον dixit Dioscor. quæ uox mihi eo loco boni succi significat: ferè enim eo solo significato in usu medicorum ea uox est.

Aliud tamen mollit.] MAN. nescio quare additum sit, tamen.

Pingue.] MAN. adde, ualde.

Ideoq; non tantopere utile.] MAN. lege, non adeò autem stomacho utile.

Magis aluum soluunt & turbant.] MAN. δυσεντεριώτερα, id est, uentri meliora: nec ulla hic de turbatione mentio.

Et uomitiones.] MAN. lego, nauseam.

Papularum eruptiones.] MAN. exanthemata Dioscor.

Heminis per interualla temporis usque ad quinas.] MAN. clarius meo iudicio Hermolaus: heminis per interualla singulis usq; ad quinas.

64 Corpus auget.] MAN. carnem facit.

Ab elixatione statim sepositus,] MAN. lege, expressus, scilicet ἐκθλιβείς.

Facillime digerit.] MAN. clarius Hermol. & fidelius: facilis reddi, id est, facilis distribui in mēbra: hoc enim significat δυσπεπτον uox, qua hoc loco Dioscor. usus est.

65 Pingue nitensq;.] δύτροφον.

Pustulis similes.] MAN. cum pustulæ ueræ sint psydracia, miror quare similes pustulis dicat.

Virosum.] δυσῶδες, id est, mali odoris.

Deradito.] MAN. penna, addit Dioscorides.

Ex aceto,

Ex aceto, oleo.] MAN. lege, ex aceto & oleo, uel uino.

Concretum sanguinem.] MAN. lac lego in ultimo impresso Dioscoride: ad utrunq; tamen ualere testis est Galenus. Cap. 66 67

Fœminarum mensibus accommodus.] MAN. πρὸς τὰ γυναικεῖα, id est, ad mulebria. & latius patet, ut primo libro demonstrauimus.

Albuginibus.] MAN. ἀργέμασι aliud sunt quàm λευκώμασι, quæ significant albugines. 70

Et puerorum ulceribus.] MAN. adde, oris.

Præsenti utilitate.] MAN. hoc in Dioscoride non legitur.

Matricum equarum quæ admissuræ inseruiunt.] MAN. magis probo ut legatur, admissariorum equorum quos matricibus equabus præferendos existimo, Galeni & Arabum testimonio, cui & res ipsa suffragatur, cum mares fœmellis sint calidiores. 71

Si prægnantes eo linantur.] MAN. nescio quomodo additum sit, prægnantes, quod uerbum in Dioscoride non legitur. Alioqui prægnans periclitatur, potius ut aborsum faciat, quàm ut sterilis sit.

Et ulcera quæ à serpendo herpetas dicunt.] MAN. non ulceris nomen herpes est, sed tumoris, ut primo libro à nobis ostensum est. 72 Herpetes.

Et ulceribus quæ thymos uocant.] MAN. nec thymi ulcera sunt, sed ad uerrucas pertinent. Thymi.

Caprinum tritum.] MAN. lege, aprinum.

Inter duos neruos.] MAN. hoc non legitur in Dioscoride.

Exterit urina.] MAN. hic additum est, urina: quæ uox facit, ut de humana loqui uideatur, non de canina. 73

Quæ pascendo serpunt genitalium uitia.] lege, & genitalium: ita ut quæcunq; serpunt, atq; etiam quæ in genitalibus serpunt, intelligatur.

Colore rutilo.] ξανθαίνοσ, id est, subflauo.

Tynnorumq; salsæ carnis cibi.] MAN. scribente simpliciter Dioscor. ἐκ τάριχος, nescio quare Marcellus ad Thynnorum tantum salsuram contraxerit. 74

Exulceratæ uesicæ.] κύστις κακακωμένη. quæ uox non ulcera tantum, sed mala omnia significat.

In calefaciendo & extrahendo maxima.] MAN. ualide calefacere & trahere dixit Dioscorides, non maxime. Galenus in secundo ordine ad tertium usque calefacere, ac uehementer attrahere. 76

Luteo colore.] MAN. fidelius, & ad rem accōmodatius Hermolaus, in luteum uergens, μιλτίζοντα scripsit Dioscorides. 77

Rabidi canis.] MAN. tacendum erat rabidi, ut suprà.

Plantarum uitia callos, scilicet in pedibus.] MAN. Dioscor. callos non nominat.

Maxima molliendi refrigerandiq; ui.] MAN. uerborum ductus monstrat panem esse frigidissimum, quod & falsum est, & à Dioscoridis mente alienum.

Præsertimq; admixtis succis herbis.] MAN. lege, mixtus herbis succisq; quibusdam. & est sensus, panem crudum quibusdam herbis aut succis mixtum, uim habere refrigerandi.

Quæ tamen ex farina eius ptisana facta est, ob expressum in coctura succum.] MAN. duo uerba addit Marcellus, quæ ptisanam Dioscor. turbant, farinam uidelicet & expressionem. Nunquam enim miscenda farina, nec exprimendum hordeum, nisi quando succum ptisanæ, non ptisanam uolumus parare. Et propterea laudanda in hac parte Barbari interpretatio, quæ hoc pacto iacet: Ptisana magis alit quàm polenta, quoniam hordeum coquendo succulentum sit. 78

Tumores collectionesq; omnes,] MAN. clariorem fidelioremq; fecisset intere-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pretationem,dicens,œdemata & phlegmonas.

Duritiesmollit.] MAN. συμπέπτ, id est,concoquit.

Expressus cum aqua.] χυλωθὲν. Hermol.fidelius,insuccata.

Postremo quæ in finem capitis huius septuagesimioctaui adnotantur à Marcello de polenta,ptisana,& ea quæ à Græcis uocatur ὠμήλυσις, Galeno & bonis medicis non consentiunt, & propterea repudianda sunt, & ex legitimis Galeni scriptis
Polenta. modus colligendus,quo tria illa sunt parãda: Polenta quidem ex uiridi adhuc hordeo:
Ptisana. Ptisana ex sicco,integro,plenè cocto: Omelysis ex eodem sicco, mola in pul-
Omelysis. uerem,hoc est farinam,redacto.

Cap.81 Quæ mirifice nutrit.] Dioscor.ἱκανὸς, id est,satis.

85 Cremor.] lego apud Dioscor.χυλός. quæ uox mihi succum,& sæpe etiam Marcello significauit.

90 Stellionum & Ceraſtarum morsibus.] MAN. ut legẽdum putem Colicis,loco Stellionum,præter communem lectionem, facit conformitas Arabum,& Serapionis præcipue,qui uerbis Dioscor.hoc dicit. Facit & res ipsa,modice enim calet Sesamus,& pinguedine tenacitateq; sua mollire aluum potest.

91 Cum bitumine.] MAN. communi lectioni concordat idem Serapion: nec uideo cur suffiri non possint lolium & polenta.

93 Facit ad collectiones.] MAN. phlegmonas ait Dioscorides.

94 Omnes intus foriscq; inflammationes.] MAN. labitur hic Marcellus, idq; peccat quod in alijs reprehẽdit,scilicet quod uocem φλεγμονὰς, quam priore capite collectiones,hoc iam loco inflammationes uertit.

Aut despumato melle.] Dioscor. ἑφθῷ, id est,cocto: nulla enim res est quæ cogat,ut hoc loco despumetur.

Ex ficulneo cinere.] MAN. κονίᾳ Dioscor.quæ ex quolibet cinere fieri potest,si
Conia. Galeno credimus,id quod ueluti ablutio cineris est,Coniam uocanti.

95 Renes tamen & exulceratam uesicam lædunt. MAN. Modus iste loquendi ostendit Cicera simpliciter renes lædere,quod ueritati repugnat:& propterea sic ad uerbum fidelius quis transferret,Lædunt autem & uesicam exulceratam & renes.

96 Insomniosa est.] MAN. ἐνυπνιαστικὸν, id est,mala faciens somnia.

In ultimæ impressionis græco codice additur,media in calefaciẽdo & infrigidãdo.

Strumas.] MAN. Nulla hic de strumis mẽtio: nec tanta uis fabæ est,ut hoc præstare possit,nisi fortioribus medicinis adiuta.

Discutiunt ijdem strumas.] MAN. facit hoc ut credamus strumas superius legi non debere: estq; rationi magis consentaneum,alumini & antiquo oleo assocíatos cortices hoc facere posse.

97 Asia Ciliciaq;.] MAN. non hoc Dioscor. sed quod plurima quidem nascitur in Aegypto: tamen in Asia quoque & Cilicia palustribus locis inuenitur. Exigui momenti scio esse hunc errorem, sed à susceptomihi munere non alienum uisum est, etiam ad hæc minora aliquando descendere.

98 Grauia & tumultuosa somnia.] MAN. eadem hic quæ cap. nonagesimosexto de faba uox,hoc est, δυσόνειρα, aliter tamen à Marcello uersa: quod Marcellus crebrò in alijs reprehendit.

Aut siccis rosis.] adde,& synceris gallis.

Quæ omnia post coctura abijcienda erunt.] MAN. non omnia abijcienda dicit Dioscor.sed gallas tantũ, ueluti rem cibo miníme idoneam: post gallarũ enim mentionem statim addit, αἴλουρος μετὰ τὴν ἀφαίρεσιν ῥίπτου. hoc est,quæ,uidelicet gallæ,post coctura abijciũtur. Esse autẽ hanc meliorẽ lectionẽ ex hoc ostenditur,quod post illa uerba,Rhum cum alijs enumerat. Alioqui quare pira,& coronea (ut alia mittam) à pultario sunt abijcienda? taceo Serap. autoritatẽ aperte huic lectioni suffragantẽ.

Crustas

Crustas erumpit.] MAN. intellige,ab ustione factas: ἐφεψήσας enim dicit.

Verum oportet diligentissime Rhum cum aceto illo decoquere.] MAN. fidelius quis,si non adeò eleganter,hoc pacto conuerterit: Oportet autem acetum accurate illi concoquere: nisi enim hoc feceris,uentrem turbat. sic enim integrum erit legenti,uel de lente,uel de Rho seu Rhu intelligere.

MAN. Phasiolum aliud esse à phaselo,ex Galeni sententia in quadam nostra epi- Cap.99
stola ostendimus,uocaricq; à Theophrasto dolichum,latine eruiliam.

Et his quæ contra uenenata ad leuandos somno dolores conficiuntur.] MAN. 102
Tot uerbis duo nobis Dioscoridis uerba reddidit Marcellus,nec scio an recte: anodynis enim Theriacis misceri rapi semen dixit Dioscor. Sunt autem anodyna medi- Anodyna.
cis,non solum quæ somno,sed multo uerius quæ caloris moderamine dolores mitigant: quod etiam non semel dictum est in alia epistola.

Cutem subeuntibus aquis,lienosisq; utiliter raphanus emplastri modo impo- 104
nitur.] MAN. fidelius hoc pacto uerbum uerbo reddideris: Cortex cum oxymelite sumptus uomitum magis mouet,aqua intercute laborantes adiuuat. Emplastri uero modo applicitus,etiam lienosis conducit.

Marinam brassicam folia habere longissima & tenuissima,scribit Dioscor. Marcel- 111
lo interprete. Ego in uno exemplari lego,longa & tenuia: in alio,longa tantum.

Adstringũt ambo.] M. oẽs legẽdũ, tres eĩ numeratæ sunt, & πᾶσαι scribit Dios.

Annotat Marcellus sub finem huius cap. de Brassicis,quod solis uenenis & uenenatis antidota respondent. Ego autem aperte cõtrarium uideo Galenum dicere in principio libri de Antidotis,& Paulum Galeni uerbis lib. 7. suæ medicinæ.

De Plantagine maiori Marcellus ait,Latiore folio & oleris figura.] MAN. πλα- 115
τύφυλλον ὃ λαχανώδες. ad uerbum,latifolia & oleracea. Nec scio diuinare,quænam sit oleris figura,quum nõ minor sit in oleribus figuræ uarietas,quàm in reliquis herbis: nisi fortè brassicam per olus intellexerimus,ut fieri posse alibi docuimus.

Et canum morsibus subuenit.] MAN. mirum quare non addidit rabidorum: non quia id uerbum addat Dioscor. sed quia ita consueuit κυνόδηκτα interpretari. Dimisit quidem combusta,quæ Dioscor. cæteris coniunxit.

Plantaginis olus.] MAN. ecce quod plantago inter olera numeratur,& ut olus Plantaginẽ oleestur. Pro beta autem dicit dari cum lenticula,quoniam consueuerãt antiqui betam racem esse.
miscere lenticulæ,ut testis est Galenus.

Vesicæ calculi.] MAN. λίθος simpliciter scribit Dioscor. nescio aũt quæ causa impu- 116
lerit hunc uirum ut semper adderet uesicæ,quum longe difficilius sit hos quàm eos qui in renibus sunt & frangere & educere,ut in epist. ad ipsum Marcel. dictum est.

Sunt qui serpyllum.] M. in noua Dioscoridis æditione additur ἀγρίου, id est,syluestre. 117

Vtrunque genus.] MAN. hæc uerba in nullo exemplari lego,eaq; accreuisse omnino credo,cum sint primi Sisymbrij medicinæ,proprio cap. plenè recitatæ.

Cubitali altitudine.] Dioscor. non cubitalem,sed fermè cubitalem dixit. 118

In duos statim folioſos.] MAN. magis placet,ceu rei ipsi magis accõmodatum, ut undique foliis plena Batis ista dicatur: non enim uideo quod in duos statim ramos scindatur.

MAN. Quum hæc herba non solum in censu olerum reponatur, sed & ipsa & 119
radix in cibum uenire à Dioscoride dicatur, magis credendum his qui eam uulgò dici herbã stellæ,qua in acetarijs passim utimur,quàm his qui Capreolam, uel aculeatum gramen dicunt, iumentorum potius quàm hominum cibum: quanquam nec illi sine ratione sunt loquuti,ob Psyllij similitudinem.

Angulosus.] MAN. γωνιοειδὴς: quam uocem aliter (si recte memini) primo li- 120
bro cap. de Asaro,interpretatus est,scilicet angulorum forma: ubi nos diximus,nihil angulorum formam esse posse nisi angulos habeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap.121 Aliter legitur capitis huius initiū in recens ædito græco codice, in hunc modum: Seris ſylueſtris eſt & domeſtica. Sylueſtris, Picris aut Cicorion uocata, latioribus foliis conſtat, meliorq; ſtomacho eſt quàm domeſtica. Domeſticæ rurſus duplex genus eſt &c. Non facile autem concordauerint ea quæ Dioſcor. uerbis à Marcello dicuntur, cum his quæ ab eodem dicta ſunt in commentario.

122 Liquore lactis.] in meo Dioſcoride nulla lactis mentio.

Inanem.] κόφλω, id eſt, pondere leuem.

123 In ardore febris, ſumma corporis ſuperficies.] MAN. πῶς καυσαφλώλω, id eſt, cau-
Cauſus. ſum patientem. Eſt autem cauſus, febris ab incendio ſic nominata.

125 In ſomnioſis potum ſemen eius opitulatur.] MAN. lege, uel ipſomet Marcello docente, Venerem aſſidue ſomniantibus opitulatur, & concubitum arcet.

130 Pulmonum inflammationibus.] MAN. neſcio unde accreuerit Marcello uox pulmonum, quæ huic loco abſq; dubio minime congruit.

Quibus atra bilis nocet.] MAN. fidelius, quibus atra bilis gignitur.

131 Et ſine folijs.] MAN. ſub pinguibus folijs lego in nouo Dioſcoride.

Albeſcente & in luteum inclinante.] MAN. ego inuenio, ſubalbo, uel ad luteum uergente.

Creditur.] δοκεῖ, id eſt, uidetur.

Inter legumina.] MAN. adde, quædam.

138 Folia ipſa.] MAN. lego, ipſum porrum, ſine foliorum mentione.

Carbunculos.] MAN. ἐχαράς, id eſt, cruſtas ex aduſtione relictas: ita enim & ipſe Marcellus alibi conuertit.

140 Erodendi.] MAN. δηκλικὰ: quæ uox, ut primo libro monuimus, mordendi potius quàm erodendi ſignificationem habet.

Extenuant ſtomachi ueluti ex repletione faſtidia.] MAN. λεπτυντικὰ, δηλωδὴ, ἀοσώδη. Legendum ergo, ſi error fugiendus, attenuant, ſitim faciunt, & ſtomachi ueluti ex repletione faſtidia.

Laxant.] MAN. clarius & ſecurius uerteris, ſi reſerant dixeris: laxandi enim uis alia eſt medicis quàm aperiendi. Addendum etiam, à cortice purgata. Sic potes aduerbum fideliter conuertere: Excrementis, hisq; præcipue quæ per hæmorrhoidas exeunt, aditus aperiunt: pro balanis etiam ſubijciuntur, exſquamatæ & oleo immiſſæ.

Rabidorum canum.] hic etiam abſq; cauſa additum eſt, rabidorum.

σκυβαλα non bene interpretatur Marcellus aridiora ſtercora, uulgus potius medicorum, quàm Galenum & alios bonos ſequutus, quibus ea uox omne ſtercus ſignificat, non id tantum quod plus nimio aruerit.

141 Concreto capite.] lego, μονοκέφαλῳ, id eſt, uniceps, uel unius capitis.

Porri modo, & reliq.] MAN. omnia hæc uerba deſunt in nouo græco codice, uſq; ad eum locum, Vocantq; in eo: quæ neq; à Serap. afferuntur.

Erodit.] MAN. nihil lego in meo Dioſc, quod illi uerbo reſpondeat.

143 Nec rubeat.] μὴ καπέξηρον καὶ καπάπηρον ἀδῆρον. Hermolaus negationem ad primam tantum dictionem ferens, quod nō obtinuerit dixit, quod rubens adultumq; ſit. crediderim ego ruborem in bono deſiderari.

Eaq; ratione.] MAN. Marcellus Hermol. taxat, purgare per ſternutamēta ſinapi dicentē, cum nulla ſit eo loco in Dioſc. purgationis mentio. Nec (iuxta euāgeliū) qui in alieno feſtucā, in proprio oculo trabem uidet, addens & ipſe uerba hæc, Eaq; ratione: dicente ſimpliciter Dioſc. cōmitialesq; iuuat. Et paulò poſt ſcribente Dioſcoride, mixtum ficis, & ad ruborem uſq; impoſitum, coxendicum dolores iuuat, nec plus: ipſe uertit, Fico mixtum ſubactumq; ſinapi, mox impoſitum uſquedum cutis cum cruento rubore exulceretur, coxendicum dolores lenit. Vbi multa uerba ſuper

ba ſuperaddita, quiuis facile agnoſcit: ſed quod peius eſt, ſenſum quoq; mutatum: non enim quæcunque ruborem cuti inducunt, uim exulcerandi habent: experientiaq; quotidiana cognoſcimus miſcellam hanc, ex ficis & ſinapi, ruborem tantum, non ulcus inducere: quod etiam ſi faceret, non eſt tamen hoc loco à Dioſcoride dictum.

Aut cera.] MAN. aut cerato.

Farinæ modo.] ὡς ἄλφιτα, id eſt, ut polenta.

Ad extrahendū.] ἀπαναστικὰς. ſic autē uocant medici ea quæ ad aliū locū trahūt.

ἰχῶρες, Galeno ſunt tenues corporis ſuperfluitates.

Aequale naſturtij ſemen eſt.] MAN. ἴσικε, id eſt, ſimile eſt.

Strumas præterea abſumit ex muria illitum.] δθιλιῶας τε ἐκπυεῖ σὺν ἅλμῃ καταπλαθείς. Hermolaus, furunculos concoquit cum fermento. Ego ſcribendum puto, furunculos ad ſuppurationem ducit, cum muria cataplaſmatis forma applicitum. Hermolaus Plinium ſecutus eſt. Marcellus, ut exiſtimo, codicis ſui fidem. Ego mei, & præterea Arabum conſenſum. Cap.144

Et circa caulem.] additur in meo codice, totum. 145

Flos illi albus.] MAN. ſubalbus, id eſt, modice uel parum albus.

Et circa domos.] γὺ ὁδοὺς καὶ οἰκίαν καὶ ἐπὶ θριγλαθῃ. hoc eſt, ſemitis, parietib. & uallis.

Acerrimum.] MAN. acre.

Candidi flores.] ego lego tenues, facili in græca dictione lapſu, λεπτὰ, pro λευκά. 146

Purulentis excreationibus.] ἐμπύοις, uulgus medicorum empyicos uocant, latine ſuppurati dicuntur. 147

Occulti cancri ab Hippoc. & græcis medicis dicuntur, qui in penitioribus partibus & latentibus conſtituti ſunt. Hos enim non eſſe curandos docet Hippoc. libro 6. Aphoriſmorum. Eos uero qui in extimis membris nondum ulcerati ſunt, qui & ipſi occulti dici poſſunt, incertum reliquit ex aphoriſmi uerbis Hippocrates, Galeno teſte, an curari deberent. Nihil igitur uetat quin κρυπτὰς, & hic Carcinomata intelligamus, ea quæ in intraneis partibus ſunt: imò non abſq; magno periculo, poteſt Irionis ſemen exterioribus Cancris adhiberi.

Nigrum maiore acrimonia eſt quàm candidum.] MAN. additur in meo codice ἥδιον, id eſt, ſuauius. 148

Tabidum.] MAN. ἄτροφον, id eſt, quod nutrimentum non ſentit.

Cum Taminia uua.] MAN. σὺν ταμίδι: nec additur Taminia.

Somno idem dolores leuat.] MAN. ἀνώδυνον. Quid uero ſint anodyna, ſuprà non ſemel oſtenſum eſt. additur etiam ſalubre.

Somnum & appetentiam cibi conciliat.] MAN. nulla hic etiam ſomni mentio. nec uideo quare ſalubritas in ſomnū mutari debuerit, præſertim cum ea quæ ſomnum faciunt, frigere potius quàm calere oporteat.

In cremanda lente.] MAN. in meo codice non φακὸν, ſed ὡς φασιν, quod latine ſonat, ut dicunt.

Potionibusq;.] MAN. εἰς ποθοποσμὸς, id eſt, his quæ præbibuntur. Hermolaus propinamenta uocat. 149

Hepaticos ſeu iocinoroſos eos intellige, quibus imbecille iecur eſt, abſq; dolore tumoreq;. atque ex hoc cognoſce, parum libro credendum de Definitionibus, falſō Galeno inſcripto. 150 Hepatici.

Sapore acri.] MAN. adde, leniter. ἠρέμα.

Lienes minuit.] lege, liquat. 153

In nouo Dioſcoride totum hoc quinquageſimumquartum ſupra centeſimum 154

de altera Cyclamino caput deeſt.

Capillamentorum Croci rutilo colore.] MAN. non tot uerbis utitur Dioſcor. 156

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed tantum προκίζων, id est, ad crocum uergens, uel crocum referens.

Radix est illi rotunda.] MAN. addit Dioscor. ποσᾶς, id est, quadantenus raphano similis. Ego lego αἷῳ, & in meo Dioscor. & apud Galenum.

Est semini succoq;.] MAN. non sic lego, sed seminis succo: nec aliter legēdum: siquidem primo de semine, quod fortius est, Galeno teste, secundo de radicibus, tertio de foliis agit.

Inungūtur eo etiā utiliter carcinomata. MAN. belle hoc quidē, sed nō plenè Dioscor. exprimēs: σὺν λίμνῃ enim dicit, hoc est, ut mihi uidetur, sisti, ne ad deterius labātur.

Phagedæna. Cap. 159 Phagedæna ulceris semp nomē est apud Gal. nunq; inexhaustæ cibi appetētiæ.

Sordida ulcera, quæ pascendo serpunt.] Clarius sic legeris, Sordida ulcera, & quæ pascendo serpunt.

Floret per messem.] MAN. Quæ sequūtur usq; ad capitis finem, in meo Dioscor. non leguntur, & accreuisse ea credendum est, ut Marcellus quoq; notauit.

161 Ex melle & aceto.] ego lego, uel aceto.

Vltima medicina, de bulbo uidelicet elixo, non legitur in meo Dioscoride, sed nec apud Serapionem.

162 Plurimos habet cremata usus.] ὀπηθῆσι, id est, tosta, uel assa.

Medicamentis quæ rarefaciendo sunt.] Legitur in noua etiam Dioscoridis editione ἀρωματικὰς. Possunt autem aromaticæ potestatis intelligi medicamina, ex uariis aromatis composita, ceu Theriace. Serap. idem uerbis Dioscor. scribit.

Medicamina aromaticæ potestatis.

Ciborum in stomacho incontinentiam.] lege, stomachicos.

164 In cibis omnium inutilissima.] fidelius uertit Hermolaus, cibo inepta.

167 Tenuissimis incisuris.] Dioscor. λεπτοχισθείσαις. & propterea melius Hermolaus, tenuius scissa, quàm folia uidelicet coriandri.

Minus profunde splendet puniceus color.] ἧττον βαθὺ, id est, minus profundus: nec aliqua hic splendoris mentio.

Papauer rhœas candidius & acre est.] MAN. superfluit uerbum, est, ut nō papaueris, sed succi color intelligat. Legendū igitur, papauer rhœas, cādidiorē & acrē.

168 Quæ diluti aqua croci colore liquorem ex se remittit.] ὁποῖον χαίνουσι προκίζοντα. hoc est ad uerbum: Succum autem remittit croci colore. & de tota planta, non solum de radice potest intelligi.

De Argemone hac.] MAN. desunt omnia hæc ad capitis usq; calcem Dioscoridi meo. deest & totum de altera argemone caput 169.

170 Leniendi uis utrique est.] lego πραϋντικὴ, uereorq; ne subsit menda. Galenus tergere eas dicit.

Oculorum albugines.] ἀργίματα.

171 Species, differentias.] puto legendum, secundum species differentias.

Genere uero præcipuas.] γενικωτάτας, id est, si quis uerbo uti Boëtij non uereatur, generalissimas.

Crocatum.] lego, προκίζοντα. Mirum est quod nunc crocatum dixerit, qui quarto ante hoc capite, diluti aqua croci colorem uocauerit, & alibi sæpe.

Tenuibus uiticulis.] MAN. albis legendum, nisi errore librarij, λεπτὰ transierit in λάυκα.

Breuibus.] MAN. legitur hic in meo codice, tenuibus.

Melle & nitro.] lege, aut melle, aut nitro.

172 Violæ similem.] adde, matronali, hoc est λάυκιον.

Acer.] adde, mordax.

175 Nullum est in meo Dioscoride huius capitis uerbum.

177 Verbum in hoc cap. de satiua Isatide ultimum, Exedentia.] melius ut Hermol. putrescentia. Græci σηπεδόνας uocant, ut latius in Epist. ad Marcellum.

Graciliores.

Graciliores.] id est, tenuiores. 178

Locis cultis inter uites.] lege, locis cultis, & inter uites. 179

Hydræleo macerata.] MAN. hoc non legitur in nostro codice.

Vitiligines.] ἀλφούς.

LIBRO TERTIO.

Nascitur syluestribus & incultis Sarmatiæ locis.] γίγνεται δὲ ἐν τῇ ἀγρίᾳ τῆς σαρματικῆς. hoc est, in Agria Sarmatiæ. Est enim in Sarmatia regio adhuc Agria uocata, & eiusdem nominis ciuitas, cui multos annos præfuit, qui nunquam è memoria hominum excidet, Hippol. Card. Esten. Cap. 1 Agria regio & ciuitas. Hippol. Card. Esten.

In arboribus.] in Cedris, ait Dioscor. meus.

Rupta conuulsa.] lego, ex alto deuolutis. πεπώματα enim ait Dioscorides.

Sine manifesta causa decoloratis & pallidis.] Dioscor. κακοχρόους simpliciter dixit, id est, male coloratis.

Cibum non continentibus in stomacho.] leges & hic fidelius stomachicis, quæ uox latius patet, ut aliàs ostendimus.

Contra muliebrium locorum inflammationes.] lege, inflationes.

Fungosa nec ponderosa.] χαύνη εὐόνησφ, id est, parum leuis. 2

Rheon barbarum à nostris uocatum, ex meridionalibus regionibus ad nos defertur, non aquilonaribus, ubi Bosphorus, Rha fluuius, & stagna Mæotica: odore etiā quem uehementē habet, si non alia re, ab eo de quo loquitur Dioscoride discerni posset. Commune Rha Barbarum à Rha barbaro Dioscoride differt.

Caulis grandis.] Nihil est in meo Dioscor. quod illi uoci grandis, respondeat.

Cuniculosis.] ὑπονόμων, quasi subpascentibus. 3

De stomachicis etiam hoc loco mentio, & testimonio Pauli probatum, eos proprie stomachicos ab antiquis dictos, qui cibum non continebant. Quæ licet uera sint, fidelius tamen quis interpretis officio fungetur, si uocem illam intactam dimiserit, ut superius quoq; non semel monuimus. Stomachici.

Grauissime odoratum.] ἀνοσῶδες, id est, mali odoris. quare igitur ad superlatiuū trahitur? 4

Ibidem statim subdit, Qui cum dehiscere cœperit.] ἐξανθήσαι, id est, defloruerit.

Et menses.] MAN. adde, fœtus.

Verba quæ de aristolochia in quarti capitis fine accreuisse Dioscoridi putat Marcellus, licet in meo codice legantur, ego quoq; superaddita puto: nihil enim eis respondet apud Galenum, sed nec apud Serapionem.

Oculorum pterygijs.] MAN. pterygijs absolute scripsit Dioscor. & ex eius sententia Gal. Serap. digitorum pterygia intellexit, propterea melius erat nihil addidisse. 5

Lychnidis colore purpurascentes.] MAN. adde, parua & oblonga rutæ similitudine folia. 7

Radicem paruam.] MAN. additur & hic λάας, id est, læuis.

Exprimitur ex herba etiam succus.] MAN. nescio quare additum, etiam: quasi de alio succo sit superius loquutus. Fidelius quispiam sic uerterit: In succum autem uertitur herba, semine prægnans collecta.

Asperiora.] MAN. In postremo uulgato græco codice lego, nigri chamæleontis foliis crassiora, acutiora, fortiora. Ego tamen locum non muto, cum Serap. habeat consonantem. 8

Cum grauitate odoratum.] ὑπηωματίζοσαν, βαρύοσμον. id est, subaromatizantem (si dici latine possit) & graueolentem.

Latos uentris lumbricos.] In singulari latum lumbricum ibidem dixit Dioscor. nec ab re, ferè enim unicus reperitur.

Carduo foliis.] MAN. lege, uel intellige, Scolymo. 9

Universidad de Deusto
Biblioteca

Colore uario, candido ſcilicet, hyacinthinoq;] Meus Dioſcorides ſic ad uerbum: Tenues, hyacinthum referentes, uarios. λεπτὰ, ὑακινθίζοντα, ποικίλα. Meminiſſe autem oportebat Marcellum, quomodo hanc uocem ultimâ cap. de Iride cõuertiſſet.

Fuluo colore.] MAN. fidelius Hermolaus, ſubfuluo.

Et calens impoſita.] MAN. hoc cum ſequenti membro legendum, ſcilicet quod radix calida denti admoueatur.

In fomento uero, nulla de calore mentio.

Herbaceo colore.] λίαν χλωρῷ. & propterea melius Hermol. admodum uiridia.

Cap.10 Radice longa.] adde, leui. ἐλαφρὰν enim Dioſcorides.

15 Qui neurada.] Iones neurada, ait meus Dioſc. Gal. eodem etiã modo nominat. 10

Flores longos.] Meus Dioſcor. μικρὰ, id eſt, paruos.

Et pallidi coloris.] λόυκα, hoc eſt, albos.

17 Nucamentis aculeatis.] ὑακινθώδεσιν, non ἀκανθώδεσιν. id eſt, hyacinthinis, ut etiã legit Hermolaus.

19 Pellit urinam, frangitq; calculos.] MAN. cõmodius quiſpiam in hunc modum uerterit: Cortex radicis in uino potus, urinã ducit, & calculos frangit, cruſtas quas Græci ἐχαράς uocant, abſtergit. Non recte enim eſcharæ carbunculi dicuntur. Vltimum etiam ad hæmorrhoidas remedium, in meo non legitur codice, nec apud Galenum, qui ononidem, non anonidem uocauit, ut Marcellus. 20

21 Ad uulnus infeſti.] lege, recti.

Opplet enim.] MAN. uim habet πλημπλαστικὴν, ait Dioſcor. emplaſticen Galenus. Hermolaus conglutinantem. Neuter plenè uim uocis aſſequutus, ut ſuprà monſtrauimus.

Non recte etiam Marcellus connectit quod ſequitur, quaſi Dioſcor. dixerit, uim opplendi habere ſolum in oculorum medicinis. Emplaſticen enim uim habere dixit Dioſcor. poſtea ſubdit, uſum eius eſſe in ocularibus medicinis, & ad tuſſes &c. Culpa tamen hæc in librarium, non in Marcellum referenda.

23 Grauiſſime olet.] lege, graui odore eſt.

Naſcitur plurima in India.] additur in meo codice, pinguis.

Inutilis.] ἀκ δύχρηϛον, id eſt, non ualde utilis. 24

Egregie purgat.] πλέως, id eſt, perfecte.

24 Imponitur eodem modo.] MAN. non recte additum eſt, eodem modo: nam præter hoc, quod nihil ei reſpondet in græco codice, antea paſſo, hîc cyprino uel roſaceo miſcetur.

ἰχωρᾶντα ὦτα, neq; ego ſecus uerterem quàm ſanie manantes aures: nec damnarim eos, qui bilem fel uocent.

25 Seriphij paſtu maxime pecora pingueſcere.] MAN. additur uiribus eius, in meo Dioſcoride.

26 Quod arboreſcit.] δενδροειδὲς. quaſi diceres arbuſtum, arborẽ referens: quod non eſt proceritate metiendum, ſed alia ſimilitudine. 45

Inciſuris minimis, Seriphij modo circa ramulos diuiſis: floribus plenum, comantibus in ſummo fulgore auri ueluti corymbis quibuſdam. Naſcitur æſtate.] Ego in hunc modum lego: φύλλοις λεπτοτμήτοις ὥσπερ σεύτλου. πρὸς τὰ κλωνία πλῆρες ἀνθους. ἐπ' ἄκρου ἔχον κορυμβώδες χρυσοειδὲς, θέρους γινόμενον. quæ quis ſatis (ut mihi uidetur) ſideliter & aperte poteſt in hunc modum latina facere: Foliis inſtar Seriphi minutim ſciſſis, floribus circa ramulos plenus, aureum ueluti corymbum in ſummo habens, æſtate natum.

Plurimum naſcitur abrotonum.] MAN. Abrotoni uox, quæ in codice græco non legitur, credere cogit de utroque genere loqui Dioſcor. cum fortè de ſecundo tantum intellexerit.

Fruticoſa

Fruticoſa herba eſt.] λεπτόκαρπος. Marcellus λεπτόκαρφος legiſſe uidetur: meliuſq; uertiſſet, tenuibus ramulis. Cap.28

Et aſpero.] MAN. nihil lego quod illi concordet uerbo, ſed, quod ille omiſit, guſtu acrem. Gal. amaram, & moderate ſubadſtringentem dicit. Et propterea deobſtruere, tenuare, tergere, uiſceraq; omnia, & uniuerſum corporis habitum confirmare. Quæ uerba quaſi Dioſcor. adjicit Marcellus: improprie tamen laxandi uoce uſus, cum aliud ſit obſtructiones amouere, quod Græci ἐκφραλτικὸν dicant, quàm laxare, quod illi χαλαστικὸν.

Nõ denſum durumq; eſt.] MAN. nulla eſt in meo codice de origano duri uox. 29

10 Efficaci ad glutinandum poteſtate.] MAN. κομμωδοῦς ἰσχυρᾶς. 30

Vſq; ad ruborem incenſa cute.] MAN. ſatis erat dixiſſe adducta, non incenſa. 31

Eodem modo.] MAN. & duo hæc gratis adiecta.

Sanè intelligenda ſunt quæ à Marcello in fine huius capitis 31. adnotantur de acrato & eucrato: conſtat enim ei qui artem medicinalem Galeni guſtauit, aliquid dici eucraton, cui non ſit aqua commixta.

Oblongiora tantum, anguſtiora, paulumq; craſſiora.] MAN. ex meo codice, longiora & aſperiora & craſſiora. Serapio tamen cum Marcello legiſſe uidetur anguſtiora. 35

Contra canum morſus.] MAN. neſcio quomodo uel Marcellus uel librarius, 38 ſalem hîc non appoſuerit.

Feruido ſapore & acri guſtu.] lege, feruida uehementer & acria. 38

Necat itidem elixa crudaq; trita.] MAN. totum ſimul legendum, hoc modo: Vermes aſcarideſq; necat cum ſale & melle pota, cocta cruda ue contrita.

Vlcera ſui nominis.] MAN. præſtabat græcã uocem, θυμὸς uidelicet relinquere. 39

In capitis 41. fine, pro pondere drachmarum duarum, ego ubiq; quatuor lego. 41

Contra oculorũ inflammationes, eorumq; tumores.] MAN. nec in meo Dioſcoride, nec in Serapione leguntur tumores. 42

Additis aliquando ouí uitello.] MAN. adde, aſſo. 43

Meminit Mari Galen. in lib. de antidotis, ſimilemq; facit amaraco, ſed odoratio- 44
30 rem, ut credí poſſit ſub Mari huius nomine, Galeni amaracum contineri.

Adnata multa habens.] MAN. in meo Dioſcoride non legitur multa. 46

Nec humida.] MAN. negatio in meo quoq; codice nõ eſt adiecta de bacchare.

Mammas ex partu tumentes.] MAN. φλεγμαίνοντας, hoc eſt, inflammationem patientes.

Quo ſico arbori adnata.] MAN. non uideo quare ex uerbis Theophraſti ſint 47 Dioſcoridis uerba mutanda: & propterea legendum puto hoc pacto: Inter hortulanas eſculentior eſt quæ iuxta ficum eſt nata.

Feruentis naturæ utraq;.] lege, cauſtica.

40 Quæ in definitione hypoſarcidij ex Paulo recitat in calce annotationum in hoc caput de Ruta, non bene uertit Marcellus: per uocem φλεγματώδης enim non colore pituitæ, ſed natura fieri pituitoſum totum corpus uoluit, ut ſuprà etiam monuimus, ubi longe hac peiorẽ eius morbi deſcriptionẽ à Marcello allatã damnauimus.

MAN. Inchoat hoc caput in nouo Dioſcoride eodem quo Marcello uiſum eſt 48 loco, ab his uerbis: Vocant & aliqui agreſtem Rutam.

Flores uiolæ ſimiles.] MAN. leucoio, id eſt, ei uiolæ quam matronalem uocãt. 49

Ad ſiculneorum figuram & quantitatem accedentia.] Dioſc. πρὸς τὰ ϕῦκος, 50 nulla uel figuræ uel quantitatis mentione: ut propterea uideri poſſit fidelior Hermolai interpretatio, quæ habet, ut ſiculnea poſſint uideri.

Prædictis illis.] MAN. & hæc duo uerba ſunt ſuperaddita.

Anethi modo.] MAN. in meo Dioſcoride adiectum eſt, longam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Friabilem.] MAN. additur & hic ὑβρ. uertit tenerum Hermolaus.
Quiq; celerrime diluitur.] MAN. ταχέως δὲ διαλυθ., id est, celeriter.
Cap.51 Cubitalemq;.] MAN. adde, geniculis distinctum.
Breuis & candida.] MAN. candidam non lego in meo codice.
53 Stomacho utilissimum.] MAN. ἱκανὸς δύσομον, id est, ori satis accommodatum.
54 In qua flores sunt.] MAN. adde, candidi.
Vrinæ angustijs.] MAN. adijciendum & his, potum.
MAN. daucum aliam rem ab utraque pastinaca cognouit Galenus libro sexto de illo, de his octauo differens.
55 Acrius & odoratius.] MAN. adde, suaue ualde.
58 Somno dolorem leuat.] MAN. Tutius fideliusq; hoc etiam loco egisset Marcellus si græcam uocem, ut erat, latinis literis excripsisset, anodynum dicens: uel tacita somni uoce, leuare dolorem dixisset.
Hærentia disijcit.] MAN. διαχυλίζω habere uim dicit Dios. quam diffundentem, fortè fidelius, Hermolaus uocat, nulla adhærentium habita mentione.
60 Discrimen inter genituram & semen habes ab Aristot. 7. hist. & à Galeno, libro de semine.
61 Calefaciendi siccandiq; uires.] MAN. adde, & adstringendi.
Fabæ lomento.] MAN. lege, lolij farina.
62 Gingidij modo serratis.] MAN. non hoc modo lego; sed ueluti serratis, gingidij scissura, fruticem sylueſtris cymini.
64 Antiqui corianum.] MAN. recentiores medici corion uocant, ait Galenus.
Refrigerandi uires habet.] MAN. In hoc reprehendit Galenus Dioscoridem, mixtamq; habere uim dicit.
Semen auget.] MAN. Auicenna, aliiq; quidam Arabes, & uulgus, contrarium sentiunt.
65 Betæ similia.] MAN. In meo etiam codice pro beta, sonchus legitur: & hanc ego lectionem meliorem puto. Additur etiam περιφέρειαν, ut similis soncho in extrema eius parte, quam circunferentiam uocamus, intelligatur.
67 His quæ somno dolorem leuant.] MAN. anodynis.
ἄλφιτον hic non recte definit Marcellus, è tosto enim hordeo fit, ut superius quoque diximus.
70 Miscetur antidotis.] lego, Miscetur antidotis & remedijs, quę calefacere & urinã mouere possunt.
Galenus alia ratione quàm natalium, differre putauit ab hortulano.
71 Aliud ab eo quod smyrnium.] lege, aliud ab eo quod proprie smyrnium.
Antequam floreat.] lege, antea quàm defloreat. Alioqui quomodo antequam floreat, flore esse plena potest: πρὶν ἀνθῆσαι.
Intus candida, foris nigra.] Ego lego alba, cum nulla nigredinis necq; intus neque foris mentione.
72 Et humentibus incultis locis.] Additur in meo & Hermolai codice, καὶ γωνίαις χόρτου ὑσαις. Hermolaus angulos terrenos interpretatur.
Contra coxendicis dolores utiliter bibitur.] MAN. cum uino, legitur in nostro Dioscoride.
73 Inter salgama sale seruatur.] MAN. λαχανώδεσι, inquit Dioscorides, id est, ad oleris modum in cibum uenit.
74 Rabidorũ canum morsus.] MAN. alio loco ostendimus, non esse addendum, rabidorum, Galeni autoritate. atq; illud etiam, morsus canis etiam non rabidi, non eodem modo alijs uulneribus curandos.
75 Vesicæ calculos.] MAN. abrade uesicæ.

Violæ

Violæ similem.] MAN. intellige matronali. Cap.77
Vocatam nunc Senam esse delphinion, ipse nunquam putarim.
Vmbellam anetho similem & rotundam.] Ego πτιχοειδές, id est, capillo similem, 78
& lego, & laudo magis, quàm προχοειδές. Satis enim ex eo quod anetho similis dicta est, constabat rotundam esse.
Abundat commanducata in ore saliua.] MAN. legitur in meo Dios. φλέγματος ὄγκῳ ὠνακαστικῷ. hoc est, pituitam trahit.
Vnguntur ea ex oleo ad ciendos sudores. Facit ad longos &c.] MAN. totum hoc pacto commodius leges: Ex oleo inuncta sudores mouet, faciens aduersus antiquos rigores.
Et torpent.] MAN. πεπλωνται, id est, resoluta.
Glutinosius.] lege, glumosius. 81
Pallescentes candidos ue.] MAN. in meo codice non legitur pallescentes.
Pituitam.] MAN. φλεγματώδης, id est, pituitosa, non pituitam.
In meo quoq; codice leguntur ea quæ superaddita Marcel. putat, nec ego nego. 82
Inutilis exucto igne humore.] MAN. accreuisse puto, ignem. inutilis enim est 83
radix quocunq; modo succus extractus sit.
Sed minus efficax liquore succus est.] ἧττον ἢ σὺν φλοιῷ χυλὸς ὁ ὄπος. quod quispiam sic uerterit, Minus succo operatur lachryma.
Gustu feruens.] MAN. nihil plus hic lego: quæ igitur sequũtur adiecta à Marcello, abradenda puto, ea uidelicet, & linguam exurens.
Compinsitur id pani gratissimo cibo.] MAN. duo ultima uerba non leguntur 84
in meo græco codice.
κατηχοῦντι, Incipientes.] MAN. non aliter quàm incipientẽ suffusionẽ uerterem.
Contra latos lumbricos.] MAN. rotundos, non latos lego.
Et quasi foliaceum.] MAN. Theophrasti sunt hæc uerba, non Dioscoridis. 85
Qui porraceo colore uiret.] MAN. μὴ πρασίζων, id est, non porraceus: quod ad odorem potius, quàm ad colorem uidetur referendum, sicuti & Serapion refert.
Vtrius uero nota sit, fidelis interpretis erat, colorem non addere.
Et qui cum diluitur facile albescit.] MAN. Damnãdum hunc ostendit Marcelli interpretatio: laudandum Hermolaus, Dioscoridis mentem (ni fallor) hoc loco assequutus, scribentis: διαφέρει δὲ αὐτῶν ὁ ἰταλικὸς καὶ διαύγης, σμυρνίζων καὶ γὰρ τῇ ὀσμῇ δύναται, μὴ πρασίζων, μὴ ἧττον ἀπλοῦς πρὸς τὴν χύσιν τῇ χύσει, δυσχρὼς τε διαμένων ὧν τὸ λοιπὸν χρῶμα.
Cyrenaicus si tantillum &c.] MAN. ἐπ' ὀλίγον. quod ad tempus uidetur referendum, si exiguo uidelicet tempore degustetur.
Et cum humore aliquo. MAN. Ὑγρῇ δόσει, id est, & solutione: quia scilicet non adulteratus, facile aliquo humore diluitur.
Sed oportet quæ illic excreuerunt forcipe auferre.] MAN. Non recte pleneq; Dioscoridis sententiam aperuit, quæ fuit, ut quæ in naribus excreuerũt carnes, per aliquot dies miscella illa inunctæ, chirurgico ferramento quod Græci σαρκολαβίδια appellant, facilius auferantur.
Vocémque exasperatam.] MAN. αἰφνιδίως, id est, de repente: cui uoci nihil in Marcello respondet.
Vtentibus eo.] MAN. γὰρ διαίτῃ, id est, in uictus ratione, addidit Dioscorides.
Rigentibus & in scapulas rigentibus.] MAN. aptius, meo iudicio, quispiam hoc pacto uerterit, his qui uel immota ceruice, uel in posteriora conuersa rigent. τέτανον illud, ὀπισθότονον hoc Græci uocant. Tetanus. Opisthotonus.
Purgat quæ in pulmonibus crassa hærent.] MAN. uerbum, hærent, ab interprete adiectum est: quod proprium est tenacium, non crassorum omnium. 86

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et circularium febrium perfrictionibus.] καὶ περιψυγμάτων περιοδικῶν πυρετῶν. ut & duo intelligenda uideantur, facere scilicet ad eos qui perfrixerunt, & ad febres quæ cum circuitu fiunt.

Contra anguium morsus præsenti remedio.] MAN. αἰγύπτῳ & θηκοδήκτοις. quos consueuit transferre uenenatorum morsus, nescio quare hic anguium morsus conuerterit.

Nescio etiã quare, præsenti remedio, addiderit, simpliciter loquente Dioscoride.

Cap. 87 Ea est Persicæ arboris lachryma, thuri similis.] MAN. Hæc addita sunt à Marcello, declarare uolente quid sit Sarcocolla. præcidenda autem sunt per parenthesin, ut intelligatur adulterari Euphorbium Sarcocolla, & glutine.

Iubarex Euphorbij inuẽtor Inuentum Euphorbium in Libya regnante Iuba.] MAN. Iubæ ipsi acceptam referendam hanc inuentionem, & uerba Dioscor. insinuant, & Plin. testatur.

In odorata potione.] MAN. in aromatica, ait Dioscorides.

Dilutum Euphorbij liquorem.] MAN. λεῖον, id est, tritum, non dilutum.

89 Aut harenam.] lege, lapides.

Cremor aliud est à succo. Ptisanæ cremore.] MAN. χυλῷ, id est, succo, quæ alia res est à cremore.

Non adeò calentibus.] MAN. ἡμιψυχίοις, id est, semifrigidis. Barbarus, egelidis.

91 Vsq; dum calore inarescant.] MAN. si inaruerint, quomodo succum emittent? ἄχρι μαρασμοῦ. hoc est, ad marasmum usque. Donec marcescant, uertit Hermolaus. tabescant fortè melius dixisset, ut scilicet intelligamus, aqueum humorẽ, non plantæ ipsius natiuum resolutum.

94 Probatur in quo læuor est.] MAN. legendum nouus, ex fide mei Dioscor. & Serapionis cõsensu. frustra etiã adderetur, in quo nihil asperũ, si læuem prius dixisset.

Fit æstate.] MAN. eiusdem codicis & Serapionis concordia legendum, Fit ex quodam fructu rotundo: nulla æstatis uel acinorum mentione.

96 MAN. Principium capitis de Alysso, aliter legitur in meo codice, ad hunc sensum: Frutex paruus, subasper, foliis rotundis, iuxta quæ fructus sicuti dupli clypeoli, in quibus semen parum latum. Auic. lilio similem. Plinius rubiæ. Aëtius non differre à siderite. Phocion folio subpurpureo. Aliqui crucialem uulgò dici, alij margonium putant.

97 In quibus hederæ folia.] lege, in quibus folia longa, hederæ similia.

Vitijs.] MAN. κακοήθεσι, id est, male morigeris, uel malignis.

98 Minoribus foliis.] MAN. longioribus, ego & Hermolaus legimus.

Nudo & sine foliis reliquo caule.] MAN. Non sic Dioscorides meus, sed, Maiore sui parte, nudo & aspero.

99 Pulegij semine.] MAN. καυλὸν πολυγόνατον ὥσπερ γλήχωνος. hoc est, caulem cum multis geniculis ut pulegium.

Ita tamen ut quotidie soluatur.] lege, quinta die.

100 Per interualla marrubij modo dispositis.] MAN. ἐμφερῆ πρασίῳ, id est, similes prasio uel marrubio.

MAN. In fine capitis sic lego: Aluumq; sistit si ad tertias decoctum bibatur. Febrientibus ex aqua, his qui febrem non habent ex uino. Nullam tamen adstringendi uim ei adscribit Galenus.

101 Duo tria ue semina.] MAN. adde, si meo credis libro, parua.

102 Virgata herba.] MAN. uirgas multas habens. Hermol. tenues spargens iuncos. Plin. Non peccauerit fortè, qui uirgæ similem dixerit. ῥαβδοειδὴς scribit Dioscor.

Cissaden.] MAN. ego inueni Cepiden.

103 MAN. In meo Dioscoride lego Chamædropa, non Chamæropa.

Breuis frutex.] MAN. θαμνίσκος.

105 Violæ.] MAN. adde, uel intellige, matronali.

Semen

Semen & flores.] MAN. seminis tantum meminerunt Dioscor. & Galenus.

Potum semen eius.] MAN. drachmarũ binarum pondere, lego in meo codice. Cap. 106

Additis aceto & melle.] MAN. Quincuplum esse mel ad utrũq; uult Galenus. 107

Cremata radix.] MAN. assa.

Additis Apollinaris.] MAN. Ex meo Dioscoride loco uocis additis, lege, aut.

Ex aceto concisa. MAN. Ex uino, in eodem meo codice legitur, & apud Serapionem.

Inarescant.] lege, flaccescant. 108

Teneriora q;.] MAN. lego, tenuiora. 109

Serpentium.] lege, scorpionum, ex libri mei & Serap. concordia.

Humano pollici similibus.] MAN. lege, æqualibus. 110

Speciosiora.] MAN. δυσειδέστερα. Hermolaus, adultiora. 112

Interiore.] lege, anteriore.

Foris.] MAN. lege, posteriore.

Pendentes.] MAN. ἀπηρτημένους, hærentes.

Nascitur hortorum umbrosis locis.] MAN. lege, umbrosis locis & hortis.

Breuem.] MAN. lege, tenuem. 113

Ex altero cacumine longiorẽ ueluti apicem suspendens.] ἐκ θατέρου κεράτος ὥσπερ κράνιον ἔχων. Hermol. ab altero latere cornutum, antennæ modo. 114

Tenax q;.] MAN. ἐχυρὰ, id est, fortis, uel robusta.

Calefacit.] MAN. adde, urinam mouet. 116

Bibitur.] MAN. adde, recens trita, & arescens. ξηρὰ, id est, sicca, in eclegmata parata.

Superne à terra candicantia, inferiore autem sui parte uirentia.] MAN. ἐκ μὲν τῶν πρὸς τὰ ἄνω χλωρὰ, ἐκ δὲ τῶν πρὸς τὰ κάτω λευκά. hoc est, superiore parte uiridia, inferiore candida. 117

Angulosa.] MAN. expressius reddiderit quis, plures angulos habentia. γωνίας πλείους ἔχοντα.

Radix gracilis & inutilis. MAN. Quomodo inutilis, si thoracis abscessus rumpit, ut inferius dicis? subesse igitur errorem putandum est.

Siccas tusses.] Plinius non siccas, sed antiquas dicit. Galenus sermone absoluto, tusses.

Singulari ramulo.] MAN. lege, simplici caule. 118

Nunquã florentibus.] MAN. βοτρυδίοις μηδ' ἑπτὰ ἀνθοῦσι. ut ad uuam quæ nondum floruerit, referendum uideatur. 120

Lutei coloris herba.] MAN. adde, tota. 121

Et apricis.] MAN. adde, καὶ εὐπνοίαις. id est, ubi perflant uenti. 125

Florem habet infirmum.] MAN. ψαφαρὸν, minus splendet, Hermol. fragilem ego libentius conuerterim. 127

Culmi.] βλαστοί. 130

Postquam defloruit flos, incipienti oliuæ simile.] ὅμοιον κάνθαρι ἀξιωθέντι ἐλαίας βοτρυδοῦς. Clarius (ni fallor) hoc pacto quispiam uerterit: Semine differt, quod racemosum habet, oliuæ, quæ defloruit, simile. 131

Radicem bulbosam &c.] MAN. adde, angustam. 132

Elixa aut tosta.] MAN. ἑψηθέντα, id est, cocta.

Et in ore exedentibus.] MAN. non sic lego, sed, & putrescentia atque maligna oris ulcera sanat. 133

Quoniam tribus plerunque foliis fractis uiret.] MAN. lege, quoniam tria fert folia ad terram uersa. 134

Etiam sub Hedysari nomine, de hac planta lib. 6. scripsit Galenus. 137

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 138 Anchusæ modo per terram strata.] MAN. fidelius uertisset in hunc modum: Super terram strata, anchusæ folijs simillima. ὧν γὰς πατεςρωμένα, ὁμοίοτατα τοῖς φλωμόσι.

Radice innititur breui, oblonga.] MAN. Quomodo oblonga & breuis, ego non intelligo, sic autē loquitur meus Dioscorides: Subest radicula ad aliquem modum longa, imbecillis, tenuis.

140 Nascitur & alia Nymphæa.] MAN. adde (si meo credis Dioscoridi) cuius flos Blephara dicitur.

Antedictæ similis.] MAN. adde, foliis. ferè enim reliquis partibus differt.

Nascitur in Thessalia.] MAN. maritimis locis, lego in meo Dioscoride.

141 Candida.] MAN. lego, λειπὴ, id est, tenuis: non λόυκή.

In summis cirris.] MAN. lege, in capite.

142 Venenato insecto.] MAN. θηείω, bestiolæ. Aspera.] MAN. σκαόία.

Hoc capite 142. uulgarem errorem sequutus Marcellus, agit à Dioscoride de herba putauit, quam imperiti herbarij Scolopendriam uocant, quæ longis satis, ac latis constat folijs, & ab ima parte ueluti lituratis: qua ratione à nōnullis est etiam Herba scripta uocata. Non esse autē hanc uerā Asplenon, uel ex hoc cōstat, quod nulla est eius folijs, utpote longis & latis, cum Scolopendra exiguo uerme & tenui similitudo: cum uera Asplenon, ea uidelicet quæ uulgò Citrachia dicit, tantā habeat cū eo insecto in quantitate, forma, & colore similitudinē, ut qui alterū nouit, utrūq; norit.

Scolopendria.

Ex hoc errore natus & alius, quod inuenire rationē Marcellus non potuit, quare Pterix diceretur: quod promptissimum est in uera Asspleno, filicis parui figuram referente. Porrò magnæ hæc litis cum Phyllitide: utriq; enim aliqua adscribūtur, per quæ uocata à uulgo Scolopendria uideri possit: tamq; congruit utriusq; historia, ut nomine potius inter se differre, quàm re ipsa credi debeāt. Hæc folio Dracunculi, illa Rumicis constare dicitur: quod ferè idem est. Nam & Dracunculus Rumicis folio à Dioscoride superius dictus est. Caret utraq; caule, flore, & semine, & gustu adstringit. Differre uidentur, quod hæc lunaris figuræ, illa in auersa folij parte, ueluti uermes hærētes habet. Ambo tamē hæc uulgari congruūt Scolopēdrio. Fecit harū cōsideratio, ut mecum semper dubitauerim, ad utrum horum duorū caput, Scolopendria illa uulgò uocata, esset referenda: magis tamē inclinat animus in Hemionitida, quæ ideo Asspleno coniuncta est, quia parem ei in liene liquando uim habet: quam Scolopēdrio uulgari adesse præter cōmunem consensum quotidiana etiam demonstrant experimēta. Phyllitim uero esse suspicor herbam aliam, Rumici non foliorum tantum figura, sed & colore adeò similem, ut inter eius genera connumeretur. Ex his uero liquet, quàm frustra hic Marcellus laborauerit, quam ue grauiter lapsus sit, Hemionitem hanc Asspleno, uel eandem, uel ualde similem putans: cum alterius folium Scolopendræ exiguo uermi, qui & Centipes dicitur, alterius Dracunculi, magno & lato folio, assimiletur.

Dracunculus. *Rumex.* *Phyllitis.*

144 Dodrantali altitudine ipsa est.] MAN. fidelius certe quispiam hoc pacto uertet: Lenti similia folia habet, & ramos dodrantali altitudine, rectos autem.

Nascitur fabulosis locis.] MAN. cōmunem lectionem ego magis probo, ὑφελμύροις, id est, subsalsis habentem, ceu ab Auicenna, & quod pluris est, à re ipsa approbatam. Scribit siquidem de his herbis Auicenna ipse, capite prope libri secundi finem, quarto.

Grauissimi odoris.] MAN. lege, uehementer grauis: qui (ni fallor) minor est quàm grauissimi.

145 Idq; proprie quidam.] MAN. in meo codice non legitur, quidam.

146 Bilem & pituitam.] lege, atram bilem & pituitā, ex Paulo, Serapione & Auic.

Sine foliis.] lege, sine flore.

Non

Non agnouisse Marcellum hanc herbam, satis clarum est: nec ualde mirādum, cum paucæ admodum sint, quas se cognouisse ostendat, præ illis quas ignorauit. Illud uero me in admirationem trahit, quod quam Coriandri folio constare asserit Dioscorides, capillata, & fœniculo similia habere folia dixerit: cum nulla sit Coriandro cum fœniculo in foliis conformitas. Agnoscenti hanc Partheniū, quæ (ut aliàs quoq; docui) notissima uel mulierculis est, Matricariam uocantibus, facile est Marcelli deceptionem agnoscere.

Coliculos profert teneros.] MAN. lege, caulem profert tenerum. Cap. 147

Nascitur in planitie circa oppida & urbes.] MAN. lege, in cāpis & circa urbes.

Pæoniam, sunt qui glycysidem.] MAN. ego lego, Glycysidem, sunt qui pētoboron, sunt qui idæos dactylos, radicem Pæoniam uocant. 148

Ad summam radicem eius facentia.] MAN. Modus hic loquendi, omnia folia facere ostendit. Non hoc autem uoluit Dioscorides, sed quæ in ima parte sunt, super terram facere. 149

Vesicæ calculos frangere.] MAN ARD. absolutè, calculos: nulla enim hic uesicæ mentio.

Radix tingendo apta.] MAN. lege, radix rubra tingendo apta.

In Galliæ Thebanæ.] MAN. legebatur in meo codice, Galileæ: sed Marcelli lectionem meliorem puto. 151

Nec aliter in aruis prouenit.] MAN. lego, sicuti in aruis utiliter seritur.

Mox rubentem.] MAN. hoc non legitur in meo libro.

Viperarum morsibus.] θηειοδήκτοις.

Omnes oculorum tumoribus similes excrescentias.] MAN. ἐμφυσήματα. nec aliqua oculorum mentio. Inflationibus tamen oculorum ea uox quandoq; accommodatur. sed de hoc infrà uberius. 154

Calculos, cruditates.] MAN. legitur in nostro codice, calculosorum cruditates.

Aliorumq; uenenatorum.] MAN. lego, tenuium omnium ferarum.

Enimuero circa morbum quem Græci ἐμφύσημα uocāt, eisdem ducibus quibus & aliàs plerunq; lapsus est Marcellus, libro uidelicet isagogico, qui Galeno falsò adscribitur. Mirum autem est in Pauli lectione uersatum non legisse, uel (si legerat) non meminisse, emphysema ab eo dici, non tantum in oculo, sed in omni spiritu flatuoso, uel sub cute, uel sub membranis, quæ ossa aut lacertos ambiunt contento. *Emphysema.*

Crassioresq;.] MAN. lege, asperiores. 156

MAN. Præter id quod ordinem peruertit, de syluestri prius agens quàm de domestica, si quando aliàs hic maxime hallucinatus est Marcellus, pro μελίᾳ, hoc est fraxino, málum scribens: monente eum præter alios interpretes re ipsa omnibus exposita, & quam, ut ipse ait, omnes gentes norunt, & nullum esse eius folij cum foliis mâli cognationem uident. 157 *Insignis Marcelli error.*

Dantur bibenda.] MAN. adde, drachmæ pondere. 158

Pendetq; ex collo.] MAN. hæc uerba addidit Marcellus.

Radicis cortex.] MAN. lege, succus.

Muliebrium locorum præfocationibus.] MAN ARD. lege, ad uteri affectus. ὑστερικὰ πάθη. 160

Flore albo.] MAN. manifestus hic error: nouerūt enim omnes, flore albo non constare Hypericon. sed præterea nōnulla desunt uerba. lege ergo hoc modo: Florem habet luteum, qui digitis attritus, sanguineum emittit succum: qua ratione, & Androsæmon, quasi humanum dixeris sanguinem, uocatur. 162 *Androsæmon.*

Foliis paruis.] MAN. non legitur hoc in meo codice. 163

Gracilibus ramulis.] MAN. λεπτοκαρφῶν, id est, tenuibus festucis. 164

Sanguinis colore liquorē emittit.] MAN. αἱμώδη, id est, uineum, uel uinosum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In calyculis.] MAN. in calyce.
Veluti punctis distinctum.] MAN. οἱονεὶ κατάγραφον, hoc est, ueluti pictus.
Biliosa & alui excrementa.] MAN. lege, alui excrementa biliosa.
166 Incuruæ similis.] ὑπόκυρτον, quasi subcuruæ similem dixeris.
Multo tamen tenuiora hirsutaq́.] MAN. ego lego, tenuiora multo & pinguiora & hirsuta.
Colore luteo.] MAN. adde, aut albo.
Fruticosa.] MAN. λεπτόκαρφον, quam uocem paulò ante tenuibus ramis est interpretatus.

LIBRO QVARTO.

Cap. 1 In dulci aqua aut simplici aqua.] MAN. nulla simplicis aquæ hoc loco mentio.
Datur & sanguinem expuentibus trium obolorum pondere in dilutæ uini potionis cyatho uno.] MAN. additur γαλακτώδους.
Aluum purgat drachmarum duarum pondere.] MAN. ego inuenio quatuor, & sic quoq; legit Serapion.
Cyathis quatuor.] MAN. & hic lego decem.
3 Bibitur & inungitur.] MAN. ἔγκλυσμα. cur non igitur potius infunditur quàm inungitur?
4 Vrinam efficacissime trahit.] MAN. φάρμακος.
5 Galenus & Auicenna marem fortiorem esse scribunt: quare errorem subesse in Paulo Marcelli putandum.
7 Nascitur in Aegypto.] MAN. nascitur super terram, pingui solo.
Pinguibus quidem, sed incultis locis.] φὶ χέρσους lego.
8 MAN. Non legitur caput hoc de altera Clematide, in recentioribus Dioscoridis libris, sed inferius inter purgantia.
9 Radix cubitalis alba.] MAN. lege, subalba.
Lanariæ herbæ.] MAN. scilicet uocato Struthio, ut habet Dioscor. græcus.
10 Ramulos habet origano similes gracilesq́.] MAN. non graciles rami, sed folia gracilia in meo Dioscoride leguntur.
Subrufam.] MAN. lege, subpurpuream.
Purgat pulmonum uitia.] MANARD. τὰ ἐκπνεύμονα, id est, quæ pulmoni hæserunt.
ῥῆμ γυναικεῖον ὀρυθρὸν, id est, rubras muliebres fluctiones, arcte nimis, quisquis ille fuit definiuit, nuper iugulatæ uictimæ similes esse dicens, intercurrentibus grumis cum dolore, febre, & dentium crepitu. Exit enim quandoque purus sanguis, quandoq; & sæpius ueluti sanguinis ichor, nec semper casus ab eo numerati comitãtur.
11 Cauli adiacentium foliorum.] MANARD. φύλλον λεπτὸν πόας, id est, folium tenue.
Rutæ similes.] MAN. rei ipsius aspectus, & liber meus, accreuisse hæc uerba ostendunt.
12 MAN. Olestion lego, non olosteon. Sic etiam Galenus lib. 8.
Quibus adstringendi uis est.] MAN. nulla adhuc uirium mentio. συστικὰ dixit Dioscorides, de sapore uidelicet loquens, non de uiribus.
Miror dubitasse Marcellum, an hæc herba esset transuersis quatuor digitis uel porrectis metienda: quando quoties quid per digitos metiuntur autores idonei, transuersos semper intelligant, ut apud Poëtam,
-Digitis à morte remotus, Quattuor.
13 Nota ubique herba est.] MAN. non leguntur hæc uerba in meo codice.
15 Fabarum floribus æquales.] MAN. ἰμφρὶς. & propterea fidelius, si non adeò eleganter uerteris, similes.

Finit & eiusdem exti dolores.] MAN. ὦ πόπυ λύει, nulla lienis mentione. Melius ergo Hermolaus, lassitudinem discutit. πόπυ enim, Galeno teste, lassitudinem sponte uenientem proprie significat.
Sterilitatem in uiris.] MAN. non recte additum, in uiris: non enim semen tantum in uiris medicorum sententia, sed nec etiam Theophrastus, licet masculino genere usus, excluserit fœminas.
Folia latiora.] MAN. lege, lata, ne putetur comparasse terrestri. Cap. 16
Ex uiridibus.] MAN. adde, fructus.
MAN. Caput hoc una litura, si nostro stamus Dioscoridi, emendandum est. 17
Neurodes.] MAN. scribitur in meo Dioscoride Neuroides. 18
Graciliora q́.] MAN. lego, longiora.
Folia Seridis.] MAN. in meo Dioscoride Iridis. 20
In quem usum siccata.] MAN. non hoc pacto codex noster, sed in hunc sensum: Sicca & cõtrita, si cum melle cocta per multos dies lingatur. nec os nominatur.
Semen etiam.] MAN. lege, autem, non etiam. quasi dixerit, herbam quidem sistere, semen uero menses prouocare.
Faciunt sterilitatem trita folia.] MAN. adde, & radix. 22
Drachmæ pondere.] MAN. drachmarum quinq; scribit meus Dioscorides.
Venosumq́.] MAN. ἰνώδης, inis, hoc est, filamentis plenum. 23
Deinceps dispositi.] MAN. σχηδὸν. peruersus uertit Hermolaus.
Ducunt ambæ menses.] MAN. de superiore tantum loquitur Dioscorides.
In mulso trita.] MAN. adde, radix. 24
Ad minuendos lienes.] MAN. addendum & hic, cum aceto.
Grandia.] MANARD. ego inuenio in meo libro, μέλανα, πολλά, id est, nigra, multa. 25
MAN. Mirum est Marcellum hanc nesciuisse herbam, quæ sit tempore quoque nostro notissima. Passim ex ea nunc quoq; in Pannonia ceras tingunt.
Radices oblongas, graciles. MAN. non legi in meo Dioscoride uerbum quod gracilibus respondeat. 26
Commanducatam.] MAN. lege, ea commanducata. Eodem modo in tertia specie legendum, commanducato semine.
Crassiora.] MAN. lege, crassa. 27
Flores purpurascentes.] MAN. adde, parui.
Albicantes.] MANARD. non ὑπόλευκα, sed ὑπόλεπτα, id est, ad aliquem modum tenuia, lego. 28
Ad anchusæ ruborem aliquem accedentia.] πρὸς τὰ φλογώδεις, id est, ad anchusæ similitudinem accedentia. Quæ lectio longe mihi magis placet, quàm ea, quam & Marcellus & Hermolaus sequuti sunt: nullum enim in anchusæ foliis posuit rubore. Sequacia etiam magis sunt, quæ sequuntur: quasi dixisset, ad anchusæ similitudinem accedere folia, minora tamen esse, & pinguia.
Ex tot ocimastri appellationibus, Phyleterion tantum lego in meo codice. 29
Nigellæ uasculis similes.] MAN. ὁμοιότητες μελανθίῳ, semini nigellæ uel melanthij, non uasculis.
Vnicum & hic Erini nomen. 30
Nigrum semen.] MAN. adde, paruum.
Lacteo liquore.] MAN. non lego lacteo, sed simpliciter, liquore.
Nullum gramini, præter agrestis, nomen. 31
Quod uero in Parnaso nascitur.] M. alterius capitis est hic initium in meo exẽplari. 32
Ramosius.] MAN. lege uel intellige, plures habere ramos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dulcesq;.] MAN. adde,robustas.

Cap.33 Numerosa in summo utrinq; incisuris diuisa.] MAN. ἀλλοχωτοῦσι, πολλαὶ ἐκατέρωθεν. hoc est uerbum ex uerbo,In summo diuisa,numerosa utrinq;.

Ramulos alios.] MAN. ἀναφύσεις,hoc est, adnascentias.

Et glutinoso.] MAN. legendum glutinosos,ut uidelicet flores intelligas: nullus enim sapor,quod norim,glutinosus dicitur.

34 Subamaras.] MAN. non ὑποπικρα, sed ὑποπυρα, id est,subruffas. cui lectioni consentit Serapion.Hermolaus subsalsas legit.

Glutinoso lentore molles.] MAN. lege,glutinosa, uel lenta. omniaq; neutro genere,ut ad foliola referantur,in hunc modum: Et circa eas foliola tenuia,ex obli quo incisuras crebras habentia,coriandro similia,subrusa,tenacia.

Flores uario,inter purpureum,candidum & aureum,colore.] MAN. albi,& ad aureum colorem inclinantes. λευκὰ καὶ χρυσίζοντα. Consentit Serap.ab initio albos dicens,& deinde ad aureum inclinare.

Decocto eius muliebres fluctiones utiliter fouentur.] MAN. fidelius uerteris, utiliter in decocto eius sedent,quæ muliebres fluctiones patiuntur.

36 Quoniam multas in Ida monte.] MAN. non est in meo Dioscoride ulla montis mentio.

37 MAN. Caput hoc non legitur hoc loco in recens ædito græco Dioscoride, sed loco eius scribitur de alia Helxine,quæ folio constat hederaceo, & alio nomine dicitur Cisampelos.Galenus & Paulus scribunt de utraque. In codice meo agitur de ea ante cap. LXXX.

38 Sapore acerbo foliorum plenos,quæ adstringente sapore sint.] MAN. ego lego,foliis plenos gustu acerbis.

MAN. Si helxine,cui Latine similis dicitur,est (ut ait Marcellus) ea quæ cisampelos dicitur,atq; eam ob causam post helxinem tractata: sequitur necessariò,ut de ea quoque quæ cisampelos dicitur,scripserit Dioscorides. Et propterea non erat caput illud breue, tanquam supposititi prætermittendum. Nec propterea diuersa res putãda helxine Dioscoridis,ab helxine Galeni & Pauli,quod hi discutere,Dioscor.dixit uentrem soluere: potest enim utraq; uis eidem adesse, sicuti & alijs multis medicamentis.Potest & in alterutro menda,librariorum culpa contigisse.

39 Cannabis ue.] MAN. lego,uel cannabis potius.

Singulari illi uirgæ.] MAN. lego,à medio caule.nec legitur deinceps.

Asperum & hirsutum.] MAN. hæc duo uerba non legũtur in meo codice, sed hoc modo: In terram ita annuens,ut uestibus &c.

40 Tricena quotidie pota.] MAN. XXX diebus,sed non tricena folia.

Ad lustrationes & purificationes.] MAN. καθαρμὸς καὶ αἱμορῤῥαγίας καὶ ἀγνείας. puto autem inepte accreuisse hæmorrhagias.

43 Cum nardo.] MAN. codex meus ambiguitatẽ Marcelli tollit: pro nardo enim rosaceum exiguum legitur.

Inspergitur.] MAN. ἐμβρεχόμενον.

44 Et fossis.] καὶ τάφροις.

45 Rectus caulis, æqualis,cubito maior, concauus.] MAN. omnia hæc desunt in nouis Dioscoridis uoluminibus.

46 Nascitur & in roboribus.] MAN. accommodatius Dioscor. uerbis hoc pacto conuerteris: Nascitur autem Cilicius in roboribus. Ore legi à mulieribus in Cilicia coccum ex Dioscor. uerbis refert Serapion, ut propterea credi possit locũ in Dioscoride integrum esse, non uitiatum,ut putauit Marcellus.

48 MAN. Nullum hic,sicut & præcedente proximo capite, præter Tragij nomen in meo Dioscoride legitur.

Nascitur

Nascitur montanis.] MAN. Nec uerba hæc leguntur,nulla enim de natalibus mentio.

Qui uero Euripicus dicitur.] MAN. non sic lego, sed hoc pacto, Aethiopicus autem iuncus. Cap.50

Ne soporem faciat.] MAN. λαροῖγὰρ λίαν, id est, ualde enim soporiferum est.

Sunt qui muscum.] MAN. Dioscorides meus, Sunt qui bryon. nec dicit uocari muscum. 51

Durities.] MAN. non durities,sed κηρία, lego in meo Dioscoride, id est fauos: & sic quoq; legit Galenus. 52

Frutex exiguus.] MAN. ῥαβδίον, id est, uirga. 53

Radicem hirsutam.] MAN. adde,tenuem,& ellebori nigri.

In mulso.] MAN. lege,in aqua mulsa. ὑδρομέλιτι.

Intus rubens.] MAN. adde,uehementer. 54

Concisa hæc & ex aceto imposita.] M. ego lego,attrita cum aceto & imposita.

Heliochrysos.] MAN. Elichrysos lego,in titulo & capitis initio. 55

Virga est breuis,recta.] MAN. ῥαβδίον λευκήν.

Arescentes.] MAN. lege,aridos.

Folia incisuris diuisa.] MAN. adde,multis. 56

Ad tempus.] MAN. πρὸς καιρὸν.

Per terram spargitur.] MAN. hæc adiecit interpres. 57

Origano similis.] MAN. adde,maxime.

Bibitur herba hæc etiam.] MAN. legendum ex meo Dioscoride: Et herba ipsa suffitu urinam mouet.nec de potu ulla mentio.

Ex uetere suillo adipe.] MAN. Totum contrarium ego lego, ex recenti uidelicet,& additum,uel ex rosaceo. 58

Inscribitur caput hoc de Hierabotane,hoc est,de sacra herba,&in hunc modum inchoat: Sacra herba,sunt qui Peristereona uocent. 59

Aduersantur serpentibus folia.] MAN. adde,& radix.

Bibenda dantur.] MAN. adde, cum uino. Præterea non erat ut dubitaret Marcellus, non bene legi tonsillarum crustas: ita enim in paristhmijs,sicuti in alijs locis, ab acribus atque acredine nimia ueluti urentibus humoribus, excitari crustæ possunt. 60

Nigris adnatis multis.] MAN. non multis lego,sed solidis.

Ventosis & niualibus.] MAN. adde,& umbrosis.

In Arcadiæ Phæneo.] MAN. ego lego,in Memphide Arcadiæ.

Romani uaccinium.] MAN. uerba interpretis,non Dioscoridis. Vnicum enim ei Hyacinthi nomen,minimo hominis digito graciliorem. 61

Additum.] MAN. inuenio,uiridem,in noua æditione.

MAN. In capitis initio multa adduntur: sic enim ego lego uerbum ex uerbo: Mecon rhœas,id est, fluidum papauer. Nomen hoc ex eo habet,quod celeriter florem abijcit. 62

Et in hordeacea segete.] MAN. desunt nostris exemplaribus hæc uerba.

Caulem lanuginosum.] χοινώδη lego,hoc est,iunceum:non censeo tamẽ,nam fortè melius legit Marcellus.χνοώδη.

Asperum.] MAN. inuenio,præter hæc,& rectum.

Vsquedum duæ tantum partes, aut altera superfint.] MAN. ego lego, donec ad duas reducantur.

Quinetiam insperfum.] MAN. καὶ τὸ αὔτλημα δὲ αὐτῶν αὐτληδές. à uerbo græco αὐτλάω,quod significat haurio, fouere ora dixit Hermolaus.

Destillationes in fauces.] MANARD. ῥεύματα δὲ ἀρτηρίας, id est, fluctiones 63

Universidad de Deusto
Biblioteca

asperæ arteriæ.

Hypocystidis, & acaciæ succo.] MAN. lege, hypocystidis succo, & acacia.

Contra destillationes in aluum.] MAN. lege & hic, alui.

Et ubi sopire opus fuerit.] MAN. adiecit hæc uerba interpretis audacia.

Crassescendi.] MAN. παχώδη, id est, crassum potius reddens reliqua, quàm crassescens.

Inexpugnabilem somni necessitatem, quam lethargum dicunt, usque ad mortem faciens.] MAN. ποιᾷ ληθαργικὸς τὴ αἱρεῖ. id est, lethargicos facies & interficit.

Caros. Lethargus. Male autem definit Marcellus lethargum: inexpugnabilis enim somnus, caros potius dicitur, quàm lethargus.

In mortario uetere.] MAN. lego absolute τῇ ὑγίᾳ. nec scio quare additum, uetere: eam tamen uocem Hermolaus quoq; adiecit.

Cap. 64. Aphri Simaca.] MAN. non leguntur hæc quæ sequuntur in nostro codice, ad ea usq; uerba, folia habet.

Et asperas remittentibus urinas.] MAN. non lego asperas, nec memini alibi legisse ullam urinam dici asperam: sed neq; Serapion eam uocem legit.

Si quis autem corniculare hoc papauer.] MAN. Verba hæc & quæ sequuntur ad capitis usq; finem, accreuisse Dioscor. puto, non tam quod in meo codice non leguntur, quàm quod parum sequacia & eius phrasi dissimilia.

67 MAN. Ex tot huius herbæ nominibus, unum tantum, hoc est, hyoscyamum, quasi porcinam dixeris fabam, in meo lego Dioscoride.

Clypeolis in medio obstrusos.] MAN. περφραγμένοι ἀσπιδίσκοις. hoc est (ut mihi uidetur) clypeolis septi, nulla medij uel alterius partis mentione.

Ceu Irionis.] MAN. Erysimon intellige.

Infelicis in usu euentus.] δύσχρηστοι, id est, difficilis usus, uel inutiles.

Est autem sic expressus succus priore illo innocentior.] MANARD. ἔστι δὲ βέλτιον τὸ ὀπὸ τὸ χύλισμα. hoc est, est succus opo melior. In quibus uerbis non huius succi ad priorem sit comparatio, sed utriusq; succi ad opon, quem Marcellus liquorem appellare consueuit. Esse autem hanc Dioscoridis sententiam, præter eius uerba, hoc in loco etiam quæ paulò infra de utriusque succi uiribus pariter scribuntur, aperte manifestant. Valere enim utrunque ait ad acres oculorum destillationes, & dolores, ad aures dolentes, muliebrium locorum uitia, podagras, oculorumq; & cæterorum membrorum inflammationes.

Ipsa etiam ter quater ue pota.] MAN. non ter aut quater, sed tria aut quatuor ego lego folia.

MAN. ὄρχεις πεφυσωμένους, id est, inflatos, ut Marcello placet, testes. Nec putauerim uentosum significari ramicem: seorsum enim scribunt medici de ramicum generibus, & de testium tumoribus. Sed nec ulla uis adest hyoscyamo, qua uentosi ramices curari possint, calida & sicca medicamenta desiderantes.

68 MAN. Vnicum quoque Psyllij nomen huic herbæ à Dioscoride adscribitur.

Sed longiora.] MAN. hoc non legitur in meo codice, nec in Serapione.

Fœni modo foliosa furculosaq; est.] MAN. pro omnibus his nihil plus lego quàm χορτώδης, quasi fœnaceum dixeris.

Semen pulicibus simile.] MAN. lege, in quibus semen pulicibus simile.

Mollire, adstringere.] MAN. amouenda omnino duo hæc uerba, ceu in bonis exẽplarib. nõ inuẽta, nec alijs medicis de Psyllio scribẽtib. imò nec ipsi rei cõformia.

Conuulsis.] MAN. σπάσμασι lego in meo codice, id est, luxata. Consentit huic lectioni magis quàm alteri Serapion.

Heminis duabus.] MAN. ἡμιτύλοις lego, id est, digitis. sed quia nullus idoneus subiacet sensus, corruptam lectionẽ omnino puto, & legẽdum ut legit Marcellus. uolui

uolui tamen locum monstrare.

Strychnon nigrum hortensem.] MAN. capitis initium aliter, ad hunc uidelicet modum lego: Strychnos, hortulanus. Statimq;, caterua illa nominum prætermissa, sequitur, esibilis frutex est. Cap. 69

Per terram sternuntur.] MAN. χαμαικλινῶς, id est, ad terram inclinant, non sternuntur. 70

Surculosos.] MAN. πλεχώδεις.

Lentore suo.] MAN. hæc adiecit interpres. 71

Miscentur.] MAN. miscetur.

Cortex eius & succus.] MAN. tacetur cortex in meo codice.

Perisson.] MAN. lego Persion.

Thrioron.] MAN. lego, Thryon: nec plura, usq; ad ea uerba, Erucæ folio. 72

Altitudine quantum protensa, & reliq.] MAN. Omnia hæc unico Dioscoridis uerbo respondent, ὀργυιὰς.

Nascitur montanis locis.] MAN. additur in meo lib. καὶ πλατανώδεσι. id est, ubi Platani nascuntur. Nec adest uerbum quod littoralibus respondeat. Cõcordat nostræ lectioni Serapion.

Crateas halicacabum uocat.] MAN. adde, aut calcam. 73

Angustiora & asperrima.] MAN. στρόβιλα καὶ τραχέα ἰσχυρῶς. hoc est, solidiora, & ualde aspera.

MAN. Sic scribit meus Dioscor. Mandragoras, sunt qui Antimelum, qui Dirchæam, qui Circæam ideo uocent, quod radix eius creditur philtron esse, hoc est, ad amores conferre. Reliqua uero tacẽtur nomina, quæ in Marcelli æditione legũtur. 74

Pomis ouorum uitellis æqualibus.] MAN. ὠοῖς lego, id est, sorbis, non ouis: Serapion mespilis. Similibus quoque melius scribes, quàm æqualibus, ne magnitudo intelligatur.

Morion.] MAN. norion: sed melior fortè Marcelli lectio.

In his.] MAN. lege, & in his.

Quinque aut sex diebus leniter confricata.] MAN. stigmata citra ulcerationem delent. Melius, ni fallor, hæc à prioribus diiuncta inuicem connectes, hoc modo: Leniter confricata, quinque aut sex diebus stigmata, absque hoc quod ulcerent, delent.

Circunsecta, &c.] MAN. adde, multiformiter.

Cammaron.] MAN. Inuenio, Cammoron. & pro Theriophono, Therophonon. 75

Miscetur oculorum remedijs, & his quæ somno dolorem leuant.] MAN. non seorsim hæc lego, sed coniunctim, hoc modo: Miscetur ocularibus medicamentis, quæ dolores tollunt.

Huius tria genera.] MAN. non leguntur hæc in nostris codicibus, sed post duo prima nomina, lycoctoni scilicet & cynoctoni, subditur, Plurimum in Italia &c. 76

Breuiora.] MAN. lego, longiora, sicuti & Hermolaus.

Caulem filicis glabro pediculo similem.] MAN. leges clarius, Caulem ut filix, glabrum pediculum.

MAN. Vnicum conij nomen huic herbæ adscribit meus Dioscor. in reliquis cum Marcello satis concordans. 77

Thymion.] MAN. lego, thymalon. 78

In Carbonia Hispaniæ.] MAN. lego, sicuti & Hermolaus, Narbonia.

Post Cynocrambis nomen, quæ sequuntur nomina, in meo Dioscoride non uisuntur. 79

Pani commixta.] MAN. ἀρτοπυθῆτα. id est, in panem formata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aſperioribuſq;.] MAN. lege, craſſioribus.
Lanis plenum.] MAN. non lanis, ſed lanoſa lego natura.
Acanthi ſpinæ.] MAN. lege, hyacinthinis pappis.
Naſcitur maritimis locis.] MAN. adde, & in hortis.
Iumenta, quadrupedesq; omnes.] MAN. ego lego, canes, aſinos, mulos, & plurima quadrupeda animalia.
Eadem homini.] MAN. ego lego, hominum ſeruatricem cum uino pota aduerſus ferarum morſus.
Cap. 81 Aut copioſum in eclegmate.] MAN. lege, aut linctum cum multo melle: ut de gallinaceo uidelicet intelligas ſimo.
82 Romani bulbum agreſtem.] MAN. ex fide codicis mei melius legeres, ſunt qui bulbon agrion ſcilicet, qui bulbum agreſtem: prætermiſſo Romanorum nomine.
Rufo, ἐγκεφάλου.] MAN. de ſemine legitur πυρρόν. uidendum an utraque uox rufum ſignificet.
83 Nondum intra ſe collecto pure.] MAN. non pure, ſed humore lego.
MAN. Poſt hoc caput, in meo Dioſcoride legitur caput de Helxine, id eſt, muralio. lege, parietaria. & poſt id, de Alſine.
84 Vnicum huic plantæ nomen adſcribitur, phaci uidelicet paluſtris.
Muſcus.] MAN. βρύον græce dicitur.
85 Initium huius capitis aptius, ni fallor, & fidelius leges, reiectis quæ creuerunt nominibus, in hunc modum: Aizoon, hoc eſt, ſemperuiuum magnum, nomen habuit à ſempiterna foliorum uiriditate.
In uallari lactaria.] MAN. ὥσπερ τὸ περσικὸν πυρμαλλ. id eſt, ſicuti genus tithymalli, quod characias uocatur.
Addito roſaceo.] MAN. polenta hic quoq; additur in noſtro codice.
ὀφθαλμιῶντας.] MAN. non utiq; uerterim, lucis oculorum perturbationes: ſed ophthalmiam, quæ latine lippitudo dicitur, patientes.
86 Ab hoc quoq; capite, præter αἰειζώου minoris, reliqua nomina abijcienda.
Colore pallido.] MAN. χλωρά. Solet autem hanc uocem Marcellus uiridia interpretari.
Aliquando autem in hortis.] MAN. hæc non leguntur in meo codice, nec quæ ſequuntur, uſque ad locum, ubi uires narrantur. Male autem eſſe adiecta ita apertum eſt, ſicuti diſcrimen inter portulacæ & oliuæ folia.
87 Nec Veneris hortum, nec aliquo alio nomine ex his quæ ſequũtur, inuenio uocari hanc herbam.
Senſim, leni, & ut ſenſum fallat in cõcauitatem deſcenſu.] MAN. Duobus tantum Dioſcor. uerbis uniuerſa hæc ſeries reſpondet, ſcilicet λειηθότως κοῖλον. Hermolaus ſatis (ut mihi uidetur) feliciter, imperſpicuè concauum dixit.
Præcluſa genitalia.] MAN. φύμωσιν τοῦ ὑπὸ αἰδοίοις χελῶς. id eſt, pudendorum phymos laxat.
89 Rabidorum canum.] MAN. abſolute hic, ſicuti & alibi ſæpe, lego canum.
In gangrænam tranſeuntibus.] MAN. εἰς γαγγραινικὰ, hoc eſt, & ad gangrænica. nec magis intelligendum de morſibus canis, quàm de alijs ulceribus.
Cum cera.] MAN. cum cerote lego, idem tamen ſenſus.
90 Carcinomata.] adde ſtrumas ex meo exemplari, à quibus curandi nomen uulgò adepta eſt, ut ſcroffularia dicatur, nunc enim ſtrumas ſcroffulas dicunt.
91 Rectos ramulos &c.] MAN. lege, ramulum & foliũ habet Aparinæ ſimillimũ.
92 Nullum hic nomen, præter primum lego.
Dehiſcentibus.] MAN. χειζόμενα, id eſt, ſciſſa.
Circa urbes & oppida, in aggeribus murorum, & ſeptis.] MAN. ἐπὶ θρίγκοις καὶ περὶ τὰς πόλεις. id eſt, in ſepibus, & circa urbes.

Vtraq; ſimili.] MAN. lego folia tantummodo.
In uino dulci.] MAN. lege exiguo, pro dulci.
Apud Galenum lego non Thalientron, ſed Thalietrum quoq;. Cap. 93
Adiectæ ſunt huic Bryo, barbaræ omnes illæ uoces, Balliris, Iranis, Gnomeuſili. 94
Piſcium teſtis.] MAN. oſtracis.
Capillata herba.] MAN. mirum cum herbam, ut dicit, non putauerit Marcellus, quare capillata addiderit, herbæ nomen: cum Dioſc. ſimpliciter τριχώδες dixerit.
Præterea candidum, quod in Creta ad terram naſcitur.] MAN. ego lego: Aliud albũ: id uero quod in Creta naſcitur prope terrã, floridum ualde, & imputridum. 95
Venenatis prodeſſe.] MAN. Theriacum eſſe ait Dioſcorides.
Idq; crediderũt. & reliqua uſq; in finem.] MAN. ego ſic lego ad literam: Quod nonnulli putarunt eſſe, quo mulieres utuntur, cum radicula illa ſit, æquiuoce uero uocetur phycus.
Non erat ut laboraret Marcellus, fontalem, in fontinalem mutando uocem, ſi meam Dioſcoridis æditionem ſequutus fuiſſet, in qua unicum tantum, potamogiti nomen. 96
Habet.] MAN. lege, eſt folium.
Habet hæc folia auicularum pennis ſimilia.] MAN. νεοττῶν πτερῷ, nouellæ uidelicet auis maxime ſimilium. Adde, & adhuc breuiora. 98
Aſperioribus agris.] MAN. ὑπανυσχέσι. parum igitur potius aſperis, quàm aſperioribus.
Denigrat capillum.] MAN. tingit. & pro luteo colore, lege, aureum. 99
Syderatis.] σφακελίζουσι.
Vlceribus medentur.] MAN. lege, uulneribus.
Sumitur & cum melle.] MAN. ego pro copula, &, lego, autem, ut uidelicet ad ſuperiora referatur, quod dicitur. 100
Paruumq;.] MAN. ego lego, paruo Cymino. 101
MAN. Aparines nomen huic herbæ accreuit, cum ſit alterius proprium. 102
Minora.] MAN. lege, maiora, codicis mei, Galeni, & rei ipſius teſtimonio.
Caulem albicantem.] MAN. caule carere hanc herbam lego in meo Dioſcor.
Cubitalis & aliquando.] MAN. lege abſolute, cubitali maior. 103
Duo tantum nomina huius herbæ leguntur in meo Dioſcoride, Epipactis ſcilicet & Elleborine. 104
Vnicum & hic lego Capni nomen. 105
Et numeroſum undiq; purpureũ florem.] MAN. ego lego, undiq; numeroſa: ut ſcilicet de folijs, non de floribus intelligatur. deinde ſubijcio, purpureũ florem.
Euulſos palpebrarum pilos.] MAN. legitur in meo codice ἀνηλὰς, non ἀλληλάς. id eſt, duplas, non autem euulſas. 90
Qui Libycam.] M. lege, Libyon: nec aliud præterea nomẽ, niſi Loti & Trifolij. 107
Vnum & hic Cytiſi nomen. 108
Loto ue aut trifolio.] MAN. ego lego, aut loto trifolio.
Et in medijs extante dorſo.] MAN. lego pro his uerbis, καὶ ῥαχιμηκέχοντα.
Aegyptiacæ fabæ.] MAN. non inuenio Aegyptiacæ, ſed abſolute, fabæ; intelligendum tamen de Aegyptiaca puto. 109
Milij quantitate.] MAN. ut milium.
Vnicum hic Myriophilli nomen inuenio. 110
Per totum denſus.] MAN. ἀραιόφυλλος, id eſt, uarius.
Non lego hic Conilæ nomen. 111
Semen fœnograeco ſimile.] MAN. lego, τραχήλῳ. & ſic quoq; Hermolaus, colli 112

Universidad de Deusto
Biblioteca

uertens figura.

Cap.114. Nec buglossi, nec spinæ hic nomẽ lego, esseq; hanc uulgarem buglossum puto.

115 Purpureum & luteum.] MAN. lege, aut, non &.

Chamæmali capitulum, undiq; per orbem &c.] MAN. Nullum scio Chamæmali capitulum, & propterea lego, aut luteum instar chamæmali, capitulum circũquaq; scissum. Multæ huic accreuere medicinæ, ut in uiola ostendemus.

116 In phasiolorum clauiculas torquetur.] MAN. fidelius hoc modo conuerteris, Phasiolum uocant nonnulli: ex eo quod phasiolo in hoc similis est, quod soliũ quod in summo est, κλινάριον, hoc est, clauiculam, capreolum uulgò apud nos uocant, fert.

117 MAN. Accreuerunt tot nomina uiolæ.

Medij inter folia coliculi.] MAN. lege in singulari numero coliculus. Galenus ferè eisdem cum Dioscoride uerbis facere hanc uiolam per se & cum polenta, ad calidas phlegmones, ad uentriculi ustiones & oculos dicit: de angina, comitialibus & sedis procidentijs mentionem non faciens. In astere Attico, tacet hæc omnia. Sequitur utroq; capite Galenum, Auicenna. Quare omnia illa adiecta esse asteri puto, quæ his uerbis expressit Marcellus: Prodest æstuanti stomacho, emplastri modo impositæ, prodest & oculorum inflammationibus: & solis uiolis conuenire.

119 Bunij tantum nomen in meo Dioscoride lego, propterea turbam reliquam nominum adiectam puto.

Et ex eo ramulos plures foliolis tenuibus & floribus plenos.] MAN. nihil legitur in meo Dioscoride, quod alicui ex his uerbis respondeat.

Longitudine digitali.] MAN. lege, crassitudine digitali: & adde, oblongum, ut de caule intelligatur, non de ramulis, quorum nulla est mentio.

Ad radicem.] MAN. nec hoc inuenio in meo libro.

120 Et ramulos.] MAN. Ramulorum nomen iterum non lego in meo Dioscor.

121 Vnicum & hic Chamæcissi nomen.

Ramulos.] MAN. adde, multos, si meo credis Dioscoridi, cui ego certe in hoc loco parum credo: quare enim infrà diceret quatuor aut quinq;?

Radix est illi gracilis.] MAN. adde, & alba.

122 MAN. In meo codice legitur Chamæleuce: & de ea quoque scribunt Galenus & Paulus, non de Chamæpeuce.

Sunt qui herbam.] MAN. desunt hæc omnia ad finem usq; in meo codice.

123 Breuissimum est hoc de buglosso caput in meo Dioscoride, ut cui omnia desint, ad ea usque uerba, Verbasco similia folia habet.

124 Rabidorum canum morsibus.] MAN. κυνόδηκτα & hic legitur, id est simpliciter, canum morsibus.

125 Radicem longam.] MAN. lege, breuem.

Virentem.] MAN. additum hoc participium ab interprete.

126 Caterua hæc nominum huic accreuit Leontopodio.

Digitalis herba.] MAN. lego δακτυλιαῖον, hoc est, duorum digitorum.

Angusta.] MAN. adde, robusta.

Lanosa.] MAN. lego ἠιωδέστερα, nõ ὀριωδέστερα. id est, odoratiora, nõ lanosiora.

Quasi incisuris diuisa.] MAN. πεπερμένα, id est, perforata.

Corpori adalligatam.] MAN. hoc non lego in meo codice.

127 Nomina & hic tria superaddita.

Radix & succus.] MAN. tacet hæc duo uerba meus Dioscor. cogimurq; de coma, non de succo & radice, si ei credimus, id intelligere quod dicitur.

128 Ligustrino, uel oleo.] MAN. Lilino tantum lego, non etiam Ligustrino.

129 Vndecim & hic nomina paulò minus sunt meo Dioscoridi superaddita.

Quod cum siccatur.] MAN. lege, ad terram flectitur, & unguibus mortui mili ui similis

ui similis redditur.

Semini.] MAN. additur in meo codice, puniceus color.

Vnicum & huic nomen. Cap.130

Crassaq;, uerum latiora.] MAN. lego, uerum crassiora: nec aliquid plus.

Ad amuleta.] M. lego, ad alexipharmaca: & nihil de amuletis, aut ueneficijs.

Præter Adianti, solum hic lego Polytrichi nomen. 131

Et calculos uesicæ frangit.] MAN. male additur uesicæ, legendum calculos.

Duo tantum nomina adscribuntur huic herbæ in meo Dioscoride, Trichomanis uidelicet & Adianti. 132

10 Multo breuius.] MAN. lege, paruum ualde.

Romani Lappam appellant.] MAN. hæc addidit interpres. 133

Aestate.] MAN. & hoc additum.

Aequalia.] MAN. uel lege uel intellige, similia.

Incisuris diuisa.] MAN. lege, incisuras habentia.

Figura pilularum.] MAN. lege, ut Platani pilas.

Tenaci.] MAN. & hoc addidit Marcellus.

Aegylopis hic tantum nomen lego. 134

Cytiso.] MAN. in meo codice legitur Citto. 136

ἀπὸ γῆς in meo quoque legitur libro.

20 Singularis surculus.] MAN. φρυγάνιον μέλαν, id est, niger: nec singularis mentio. 138

Foliola.] MAN. adde, tria, quatuor ue, quinq; aut sex.

Creuit & hic Smilacis nomen in tot, ut legenti uel numerũ recensere sit difficile. 139

Qualis est quem Græci epiphyllida uocant.] MAN. nihil quod his respondeat inuenio in meo codice, sed tantum βοτρυώδη.

Leniter in gustu adstringentem.] MAN. ὑποστελλόντα lego, id est, leniter mordentem, uel submordacem.

In fine capitis additur in meo codice, Inciditur etiam ad alexipharmaca, id est, ad ea medicamina, quibus arcentur uenena. Alexipharmaca.

30 Supra quem.] MAN. adde, semper. 140

Ex innumeris tot nominibus unum sylueſtris myrti lego. 141

Minus tamen.] MAN. lege, latius.

Infragiles.] MAN. lege, difficiles frangi.

MAN. Inter radices non ultima est Rusci radix, quibus ad obstructiones & ciendam urinã medici utũtur, & propterea in aliquo honore est, quod negauit Marcel. Ruſci radix.

Nomina quæ stephanen sequuntur, in meo Dioscoride non scribuntur. 142

Pondere drachmarum quinque.] MAN. lego, sex.

Validioraq;.] MAN. ἰσχνότερα, hoc est, graciliora. 143

Sexdecim.] MAN. lege, quindecim.

40 Addita & hic omnia nomina, præter Alexandrinam & Chamædaphnen. 144

Singulares, nullisq; ramulis.] M. non leguntur hæc uerba in meo Dioscoride.

Graciles.] MAN. nec hoc.

Vnico Elleborus hic nomine contentus est. 145

Aliqua parte rubro.] MAN. simpliciter rubro lego in meo Dioscoride.

Quod mediocriter riget.] M. μετρίως πεπηγός, hoc est, mediocriter extentus.

Ab Ethna.] MAN. lege, ab Enna.

Faciendæ medicinæ rationem docere.] MANARD. θεραπευτικὴν lego, id est, curatiuam.

In forbitione pultis, aut alicæ.] MANARD. lege, cum multa forbitione aut succi copia.

Qui Ectonion.] MAN. lege, Ecstomon. 146

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui Prœtion.] MAN. tacetur hoc cum reliquis nominibus quæ sequuntur.

Prœti filias.] MAN. Prœti sorores legitur in meo codice, sed Marcelli lectio poëtis magis consentanea.

Semen Cnico simile.] MAN. additur, & in ipso.

Cap.147 Prætermissis reliquis, sic legitur in meo Dioscoride. Sesamoides magnum Elleborum uocant in Anticyra, eo quod in purgationibus Elleboro albo misceatur.

Purgat id superiorē uentriculum.] MAN. aliter ego legerem ad uerbum, purgat per superiora pituitam & bilem. Galenus primum magnum, secundum album uocauit.

148 Purgat.] MAN. adde, per inferiora: quia Dioscor. addit κάτω.

149 Præter Sycios agrion, id est sylvestris cucumeris nomen, nullum ex tot quæ à Marcello scribuntur, lego in meo codice.

Stibij quantum satis sit.] MAN. additur χρῶσαι, hoc est, ad colorandum.

Cum oleo.] MAN. adde, uetere.

Ex Taurino felle.] MAN. lege, aut, non ex.

Adduntur quædam de domestici cucumeris radice, quæ superaddita à quopiam propriæ commoditatis gratia putanda sunt.

150 Et hic unicum lego Staphidos agrias nomen. Galenus astaphida uocat.

Decem aut quindecim.] MAN. legitur in alijs, decem aut quinq; sed Marcelli lectionem meliorem puto.

Malagmatis quæ fouendo sint.] MAN. πυρωλικοῖς. urentibus uertit Hermol. & rectius quidem mea sentētia: caustica enim quadam ui participare scribit Galenus.

151 Vnicum & Thapsia nomen habet in meo Dioscoride.

Gracilior tamen caulis eius est.] MAN. lego, semen. sed uera est Marcelli (ut puto) lectio.

152 Spartion, non Sparton legitur in meo Dioscoride: nec præterea nomen aliud.

Breues.] MAN. lege, longas. Duras.] lege, solidas.

Natiuo lentore infragiles.] MAN. Vna pro his omnibus uox λυθραύστους, id est, ut suprà etiam uertebamus, ad frangendum difficiles.

154 Eruptiones.] MAN. lege, exanthemata.

Quod ex tusa expressáq; supereſt.] M. lego ἐκπίσμα, id est, quod exprimitur.

Ad exterendas scabies.] MAN. asperitates lego.

155 Capitis huius initium sic ad uerbum lego: Narcissos, nonnulli hunc quoq; sicuti lilium, lirium uocant.

Multo tamen tenuiora minoráq; & angustiora.] MAN. lege, tenuia, minoráq; multo & angustiora.

In medio croceus.] MAN. ἔσωθεν, id est, intus.

Porraceum.] MAN. πρασίζον.

156 Vnicum & hic nomen.

Vellicando poliunt.] MAN. γναφεῖα.

Frondosus.] MAN. ἀμπελαφής.

MAN. De Gnaphalio scribit Galen. uocari dicens eo nomine, quod foliis eius mollibus existentibus ad fulloniam uterentur. Aliam tamen rem intellexit, de qua sub eodem nomine, lib. 3. scripsit Dioscor. adstringere eius folia, & propterea dysentericis dari scribens, cum omnibus huius plantæ partibus purgandi uim adscripserit. Vbi de Gnapho scripserit Galenus, uel de Hippophaë, non inuenio.

157 Serpit per terram.] MAN. χαμαιπιτής.

Capitulaq; spinosa.] MAN. lege, foliola parua, spinosa, capitulaq; pōdere leuia.

158 Qui crotona.] MAN. nullum ex his quæ sequuntur nominibus lego in meo Dioscoride.

Mollia.

Mollia.] MAN. hoc non lego. Colligitur.] MAN. lege, exprimitur.

In nullo sanitatis.] MAN. De sanitate nulla hic mentio.

Fœminarum præterea mammas.] MAN. hoc membrum superiori coniungendum uidetur, ut sit sensus, cum polenta mixtum mammis conducere.

Romani herbam lactariam.] MAN. Interpretis sunt omnia hæc, non Dioscoridis, qui à numero Tithymalorum exorditur. Cap.159

Ob comæ quam &c.] MAN. & hæc sunt interpretis uerba.

Vel à foliorum figura.] MAN. & hæc. Vel à longitudine.] MAN. & hæc.

Secundus fœmina &c.] MAN. Sequitur, aut Myrtites, quem & Caryitem uocant, aut Myrsinitem, reliqua sunt addita.

Tertius paralius.] MAN. Sequitur, quem Tithymalida uocant. cætera adiecit interpres. Reliquorum quoq; generum nomina tantum scribit Dioscorides.

Eius quæ uallaris.] MAN. Characias.

Lacteo liquore.] MAN. lege, albo.

Deglutienda sunt.] MAN. deest, catapotia.

Condylomata.] M. non lego hæc in hoc loco, legit tamen Serapion.

Gustu similis est, colore albicante.] MAN. lego, nam similis. & nihil de gustu aut colore. & sic quoq; legisse uidentur Serapion & Hermolaus.

Annuum fructum inuicem alternātes.] MAN. aliter ego lego uerbum ex uerbo: Fructum autem fert annuum nuci similem. Serapion, fructum fert ter in anno. Hermolaus, alternis annis.

Rubentes.] MAN. lege, subrubentes.

Deinceps.] MAN. συνεχῶς. Hermolaus, in ordinem uersúsq;

Semen ceu foliis.] MAN. capitulis lego, non foliis.

Colligitur ex hac etiam aliorum tithymalorum modo lac. M. adde, & semen.

MAN. Nec illud prætermiserim, in uerbis quæ ex Paulo transtulit Marcellus, insignem esse errorem. secūdi ordinis in calefaciendo esse tithymalos, qui ordo caustícus est: legendum enim quarti: quæ enim secundi ordinis sunt, non lædunt, nedum quod urant. *Error in uerbis Pauli per Marcel. translatis.*

MAN. Multa mutauit Marcellus ex Theophrasto, & fortè bene: sed notare nobis placuit, quæ secus in nostro Dioscoride legebantur, ut omnibus bene pensatis, integrum sit lectori, eam quæ magis placuerit scripturam sequi.

ὀπὸν hoc capite, contra legem quam sibi libro primo statuerat, semper lac Marcellus transfert. 160

Et hic quoq; pro opo reddidit lac. quod licet exigui momenti esse sciam, placuit tamen locum signare. 161

Deuorata.] MAN. lege, in catapotia. Conformatus.] ἀναπλαθέις.

Candido lacte.] MAN. Quis nescit lac candidum? fugisset hanc nugationem, si fideliter uertendo dixisset, candido liquore. 162

Feruenti aqua aspersum.] MAN. ἐκθερμαθέις.

Lactis liquore plenus.] MAN. lege, liquore albo. 163

MAN. Vocari hanc herbam spumeum papauer, non inuenio in meo Dioscor. 164

Lacte plenos.] MAN. Mirum est quàm Marcello placuerit lac reddere pro liquore: lego enim & hic ὀπόν.

MAN. Adiecta esse huic capiti tot nomina, primum & secundum ostendunt, à radice deducta, cuius uel nullus usus, teste Theophrasto, uel rarior quàm liquoris. 165

Aliquando quatuor.] MAN. hoc non lego.

Quadantenus pilosos.] MAN. lege, crassitiem quandam ostendentes.

Grauissimi odoris.] MAN. grauis, non grauissimi. βαρύοσμος.

Eodem modo.] MAN. lege uel intellige, tholi modo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fungosus.] MAN. lege, rarus. ἀραιός.
Qui tenues habet discurrentes uenas] MAN. pro tot uerbis lego, συρίγγας ἔχων λεπτάς, id est, tenues habens fistulas.
Cap. 166 Heraclиæ, bdelyræ, citocacij, oleaginis, uel oleastelli nomina, non legũtur in meo Dioscoride.
Amaris.] MAN. lege, densis & amaris.
Fauces scarificantibus.] MAN. lege, arteriam.
167 Cnestron.] MAN. lege, cestron.
Id Syri apolinon uocant.] MAN. lege, quod Euboœs ætolion uocant.
Satiuo lino.] MAN. lege, sparto lino.
Speciosas.] MAN. adde, & multas.
In pane pulte ue.] MAN. lege, farina aut polenta.
168 MAN. Nullum hic nomen præter actes.
Rotundas quadantenus, inanes.] MAN. lege, rotundas, subcauas.
Tria, aut quatuor, aut quinque, aut sex, aut septem.] MANARD. lego solum, tria aut quatuor.
Ex uirgis.] MAN. lege, circa uirgas.
Maioribus incisuris diuisa.] MAN. lege, τμηλικώτερα, hoc est, magis incisa.
Chamæactis quoq; tot nomina non leguntur in meo Dioscoride.
Refrigerantéq;.] M. abradendum omnino hoc uerbum, calent enim ambæ.
Radix in uino decocta.] MAN. adde, in uictu. πρὸς τοὺς διαπαγ.
Oculorum inflammationes.] MAN. lego absolute, inflammationes.
Cauernosa.] M. ὑποφορὰς, & podagricis opitulantur.
169 Porri semen.] MAN. lege, prassij, id est, marrubij: non prassi, hoc est, porri.
Lutei coloris.] MAN. ὠχραὺ, hoc est, pallidi.
Exiguo mâlo æqualem.] MAN. lege, ut exiguum mâlum.
Tumores omnes.] MAN. non lego, omnes.
MAN. Pro eodem habet Marcellus colorem luteum & pallidum, quod ego non probarim.
170 Neque Aphrorum, neque Romanorum nomen lego huius herbæ in meo Dioscoride.
Spondylio.] M. asphodelo legunt alij.
In nulla raphano foris color niger inspicitur, ait Marcellus: quod falsum esse nemo apud nos hortulanus non nouit.
171 Qui amaram cucurbitam.] M. σικύαν, id est, cucumerem, lego. Tacentur autem reliqua sequentia nomina in meo Dioscoride.
Colocynthidis farctum.] M. intellige interiorem eius partem.
Stomacho inimica.] M. adde, ualde.
172 Nescio unde natum Cedis nomen, & Inuolucri, huic herbæ.
Inania.] M. κοῦφα lego, id est, leuis ponderis.
Caudas.] M. οὐραγὸς.
174 A similitudine lentis quam refert.] MANARD. hæc sunt interpretis, non Dioscoridis.
175 Romani syluestrem &c.] M. & hæc addidit interpres.
Rimosi corticis.] φλοιορῥαγοῦντα.
176 Additur tot nominibus & Cedrostes in meo codice.
In gangrænam phagedænamq; transeuntibus.] M. non transeuntibus, sed secum eos affectus habentibus dixerim. γαγγραινικῶν enim & φαγεδαινικῶν lego.
Quæ de apoplexia quasi Galeni ex Definitionum libro recitantur, nec Galeni sunt, nec suis dogmatis consentiũt. Ea potius sequenda, quæ ex Introductorio sunt accepta,

accepta, quanquam nec illud Galeni est.
Quæ post Bucranium recitantur nomina, in meo codice non leguntur. Cap. 177
Blechnon & Polyrrhizon uocat meus Dioscorides, reliqua tacens nomina. 178
Indicatq; id.] MAN. lege, probatio talis.
Vbi multa arundo & multa filix.] MAN. additur in meo Dios. corones, dispa ret filix. Putóque talem aliquando fuisse eius loci sententiam: Radix pota, & cum axungia pro cataplasmate apposita, facit ad eos, qui ex arundine uulnerati sunt: cuius probatio talis est: Vbi multa arundo, si ibi coronæ modo per ambitum multam filicem conseras, disparebit arundo: atq; econtrario, si ubi multa filix, multam arun dinem conserueris, disparebit filix.
Obliquæ.] MAN. latæ, hoc est πλατεῖαι, non πλαγεῖαι. 179
Legitur in meo libro, sicuti & in reliquis, Si supergrediatur prægnans, eam abor tiri. placet tamen Marcelli lectio, cui præter Theophrastum & Plinium, consentit etiam Serapion.
Vnicum hic Polypodij nomen. 180
Præsertimq; quercuum.] MAN. lege, in agrestibus quercus truncis.
Dodrantali altitudine.] MAN. adde, filici simile.
Et hic quoque unicum dryopteris nomen. 181
In dulci.] MAN. lege, ad dulce uergentes.
Magnitudine.] MAN. ego quoque lego magnitudine. θαμίας. 182
Quo in opsonijs utuntur.] MAN. ego lego, huius flore εἰς τὰ πθοψήματα.
Offulæ.] MAN. πόπαρία.
Despumato melli.] MAN. lege, cocto.
Tria tantum nomina habuit herba hæc in meo codice, Linozostis, Parthenij, & Mercurij. 183
Duplex eius genus est, sexu discernuntur.] MANARD. nec ista quoque in meo leguntur.
Geminatis geniculis.] δισγόνατα.
Alarum cauis multis.] MAN. adde, & densis.
Dodrantalem.] MAN. lege, duorum dodrantum. 184
Per interualla disposita, & albescentia.] M. ego lego, per interualla albescentia.
Est cauli foliisq; uis &c.] M. sic ego uerterim fere ad uerbũ: Caulis & folia olerũ modo pota, uim habẽt ad ciẽdam aluũ. Coctorũ uero aqua bilem educit & aquosa.
Sunt qui Scorpiuron.] MAN. adde, à floris figura: & reliqua nomina mitte. 185
Candidioraq;.] MAN. lege, nigriora.
Purpurascentem.] MAN. lego, ὑποπυῤῥον, quasi subfuluam.
Ante accessiones.] MAN. adde, hora una.
Sunt & qui hanc Scorpiuron.] MAN. hoc non lego. 186
Scorpionũ ictibus subuenit.] MAN. adde, ἄκρως, id est, summè & excellenter. 187

EX LIBRO QVINTO.

Cibum in stomacho non continentibus.] MAN. lege, stomachicis, ob causam à me non semel redditam. Cap. 1
Defectis.] MAN. intellige antea ablatis. ἀφαιρεθέντα.
Et in uerrucarum genere thymis.] MAN. Thymos sedis intellige antea ablatos.
Vsq; ad pubertatem.] MAN. ἄχρι αὐθήσεως, id est, usquedum floreat. 2
Minimis acinis.] MAN. paruis lego, non minimis.
Innocentior.] MAN. lego ad uerbum, minus horum est particeps. 3
Ollares & in uinaceis seruatæ.] MAN. ἐκ τῶν σκυφίλων & ἐκ τῶν βυλῶν.
Exiguo uino ut uinosæ fiant.] M. ego legerẽ, fiunt autẽ tales paulò post uinosæ.

Emplastri modo.] adde, cum sale.

Adstringendi maiore ui.] MANARD. ego lego, attenuandi. Serapion consentit Marcello.

Aut cymini farina.] MAN. lege, &, non aut.

In uerrucarum genere quas epinyctidas uocant.] MAN. lege absolute, epinyctidas. Nullæ enim sunt in uerrucarum genere epinyctides.

Cap. 4 Legenda cum floret.] MAN. si flos œnanthe est, frustra dicitur legenda cum floret. Melius igitur leges hoc modo: Oenanthe uocat sylueſtris uitis fructus, dum floret reponi debet in fictili &c.

Gingiuas sanat.] MAN. adde, cum melle.

5 Vehementissime enim urit.] MAN. ἰκανῶς, id est, satis.

ὡραῖοι fructus. Non accesserim in hac parte Marcello, quod scilicet antiqui medici horæos fructus solum uocent cucurbitas, cucumeres, pepones. Nec in eo, quod diuidi cibum ab oris particula columella dicit, ne si uniuersus descenderit, præfocet: scio enim alios quoque fructus ab antiquis medicis dictos horæos: & usus columellæ esse, ad aërem & sputum, non ad cibum.

Columellæ usus.

6 Vrinam magis expellit.] MAN. non lego magis.

Vtroq; uitio caret.] MAN. lego, utrunq; excessum effugit.

Corpus auget.] MAN. lege, carnes.

Vermiculum.] MAN. κιρρόν.

Aegerrime resoluitur.] MANARD. δυσδιαπνόυσ῾ον, id est, difficile transpirat, uel difflatur.

Aluum, & in alias partes destillationes.] MAN. ego lego, aluum abstinet, & alias destillationes.

Molle.] ἁπαλόν.

Et ab infirmitate corporis.] MAN. ego lego, & his qui ab imbecillitate affliguntur est utile.

Languentes uenarum pulsus excitat.] MAN. σφυγμὸν ἀνακτγλικόν. uerterem ego simpliciter, pulsus excitat.

Venarum pulsus.] M. & hoc loco pulsus simpliciter leguntur.

Concoctionem tamen impedit.] M. lege, concoqui ineptum.

Hadrianum Mamertinumq;.] M. adde, in Sicilia genita.

Eapropter fallit bibentem.] M. ego lego, neque latet copiose potum.

Meatus laxat, laxatisq; his sensuum cæca excrementa purgat.] M. τὰς τε αὐθεντὰς ἀναπετάσεις, καὶ ἀλήλους πορευτέον. quæ uerba in alium sensum ego hoc pacto conuerterim: Et ea quæ ad sensum patent purgans excrementa, & occulte meatus adaperiens. ut sit sensus, excrementa ab huius uini potu & aperte, & ea etiã quæ sensum effugit difflatione uacuari.

Bibitur eodem anno.] M. post annum. Eadem lectio in uino adynamo, scilicet μετ᾽ ὀλιγωρίας, & eodem modo utrobiq; legit Hermolaus.

7 Priuatim mulieribus.] M. non lego priuatim.

8 Sextarijs duobus mellis.] M. lege, sextarijs sex.

9 Insignis error est, in græcis etiam exẽplaribus, hoc cap. à nemine interprete animaduersus: bis enim repetitur, decocta nos uti: primo in his quorũ aluũ mollire uoluerimus, aut uomitũ ciere: secũdo in pulsib. pusillis &c. Multa enim sunt quæ subesse errorẽ in altero eorũ locorũ ostendunt. Primũ, quoniã si nõ est alterius q̃ decoctæ mulsæ aquæ usus, frustra nõ solum bis, sed etiã semel fuisset adiectum decocta. Deinde, quæ necessitas fuit ei qui iam usum decoctæ dicere incepisset, nullo alio intercedente sermone, sed alios eiusdem usus narrãti, iterũ repetere, nos uti etiã decocta, in his qui pusillis sunt pulsib? Clarius uero detegit hic error in græcis exẽplarib. sic enim

Error insignis etiam in græcis exemplaribus.

sic enim primo loco legimus: χρώμεθα δὲ τῷδ᾽ ἀφεψημένῳ ἐφ᾽ ὧν &c. secundo loco τῷδ᾽ δὲ ἀφεψημένῳ. hoc est si quis uerbum uerbo reddat: Vtimur autem cocta in his quibus aluum mollire cupimus &c. cocta autem in his qui paruis sunt pulsibus &c. Quis enim non uideat altero horum locorum errorem euenisse? & pro non decocta, legi decoctam? Vt uero primo loco legendum sit non decocta, facit Galeni auctoritas, qui lib. 3. de uictu morborũ acutorum, mulsam aquam non decoctam, aluũ magis subducere, decoctam magis dicit nutrire. Facilis autẽ fuit lapsus in græca lingua, à uoce ἀναφεψημένῳ, quæ nõ decoctum, ad ἀφεψημένῳ, quæ decoctũ significat.

Copiosius.] MAN. ἀκρατέσ῾τερον. meracius uertit Hermolaus.

10 Hypochondria uocant medici, utrinque à lateribus uentriculi os attingentia loca, dextrum sub quo iecur, sinistrum sub quo lien iacet, nominantes. Celsus præcordia uocauit. Nonnulli temporis huius, ex græca lingua, multa ad latinam interpretati, ilia uocauerunt, non recte, ut puto, quum teste eodem Celso, ilia inferius circa pubem iaceant.

Cap. 10 Hypochõdria. Præcordia. Ilia.

Bilem & pituitam trahit.] MAN. lego pituitam tantum, non autem bilem, & eodem modo scribit Paulus.

11

Miscetur apte malagmatis &c.] MAN. ego aliter lego, in hunc modum: Apte farinæ hordeaceæ miscetur, emplastrisq; ac malagmatis, quæ discutiẽdi uim habẽt.

Facit ad exinanitiones, in quem usum tepida infunditur.] MAN. Accusat hoc loco Barbarum Marcellus, quod clysteres addiderit, cum possit hæc aqua & pota exinanire, & per urinam reddi: nimis certe hic uel dormitans, uel ad Hermol. taxandum intentus. Si enim bibatur, quomodo infunditur: alioqui de potu eius ab initio capitis dixerat, quod pituitã educeret: hic uero infundi tepidam ad aluũ exinaniendam, calidam ad tormina: quod certe non aliter quàm per clysterẽ intelligi potest.

Male Marcellus Hermolaũ accusat.

In quem usum feruente ea, fouentur.] MAN. Marcellus qui nihil addendum uocibus Dioscor. dixerat, participium *feruente* statim addit. Quod si dixerit, in uoce πυρεώδεσ῾ιν, feruorem includi: dicet similiter Hermol. in uerbo Infunditur, clysterem intelligi. Quid autẽ per uerbum πυρέω intelligatur à medicis, lib. 1. à nobis est monstratum. Hic addemus, non meritò à Marcello reprehendi Hermolaũ, quod saccis aquã claudere uoluerit: hac ratione, quod si rariores sint sacci, effluet: sin dẽsior materia, calorẽ non trãsmittẽt. Videmus enim uesicis aquã optime cõtineri, & nedum per eas, sed & per stãnea uasa calorẽ liquoris inclusi trãsfundi. q̃d cognoscẽtes Pannones, uasculis ad hoc paratis, decocto herbarũ plenis ad leuãdos dolores utuntur.

Patrocinatur Hermolao.

Ruellium quoq; non maiore ratione taxat, quod scilicet suffitu dixit, qui absque fumo quo aqua caret, intelligi non potest: poterat enim discere uel à Plinio Marcellus, aquam fumo non carere, si nunquam fumum aquæ uiderat, qui lib. 31. suffiri aquam marinam calidam cum aceto in dolore capitis, docet.

Ruellius defenditur.

Adstringit & refrigerat acetum.] MAN. adde ex fide nostri codicis, & cibi appetentiam facit.

13

Fluentem ex uulneribus sanguinem.] MAN. φύαιμον. Sic autem Græci uocãt ea, quæ cruentis protinus uulneribus imponuntur.

Inspergitur.] MAN. hoc non lego.

Rabidorumq; canum.] MAN. lege, canum, ut aliàs sæpe.

15

Exulceratis intestinorum torminibus.] MAN. μετὰ νομῆς, cum depascentia.

In confectione Thymoxhalmæ, non lego rutam neq; polentam.

16

Operculatum.] adde, linteolo.

Non recte à Marcello definitur arthritis, quæ & latine ab eodẽ articulorũ dolor dicitur, quod sit inflammatio permanẽs, male affectis neruis ualidissimos afferens dolores: fit enim & absq; inflammatione, neq; permanẽs, hoc est diuturna, semper est, nec in neruis fit semper, nec ualidissimos affert dolores. Melius igitur fecisset, si

Universidad de Deusto
Biblioteca

definitionem ex his quæ affert in fine Pauli uerbis elicuisset, quàm ex libro de Definitionibus, perperàm Galeno adscripto, à quo sæpenumero magnam errandi occasionem accepit.

Cap.17 Putrescentes humore gingiuæ.] MAN. μυδῶντας ὅλα. labantes Hermolaus.

Reprimit.] MAN. στέλλει. Hermolaus, adstringit.

Quæ in ore exeduntur.] MAN. σηπεδόνας. putrescentia Hermolaus.

Solidescit potu eius guttur, callum faucibus obducit.] MAN. pro gutture & faucibus, unam tantum uocem lego, βρόγχει. ideo ad uerbum sic uerterem, fauces firmat, & callosas facit.

Datur idem utiliter cibum in stomacho non cõtinentibus cruditatibus.] MAN. ego lego, stomachicis, & difficile concoquentibus.

Concrescẽtibus in uesica calculis.] M. & hic quoq; inutiliter additum, in uesica.

Vegetum.] MAN. ὑγιεινὸν, id est, salubre.

18 Et inueterare.] MAN. ἄγαν. addendum ergo, ualde.

Neruos non lædit.] MAN. lege, minime neruos lædit.

19 Vuis mare miscent.] M. ego lego, statim post uuæ uindemiam mare miscent.

Alij passis prius factis uuis mare miscent.] MAN. ego lego, passas uuas in uasis mari profundunt.

20 Demissa.] MAN. lego, laxa facito, id est, χάλασον.

Sextarijs decem.] MAN. lego, duodecim.

Spissandi uim.] MAN. ἐστὶ δὲ συσπαστικὸς, hoc est, adstringendi habet uim.

23 Non excessura tamẽ sunt pira maturitatis suæ modum.] MAN. aliter loqui uidetur Dioscorides, & hoc pacto ad uerbum: Non admodum autem matura sint pira.

Acerbo sapore sunt.] στυφνοί.

25 Simpliciter aut ad tertias.] MAN. non lego simpliciter.

26 Concoctiones à cibo potum.] MAN. aliter meus Dioscorides, & sic ad uerbum: Vtile non febrientibus ad uentriculi concoctiones doloresq; superbibitum, ad humidas quoq; aluos & intestinorum difficultates.

27 Nigræ myrti.] MAN. Tanti est apud me fides in hoc interpretandi munere, ut etiam si crederem Dioscoridem nigras myrti baccas intellexisse, non recedendum tamen à uerbis eius iudicarem, quæ sunt, Myrta, hoc est, myrti baccas nigras, quæ maturitatem excesserint, accipito. Quod tamen putem non de nigra tantum, sed simpliciter de quauis loquutum, faciunt uerba quibus capite sequenti utitur, ubi de nigra intelligens, aperte eam demonstrauit dicens, Nigræ myrti ramulos &c.

Tusarum modio.] MAN. χοίνικι.

In stomachum & aluum destillationes.] MAN. ῥεύματα τὰ στομάχου καὶ κοιλίας. id est, uentriculo & uentri rheumatismum patientibus.

Fœminarum fluctionibus.] MAN. ῥῦσι simpliciter scribit Dioscorides, id est, fluctionibus.

29 Sistunt in eum destillationes.] MAN. fidelius, tametsi non adeò eleganter, quisquis piam hæc omnia hoc pacto (ni fallor) conuerterit: Stomachi fluctionem iuuant, intestinorum, uesicæ, sanguinis eruptiones, in uniuersum autem & rheumatica uniuersa ulcera fota ad cicatricem ducunt.

31 Incorruptum.] MAN. lege, difficilem mutari.

Ex Aegyptia fico.] MAN. sycomorum intellige.

Acerrimum.] MAN. acre.

32 Passim.] MAN. aduerbium hoc addidit interpres.

Narium destillationibus.] MAN. καταῤῥεύμασι, id est, fluctione laborantibus naribus.

Nigra.] MAN. lege, nigrescentia.

Conficiuntur

Conficiuntur uina.] MAN. adde, picea. Cap.34

Nuper cæsam.] MAN. adde scissam, σχίζοντας. assulatim transfert Hermolaus.

Exudati humoris.] MAN. hoc non legitur in meo Dioscoride, sed ex ductu sermonis, non humorem apponendum, sed lignum iudico.

Adstringunt.] MAN. adde, parum.

Cutem subeuntibus aquis.] MAN. hoc non inuenio.

Aceti sextarios sex.] MAN. pro aceto, lego mustum: sed fortè uerior fuit Marcelli lectio. 35

In musti sextarios uiginti.] MAN. lege, sex.

Et ex gelu contractam corporis noxam.] MAN. fideliter, & uno uerbo poterat reddere, per frictionibus. καταψύξεως enim tantum ait Dioscorides. 38

Cum pyrethro herba.] MAN. cum pyrethro simpliciter dixit Dioscor.

MAN. Vbi de uino ex hircina origano cõcinnato legit, In linteolo: adde, laxo.

Torminibus, inflationibus.] MAN. hoc loco non lego, inflationibus.

Anisi uero tres.] MAN. pro anisо, lege, anethi. 40

Idem hoc uinum.] MAN. non reperi hæc uerba in meo Dioscoride.

Lienem minuit.] MAN. lege, lienis crassitiem attenuat. 41

Apij seminis.] MAN. adde, montani.

Soluendis inflationibus accommodatum.] MAN. ὄπνος. halitum oris commendans, Hermolaus. Ego, facile spirantes, conuerterim.

MAN. In Elleborite ubi legit, In marinæ aquæ duodecim quindecim ue cõgios, ego lego quindecim aut quatuordecim.

Odorati iunci drachmas triginta.] MAN. lego hic & in calamo uncias.

In Scammonite ubi legit Marcellus drachmas quinque, ego lego quindecim.

Intus candido.] MAN. lege, albiore. 42

Maculis alabastritæ lapidi similibus.] MAN. ἀλαφύσεις ἔχοσα ἐμφερῆς ὀνυχίτῃ λιθῷ. id est, lineas habens onychiti lapidi similes.

Maculas lineis similes.] MAN. lege, uenas zonis similes.

Fauilla.] MAN. λιγνύϑ. ut fortè magis proprie fuliginẽ Hermol. reddiderit. 30

Et cameris.] MAN. πὶ κορυφῇ, hoc est, summitati.

Coquitur Cadmia.] MAN. lege, uritur.

Alterum candidissimum.] MAN. λᾶον lego, id est, leue. Marcellus λευκὸν legit, debuitq; propterea album uel candidum, non candidissimum dicere. 43

Opplendi.] MAN. πλασιάζειν, quæ uox aliud significat, quàm opplere: quod nescio etiam quare differat ab eo quod est explere, quam uim & superius huic pompholygi attribuerat Hermolaus conglutinandi, nos eandem uim cum emplastice credimus, de qua suprà abunde diximus.

Est præter hæc in genere leniter crustas obducentium.] MAN. hæc nec lego, nec legenda aliquo pacto puto: nulla enim res frigida crustas facere in cute potest. 45

Lentis carbonibus.] MAN. lege, tenuibus & leuibus.

Aut lentiscum.] MAN. lege, aut herbam schœnon. Puto tamen in græco quoque βοτάνην non recte additam, id est, herbam.

Exiguis granis quibus constat &c.] MAN. lege, milij forma exiguus, & grauis. 45

Et adstringit.] MAN. hoc non lego in meo codice.

Egregie erodens.] MAN. λαϑικὸν. mordens scilicet: quod certe minus est, ut primo etiam libro monui.

Trium obolorum.] MAN. lege, quatuor.

Papularum eruptiones.] MAN. lege, exanthemata.

Vulgari ære.] MAN. hoc non lego. 47

Adstringendi reprimendiq;.] MAN. lego στελλιλὸν solum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap.47 Colore fauillæ.] MAN. lege, cineris.
48 Contra inteſtinorum tormina.] adde, cœliacos.
50 Donec nulla ſuperſit nigredo. MAN. ἐφίσωται. clarius ſupernatet dixeris, ut Hermolaus.
Sub manib. paulatim in loco uacuo.] MAN. lego, ὑπηχέοντες, hoc eſt infundẽtes.
Opplere.] M. hic quoq; pro uerbo πλησμπλασῆμ, redditur opplere, quum tamen ſubdat Dioſc. πλησῦν, quod ipſe Marcel. uertit explere, ſicq; uideat̃ idem bis dixiſſe.
Sine exulceratione.] MAN. ἐχαρῦν, id eſt, abſque eo quod eſcharas, id eſt, cruſtas ignis modo excitet.
51 Validiſſimo igni.] MAN. lego, ὄξει, id eſt, aceto, ut Hermolaus: non ὀξῦ, id eſt, ualidiſſimo.
52 Vitri modo pellucidum.] M. ὑελίζοσα, id eſt, uitrũ referens, nulla lucis mẽtione.
53 Sunt etiã qui quod oculos dilatet, platyophthalmon.] MAN. lego pro his omnibus ferè hæc uerba: Hoc nonnulli Stibi: alij Platyophthalmon: ſunt etiam qui Larbaſon uocent. Vim habet &c.
Eſt illi uis opplere.] MAN. ἐμπλαστικὸν hic quoq; uim lego: quam qualis ſit, ſuprà Galeni teſtimonio oſtendi.
54 Quæ ad Coryci Sebaſtiam foditur.] MAN. lege, quæ apud Corycum & Sebaſtiam inuenitur.
55 Helcyſma.] MAN. lege, enclyſma, uel encauma.
56 Cocta.] MAN. χωνδυομένης.
Puteolis & Baiis.] MAN. non leguntur hæc in meo Dioſcoride.
Spiſſare, adſtringere.] MAN. lege uel intellige, συστελλῶ.
Foſſilis ſalis drachmas quinq;.] MAN. lege, uncias.
Sedis itidem cicatricibus.] MAN. lege, fœdis.
57 Tum diuidenda.] MAN. lege, formanda. ὠὰπλαστέον.
Per opplendi uim.] MAN. hic quoq; emplaſticam opus eſt intelligere.
58 Virente.] MAN. πρασίζοσα.
Vlcera extergit.] MAN. lege, cicatrices. ὀλδῆ.
Leniterq; cum eroſione aliqua exeſt.] MAN. leges meo iudicio, & uerbis Dioſcoridis, & rei ipſi accõmodatius, hoc modo: Leniter exeſt cum quadã mordacitate.
59 Et cœruleus color aliquis eſt, qui æqualiter cõmunicato ſibi eo colore ſplendet.] MAN. neſcio quo pacto uerbis Dioſcoridis hæc reſpondere poſſint: ea ſunt huiuſmodi: τὸ χρῶμα κυάνεον ὁμαλόν πως ἔχων. quæ in hunc ſenſum quiſpiam uerterit: Cœruleus color, æqualisq; ualde.
In genere eorum eſt quæ in medicina alendis tantum palpebrarum pilis uſum habent.] MAN. hic quoque excluſionis nota addita: ſic enim ad uerbum loquitur Dioſcorides: Eſt ex eorum numero quæ palpebrarum augent pilos.
60 Eligenda harena illa eſt quæ craſſiſſima.] MAN. ad cœruleum ipſum, non ad harenam refert Hermolaus. & pro craſſiſſima, ſaturatum uehementer colore nominis ſui, reddidit. cui & ego in hac parte conſenſerim.
61 Spumæ modo.] MAN. Dioſcor. ueluti ἐκβράσματ eſt. Indicarum harundinum pullulum uocat Hermolaus, quod & mihi magis probatur. ἐκβράζω enim uerbum, emittere ſignificat.
62 Vndiq; lutea.] MAN. addidit Dioſc. καταπορῆ δὲ. ſaturatum uertit Hermolaus.
Adſtringere.] hoc non lego, hoc eſt συστελλῶ. ſed σπαστελλῶ.
Deiicere.] MAN. σκληρυντικὸν.
Collectiones.] MAN. lego, phlegmonas, id eſt, inflammationes.
63 Minio.] MAN. Amineo ſcribit Dioſcorides. An uero Græcis ſit ammion, quod Latinis minium, alibi declarauimus.

Floridum.

Floridum.] MAN. lege, floridiſſimum.
Puſtulas.] MAN. exanthemata ſcribit Dioſcor. quam uocem conſueuit Marcellus uertere, eruptiones pituitæ.
Lini ue decocto.] MAN. lego ſelini, hoc eſt, apij. Cap. 64.
Quinetiam minutiſſima auri ramenta.] MAN. hæc uerba nõ lego in meo Dioſcoride, & propterea ſuppoſititia puto.
Carthaginenſis.] MAN. Carchedonice. 66
Quinetiam.] M. hic deſunt uerba ſequentia, Antidotis quoque miſcetur. 67
Quidam etiam mutata tantum.] MAN. aliter lego totam hanc partem: Quidam ſtalacticon, pecton, hephthon, aracton, lonchoton. 68
Quod ab Hiſpanis etiam lonchoton.] MAN. lege, ab alijs lonchoton dictum.
Repurgare.] MAN. hoc non lego in meo codice. 69
Exulcerare.] MAN. lego eſcharas, id eſt, cruſtas excitare.
Sanguineo colore.] MAN. milti, hoc eſt rubricæ, non ſanguinis lego. 70
In ſuo genere.] MAN. hæc adiecit interpres. 71
Leuorem habet.] MAN. adde, pura eſt. 72
Grauans enim ſory olfactu uirus mittit, eoq; nauſeam cit.] MAN. multa de ſuo addidit Marcellus. βρωμωδέστερον tantũ, hoc eſt uiroſius, & nauſeã facere dicit Dioſc. 73
Pingueq; eſt.] MAN. lege, ſubpingue.
Potuq; aut olfactu.] MAN. lege, dum deglutitur.
Quod autem fractum non minus quàm Miſy ſplendet.] MAN. aliter lego, hoc uidelicet modo; Quod autem non ſplendet dum frangitur conſimiliter Miſy. Marcelli tamen lectionem puto meliorem.
Coctis quæ cocta non ſunt.] MAN. lege uel intellige, uſtis quæ uſta non ſunt.
Quæcunq; cruda humore aliquo reſolui poſſunt.] MAN. multa & hic ſenſum mutantia. Verba Dioſcor. ſunt: ὅσα ὠμὰ ὄντα αὐαίνεται. id eſt, quæcunque cruda dum ſunt, diſſoluuntur.
In fornacibus quæ aureæ dicuntur.] MAN. lege, quæ areæ. 74
In fornaces foueas dictas.] MAN. lege, in foueas tacitis fornacibus.
Expers alterius naturæ auripigmentum eſt.] MAN. Coniungenda hæc pars præcedentibus eſt, ut ſcilicet & hæc ſit nota boni auripigmẽti, alteram rem non habere ſecum commixtam. Lege igitur, Et expers alterius naturæ exiſtit. 75
Glandium modo concretum, pallidum, Sandarachæ colore gleboſum.] MAN. ego lego, βωλώδες, hoc eſt, gleboſum. atque colore Sandarachæ, nulla palloris aut glandis mentione.
Habet exedendi uim.] σπαστελλῶ. de ui ſeptica alibi diximus.
Ad ſatietatem flammeo colore ruſeſcit.] MAN. κατακορῆ πυρρόν. hoc eſt, ad ſatietatem rufo. 76
Fragilem.] MAN. adde, conteri facilem.
Sulphuris uirus.] MAN. lege, ſulphuream ſpirationem habentem.
Quod ualidiſſime adſtringit.] MAN. adde, βαρύοδον, hoc eſt, graue olens. 77
Bulloſumq; eſt.] id eſt πομφολυγῶδες. quod fortè quis pompholygi, id eſt, tuthiæ uocatæ ſimilis, conuerterit.
Natione perfertur alijs.] MAN. fidelius quiſpiam & hoc alio modo uerterit, dicens, Et genere ex Melo uel Aegypto.
Quodq; ſine aſperitate &c.] MANARD. Ego inuenio, æquale, & omni ex parte ſuccoſum.
Cum quodam igniculo caloris.] MAN. lego, καὶ πυρώδης ἀκπνέοσαν. hoc eſt, quod caſeum ſpirat, id eſt, redolet.
Braſſicæ ſucco.] MAN. lege foliis.

t

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex aqua illita.] MAN. κατατετριμμένας, hoc est, perfusæ.
Inunguntur.] MAN. adde œdemata, id est, laxi & indoloroſi tumores.
Cap. 78 Ad narium mucum, & in ſubiectas partes deſtillationes.] MAN. lege, ad coryzam & catarrhum. grauedinem & deſtillationem uocat Celſus.
Podagræ eo ex aqua.] MAN. adde, cum nitro.
Veternoſis.] MAN. lege, lethargicis.
79 Leuiſſimus.] MAN. ualde leuis.
Fiſtuloſus.] MAN. πολύκωλον lego, multiforus.
Nec in attritu harenoſus.] MAN. ἄλιθον, id est, illapidoſus.
Candidiſſimus.] MAN. lege, albus.
80 Tateon.] MAN. lego, Tapeon, aut Tritæon, aut Gantæon.
Subeuntium cutem aquarum tumores.] MAN. uerba Dioſcoridis ſunt: Et ad hydropicorum œdemata. quorum alius ſenſus eſt, ut norunt medici, quàm qui à Marcello exprimitur.
Calentes iſdem &c.] MAN. πυέλαι, id est, fomentum per ipſos, ait Dioſcorides.
Cum polenta.] MAN. adde uel intellige, uſti. κεκαυμένοι enim ait Dioſcorides.
Crabrones.] MAN. ego quoque lego τριβόλους, ut Hermolaus.
Et capitis ulcera quæ pſydracia, & quæ thymos appellant.] MAN. tutius & fidelius legeris hoc pacto: Et ad capitis pſydracia, thymoſq; & phymata. Non enim ſunt capitis ulcera thymi, ſicuti neque pſydracia ſunt ulcera.
Tubercula quos dothienas uocãt, & teſtium tumores diſcutiunt.] MAN. ſic lego ad uerbum: Cum uua paſſa, aut ſuillo adipe, aut melle dothienas diſcutiunt. Et teſtium œdemata cum origano & fermento citius maturant.
Sugillata.] MAN. adde, faciei.
Podagris.] MAN. adde, ſimiliter.
82 Contra exulcerata inteſtinorum tormina.] MAN. adde, depaſcentia.
83 Defertur Nilo.] MAN. καταῤῥεῖ, defluit.
Innatat & paludibus.] MAN. Innatat uero paludibus.
Maiore in guſtu &c.] MAN. lege, & maiore. Videbuntur hæc leuiuſcula, ſed ſi quis diligenter aduerterit, uidebit non ſine cauſa notata.
Defluente colore.] MAN. hoc non lego, ſed ἐκ μέρους, id est, ut mihi uidetur: per partes aqua etiam diluitur.
σμήγματα. Ex his quæ exterendo ſunt.] MAN. σμήγματα. Sunt autem σμήγματα, quæcũque purgant & emaculant faciem.
84 Fiſtuloſum.] MAN. lego, perforatum. quod mihi aliud eſt quàm fiſtuloſum.
Ex alto in ſummũ euocandi.] MAN. μετασυγκεκλω. Quæ uero hæc ſint, Galenus docet lib. 4. Methodi curatiuæ.
Quale quod ex bunis.] MAN. Si eiſdem locis nitrum & nitri ſpuma naſcitur, ut Marcellus ipſe teſtatur, quum nulla ſit inter tot natales ſpumæ bunorum mentio, melius erat hoc loco colles intellexiſſe.
85 Spumoſa.] MAN. lego, aut ſpumoſa.
Amplius tamen id nitrum nitriq; ſpuma poſſunt.] MAN. Non lego hoc loco, nitriq; ſpuma.
Aut cum decocto.] M. inuenio in meo codice, aut cum epſemate, id eſt, ſapa.
Aut aniſi.] MAN. hoc non lego.
Exterendo & extenuando.] MAN. lege, ad lepras.
Cum reſina excepta ſanant.] MAN. non lego ſanant, ſed aperiunt.
86 Validiſſime adurere.] M. lego ualde. Adde, ſepticen uim, de qua ſæpe.
Panos.] MAN. adde, & tubercula.
Lauatur cremata fex.] MAN. Adiecit hæc Marcellus. quare enim dixerit hic lauari,

lauari, quũ docuerit ſuperius ablui, ut põpholyga? lege igitur, Lota uero miſcetur.
Albugines.] MAN. lego, ἀχλύς, id eſt, obtuſam aciem.
Candorem.] MAN. lege, ſummam albedinem. Cap. 87
Vulgari albo lapide.] MAN. χυδαίας μαρμάρου, id eſt, uilis & cõmunis marmoris.
Glutinat.] MAN. Emplaſticen uim habere dicit Dioſcor. quam opplendi alibi 88
uocat Marcellus, & nos aliam eſſe non ſemel oſtendimus.
MAN. πλώματα lego, & caſus intelligo in eo ſpatio quod uacuũ Marcel. reliquit. 89
Sine pondere.] MAN. lege, leue. 90
Fiſtuloſum.] lego, πολύκωλον, id eſt, multis uacuitatibus, uel foraminulentum.
Bembico.] MAN. lege, Besbico.
Ad exterendum & inducendum leuorem.] MAN. ad ſmegmata dixit Dioſc. cui uoci tot reddit Marcellus.
In Cappadocia.] MAN. lege, in Galatia. 91
Et cremijs.] MAN. lege, χερναίοις.
Inani.] MAN. πολυκώλου, id eſt, multiforo. fiſtuloſum proximo capite Marcellus intellexit.
Recentes.] MAN. lege, nouæ, alio ſenſu: poſſunt enim aliquæ ſpongiæ nouæ 92
eſſe, quæ longo tamen antea tempore euulſæ ſint.
Omnes tamen præcluſa ulcera callosq; aperiunt.] MAN. totam hanc partem fidelius quiſpiam hoc pacto conuerterit: Præcluſa ulcera & callos dirimunt, ſiccæ lino colligatæ, linamentiq; modo impoſitæ. Rheumatica uero ueluti depaſcentia, & antiqua ulcera exiccant, ſi nouæ, ſiccæ & uacuæ apponantur, ſanguiniſq; compeſcunt eruptiones. Ex aceto autem crematæ ad ſiccas lippitudines faciunt.
Crematarum cinis.] MAN. hoc addidit Marcellus Dioſcoridi. uſtas ſimpliciter dixit. non quicquid tamen uritur, uſqueadeò uritur ut cinis fiat. Refert Galenus chirurgum quendam ea utentem ita calida poſt uſtionem, ut & cruſtam, ignis modo excutaret, & pro operimento eſſet. quod non bene poteſt de cinere intelligi.
Veluti candens ferrum.] MAN. nulla in Dioſcoride ferri mentio. 93
Sandarachæq;.] MAN. lege, antherico.
Aut Sandyci.] MAN. adde, ſaturæ.
Et ad cicatricem perducit.] M. lege, & cicatrices, ſcilicet implet.
Inæquali coloris concretione.] M. ἐκ δύσνου τῆ συγκρίσει τοῦ σώματος. Hermol. 94
nec corporis portione ponderoſus. Ego, non robuſta corporis concretione.
Candidas ſiquidem.] MAN. non lego ſiquidem, ſed ἤτοι, hoc est, autem: diuerſo, ut clarum eſt, ſenſu.
Ruſeſcat.] MAN. adde, magis.
Cruſtas inducit.] MAN. πώδης, id eſt, aliquantiſper.
Et ambuſtis cum cera medetur.] M. Cum urendi uim habeat, mirum eſt quod, ut Achillis lancea, ambuſtis medeatur. Lego in meo Dioſcoride, κατακλασμάτων. Nullo ſenſu Marcellus legiſſe uidetur καταλαυμάτων. Galenus uehementer exiccare, adſtringereq; aliquatenus, & mordere.
Purgat cum melle malefica.] M. lego, θηλώδη. fera uertit Hermolaus. 95
Rubens.] M. καταπυρής, colore nominis ſui egregie infectus, uertit Hermolaus, 97
hoc eſt, ſanguinis.
Pondus amiſerit.] MAN. lege, mediocriter leuis.
M. προπίπτωσις definitur à Paulo Aegineta caſus uueæ tunicæ, fracta aut exeſa cornea. Procidentiam autem totius oculi, uocat ἐκπίσωμον.
Naſcitur in Lycia.] M. lege, in Cilicia. non damno tamen Marcelli lectionem. 99
De Morochtho. In teneris corporis partibus.] M. ego lego, tenera ulcera. 100
Ibidem in Thyite. Qui quod eo medicinalia mortaria fiunt, nomen inuenit.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc addidit Marcellus. Alioqui mollior uidetur, quàm ut idoneus mortarijs sit.

Erodit ualidissime.] MANARD. lego, αὐαδιδακνων σφοδρὰ, id est, uehementer mordicans.

Præcipua.] MAN. hoc adiectiuum adiecit interpres.

In Iaspide. Alius glaciem repræsentat saliuæ similis.] MAN. lege, alius crystallinus, pituitæ similis.

Calai gemmæ similis.] MAN. adde, colore.

MAN. Inter Iaspidis uires detegere eum furta scribit meus Dioscorides, sicuti & Hermolai exemplaria: quod ut superstitiosum reliquit (puto) Marcellus.

In Ophyte. Graui enim odore.] MAN. grauem dicit meus Dioscorides, non habita odoris mentione, ut de pondere opus sit intelligere.

In Ostracite. In leuiganda cute.] MAN. pilis uidelicet amouendis.

Drachmarum duarum pondere.] MAN. lege, unius.

Quinetiam si quis quatuor dieb. &c.] hic lego, duarum drachmarũ pondere.

In Smyride. Exterendo & exedendo.] MAN. septas & causticas lego.

In Geode. Quem quoniam terram intra se amplexus est, Græci.] MAN. hæc omnia sunt interpretis, non Dioscoridis uerba.

Cap. 101 Præcipuam & supremam.] MAN. αὐωτάτω. intelligo communissimam atque (ut ita dixerim) generalissimam, & omni terræ communiter conuenientem.

In Eretriæ uiribus, lego etiam molliendi.

In Pignite. Crassiores habet glebas.] MAN. lege, crassas.

Marinarum testarum cinis.] MAN. lege, ostraca ex fornacibus ualde assa.

In Melia. Viridibus emplastris.] MAN. lego ὑγιαίνουσι, id est, potestatibus.

In Ampelite. Reprobanda ẽ diuerso cinerulenta.] MAN. adde, alba.

103 Melan.] MAN. lege, melan quo scribimus.

Gummi pondo.] MAN. lege, uncia una.

Et atramenti sutorij tantundem.] MAN. ego lego, Taurini glutinis unciam unam semis, chalcanthi unciam unam semis.

EX LIBRO SEXTO.

Ex præfatione. Aut oblata occasione &c.] MAN. Aliter meo iudicio fidelius & plenius quispiam hoc pacto uerterit: Aut ea materia quæ iuuamenti gratia infirmis præcipue offerri uidetur, ut absinthio &c. Et est sensus, malum ueneni odorem auferri nõ solum aromatibus, sed his etiã medicamentis quæ odorata cum sint, iuuamenti gratia dari consueuerunt: hocq; præcipue falli eos, qui quum imbecillitate aliqua molestentur, eius pellendæ causa hæc medicamenta accipiunt. Vides enim quæcunque hic enumerantur, esse uehementer odorata, ut præter ductum uerborum ex ipsis rebus possis intelligere, ad id quod prius de malo uenenorum odore dictum fuerat, hæc referri.

Asperiore uino.] MAN. σκληροῖς, id est, duris uel potentibus.

Aut alijs quæ passim in cibo dantur, uenena illa compinsentes.] MAN. ego lego, aut pharmacis, aut alijs quæ offeruntur, compinsentes.

Difficillime corripiuntur à stomacho postea cæteræ qualitates.] MANARD. ego lego ἀπεπτότατοι, & intelligo, difficillime concoqui cæteras qualitates. Si uero Paulum Aeginetam sequuti legamus, ἀναπίληπτοι, intelligemus non apprehendi cæteras qualitates.

Et honeste.] MAN. καλῶς. magis mihi quadrat aduerbium bene, uel recte: ut sit sensus, bene se habere, ut imbecillibus ea caueamus, quæ uenefici, quasi auxilij gratia bibenda offerunt.

Aut Nepetæ foliorum.] MAN. lego hic, aut milti, quæ Lemniũ sigillum, idem pondus

pondus cum uino.

Grauitate halitus.] MAN. βρώμαν, id est uiru & ueluti sanie. halitus autem nullo pacto potest huic loco conuenire.

Vertigines.] MAN. lege, obtenebrationes. σκοτῶσις.

Elanguescere.] MAN. ἄγκωσις, id est, ut mihi uidetur, resolutionem pati.

Et toto corpore eroderi.] MAN. ὀλαξῶσις. pruritum pati, libentius uerterim. Qui enim potest à re tam uehementis frigoris uniuersum erodi corpus?

Eoq; magis quod alijs quæ uenenis superueniunt.] MAN. Aliter, & (ni fallor) fidelius quispiam sic transtulerit: Et præcipue quoniam alijs quoq; superuenientibus affectionibus hæc sunt communia.

Oportet sanè.] MAN. lege, Licet aliquo modo cognoscere, si ad ea quis respexerit, quæ sumus edocturi.

Rubeta rana.] MAN. adde, leuis.

Lacti mixtum coagulum.] MAN. lege, coagulatum lac.

Auripigmentum, sandaracha.] MAN. lego, sandarachæ duæ.

Pota à balneo, cursu, laboriosisq; exercitijs &c.] MAN. ego lego, uinum copiosum simul à balneo potum, aut dulce, aut frigidum. Legẽdum tamen puto in fine, passum, aut frigida scilicet aqua.

Asperrime omnium.] MAN. hoc adiecit interpres. difficillimas tantum dixit Dioscorides. *Cap. i*

Ciborum ueluti ex repletione fastidijs.] MAN. omnibus his uerbis unicũ Dioscoridis uerbum ἄζεις reddidit Marcellus.

Erodendaq;.] MAN. ἐκνίψαι. lege igitur, & eluenda.

Fouere.] MAN. καταπλάσσοντας. uerte, cataplasmata facere.

Fomenta.] MAN. hic quoq; lege, cataplasmata.

Vitalioribus partibus inhærens.] MAN. lege, principibus.

Post aliquod tempus.] MANARD. χρονιδγώτερ. amoue ergo, aliquod. Paulus, postremo.

Dolores earum inflammationum.] MAN. lege, difficillimas inflammationes.

Vtile interim est præter hæc.] MAN. lege, in hoc tempore utile est. Paulus hic addit, postea.

Carnes hœdorum.] MAN. adde, agnorum. Paulus, ouium.

In passi drachma.] MAN. manifestarius hic error. Quomodo enim octo terrestrium rerum drachmæ, unica liquoris drachma dissolui poterunt?

Graue olenti nitro.] MAN. lego βρωμώδη. 3

Linguæ inflammatio.] MAN. adde, & mentis impedimentum. sic legit Auicenna. Paulus, ut Marcellus. aliqui utrunq;. 4

Aut urtica ureretur.] MAN. ὀριζομένοις, id est, irritatis. 5

Erodentur interanea.] MAN. lege, mordentur.

Inualescat malum.] MAN. lege, uenenum.

Intestinorum inundationes.] MAN. hæc adiecit interpres.

Vniuersa & sine interspiratione.] MAN. lego ἀθρόα pro tot uerbis. 6

Passum.] MAN. lege, dulce uinum.

Carabi attacicq;.] MAN. Mirum est Marcellum, alioqui græcas uoces fugientem, duas hasce dimisisse. locustas & gammaros intellige.

Cum frequentiore pedituum ratione.] MAN. lego πνεύματα, id est, spiritus. 7

alioqui ex præcordijs uel pectore peditus non redduntur, sed ex aluo.

Addito castorij &c.] MAN. Addidit Marcellus participium, addito, quod delendum est, & pro eo scribendum, Aut aliud enim remedium est.

Confert & cum uino lixiuia.] MAN. in meo codice lego claris & apertis uer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis, lixiuia cum uino & gallinaceo decocta, aut bubularum carnium pinguium ius cum aceto sumptum.

Ea in Heraclia ponti &c.] MAN. usq; in finem non legũtur hæc in meo codice.

Cap. 8 Ad Heracliam ponti.] MAN. adduntur alia multa uerba in meo libro, scilicet, In qua & Aconitum gignitur: Attice Ionia uocatur in Eubœa Sideritis. Anuero hæc fini præcedentis capitis iungenda essent, meum non est hoc loco censere: satis me feciſſe putaui, si ea referrem quæ in meo exemplari secus quàm Marcellus legebam. Sed nec tacebo mirari me dicere Marcellum, Dioscoridem hoc loco testari mel illud fieri ex Aconito, quod ego nec in græco lego codice, nec in ipsa Marcelli ipsius interpretatione.

9 Cum absinthio meracum uinum.] MAN. lege, oleum cum absinthio potum. melior tamen uidetur Marcelli lectio.

Nec minus itidem.] MAN. hoc etiam de oleo legitur in meo codice.

Ouorum putamina.] MAN. Cum nulla sit hic putaminum mentio, sed tantum ouorum, eaq; uoce utatur Dioscorides, qua medici in ouis ipsis semper utuntur, scilicet ὑοφώμεα, Auicennaq; & reliqua Arabum turba de ouis intelligant, consentiente & rerum ipsarum natura, quæ oua quidem ad hanc rem idonea ostendit, putamina minime: sic uerbum ex uerbo legendum duco: Ouaq; uacuata in ipso & tepefacta ac cum muria sorpta. Si tamen Paulum, qui non χλιαθώτα, id est, tepefacta, sed ἡλιθώτα legit, sequamur, pro tepefactis, detrita scribemus.

11 In arterijs.] MAN. lego singulari numero, in arteria: & asperam intelligo.

Cum pipere.] MAN. additur in meo codice, & uino.

Aut amomi liquorem.] MAN. hoc non inuenio.

Passum per se potum.] MAN. lego, dulce uinum. & sic etiam legit Paulus.

14 Miserabili dicterio.] MAN. ὀκ ἀυφώμως, id est, non bonæ famæ.

15 Vt potum uinum somno concoquant.] MAN. legitur in impresso hoc ultimo codice, sicuti & apud Paulum, in hunc modum: Ita cogendi sunt quiescere, quemadmodum qui uinum biberunt. Nec erat ut laboraret Marcellus quærendo, an soporifera uis falsò quarto libro esset huic herbæ adscripta, an hic omissa: ostendente experientia, eos qui præ nimio uini potu desipiunt, ferè soporari.

16 Languor.] MAN. lego ἔκλυσις, id est, exolutio. Marcorem uertit Hermolaus.

Vomitiones, & à uomitionibus &c.] MAN. ego lego, uomitus & mulsa aqua, & post hoc & nitrum & absinthium.

Inspergendum.] MAN. ἐμβροχή.

17 Nitrum itidem cum aqua aut lixiuio passo ue &c.] MAN. ego lego aliter: Nitrumq; cum aqua, & origanum cum lixiuio, agrestisq; rutæ semen.

19 Nardo similem.] MAN. In meo quoq; codice additur, agresti.

Cilissa nardo.] MAN. & hic lego, Gallica.

Quam quidam.] MAN. lego in loco illo uacuo, serinim.

Et croci florem.] MAN. ego lego, Irim cum croco. florem tamen scio esse rosæ partem.

20 Nota etiam hoc tempore res toxicum est sub Napelli nomine.

Passum cum rosaceo.] MAN. lego, dulce uinum. & simili modo legit Paulus.

Attoniti. *Apoplectici.* Attoniti.] MAN. Si attoniti sunt Latinis, qui apoplectici Græcis, ut tu superius testimonio Celsi comprobasti, uel citissime moriuntur, uel in resolutionẽ transeunt attoniti. quare nullo pacto intelligi potest, eos qui toxicũ hauserint, si surrexerint, reliquo tempore uitam attonitos agere. Ego igitur lego, ἐπιπομφύοι, id est, tabefacti. Auicenna hectici, aut phthisici.

21 Aut lacte.] MAN. hoc non legitur in meo codice, sed ex Paulo acceptum est. Sicuti & quod sequitur; Aut resina terebinthina.] in Dioscor. enim abietina legitur. Aut

Aut Thapsiæ cum mulsa aqua.] MAN. aliter legitur finis huius capitis in meo codice, in hunc ferè modum: Aut succi absinthij drachmæ duæ cum mulsa aqua, & aceto multo potæ. Paulus scripsit ut Marcellus.

Oleastelli herbæ aut Thapsiæ drachmæ duæ.] MAN. manifestissimus hic error & periculosissimus. Siquidem oleastelli, id est, chamæleæ à Græcis uocatæ unica drachma interimit, Serap. teste. Thapsiæ treis obolos tantum præbet Dioscor. Fortè pro drachmis uel unciis, quod & aliqua habent exemplaria, oboli sunt legendi. *Error periculosissimus.*

Persicorum ossa cum hordei decocto.] MAN. simpliciter lego, Persicorũ ossa. Paulus ut Marcellus. *Cap. 22*

A singulorum tamen potu euocandus uomitus est.] MAN. hoc non lego.

Succurrendum his quamprimum cõmuniter est, oleoq; ad uomitum.] MAN. sic fidelius uerterit quispiam: His statim auxilium commune adhibendum per uomitum, cogendo eos uomere. 23

Prodest cum uino potum etiam absinthiũ, & mel in cibo, & cum aqua potum.] M. ego lego, Aut absinthium cum uino & melle commixtum, & cum aqua potum.

Cum lixiuia aut aceto.] MAN. adde, aut passo. 24

Passum & maluæ decoctum.] MAN. hic non lego passum. Paulum tamen sequutus est Marcellus.

Cum grauissima conuulsione.] MAN. lege, cum forti strangulatione. Conuulsionem ipse quoq; Paulus legit. 25

Densante se magis in stomacho &c.] MAN. fidelius (ni fallor) uertit Hermol. hic enim ferè est uerborum Dioscoridis sensus: Grumis, quoniam in sublimia trahuntur, magis in stomacho addensatis.

Ficorum caprificorum ue grossi.] ὀλωθοι.

Conyzæ folia.] MAN. lege, semina.

M. Titulus capitis huius est, πρὸς γαλακτος ἐμπυλασθῆτος, hoc est, coagulato. 26

Admixto coagulo lac.] MAN. ἐμπυλασθῆ.

Thymus cum uino.] MAN. lege, cum aceto.

Agrestis orminij.] MAN. lege, therebinthi. 27

Myrrhæ itidem drachmas octo, absinthium, hyssopum, apij semen.] MAN. nullum horum lego in meo codice.

Potum, tum uomitionibus redditum copiosum lac.] MAN. non hæc fuisse Dioscor. sententia uidetur, sed quod prius quàm lac biberant, euomuerint. Verba eius sunt, ἐμέτων ἔξω δὲ γάλα ὕστερ. 28

MAN. Etiam in meo codice legitur ὑμλυὸς, uoluisseq; Dioscor. mihi uidetur, ea danda esse, quæ cum eo quod temperant, mitigare quoq;, & lubricam aluum reddere possunt: dolores enim cum morsu mitigari debent, & quod aluum molestat, deijci. 29

Multæ lubricitatis succus est.] MAN. ὑπαρχων, hoc est, existens.

Aut frumentacei tragi.] MAN. ego lego, & tragi uocatæ herbæ semen. Nec interpretis esse puto, pro sua coniectura, uerba autoris mutare uel inuertere.

Corruptis piscibus &c.] MAN. ego lego, uiriosis piscibus similis gustus: nec ex Nicandro interpretandum Dioscoridem puto. 30

Pisces alios.] MAN. adiecit, alios, interpres. Dioscorides simpliciter dixit, pisces.

Aliquando cruentus.] lege, sanguini mixtus.

Quam rapum terræ dicunt.] M. interpretis hæc sunt uerba, non Dioscoridis.

Aut ueratri.] MAN. uel lege uel intellige, radix.

Scamoniæ ue herbæ liquor.] MAN. lege, scamonij liquor cum mulsa aqua.

Cum mulsa aqua drachma.] MAN. lege, cum uino, nulla ponderis mentione.

Concoquuntq; eos præsenti remedio.] MAN. hæc non lego in meo libro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 31 Hauſtæ rubeta uel mura paluſtris rana.] MAN. ego lego φρυών, id eſt, rubeta paluſtris rana.

32 Aut nix cum poſca pota.] MAN. non lego hoc remedium.

33 Et recentes pappi, qui flores ſunt ſpinæ, quæ in carduorum genere κάκτος uocatur.] MAN. Pro his omnibus duo tantum uerba lego, ſcilicet νεαροὶ πάγκοι. Sequitur caput aliud, cuius titulus περὶ ἄξους. Ego tamen locum eſſe bene à Marcello caſtigatum puto: nóſque tum hoc nomine, tum ob alia multa, eius manibus plurimum debere.

EX LIBRO SEPTIMO.

Cap. 35 MAN. Principium eſt hic in meo codice libri ſeptimi, nec alioqui uideo quo pacto inſcriptio hæc poſita huic capiti poſſit congruere, in quo nihil agitur de rabido cane, ſed ſequentibus capitibus.

Venenumq; ictu aut morſu relinquentibus.] MAN. Omnia hæc uerba, uni tantum græco reſpondet ἰοβόλων.

Vt curationis remediorumq; totus in medicina modus.] MAN. duo & hic tantum uerba leguntur, περιοδευτικὸς τόπος. laudo tamen Marcelli caſtigationem.

A cõmuni ſerpentũ appellatione.] M. uerba hæc interpretis ſunt, non Dioſcor.

Quod pharmacis repugnat & aduerſatur.] MAN. & hæc addidit interpres.

Habitus.] καταστάσεις.

Neq; enim omnino id uerum.] MAN. οὐ γὰρ καθάπαξ.

Sed difficillimum ſemper habet.] MAN. ſic leges clarius, Sed ſemper id quod protrahitur, & nullum uſum in aliquod opus præbet, difficile ad cõiectandum eſt.

Etſi cauſarũ ratiocinatione priuatim, & in proprijs omnino non careat.] MAN. & hoc aliter lego, ad hunc modum: Si perfecte etiam cauſarum propria ratiocinatione priuatum eſt.

Nec remedij occaſiones præbet.] MAN. lege, & quod ad curandum occaſiones præbet.

Quin ex eo magis.] MAN. lege, ſed magis ab eo quis orſus.

Incerta.] MAN. lege, de apprehenſione eorum quæ immaniſeſta ſunt.

Senſu enim ob exiguitatem ſuam &c.] MAN. lege, differunt enim ſenſibus à proprijs ob exiguitatem.

Quod autem &c.] MAN. ego ſic lego: Quod uero & exacte deprehenſum eſt, eo quod uim quandam habent corrumpendi, quæ mixta corporibus cauſa eſt malorum quæ accidunt, conceſſum eſt, hoc & creditum.

Quod ea faceret &c.] MAN. lege, opus hoc faciẽtem oſtendere cõmunem cauſam, ne quid nos lęderet in omnib. ſi particulares proprietates nõ apprehẽderimus.

Et ante.] MAN. in ſpatio uacuo ſcribe, obſeruationes.

Sed rationales quos methodicos.] MAN. lege, ſed methodici. alia enim fuit rationalium, alia methodicorum ſecta.

Adeò inepte uocibus & nominibus immorantur.] MAN. lege, adeò abſque mente nomini hærent.

Ab eis ſiquidem maniſeſte φθοροποιός. M. lego, φθοροποιὸς enim & ab ipſis.

Docentęq; in cauſis præcedentes eſſe.] MAN. πολυαιτιάρχανας, id eſt, præincipientes. Initiales Hermolaus uocat: quæ aliæ ſunt à præcedentibus, quas πολυγενεῖς dicunt. quam differentiam non intellexit Marcellus, & propterea utraſque in unum in ſuo commentario confudit.

Suntęq; illis præcipuæ hæ cauſarum differentiæ.] MAN. ego lego, & hæc quidem probatiſſimæ cauſarum differentiæ.

Quod affectionem facit.] MAN. lege, Quod paſſio ipſa permanet.

Quoniam

Quoniam aliunde adeſt quod nocet.] MAN. plurimum enim hoc adeſt.

Nec corruptionem facere &c.] MAN. lege, nec facere uerbum in hac dictione, corruptionem faciens, contentum, ſimile nominibus alijs aſſumptis eſt.

Maxime prævalentem.] MAN. lege, maxime proprium.

Idq; in letalibus uenenis.] MAN. lege, & in letalibus uenenis, & his quæ corporibus infunduntur.

A caluæ fractura.] MAN. lego fractura abſolute, ſine caluæ mentione.

Efficaciter nocentem.] MAN. lege, manifeſtiſſimam.

Maximusq; ueluti ſcopulus.] MAN. lege, & præcedens ſcopus hic faciendus.

Quæ uitalis non ſit.] MAN. lege, quæ princeps non ſit.

Et uitalia.] MAN. lege, uiſcera.

Aut è diuerſo acerrimis cibis.] MAN. ego lego, aut ex cibarijs acribus cõtrarijs.

Alia profundius aut leuius exulcerant.] MAN. ego lego, putredinem gignunt.

Quammaxime aduerſantibus.] MAN. lege, repugnantibus: uel, præliantibus.

De arte ſermonem.] MAN. Ego, ex artis mediocri ratione.

In inſcriptione, ubi Marcellus dicit, Etiusq; in homine morſus: ego non ſic lego, ſed, & eorum quos ille momorderit. Cap. 36

Exiguum è uulnere dolorem.] M. ego lego, niſi pro uulneris ratione dolorem.

Sudore, ſuiq; & domeſticorum ignorantia.] MAN. ego lego, & præcipue poſt ſudorem. ἢ ἀπειρίας.

Præterquam ex hiſtoria.] MANARD. additur, ex hiſtoria ſuperuixiſſe neminem accepimus.

MAN. Galenus addit thus, cancris & gẽtianæ, ad hunc modum: Thuris partẽ 1. gentianæ partes 5. cancrorum partes 10. & dat ſingulis diebus ſingula cochlearia. 37

Curanda in primis cruſta illa eſt ne decidat.] MAN. ego lego totum cõtrarium, præcipue curandum ut cruſta cadat, ne ſub ea ulcus coaleſcat. 38

Cum cætera deſint.] MANARD. non ſic lego, ſed, opportune tum eis utendum. ἐυκαίρως.

Meraci ſcilicet dulcioris uini.] MAN. lego, ζωροτέρου, id eſt, purioris. Hermolaus, uetuſti. 39

Videnturq; hæc paſſim.] MAN. ego lego, hæc mihi uiſa ſunt.

Dropacisq; & ſinapis.] MAN. lege, dropaciſmus & ſinapiſmus.

Quæ ueratro purgatio eſt.] MAN. lege, elleboriſmus, id eſt, prouocatio uomitus per elleborum.

Ex diligẽtia curationem.] M. lege, per eum quem prius diximus epilogiſmum.

EX LIBRO OCTAVO.

MAN. Principium eſt hic octaui libri in meo codice. Cap. 40

Mediocriter.] MAN. non lego hoc aduerbium hoc loco.

Ex aduerſo autem.] MAN. ego lego, mediocriter humeſcit.

Rigores.] MAN. lege, tentiones. φυτάσεις.

Adſtrictiones.] MAN. σύλημα. contractiones uertit Hermolaus.

Et multa ex aduerſo in pellendo difficultas.] MAN. ego lego, & multa in ſuperfluitatis excretione difficultas.

MAN. Taxat hoc loco Marcellus Hermolaum ex Paulo Dioſcoridem corrigentem, quod tamen & ipſe non ſemel fecit, & hocmet capite facit.

Et exulceratur locus.] MAN. lege, & putreſcit. 41

Et incurabili.] MAN. lego, δυσφόρῳ, id eſt, quæ difficulter fertur. Marcellus hic quoque ſequutus eſt Paulum.

Horrores.] MAN. lege, horridus ſenſus. 42

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 43 Labor.] MAN. πόνος. lassitudinem ego dixerim.
Vigilia, languor.] MANARD. pro his duobus lego, ἀφωνία, id est, imbecillitas uel languor.
Post hæc.] MAN. lege, post hoc.
Aquosus humor.] MAN. lego, ichor, id est, sanies.
44 Pustula.] MAN. φλυκτὶς. libentius uesicam legerim.
Aquoso humore.] MAN. lege, aquosa sanie.
Disruptaq; pustula.] MAN. & hic legerem uesica.
His quæ serpunt similis.] M. ego lego, similis ei quæ fit ab his quæ serpunt.
Intestinorum dolores.] MAN. σφόφος. tormina hic consueuit interpretari.
45 Aquosus humor.] MAN. ichor.
Et oleosus.] MAN. hoc non lego, sed tantum subpinguis.
Pustulæ.] MAN. lege, uesicæ.
MAN. Lapsus est hic pudendo errore Marcellus, non agnoscens differentiam inter echin & echidnam, marem scilicet & fœminam uiperam.
47 Insurgentes pustulæ.] MAN. lege & hic uesicæ.
Aquosus humor.] MAN. ego lego, aquosæ saniei effusio.
Erosiones.] MAN. lege, morsus.
48 Sanguinis eruptio.] MAN. ego lego, & multa ex morsu excretio.
Et si cicatrix inducta fuerit &c.] MAN. ego lego, Et si cicatrix in alia corporis parte fuerit, sanguinem & ipsa præbet.
Et pro urina &c.] MAN. lego hic ut Hermolaus, Et qui effluit sanguis concretus est. & in hunc sensum scripsit etiam Paulus.
49 Intolerabilis ardor.] MAN. ego lego, ἄσηγνος ὄγκος, id est, non constrictus tumor. & sic Hermolaus quoq; legisse uidetur, uertens, solutus tumor. Paulus inter signa scribit καῦσος ἄσηκος, & hunc sequutus est Marcellus.
Ab urendo & ab ardendo.] MAN. uerba sunt interpretis, non Dioscoridis.
51 Accedit exulceratio.] MAN. lego σηπεδὼν, id est, putrilago, uel putrida exulceratio. erosionem uertit Hermolaus.
Decidunt carnes] MAN. πδιῤῥέουσι. effluunt per orbem, uertit Hermolaus.
Vesica.] MAN. lego νῆστιν, non κύστιν. hoc est, ieunum uocatum intestinum, non uesicam. Paulus tamen lædi iecur dixit, uesicam & laxius intestinum.
Corrumpi.] MAN. lege, passa esse. & in eundem sensum scribit Paulus.
Corruptas.] MAN. adde, aliquo modo.
52 Pustulas.] MAN. hic quoq; lege, uesicas. & pro aquoso humore, ichor.
Fluit à morsu.] MANARD. lego ῥύγματος, id est, ruptura: ut intelligi possit, ruptis uesicis.
Porraceo colore.] MAN. lego πιῤῥοφλοὸς. rufescit, ait Hermolaus. Marcellus legit πρασινίζει, & propterea addit, uaricum modo: sequutus & in hoc Paulum potius quàm Dioscoridem.
M. Additur in meo codice, oculorum obscuratio. Hermol. caligant oculi. Hebetatur quamprimum oculorũ acies. ἀμαύρωσις ὀμμάτων. Hermol. oculi obscurantur.
53 Stomachi non adeò grauis erosio.] MAN. lege, exiguus cardiogmos.
Frons continue contrahitur.] MAN. ἀναπῶται, id est, conuellitur.
54 Subflauo & quasi aureo.] MAN. ὑποχρυσος, id est, subaureo, subflauo.
55 Venenum illinc pellitur.] MAN. lego, ἄφεται ὁ ἰὸς ἐκ τοῦ τόπου. id est, uenenum ex loco aufertur, uel eximitur, ut Hermolaus.
Vniuersoq;.] MAN. ἁθρόον. quod uerbum ipse Marcellus melius suprà expressit. Est autem sensus Dioscoridis, id quod intus adiectum fuerit, cum sanguine, qui multus simul exit, excerni.

In serpen

In serpentibus.] MAN. lego θυείῳ.
Imponatur itaq; lixiuia &c.] MAN. unicum hoc loco remedium lego, ad hunc modum: Imponatur cinis siculneus, aut ex uitis sarmentis factus, cum lixiuia, temperatus garo acri inueterato, eo quod uenenis aduersantur. ὡς ἀνλιπαθίσιν.
Cedrinus liquor.] MAN. lege, Cedrus.
Acerrime calidissimeq;.] MAN. non lego, calidissime.
Piperis unciæ duæ.] MAN. lege, drachmæ duæ.
Erucæ albæ.] MAN. non lego albæ.
Castorij unciæ duæ.] MANARD. manifestus hic error. Paulus drachmam tantum exhibet.

EX LIBRO NONO.

MAN. Hoc loco est alterius, hoc est, noni libri principium in meo codice. Cap. 58
Ficulneum cinerem.] MAN. adde, cum uino permixtum.
Trifolij semen.] MAN. adde, herbæ. προπόμασιν χρηστέον, id est, præpotionibus utendum. 60
Ex repugnantia quadam naturæ.] MAN. κατά τινα ἀνλιπάθειαν. Hermo. transfert, rerum dissidentiam.
Hordeacea polenta.] MAN. lege, farina hordeacea. Emplastri modo.] κολλυρίου τύπου, splenij more.
Diu antea.] MAN. clarius scribes, multum. ὦν πολύ. Hermolaus, etiam diu.
Cyperis.] MANARD. lego κυπρίσσου, id est, cupressus. Paulus tamen Marcello consentit.
Prodest similiter & ruta.] MAN. lego, aut ruta: nec aliquid plus.
Parthico liquore.] MAN. lege, Peucedani utendum succo. 62
Sunt in maritimis &c.] Non leguntur in meo lib. hæc, usq; ad uerbum, bibitur. 62
Per se uel.] MAN. non lego hæc uerba in meo Dioscoride.
Malicorium.] MAN. ῥοκκία.
M. In quo loco crux à Marcello est posita, ego lego, eum qui morsus est. 63
Probatissima uero.] MAN. Desunt in meo codice quæ sequuntur, ab hoc loco usque ad capitis finem. 64
Superiore commentario.] MANARD. Mirum est non meminisse Marcellum, uno eodemq; commentario, hoc est sexto, si quis adhæreat ipsius diuisioni, & hæc & illa fuisse à Dioscoride conscripta. 66
M. Non utique Marcello accesserim, ἀφιμυφαγίας acremento ciborum quæsitas uomitiones interpretanti, sicuti secundo quoque libro notatum est. 68
Et cum asphodeli.] M. ego lego, & serpyllum cum asphodeli drachmis duabus, & uini cyathis tribus.
Nasturtium.] MAN. lege, cardamomum, non καρδαμόν. 71
Finis huius capitis & totius libri in meo codice sic clauditur: Et hic quidem est theriacus modus.

XV. Ianuarij, M. D. XXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LARVM MEDICINALIVM LIBE'R NONVS.

EPIST. I. Ioannes Manardus Iacobo Galeno, uiro literis & dignitate clarisſ. S. D. Defendit epiſtolam ſuam ſecundam libri primi.

TSI ego (ita ſunt uaria hominum & ingenia, & iudicia) à Leoniceni uiri extra omnẽ aleam clariſſimi placitis, in multis diſceſſerim, quod eum tamen præceptoris loco ſemper habui, nihil unquam, nec publice, nec priuatim quidem, niſi coactus uel ſcribere, uel docere uolui, quod eſſet ipſius dogmatis, uel interpretationibus aduerſum. Coégit autem, & inuitum ac repugnantem ad hoc me traxit, aliquando docendi munus quod profiteor, aliquando amici rogantes, & tales quidem amici, quibus nec debebam, nec poteram quicquam negare quod poſcerent, nec aliud uel ſcribere, uel proferre, quàm quod ſentirem. Feci autem hoc quanta ſemper potui cum modeſtia, nomini etiam uel in totum parcens, uel cum honeſta præfatione eius mentionem faciens. Interreliqua autem quæ ſic è meis manibus excidêre, fuit quædam ad Pactum Mantuanũ medicum epiſtola, in qua dubitationem diluere conatus ſum circa aphoriſmi Hippoc. in libro tertio duodecimi intellectum: cuius tot legebantur interpretationes, quot interpretes: nec ſine magna bonarum mentium, atq; eius præſertim, ad quem epiſtola data eſt, animi ſuſpenſione, ſimul & admiratione. Quàm uero pacato animo, & ab omni prorſus maligno affectu ſemotus hoc fecerim, & tu, ut ipſemet Leonicenus affirmat, facile cognouiſti, & poteſt quicunque legerit non difficilius agnoſcere. Verum quia non poteram id quod ſentiebam aſſerere, niſi uerbum expungerem, quod ueræ & genuinæ lectioni accreuiſſe putabam, quibuſnam rationibus hoc facerem oſtendere compulſus ſum. Quas rationes cum heri uidiſſem libello quodam apologetico, tibi ab ipſo Leoniceno dicato acerrime refelli, licet mecũ ipſe ſtatuiſſem, quicquid ille in ea materia ſcriberet, me æqui, boniq; conſulturum, (ſciebam enim illum iandiu hoc meditari) ſtatim mutaui ſententiam, non tam tuendæ epiſtolæ, quàm meiipſius gratia. Non ſolum enim ſuam defendit interpretationẽ, ſed in me quoque multiplicia tela contorquet. Placuit autem mihi in hac noſtra, ut ego quidem omnino uolo, bona lite, non alium quàm te arbitrum eligere, ut cuius probitatem & doctrinam ab ineunte ætate ad hanc uſque utriuſq; ſenectam, longa conſuetudine habeam exploratam. Sed iam rem ipſam aggredior. Ex multis quæ in me iactat, decem hæc ſunt quæ præcipue uidentur refellenda.

Decem capita refellenda.

1 Quod epiſtola falſò ſit Pacto inſcripta.
2 Quod putarim ſerenum à tranquillo differre.
3 Quod male præpoſuerim Theodori interpretationẽ, quæ tepidam legit, ſuæ, quæ ſerenam.
4 Quod non recte putarim trãquillum repugnare auſtrino, & ſerenũ pluuioſo.
5 Quod non fideliter attulerim Galeni uerba in expoſitione duodecimi & decimitertij aphoriſmi.
6 Quod Celſum appellarim bonum Hippocratis interpretem, qui plerunq; male interpretetur.
7 Quod ſuarum translationum errores notare ſim ſolitus.
8 Quod uerba Galeni in epidemijs falſò allegauerim.
9 Quod non intellexerim quomodo conueniant, differantq; primus & duodecimus

cimus aphoriſmus libri tertij.
10 Quod male appellauerim inconſtantem & uagam mutationem, quam Hippocrates & Galenus magnam.

Hæc ferè ſunt quæ obijcit Leonicenus: quibus ſigillatim reſpondentes dicimus, mirari nõ debere Leonicenũ, ſi Pactus, ipſius olim in medicina diſcipulus, de aphoriſmo dubitauerit, cum & de compoſitarum medicinarũ temperatura, alijſq; medicinalibus quæſtionibus, longa ædiderit commentaria. Modeſto quidem erat ingenio, & quieto, non uſqueadeò tamen, quin & contra ipſum Leonicenum, & me, non ſemel acriter in ſcriptis diſputauerit. Extat inter cæteras meas, ad eum epiſtola, in qua multa quæ aduerſus me ſcripſerat, diluuntur: ſed nullius momenti res eſt, ſiue ille petierit, ſiue ego nõ rogatus ſcripſerim, modo id mihi nõ impingatur quod à meis moribus & inſtituto ſemper longe fuit alienum, me uidelicet glorioläe, aut popularis auræ cupiditate, uel hanc de qua eſt diſputatio, uel aliam ſcripſiſſe epiſtolam. Norũt qui mecum aſſidue uerſati ſunt, nouit ſcrutator cordis deus, me ad ſcribendum non aliunde impulſum, quàm uel ut amicis, & bonis animis obſequerer, uel ut ueritati patrocinarer. Sed de hoc plura fortè, quàm eſſet opus. Ad ſecundum uenio.

Ad primam obiectionem.

Serenum & tranquillum non ſignificare eandem rem, neque exiſtimandas eſſe ſynonymas uoces, ut Leonicenus dicit, ego & putaui, & puto: & ſi ætatem meam & profeſſionẽ noſtram deceret, de Cornucopiæ uerbis uicißim diſputare, dicerem uerba quæ ex eo accepit, cõtrarium potius aſſererе, quàm quod uult Leonicenus: nec eſſe ſynonyma, ſed plus habere latiuſq; patêre tranquilli, quàm ſereni uocem: ſiquidem ſerenum ille definit tranquillum ſine nubibus, ſine imbre: addit igitur ſerenitas ſupra tranquillitatem nubium & imbris carentiam. Neſcio autem an uolens & lubens, uel quod legentem effugerit, ſaltum fecit Leonicenus, duoſq; uerſus præterijt, in quorum ſine dicitur, ſerenitatem ſiccam eſſe. Quod ſi uerum eſt, uideat ipſe quomodo cõcordet ſerenitas cum pluuia, diuidente præſertim Celſo, cui maior adhibenda hac in re fides eſt, quàm Sipontino, ſerenos dies contra pluuioſos, nebuloſos, ac nubilos. Celſi uerba ſunt cap. 1. lib. 2. Saluberrimi ſunt, inquit, ſereni dies, meliores pluuij, quàm tantum nebuloſi aut nubili.

Ad ſecundam. Serenũ & tranquillum neque idem ſignificãt, neque ſynonyma ſunt. Serenum quid.

Sed ſinamus hæc Grammaticis, ad tertiumq; accedamus, in quo proprijs iam armis non mutuatis decertat Leonicenus, ut cui eſſet non ſolum contra me bellum, hominem uix intra proprios parietes agnitum, ſed contra Theodorum, unum inter recentiores cui primus honor in hoc interpretandi munere omnium conſenſu debeatur. Quam tamen prouinciam non libenter ſe accepiſſe demonſtrat, nec alia ratione ſubijſſe, niſi ut autoris epiſtolæ, (ſic enim me nominat) iudicium improbet, qui Theodori translationem ſua dixerit eſſe tolerabiliorem. Ego uero Theodori libens capio patrocinitũ, ceu hominis de literis benemeriti, & qui ſe tutari nunc mortuus non ualet. Ad me enim parum ſpectat hæc defenſio, qui ſuppoſititium eſſe id uerbum affirmo, neq; uel tepidam, uel humidam, uel trãquillam, aut ſerenam eam hyemem ab Hippocrate dictam. Sed rem ipſam aggrediamur. Duabus rationibus Leonicenus Theodorum impetit: prior eſt, quoniã difficile eſt apud idoneum autorem reperire per uocem ὄῦδιον, tepidum ſignificari: cuius rationis peculiarem ſolutionem ijs relinquo, quorum uel profeſſionis eſt uocabulorum propria ſignificata rimari: uel ſi aliud profitentur, plus quàm mihi ſuppetit ocij: ſatis dilutam eam, quantum ad medicum ſpectat, cum altera putans, ubi oſtendam Hippocratico & Galenico ſenſui, in omnibus quæ adducit ipſe locis, teporem congrue poſſe per illam uocem intelligi, atq; ut ſequens eſt, non æquiuoce ea uſum uel Hippocratem uel Galenum. Poſt multa uerba Leonicenus hac utitur argumentatione: Vox ὄῦδιον paulò ante in octaui aphoriſmi cõmentatione non poteſt ſignificare tepidum,

Theodorus Gaza. Theodoro patrocinatur. Rationes Leoniceni cõtra Theodorum. Prima. Secunda. ὄῦδιον.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo nec in hoc duodecimo, niſi uitium æquiuocationis eodem ferè loco Hippocrati & Galeno attribuamus. Sumptum hoc pacto probat, quod uidelicet octaua illa comment. non poſſit tepidum ſignificare, docere eo loco ex ſententia Hippocratis uult Galenum, qualis ſit temperata & mediocritatem ſibi propriã ſeruans hyems, uultq; eam eſſe neq; ualde δύδωρ, neq; ualde frigore excedentem. Eſſet igitur Hippoc. ſenſus, ſi tepidum ibi per δύδωρ intelligeremus, naturam ſuam ſeruantem hyemem non eſſe ualde tepidam, neq; ualde frigore excedentẽ. Quod falſum eſſe ideo probat, quia ex eo ſequatur, talem hyemem eſſe tepidam, quoniam id quod nõ eſt ualde tepidum, eſt tamen tepidum: ſicq; hyems cum Vere aliquam haberet communionem: cum uer tepidum ab Hippocrate & Galeno ſtatuatur, & hyems frigida & humida.

Reſponſio ad ſecundam Leoniceni rationem.

Hæc eſt ſecunda Leoniceni hoc loco argumentatio: cui tot occurrunt reſponſiones, ut uix eligere ſciam, cui potius innitar: eam tamen eligam, quæ ut magis medica, ita magis ad rem noſtram facere uidetur. duoq; præcipue agam: primo oſtendam tepiditatis ſignificatum eo loco optime congruere: ſecundo, ſerenitatem non poſſe ullo modo ibi legi. Dico igitur ex Galeni ſententia hoc eodem lib. 3. in expoſitione aphoriſmi uigeſimi, & eorum qui deinceps ſequuntur, extremas cuiuſq; temporis anni partes magnam habere cum propinquis ſibi cõmunionem. Nam ſicuti prima hyemis pars eſt autumnõ communicans, ita poſtrema Veri: creſcit enim autumni frigus hyeme, donec ad ſummum peruenerit, quod regioni tamen conueniat: deinde ita minuitur, ut ad teporem Veri proximum accedat. Succedit poſt hyemem uer, tepidum quidem ab initio, non exacte tamen, utpote hyemis naturã adhuc aliquo modo reſeruans. Non potuit igitur aptius hyemis natura deſcribi, quàm per medias inter utrunq; ipſius extremum qualitates, frigus inquam & teporem: quarum alterum, hoc eſt frigus, ceu ipſi hyemi proprium, ualde creſcere oportet: teporem ceu non niſi ex eius ad uer inclinatione contingentem, non ualde. Roget uero quiſpiã, cur utriq; qualitati ſimilem adiecerit determinationem, *non nimium*, ſcilicet tepori: frigori, *non ſupra modum*. Si (quod & ego dixi, & per ſe cõſtat) frigida ualde debet eſſe hyems, tepida autem nõ ualde: reſpondebo, diſſimiles quidem ab Hippoc. appoſitas uoces: ſed eam quæ addita eſt frigori (ni ego fallor) nullum adhuc interpretem eſſe plenè aſſequutũ: dixit enim, μέτριον κατὰ θερμότητα τὸ ἀκριβὲς τοῦ ψυχροῦ. id eſt uerbum ex uerbo: Neq; frigore id quod opportunum eſt excedentem. Per quæ uerba ſignificatur, excellentis quidem frigoris eſſe oportere temperatam hyemem, non uſqueadeò tamen, ut modum conuenientem tranſcendat, qui ſcilicet quarto climati debetur, in quo Hippocrates commentabatur. Vel ſi hoc uolumus ad alia quoq; climata transferre, quod ſuo cuiq; climati conueniat, loquutum tamen Hippoc. de temperata regione uoluit Galenus in cõment. 13. aphoriſmi, ſic Leoniceno interprete dicens: Par eſt ſeruare ipſum, puta Hippocratẽ, hyemem ſimilem ei quæ eſt naturalis, hoc eſt frigidam atq; humidam, quãtum hæ duæ qualitates conueniunt temperatæ regionis habitationibus. Vtrouis autem modo intelligamus, liquet nõ ita impenſe frigere oportere naturalem hyemem, ut aliqua ex ſaltem ſui parte teporem quendam, eo qui Veris eſt minorem, non admittat: ſicuti & autumnus licet ſiccus ſit ualde natura ſua, eodem Hippocrate in eo loco teſte, aquarum tamen deſcenſus requirit, nedum patitur. Nulla igitur eius uocis in Hippocrate aut Galeno æquiuocatio, ſed tolerari poteſt, ſicuti in aphor. 8. ita in 12. tepiditas, longeq; cõmodius, quàm uel tranquillitas, uel ſerenitas: nec ſolum in aphoriſmo, ſed etiam in lib. de aëre & aqua, per Galen. & Leonicenũ adducto. Serenitatẽ enim nõ uideo inibi intelligi poſſe: ſiquidem exacta ſerenitas, ut Galen. ſcribit lib. 1. Epidem. ſicca eſt: quæ qualitas ab hyemis natura longe eſt aliena: experiẽtiaq; ipſa, ſimul cum ratione docet, ſerenos hyemis dies turbidis eſſe frigidiores: quod & Ariſtot. in Problematis affirmat, & Galen. abſolutam ſerenitatem habere plus frigoris teſtatur.

Hyemis temperatura.

Locus Hippoc. de aqua, aëre, & locis, à Galeno citatur in cõmẽto octaui Aphor. lib. 3.

Serenitas exacta ſicca eſt.

teſtatur. Aequalia igitur ferè ſunt, non ualde ſerenam eſſe hyemem, & non ualde frigere: quare truſtra alterũ additum ab Hippoc. uideretur. Poſſum præterea Leoniceni argumentũ in ipſummet hoc pacto retorquere: Qui dicit hyemem, ait ipſe, » *Leoniceni argumẽtum in ipſum retorquetur.*
» eſſe non ualde calidam uel tepidam, non idcirco frigidã eſſe aſſerit, ſed calidam quidem, ac tepidam, parumper tamen: & ita ſecundum Theodori translationẽ hyems cum Vere aliquam habebit in tepore cõmunionem: quod eſt maxime abſurdum. Sic Leonicenus. Ego ſimili argumento probabo, ex eius interpretatione ſequi, hyemem habere cum æſtate communionem: quod re uera abſurdum eſt, cum ſint tempora in totum contraria. atq; ſic argumentabor: Qui dicit hyemem non eſſe ualde ſerenam, non propterea dicit ipſam eſſe nubilam, ſed ſerenam quidem, parumper tamen, & ita cum æſtate habere cõmunionem. Patet igitur quibus rationibus tueri ſe poſſit, qui tepidam, non ſerenam hyemem in aphor. 12. intelligendam dixerit, ſicuti Theodorus & Laurentianus.

Boni tamen Imperatoris more Leonicenus fortioribus ſemper copijs pugnam redintegrat, oſtendens hyemem uel auſtro flante, aliquando eſſe tranquillam, modò leniter flet: imò uero & boream licet procellis crebrum, non ſemper priuare aërem nos ambientem trãquillitate, ſed ſolum cum ſæuius incubuerit. Ad hoc appro bandum præmittit Hippocratem 3. lib. Epidem. dicentem: Annus erat auſtrinus, » & uentorũ carentia, ſiue tranquillitas uſq; in finem. additq; Galeni longam ſeriem » Hippocratis uerba declarantem. Sed quæ ex tot dictis ad propoſitum ſpectant, ea ſunt, Hippocratem dixiſſe, auſtrinum ſimul atq; tranquillum totum fuiſſe annum: tanquã poſſibile ſit etiam trãquillum ſimul ac borealem eſſe, ac dici totum annum. Ex his colligit, idem anni tempus & totũ annum dici poſſe auſtralem, uel etiam borealem, nihilominus tamen tranquillum: ut ex hoc tollat argumenti mei partem, qua dicebam, Si auſtrina, quomodo trãquilla? Quaſi poſſe quandoq; fieri neſciuerim, auſtrinũ ſimul & tranquillum tempus. » Acute quidem hæc & apparenter ad tuendam antiquã translationem, à qua mirũ eſt ipſum receſſiſſe, ſi quando aphoriſmum tranſtulit, hæc cogitauit. Sed in his tamen latet æquiuocatio, quam detegere non poſſum, niſi uerba ipſa græca adduxero, in quibus hæc abſcõdita eſt. Conatus ſum in epiſtola uocem δύδωρ oſtendere non poſitã in Aphor. ab Hippoc. ſed ſuppoſititiã eſſe, & ab alio, quiſquis ille fuerit, primo fortè expoſitionis gratia, quod plerunque fit, & ſæpe queritur Galenus, appoſitã: deinde à primo librario aphoriſmo conjunctam, & in multos poſtea codices ſuccedentibus tẽporibus deriuatam. In his autem quæ ex Galeno & Hippocrate Leonicenus huc transfert, non ea uox legitur, ſed aliæ prorſus uoces, quas tamẽ ille eodem modo cõuertens, uideri facit græcas literas neſciẽtibus, male me ex eo loco abradendam eam uocẽ iudicaſſe, ceu auſtrinæ hyemi repugnantẽ, quam tamẽ annectãt & Hippoc. & Galenus. Scire igitur licet, nõ legi in his locis δύδωρ, ſed ἄπνοια & γλυκύτης: quibus uocibus priuatio quædam flatus uel uenti deſignatur, non trãquillitas. Scimus autẽ, uel Ariſtotele hoc docente, priuatiuas has uoces quandoq; non totam formã tollere, ſed uix haberi eam formã oſtendere. Non prorſus igitur dictiones illæ uẽtos adimũt, ſed adeò paruos eos eſſe oſtendunt, ut Galenus ait, ut propter paruitatẽ lateant. Tam exiguos uero auſtros non intellexit aphoriſmus, quoniã, ut uoluit Ariſt. 22. Probl. 26. ſect. auſter paruus » nullas nubes obducit. Is autẽ, de quo loquitur aphoriſmus, nõ ſolum nubes, ſed & » pluuias facit, ſiquidem Hippoc. auſtralem & pluuioſam hyemem ſupponit. Cum præſentis igitur aphoriſmi auſtris, nõ ſolum uera trãquillitas ſtare non poteſt (quæ, ut Ariſt. 25. ſect. 4. Probl. definit, eſt ſtatio & quies aëris) ſed nec ἄπνοια Hippocratis & Galeni in Epidemijs, quæ magnos auſtros excludit, quales aphoriſmus uult intelligi. Per hæc igitur, ni fallor, Leoniceni excluditur argumentatio.

Obiectio quarta.

Priuatiuæ uoces non totam formã tollunt.

Vertit ſe poſtea idem ad aliam meam (ut ego quidem puto) euidentẽ argumen-

Obiectio quinta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tationem,ut ipse uero,non solum non bene concludentem,sed duplici errore scatentem: altero,superfluæ huius pronominis *hoc*, adiectionis: altero, plurium uerborum omissionis,& breuitatis, quibus sensus autoris perturbatur. Vter nostrûm super ea argumẽtatione melius iudicauerit,tuum erit censere: nullam enim adhuc uideo in tot Leoniceni dictis,doctis illis quidem, & ex bonis autorib.sumptis,meæ rationis solutionem. Ad errores uero quos mihi impingit,dico me idcirco adiecisse demõstrandi pronomen *hoc*,quia id in græco codice adiectum inueni.Sicuti & Laurentianus in hunc modum principium cõmentationis faciens: Econtrario hoc temperamentũ se habet,atq; id quod est relata sententia de duobus temporibus memoratum,&c. Neq; arbitror me errasse,si non omnia Galeni uerba,eoq; modo quo à Leoniceno uersa sunt,recitaui. Amo enim breuitatẽ, sed cui sit coniuncta claritas. Et si hoc est errare,utiq; fateor me errare. Quàm uero & breuiter & clare mentem meam aperuerim,ex ipsa uerborũ meorum serie cõstat, quæ talis est: Ecõtrario se habet hæc tẽperatura duobus in priori aphorismo dictis tẽporibus: qualis enim in illo erat hyems,tale nunc est uer:qualeq; in illo uer,talis nunc hyems. Hæc sunt Galeni uerba. Ex quibus hoc pacto argumentor:Quale uer in præcedenti aphor.talis nũc hyems,secũdum Gal. sed nec in illo præcedente dicebatur trãquillum, serenũ, uel tepidum,sed solum austrinũ & pluuiosum: ergo secũdum Galenũ,nec hyems, de qua sermo est in hoc aphorismo,est dicẽda serena,trãquilla,uel tepida, sed solum austrina & pluuiosa. Hæc fuit mea eo loco prima argumẽtatio:cui aliam subnexui, ex uerbis Galeni sumptã,exponentis 13. aphorismum,ubi de constitutionibus huius aphorismi, & alterius qui hunc præcedit, Hippocratem in lib. de aëre,aqua,& regionibus intelligens,ait: Post duas præscriptas constitutiones, unam quidem,in qua hyemem borealem & siccã esse uult,uer pluuiosum & australe: aliam in qua contrariũ, pluuialem & australem hyemem, uer siccũ & australe &c. Nescio quomodo potuerim apertius ostendere,Galenum duobus locis constitutionem huius aphorismi afferentem,nullam habere uel sereni,uel tranquilli,uel tepidi mentionẽ: hoc est,uocem αὔσηρον,huic hyemi non adiecisse,sed pluuialem & australem tantum dixisse.Huic rationi quid in tam longa uerborũ serie respondeat Leonicenus,uidere ego non possum:uidebunt fortè,qui acrius uident. Calorem quidem & humorem huius hyemis,causam ait esse morborũ,qui in aphorismo nominantur,iuuante tranquillitate. Non nomina temperaturarum,raritatem potius quàm humiditatem facere ut mulieres lædantur. Maiorem austrũ non magis calefacere. Non omnem austrum calidum,sed solum illum qui lenis est. Hæc quidem & alia nonnulla dicit his similia:ex quibus tamẽ non infertur,sed nec innuitur huius meæ argumentationis solutio,sed potius alterius,etiam prius solutæ,qua probabam tranquillitatẽ austro repugnare. Addit & unũ,quod prius multis uerbis ostendere laborauerat, teporem scilicet esse ab hyemis natura penitus alienũ.Sed quid faciunt hæc ad Galeni uerba per me adducta,in quibus hyemis huius aphorismi fit mentio, nulla apposita uoce,quæ tranquillum, uel serenum,uel tepidum possit significare? At fortè quispiã putauerit huc pertinere Galeni seriem ab eo græce allatam, in qua causam reddit,quare ex aphorismi cõstitutionibus sequatur,ut grauidæ mulieres abortãt, quoniam in ea αὔσηρον hyemi illi adscribitur. Verum nec illa uox ibi ponitur,quasi in aphorismo legatur: nec ipsemet Leonicenus ea uerba ad aliud probandum adducit,quàm caliditatem & humiditatem esse aborsus causam. Sed nec potest,meo iudicio,ea uoce in eo loco serenitas significari, cum quia non ea consueuit Galenus serenitatem significare, sed per uocem αἴθριον, tum uero quoniam serenitas hyemis corpora reddit dura, sicca & densa,non mollia,humida & rara, qualia per hyemem, quam αὔσηρον dicit Galenus, efficiuntur. Intelligenda igitur & hic per eam uocem,uel tepida,uel humida:non serena,aut tranquilla hyems. Occurrunt etiam multa

In cõmento aphoris.12. lib.3.

Breuitas cum claritate.

Hippoc.locus in aphorismis emendatus.

multa in Leoniceni dictis dubitanda,quæ nunc breuitati consulentes prætermittimus: plura nos dixisse cognoscentes,quàm esset necessariũ,uolenti non epistolam tueri,quæ satis adhuc in robore consistit,sed ea reijcere,quæ mihi in apologia obijciuntur. Vnum tamẽ est quod præterire bonus meus dæmon non patitur,non recte dici,austrum qui uehemẽtius flat,nõ esse calidum, sed eum qui remissius spirat: Experiẽtia enim contrariũ ostendit:norũtq; hi maxime qui Aemiliam,proximasq; regiones incolunt,à uehemẽti austro cum magno corporũ & annonæ detrimento, sæpenumero calefacti.Sed etiam ex Galeno idem aperte colligitur. In primo enim Epidem. dicit aphorismũ quintum,tertij libri,cuius principium,Austri auditum hebetantes,quem totum recitat,loqui de uehemẽtibus austrinis & aquilonijs cõstitutionibus,& longo tẽpore perdurãtibus: ostendiq; hoc per uerbum δυναστεύειν, hoc est,prævalere,uel dominari,quod de eo nõ dicitur,qui Vere uel exiguo perflat tẽpore:sed nec de eo qui pluribus quidem diebus,sed exiliter flat. Esse autem austrũ illum de quo aphor.loquitur,calidum & humidum,ipsemet Galen. in eius expositione testatur his uerbis,secundum Leoniceni interpretationem:Causam uero,ob quam austri reddant auditũ grauiorẽ,& uisum caliginosum,non est difficile ex eius tẽperatura cognoscere,quæ calida & humida natura est. Ex his igitur duobus Galeni dictis sic licet argumẽtari: Auster de quo Hippoc.in aphor.loquitur,est calidus & humidus,secundum Gal.in cõment. sed idem est magnus & diuturnus, ex eodem Gal.in Epidemijs: ergo magnus auster & diuturnus est calidus & humidus. cuius oppositũ asserit Leonicenus,& probare nititur. Ait enim: Illud insuper adiungimus,nõ omnem austrũ esse calidum,sed qui remissius spirat:nam qui flat uehemẽtius,boreæ naturã induit,hoc ipsum Gal.testante in cõment.libri tertij Epidemiarum:Nonnulli,inquit,opinãtur austrũ semper esse humidum: res autẽ non ita se habet,apparet enim quandoq; siccus,quẽ & uulgus Leuconotũ. Hæc ille ad uerbum.Nescio autẽ quomodo uolens probare non omnem austrũ esse calidum,probat aliquãdo esse siccũ. Addit tamẽ & alia uerba Galeni in eodem tertio,sed de constitutione quadam primi libri loquẽtis,quæ uideri possunt asserere,austrũ aliquãdo esse frigidum:ea sunt,Leuconotus autẽ quandoq; frigidus apparet. Quæ tamẽ uerba nõ id probant quod Leonicenus uellet,austrũ,qui uehemẽtius flat, semper frigidum esse. Non enim hæc dicere Galenus potest,qui contrariũ dixit,ut superius declarauimus:sed Leuconotũ,qui non uerus auster est, dicit quãdoq; nõ quidem esse frigidum,sed apparere.Scimus tamen Galenum non negare,aliquando,licet rarò, austrum frigidum exiguo tempore spirare: primo enim Epidemiarum, In nostra, inquit,habitatione boreas quidem frigidus,auster calidus, nisi si quando,rarò uale,in Veris initio frigidus,aut alia hora exiguo tempore similis spirauerit.

Non recte dici, austrum uehemẽtius flantem non esse calidũ.

Damnat præterea me Leonicenus,quod Celsum bonum Hippocratis interpretem uocauerim,quasi dicatur ideo etiam Galeno medicorum principe melior. Ego autem Celsum & uocaui,& uocare posthac non uerebor, bonum Hippocratis interpretem:Galeno tamen propterea non anteposui. Non enim tam turpi æquiuocatione peccarim,& quam omnes ceu uulgatissimã agnoscũt. Interpretem aio Celsum Hippocratis in latinã linguam bonum,quia uideo ipsum & omnes ferè aphorismos,& pleraq; ex prognostico & alijs commentationibus Hippocratis fideliter interpretatum. Quod non fecit Galenus: nec si fecisset,ita bene,ut Celsus fecisset, quia latinas literas uel non æque,uel nequaquã norat. Interpres autem & ipse Hippocratis dicitur,& nemini in hoc secũdus, quia eius cõmentationes, & obscura uerba luculentissime declarauit. Licet autem in aliquo uerbo lapsus quandoq; Celsus uideatur,non propterea negandum est ipsum bonum interpretem fuisse. Nam & Leonicenum ego asserо,& omnibus prædico, bonum esse interpretem:in cuius ta

Ad sextam obiectionem.

Celsus & Galenus boni Hippocratis interpretes,alio tamẽ & alio sensu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

men interpretationibus, & ego scio, & ipsemet non diffitetur, multa posse castigari. Theodorum Gazam laudant omnes, laudat & ipse Leonicenus, errores tamen nonnullos esse in eius traductionibus, & aliàs sæpe, & in hac sua affirmat apologia. Si bonus ille tantum dicendus interpres est, qui nũquam errauerit, nescio an quisquam poterit bonus dici. Demus nunc Leoniceno, aliàs fortè Celsum defensuri, uerbum Hippocratis ἐκ τοῦ αὐτομάτου, aliter uersum esse à Celso, quàm exposuerit Galenus: & πρὸς τῇ κύστει in alio, & etiam in hoc aphorismo, de quo est disputatio: ὀ σωτόμως ἀναθυσιωντες non plenè exprimi per duo hæc uerba, *male habet*: An propterea cõuincitur adeò in lingua græca cæcutiens, ut si in Hippocratis aphorismo legebat δῦλον, non ei uoci sciuerit latinam aliquam coaptare? Volunt leges, ut illius testimonium non reijciatur, qui licet non plenè probet, multos tamen contestes habet secum sentientes. Ego autem in epistola multis testibus pro me stantibus, hoc pacto
» Celsum coniunxi: Vox δῦλον, inquiens, siue tranquillitatem, siue serenitatẽ signifi
» cet, alijs aphorismi uerbis non concordat: sed nec in probatæ mihi fidei codice legi
» tur, nec in Aristotele huius aphorismi in Problematis rationẽ reddente: nec à Cel
» so lecta fuit aphorismum cõuertente: neq; à Galeno apponitur quoties ab eo apho
» rismus hic recitatur. Ergo si in aliquo exemplari habetur, ceu adulterina & suppo
» sititia est abradenda. Nunc quia tot testibus Leonicenus non mouetur, addo Auicennam in 1. & in 3. libro sui Canonis: addo demum cui refragari nemo possit, ipsummet Hippoc. in lib. de aëre & aqua, quem cum & ante me, & dum apologũ meditaretur, legerit Leonicenus, mirum est, quod uadimoniũ non deseruerit, atq; ut ultro alios esse fatetur in suis translationibus errores, ita & hunc in cæterorũ turbam non collocauerit, culpamq; reiecerit in mendosum codicem, ob quem ipsemet fatetur in suis traductionibus multos esse errores: Quos si ego in codice meis pecunijs empto, castigaui, nõ est quod molestè ferre debeat, & pro beneficio iniuriam reponere. Præposui semper, & præpono alijs omnibus traductiones Leonicени, & in priuatis colloquijs, & in publicis lectionibus. Cur autem quispiã mihi uitio det, si quos cognosco errores, undecunq; euenerint, (culpam tamen ego uel in librarios, uel in malos codices libentius quàm in illum reijcio) è meo libro summoueo, quem quotidie in manibus habeo, mecum fero quocunq; pergo, maxime cum scholas ad docendum petor. Melius igitur (ni fallor) existimationi suæ consuluisset, cuius tuendæ gratia hanc prouinciam aggressus est, uel dissimulando, uel errorem agnoscendo, uel silendo, uel culpam deprecãdo, quàm iniustam causam cum mea iniuria defendendo. Hactenus tamen satis modestè mecum se gessit, iam uero à sua modestia paululum recedens, me falsa ait allegatione uoluisse omnes epistolæ meæ lectores ludificare, quia uidebam omnes quas attulerã rationes facile pessundatum iri. Nescio autem quo pacto hallucinatus uir alioqui oculatissimus, in mea epistola uiderit, quæ absunt: in Galeno non uiderit, quæ adsunt. Non enim possum credere id in suo codice, & alio quem affert, non legi, quod in meo legitur, cum ab eodem & unico exemplari omnes emanarint. Vt uerò omnes uera esse cognoscant, quæ dico, adducam epistolæ meæ uerba, non recte ab eo animaduersa: dehinc subijciam
» Galeni uerba, à me in epistola prætermissa. Verba mea in epistola sunt: Verũ quid
» aliunde testimonia mendicamus? quum Galenus ipse Hippoc. primum Epidem. li
» brum enarrans, hunc aphorismum uti nunc recitauimus, afferat. Hactenus ego,
» nec plura de hoc. Addit Leonicenus: Ita autem uerba Galeni græca autor Epi
» stolæ attulerat: ὡς δὲ νότῳ ὁ χειμὼν καὶ ἐπόμβρῳ γένηται. id est, si uolumus latine in
» terpretari, Si hyems austrina & pluuiosa fuerit. & reliqua. sic autor Epistolæ Gale
» num citat. Hæc ubi dixit Leonicenus, ad calumnias se uertit, quibus respondere nescio, nec si sciam, uelim: sed hoc tantum respondeo, uerba me nulla Galeni hoc loco

Ad septimã obiectionem.

Obiectio octaua.

loco recitasse, sed dixisse, Galenum in Epidemijs hunc aphorismum, uti ego ex exemplari Chalcondylis recitaueram, afferre. Et quia hinc, hoc est, ex Galeni in libro Epidemiarum uerbis tota hæc calumnia pendet, ut ostendam falsò mihi falsarij nomen adscribi, à quo semper abhorrui, & longe absum, uerba ipsa Galeni hic fidelissimè subnotabo, ut cognoscere quilibet possit, uter nostrûm uel deceptus sit, uel uoluerit alios decipere. Galenus igitur iam exponere incipiens primam ab Hippocrate recitatam constitutionem contra Quintum disputans, sola experientia, non rationali aliqua methodo, inuenta esse dicit ea, quæ de constitutionibus ab Hippocrate scripta sunt, & pro exemplo duos adducit aphorismos, undecimũ scilicet & hunc duodecimum de quo disceptamus, dicens: ὅταν μὲν ὁ χειμὼν αὔχμηρὸς ᾖ βόρειος γένηται, ἢ ἦρ ἐπόμβρον καὶ νότιον, ἢ τὸ θέρος ἔσται ὠμόν, ὀξεῖς καὶ ὀφθαλμίαι καὶ δυσεντερίαι. καὶ πάλιν, εἰ μὲν ὁ χειμὼν ἐπόμβρος καὶ νότιος γένοιτο, ἢ ἦρ αὔχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὴ γυναῖκες, ὅσαι οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσεως ἐκλυτρώσωνται, καὶ τἄλλα ὅσα τούτων ἐφεξῆς κατέλιξε, πέσσαρας μόνας διαφορὰς καταστάσεων γράψας. hoc est, Quãdo hyems sicca fuerit & aquilonia, uer pluuiale & austrinum, æstate erunt febres acutæ, & ophthalmiæ, & dysenteriæ. Et rursus, si hyems pluuiosa & austrina, uer siccum & aquilonium, mulieres, quibus ad uer partus, ex quauis occasione abortiunt, & reliqua quæcunq; deinceps his dixit, quatuor solum constitutionum differentias scribens. Hæc sunt Galeni de his duobus aphorismis uerba, in quibus qui uel legere græce nouit, δῦλον uocem non adiectam hyemi nostræ cognoscet, neq; aliam, quæ possit tranquillum uel serenum denotare.

Falsarij nomẽ falso Manardo adscribi à Leoniceno.

Obiectio nona.

Pergit tamen ulterius me accusare Leonicenus, ceu non agnoscentem conuenientiam inter aphorismum primum & duodecimum, & differentiam utriusque à quarto. Vtrobiq; enim, in primo scilicet & duodecimo, intendere Hippocratem de uarijs alterationibus quatuor anni partium inuicem succedentium, siue sint duæ, siue tres aut quatuor, sed in primo generaliter: in duodecimo ad particulares descendere eum mutationes, particularesq; morbos, qui ab eis cõtingunt. quartũ differre à duodecimo, quia generatim etiam docet, quod quandocunq; eadem die modo calor, modo frigus uiget, autũnales morbi expectandi sunt. duodecimo nõ unius diei mutationẽ, sed uicissitudinẽ quandam quorũdam dierum ad serenũ & pluuiosum: quæ tamẽ uicissitudo totã hyemis temperaturã non uariat, quæ semper ad calidum & humidum uergit. Hæc sentẽtia Leoniceni. Vt uero ostendam quid putem in tribus illis aphorismis sensisse Hippocratẽ, ratio altius est repetenda. Mutationes tẽporum, de quibus prima pars aphorismi loquitur, ego intelligo mutationẽ propriarũ temperaturarũ partium anni deinceps succedentium. In secũda parte intelligo mutationem unius solius partis in sua temperatura propria. Primæ mutationes generant potissimũ morbos, quando multæ sunt: una deinceps post aliam. secũdæ generant quidem semper aliquos, sed nõ potissimũ, nisi cũ magnæ sunt. Intelligo utrasq; mutationes, tam scilicet primæ, quàm secundæ partis aphorismi, non solum ad propriæ tẽperaturæ cõtrarias qualitates, sed etiã in propria tẽperatura. ut, exempli gratia, hyemis, si uel ultra, uel citra modũ algeat, & humescat: & æstatis, si calida & sicca plus minus ue sit, quàm regioni conueniat. Mutationem, de qua quartus aphorismus, intelligo non eam, quæ tantum in uno die fit: ut enim unica dies nõ facit uer, sicut est in prouerbio, ita nec unica dici uariatio de calido ad frigus, aut autumnum, aut autumnales morbos: sed tunc expectandi sunt autũnales morbi, quãdo multis unius temporis, uel pluriũ diebus tales mutationes fiunt. Tres igitur mutationes in 1. & 4. aphor. tetigit Hippoc. scilicet plurium temporũ, unius temporis, & dierum unius uel plurium temporũ. Tertia autem non adeò differt à duabus primis, ut sub utranq; non possit cadere. Nam si in una tantum anni parte mutatio hæc dierum

Quid sentiat Hippoc. in tribus aphorismis tertij libri, primo scilicet, quarto, & duodecimo.

Vna dies non facit uer.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de calore ad frigus cõtingat, ad ſecundam: ſi in pluribus, ad primam in aphoriſmo primo tactam mutationem pertinebit. De 12. aphoriſmo dico ex ſententia Galeni, quod in 11. aphoriſmo loqui incipit Hippocrates de alterationibus, quæ in pluribus temporibus fiunt: quæ licet multipliciter uariari poſſint, modo quem Galenus in principio commentationis undecimi aphoriſmi, quod deeſt in Leoniceni æditione, & fuſius in cõmentatione decimiquarti notauit, quatuor tamẽ tantum ab Hippocrate complicationes recitantur, ab aphoriſmo ſcilicet 11. ad 14. In nulla autem harum conſtitutionum inueniuntur plures, quàm duæ qualitates uni tempori attributæ: una per flatum uenti deſignata, alia per pluuioſum & ſiccum: ex quo argumentũ etiam capi poteſt ad propoſitum in epiſtola mea oſtendendum. Quatuor autem hi utique aphoriſmi generali quadam ratione ſub prima aphoriſmi primi parte continentur; nec ſolum hi quatuor, ſed quotquot uel aphoriſmi, uel ſententiæ in libro de aëre, aqua, & regionibus, & in Epidemijs leguntur, in quibus conſtitutionum duorum uel plurium temporum mentio habetur, à proprio temperamento recedentium: ſiquidem ſub generali mutationis temporũ uoce, ſingulæ duorum, uel plurium mutationes comprehenduntur. Agnoſco igitur & ego pariter cum Leoniceno, aphoriſmi huius duodecimi cum prima parte primi, eam conuenientiã quam habent cum ſuis uniuerſalibus minus uniuerſalia: nec hanc in epiſtola negaui, ſed cõmunionem huius cum ſecũda parte eiuſdem primi aphoriſmi, in qua mentio habetur mutationis unius ſolius partis, de qua nec in hoc aphoriſmo, nec in alijs tribus, ſcilicet 11. 13. & 14. ulla eſt recordatio. Et propterea dixi, non poſſe in aphoriſmo 12. intelligi mutationem hyemis de auſtrali & pluuioſa ad tranquillam uel ſerenam: quia de hac erat aphor. 1. in ſecunda ſcilicet, non prima parte ipſius aphoriſmi determinatum: eſſet enim mutatio huiuſcemodi ab auſtrali & pluuioſo ad ſerenum uel tranquillum, mutatio unius partis anni, non ſolum à propria natura, ſed ab una aliena ad aliam etiam alienam: adiecíq; hanc hyemem, ſcilicet quæ de extranea qualitate ad aliam etiam extraneam mutatur, eſſe potius dicendam inconſtantem & uagam, quàm auſtralem & pluuioſam: conformiter loquens Galeno in 1. lib. Epidem. annum quendam inæqualem & uagum uocanti, in quo mutatio facta eſt de frigido & humido ad frigidum & ſiccum, & in quo aliquando auſter, aliquando aquilo prævaluit. Quod multo magis erit dicendum, ſi Leoniceni modo uicißitudinem pluuiæ & ſerenitatis intelligamus. Non recte igitur impingit mihi Leonicenus, quod appellauerim inconſtantem & uagam, quam Hippoc. magnam. Non enim dixi mutationem unius partis anni eſſe dicendam uagam, & inconſtantem, ſi ſibi conſtet: ſed eam hyemem quæ minime ſibi conſtaret, quia ex pluuioſa in ſerenam, ex auſtrali in trãquillam haberetur, non poſſe dici pluuialem & auſtralem, ſed potius inconſtantẽ & uagam eſſe uocitandam: alioqui ſi tria illa æqualiter, ut transfert Leonicenus, hyemi adſcribantur, ut ſcilicet legamus, Si hyems auſtralis & pluuioſa & ſerena fuerit: quid in his uerbis nos cogit, ut uincere in ea credamus uel auſtrale, uel pluuioſum, cum pariter & abſolute tria illa ſint ei attributa? Quod uero à Leoniceno dicitur, ſerenã non exquiſite & ſimpliciter eam dici, ſed ſerenam ut hyemem: contrariũ magis probat, quàm id quod uult. Si enim ſerena eſt ut hyems, igitur à natura ſua recedit per ſerenitatẽ, & plus ſerena eſt, quàm hyemem deceat, naturam ſuam ſeruantem: atq; ut ſequens eſt, minus erit pluuioſa, quàm natura hyemis requirat. Non enim poteſt ſerenitas creſcere, niſi pluuia minuatur: & ſi ſerenitas (ut uult Leonicenus) claudit in ſe tranquillitatem, minui etiam auſtros oportet, præſertim magnos: nam erit etiam eadem, ut hyems, tranquilla. Quomodo igitur auſtrina dici poterit & pluuialis, ſi à proprio temperamẽto per ſerenitatem recedet, & tranquillitatem, imò & per ſiccitatem? ſiquidem ſerenitas ipſa ſecum, ut ſuprà proba-

Leonicenus contrarium magis probat quàm intentum.

batum eſt, coniunctam habet ſiccitatem. Superabit igitur in hac hyeme trãquillitas, ſerenitas, & ſiccitas: & tamen auſtrina & pluuioſa ſimpliciter nominabitur. Quod certe & rationi, & Hippocratis ac Galeni placitis, imò & ipſimet Leoniceno aperte repugnat. Nam Galeni uerba, ex primo Epidemiarũ ſumpta, quæ ſuo propoſito credidit commodare Leonicenus (ni ego fallor) ei ſunt parum commoda. Hyems enim de qua ibi loquuntur & Hippoc. & Galen. non ſimpliciter auſtralis fuit: ſed in ea aquilonares uenti, licet exigui, nec longo tempore, perflauere. Quare non eſt cur quiſpiam miretur, ſi ſicca eſt ab Hippocrate uocata hyems, quæ aquilonares flatus natura ſua ſiccos perpeſſa eſt. Aphoriſmi uero hyemem, quæ ſimpliciter & auſtralis & pluuioſa dicitur, quis non miretur tranquillam, ſerenam, & ſiccam dici? Si igitur Galenus uocem αὐχμὸν nõ ſatis proprie attribui illi hyemi dixit, in qua tamen aquilones ſpiraſſe dixerat Hippocrates: non erat (uir ſemper uerborum Hippocratis diligentiſſimus annotator) conniuentibus oculis pertranſiturus, ſi uocem aliquam hoc loco legiſſet quæ tranquillitatem, ſerenitatem, & ſiccitatem ſignificaret. Non igitur negamus poſſe in eadem hyeme modo pluuias, & auſtrum, modo per interualla ſerenitatem & tranquillitatem inueniri, ut in ea quam μυξαίθειαν uocauit Hippoc. ſed talem nõ eſſe eam quam aphoriſmus ſupponit, conſtanter defendimus: illa enim in qua μυξαίθειαι plurima facta Hippocrates dicit, nõ ἐπόμβρος, hoc eſt pluuioſa, ab eo dicitur: ſed aquas multas, λαῖλαπα, hoc eſt, ut Galenus exponit, repentinas, uehementes, & breuis temporis, niuesq; etiam magnas habuiſſe. Sed & morbi, qui in noſtra euenire ab Hippocrate dicũtur, non eius quæ μυξαίθειαι effectus ſunt, hoc eſt hyemis, in qua quandoq; pluuiæ, quandoque ſerenitas apparet, ſed auſtralis & pluuioſæ. Aborſus enim & imbecillitatis infantium cauſa, non in aliud à Galeno refertur, quàm in humiditatem, laxitatem, mollitiemq; corporũ maternorum, & aſſuetudinem infantium in calore. At ſi uicißitudo, quam Leonicenus imaginatur, ſerenitatis & pluuiarum in hyeme ſit, non adeò & materna corpora humida, & infantilia calido aëri erunt aſſueta: quoniam quantum calefacient, & madefacient auſtri & pluuiæ, tantum tranquillitas & ſerenitas frigefaciet, & deſiccabit: nec uſqueadeò replebuntur capita mulierum & marium pituitoſorum & calefient, ut ſalſam pituitam gignant, quæ per uer frigidum ad inteſtina deſcendens, difficultatem in eis faciat inteſtinorum. Idem intelligendum de ſiccis ophthalmijs, ac deſtillationibus, quæ caloris & humoris hyemalis aſſiduitatem conſequuntur, quæ per ſerenitatem impedirentur. Hæc igitur ſunt quæ prohibent hyemem noſtram mixtam habere pluuiam ſerenitati. Tanto autem ſerenitas auſtris & pluuiæ, atque naſcenti ex eis caliditati & humiditati magis repugnat, quàm tranquillitas, quanto magis apta eſt frigus facere in hyeme & ſiccitatem: tantumq; de hyemis humiditate ab ea minuitur, quantum à pluuia humiditatis augetur. Non minor enim eſt ſiccitati, quæ ſerenitati iuncta ſit, uis ad exiccãdum, quàm pluuiæ humiditati, uis ad humectandum: imò ſi res ad uiuum eſt reſecanda, potentior eſt ſiccus aër ad exiccandum, quàm humidus ad humectandum: Nam (ut uoluit Auicenna) aër in omni diſpoſitione corpora noſtra reſoluit & exiccat: longeq; difficilius ſicciora humeſcunt, quàm humidiora exiccentur, Galeno autore in libro ſeptimo artis curatiuæ. Non igitur bene dictum eſt, à ſerenitate parum de hyemis humiditate commiſnui, quoniam ab aquarum multitudine, & auſtrinis flatibus fouetur: ſerenitate enim exiſtente tolluntur abſque dubio pluuiæ: & ſi ſerenitas, ut Leonicenus uult, eſt tranquillitati uel eadem, uel coniuncta, etiam auſtri magni ſummouẽtur. Ex his ergo iam conſtare poteſt, duodecimum aphoriſmum eſſe à me intellectum: nec me latuiſſe, ita eum à primo depẽdere, quatenus minus uniuerſalia à magis uniuerſalibus dependent: quantum uidelicet ad primam partem primi attinet, à ſecunda eſſe omnino diuerſum, quoniã non unius tantum temporis mutationem, ſed duorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibi succedentium continet: quæ tamen tempora in sua mutatione constantiam habent, nec uel in pluribus, uel in uno die euariant, quarum uarietatū prima ad secundam primi aphorismi partem, alia ad quartū pertineret. Vnum adhuc addo, quod ad diluenda multa argumēta, quæ ex longis Galeni in Epidemijs sermonibus Leonicenus colligit, non parum proderit: aliam esse considerationē consistentiarū anni in lib. Epidemiarū, & in lib. Aphorismorum. In hoc enim à rei natura, ut ait Galenus, persuasus, & non ex aliqua obseruatione, finxit potius constitutiones, quàm ueras recitauerit: morbosq; enumerauit, nō quos uidisset ex illis sequi, sed quos ratio dictauit ex illis debere generari. In Epidemijs uero, per historiæ modum & factæ cōstitutiones, & morbi qui post illas euenere, ex ordine recitātur: & propterea ex his quæ ibi prout acciderunt, recitata sunt, non sunt ea quæ in Aphorismis supponuntur interpretanda: ut si ibi dicit Hippoc. fuisse quandam hyemem νότιον νόσων, posse etiam idem in Aphor. legi credamus: & si annū dicit australem, pluuiosum & ἔπνοιαν ἀλλὰ τέλως, ex hoc putemus hyemem de qua est cōtrouersia, esse australem & tranquillam. Illic enim quæ facta sunt, rememorantur: in Aphorismis quatuor tantum constitutiones adducūtur, quæ frequentius cæteris possunt euenire, ut sint nobis pro exemplo ad alias inuestigandas, sicuti Galen. docet in expositione primæ constitutionis libri Epidemiarū. Fiunt autem hæ cōstitutiones, sicuti & quæuis aliæ, per primarum qualitatū cōplicationem, caliditatē scilicet & frigiditatem, humiditatemq; & siccitatē: quarum actiuas quidem per faciētes eas uentos, austrū uidelicet & aquilonē, passiuas per pluuias & siccitatē significauit. Nulla igitur causa est, cur semel tantum addere debuerit uel tranquillitatem, uel serenitatem. Quare enim potius huic hyemi addiderit, quàm uel Veri in 11. aphor. uel autumno in 13. Certe si unico tantum loco addenda, 11. addenda erat, ut in cæteris sequētibus subintelligeretur. Amoueatur igitur uox illa νότιον, nec nobis pluris sit Philotheus, atque alter ille quisquis fuerit expositor, à malo librario deceptus, quàm Celsi, Aristotelis, Galeni, ipsiusq; met Hippocratis autoritas.

Aliæ est considératio consistentiarum anni, in lib. Epidem. & in lib. Aphor.

Primæ qualitates actiuæ & passiuæ.

Hæc sunt uir optime, quæ nōtam epistolæ prioris meæ, aut existimationis, quàm ueritatis tuendæ gratia, mihi occurrêre. In quibus licet cauerim quantum ualui, ne uerbum esset, quo Leoniceni, uiri de literis optime meriti, & quem ut præceptorē ac patrem obseruaui semper & colui, honor uel tantillum læderetur: si quid tamen fortè offenderis, quod aculeum aliquem habere uideatur, rem mihi gratissimam feceris, si illud ceu male natam prolem sustuleris, & penitus cōfoderis. Quod si totum etiam ipsum partum indignū esse uita iudicaueris, esto tibi ceu honorario arbitro, uitæ & necis arbitrium. Vale, & Manardum tuum, quem olim iuuenem ad bonarum literarum studia excitasti, tua autoritate, quæ apud principem maxima est, foue iam senem. Ex ædibus nostris, pridie Cal. Febr. M. D. XXIII.

EPIST. II. Pro Reuerendo Præsule à Vulpe uocato, Melancholia laborante.

SIcuti ambigi nō potest Reuerendum hunc uirū eo morbo affici, quē melancholiam, siue atram bilem uocāt medici, atq; ut sequens est, eius cerebrū, in quo omnes principales potestates sedem habēt, necessariò affligi: ita ualde dubiū est, an primaria affectione cerebrū ipsum patiatur, uel per cōmunicationē quandam, & uel cuiuspiā alterius partis, uel totius corporis cōsensum. Quodcūq; horū putetur, ulterius dubitare cōtingit, quū diuersæ sint atræ bilis, id est materiæ quæ hūc affectū facere potest, secūdū medicos species, à quanā id fiat. Alterutro enim horū ignorato, præterq; ex accidenti, curatio sequi recta non potest. Quod ad primā igitur dubitationē attinet, apud me clarum est, cerebrū per se & primario affectu, aliqua saltē ex parte, in hoc uiro oblædi.

Perpetua enim, ut mihi relatum, adest læsio, nullaq; hora interquiescens, neque uel totius corporis, uel cuiusuis particulæ præcedentem oblæsionem sequens: nullo enim in reliquis corporis partibus præsenso nocumento, tristitia & pusillanimitas perseuerat. Diuturnitas quoq; affectionis, indicat cerebrum in seipso causam habere nocumenti. Fieri enim non potest, ut membrū quod longo tempore per consensum & per nocumentū ab alio acceptum passum est, propriam ex antiqua patientis consuetudine noxā non contraxerit. Siue igitur ab initio cerebrū proprio & primario affectu perpessum sit, siue aliunde detrimentum acceperit, credendum mihi omnino uidetur, hoc tempore per se, & primo perpeti, ac ægritudinē malæ temperaturæ pati, ab humore atræ bilis, seu ab ipsa proprie uocata atra bile pendentem. An uero semper primario affectu cerebrū passum sit, uel ab initio cœperit per communicationem pati, non possum certò nunc definire. Verisimilius tamen uidetur, quod ab initio quoq; affectio hæc in cerebro extiterit, quantum quidem possumus per syllogismum diuisiuum hoc pacto colligere: Affectio melancholia uocata, ut ex Galeno constat lib. de locis affectis, & à Paulo eum sequuto cap. proprio, tribus fit modis: primo, quando cerebrum est primum patiens: secundo, quādo toti corpori compatitur: tertio, quando naturalibus membris, ut in ea quæ inflatiua, & hypochondriaca passio uocatur. Sed hæc de qua loquimur, non fuit secūdi aut tertij modi, igitur necessariò sub primo continebatur, ueluti & nunc continetur. Macilenti enim sunt, nigri, hirsuti, quibus atra bilis in toto corpore apta est generari. Et si in alijs quibusdam congregatur, uigiliæ, labores, solicitudines, tenuisq; uictus, aut cibi qui nigrum ualent humorem gignere, præcesserunt. Albus autem est hic uir, satisq; (ut mihi relatum est) corpulentus, nec eo uictu usus, qui pessimū hunc humorem in tanta ualuerit copia congregare, ut uniuersum corpus oppleret. A toto igitur corpore non uidetur hæc affectio dependisse. Quod uero nec hypochondriaca fuerit, facile ex hoc probari posset, quod ei defuerunt indicia, quæ uerbis Dioclis à Galeno tertio libro de locis affectis recitantur. Sed illis breuitatis causa prætermissis, proprijs Galeni uerbis propositum demonstrabo. Ait enim eo loco: Cum circa uentriculum prima cœperint symptomata, ipsisq; auctis melancholica sequatur affectio, deinde alui deiectione, uomitu, proba concoctione, ructibusq; leuetur is qui laborat, hypochondriacum flatuosumq; morbum ipsius nominabimus. Huius uero morbi symptomata dicemus, & mœstitiam, & metum. Et subdit: Quum autem propria melancholiæ accidentia auctiora uidentur, circa uentriculum uero aut nulla, aut parua sunt, haud ab re existimaueris primitiuam in cerebro affectionem consistere, ob atram bilem in ipso congestam. Hæc Galenus. Ex quibus uerbis, additis his quæ mihi narrata sunt, apertum est, non hypochondriacā, sed cerebralem potius in hoc uiro & nūc adesse, & ab initio affuisse melancholiam: nullis in eo indicijs, aut melancholiæ uniuersalis aut hypochondriacæ. Concludendum ergo, ut uerbis utar Aëtij, in solo capite esse melancholiam, id uidelicet quod huius affectionis iam factum est, uel adhuc fit: nam non est negādum, statis & certis temporibus, quippiā eius adhuc fieri, uaporibus uidelicet, & interdum humoribus quos necesse est ad atram bilem uergere, ad caput ascendentibus. Hæc igitur sunt quæ dicēda occurrerunt circa primā dubitationem. Ad secundæ solutionē accedentes, cōiectu ris potius quàm certis indicijs usi, ut qui nec hominem nouerimus, nec excrementa eius inspicere, aut accidentia possimus cōtemplari, cōmunibus quibusdam solis intuentes dicamus, materiam, quæ hunc morbum in quocūq; homine facit, esse uel melancholicū succum, uel melancholiam proprie dictam. Nam ut prætermittamus quod hic morbus, Galeno 2. artis curatiuæ lib. attestante, melancholiæ nomē à causa ipsum faciente accepit: ab omnibus enim melancholia uocatur, indicante nomine, ut idem Galenus inquit libro 3. de locis affectis, humorem qui ipsius causa est;

Syllogismus diuisiuus.

Affectio melancholiæ tribus fit modis.

Melancholia hypochondriaca ab Arabibus uocatur Mirachalis.

Materia faciens melancholiā duplex tantum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Metum & mœstitiam ab atra bile proficisci.

Hoc ex symptomatibus quoque colligitur, ab Hippocrate, ut notauit Galenus, in duo hæc collectis, metum scilicet & mœstitiam: quæ non alia ratione fiunt, ut Galenus 3. lib. de causis symptomatũ, & iam dicto lib. de locis affectis ostendit, (quicquid oblatret Auerrois) quàm quod qui morbum facit humor, atro suo colore principalium uirium sedem obscurat, & tenebris similem reddit, quæ terrorẽ inducunt. Asclepiade ante Galenum teste: quod certe nulli alteri adest, præterquam atræ bili, uel eius succo. Alia enim bilis flaua est, ruber sanguis, & si quis niger reperitur, ut is de quo lib. 4. Aphorismorum, mentionem facit Hippoc. crassior & magis concretus est, quàm ut in uenis cerebri ualeat cõprehendi. Candida adeò est pituita, ut dixerit Galen. lib. 3. de locis affectis, epilepsiam à pituita factam, nõ transire in melancholiam. A nullo igitur humore naturali, præter melancholicum, fieri hic morbus potest. Sed neq; ab aliquo eorum, qui præter naturam in corpore reperiuntur, nisi

Melancholia, atra bilis.
Bilis pallida.
Crocea.
Porracea.
Aeruginosa.

ab eo qui proprie melancholia à Græcis, à nobis atra bilis uocatur, eadem ratione, quod uidelicet nullus eorum nigro uisitur colore: non naturalis enim bilis, hæc pallida, quam citrinam uulgò uocãt, illa crocea, quam uitellinam, tertia porracea, quarta æruginosa. Pituitæ uero omnes albæ sunt, teste Galeno, cap. secundi libri de melancholia. Sic igitur colligentes dicamus, si hic morbus neq; à sanguine, neq; à bile, neq; à pituita fieri potest, siue naturam suam seruantibus, siue præter naturam affectis, sequitur necessariò, ut si ab aliquo humore sit, uel à succo fiat melancholico, uel ab ea quæ proprio nomine uocatur melancholia. Verum quum hæc quadruplex sit iuxta communem medicorum nostri temporis sententiam, inquirendum adhuc est, an ab aliqua harum quatuor, uel ab ipso naturali humore melancholico, in hoc Reuerendo uiro contingat. In quo quæsito facile cognitu est, quod non fiat ab ea melancholia, quæ exusta flaua bile generatur. Nam, ut ait Paulus, si aliquando ea superfluata in nigram permutatur, uocatam uidebis maniam, in qua feraliter adeò

Mania à flaua bile exusta.

insaniunt, ut accedentes qui non aduertunt, aggrediantur. Auertat autem Deus Optimus Maximus, ut eò insaniæ uir hic deueniat. Non difficilius quoq; est cognoscere, his maxime qui Auicennam sequũtur, quod neq; ab ea fit, quæ ex succo melancholico adusto gignitur: non enim, ait ille, dicitur melancholia, nisi ea cuius euentus est à cholera nigra, non exusta. Sed nec à sanguinea, quoniam risus abest, qui

Quãquam ex pituita gigni fieri à Galeno.

iuxta aphorismum eam comitatur. Superest igitur ut uideamus an fiat à pituita, in quo diutius immorandum, quum eius sententiæ sit unus ex consultoribus uir clarissimus, & dudum mihi maxima familiaritate cõiunctus: cui & alius consentit, inter celeberrimæ Bononiẽsis academiæ primos professores reputatus. Mihi autem, saluo utriusq; honore, non solum nõ in hoc uiro, sed nec in alio quopiam fieri hunc

Non potest melancholia à pituita fieri.

morbum posse à pituita uidetur. Tantum enim eam assari in corpore humano nõ credo, ut nigra in totum euadat. Et quemadmodum ex Galeni autoritate, in expositione libri de spiritibus, scripsit in suis Aphorismis Moses, in atram bilem transire

Non potest pituita in homine tãtum assari, ut nigra in totum euadat.

nullo modo potest, etiã si calor adeò fortis adsit, ut urat: cui quidem Mosi licet non sit in omnibus credendum, nec uidere mihi illam Galeni commentationem hactenus licuerit, adducor tamen ut putem eam fuisse Galeni sententiã, ex eiusdem uero bis secũdi libri prognostici, pituita exassata in pectore, in quo longe maior calor est, quàm in cerebro, fieri sputum album, tenax & rotundum, non nigrum, asserentis, nec aliquo loco pituitosæ huius atræ bilis mentionem facientis. Quam certe si aliis in locis, in peculiari commentario de atra bile inscripto, non erat prætermissurus. Adde, quod si, ut communis nunc tenet opinio, ex Auicenna orta, quilibet humor per exustionem in atram bilem uertitur, quinque numero erunt atræ bilis species: quare non poterũt omnes humores tam naturales quàm præternaturales, sanguine excepto, denario numero contineri: quod tamen uoluisse uidetur Galenus in fine secundi libri de uirtutibus naturalibus, Praxagorã laudans, ad eum numerum humores

humores omnes reducentem. Quinque enim ad minus sunt biles, & tres pituitæ. Adde etiam, quod neq; Ioannitius, neq; Serapion, neque Haliabas inter atras biles alicuius meminerũt, quæ ex pituita generetur. Nullam præterea esse ultra ea quæ attulimus, ex hoc probari potest, quod fieri nequit, ut ex albo in nigrũ mutatio fiat, nisi per medios colores, imò & per medias substantias. Norũt hoc Chymici, per multitudinem colorum ad desideratum illud, quod caput Corui uocant, peruenientes, quum tamen in rem simpliciter albam non operentur, sed cui sit croceum aliquod admixtum. Varios ergo nasci colores in pituita, erit necesse, priusquam in atrum colorem per exustionem permutetur, imò & uarias substantias: quarum aliquæ ad pituitæ naturam, aliquæ ad nigram bilem proximius accedant, iuxta minorem maiorem ue adustionem: sicuti & in ipsa flaua & pallida bile contingit, quæ primo in uitellinam, secundo in porraceam, tertio in æruginosam transit, priusquam in exactam atram bilem transmutetur. Sed in pituita tanto plures fieri medias substãtias, mediosq; colores quàm in bile oporteret, quanto maior est distantia albi quàm flaui coloris, à nigro. Hanc autem pituitarum aut nigrarum bilium uarietatem, nec ad sensum percipimus, neq; apud medicos legimus de humoribus scribentes. Quod uero præclari hi consultores Auicennam sequuti imaginantur, pituitam per congelationem in cerebro ad atram bilem cõuerti: mihi in captum mentis haudquaquam uenit. Ad tantam enim frigiditatem uiuentis hominis cerebrum uenire non potest, ut cõgelandi uim habeat. Siquidem ut Galen. docet 8. lib. de usu partium, calidius aëre est, etiam æstiuo. Alioqui neq; statim necesse est pituitã congelatã ita exiccari, ut in melancholiam conuertatur. Videmus enim aquam in gelu cõuersam, uirtutẽ adhuc humectandi retinere. At si maiorem in humano corpore fieri congelationem imaginentur, certe non maiorem faciet siccitatem ea quæ in gipsea uocata pituita reperitur, quæ tamen & nomen & colorem pituitæ non amittit. Quæcunq; igitur humiditatis remissio in pituita intelligatur, sicuti media inter aquosam & gipseam erit, ita necessariò intra pituitæ limites continebitur. Sed nónne uidemus in omnibus pituitæ speciebus ad extremam usque duritiem, qualis in scirrho sentitur, peruenientibus, manifestam albedinem ac luciditatem, tetro melancholiæ colori, & ut sequens est, his quæ eam consequũtur accidentibus aduersantem? Quod aduertens Galenus in commentario de tumoribus præter naturam, scirrhum à crassa & tenaci pituita factum, ab eo separauit qui à succo fit melancholico. Si igitur pituita ad summam siccitatem euecta, inter pituitas, nõ inter atras biles numeratur, quo pacto res quæ minorem habet siccitatem, debet atra bilis existimari? His itaq; & rationibus motus, & Galeni clypeo munitus, non uerebor ab Auicennæ & communi recentiorum sententia abscedere, nullamq; atram bilem ex albissimo inter humores phlegmate, neq; per exustionem, neque per congelationem factam agnoscere: sed morbum qui melancholia uocatur, ita in hoc uiro, sicuti in cæteris, ab eiusdem nominis humore fieri affirmare. Quod tamẽ non ita obstinate defendo, si mihi contrarium ostendatur, quin sim manus daturus. Nullam autem in his quæ ab excellentissimis tribus medicis consultoribus scripta mihi ostensa sunt, rationem uideo, quæ me ad illarum sententiã cogat accedere. Nam argumentum, quod unum ex alterius sententia mihi obstare uidetur, à iuuamento ex uacuatione pituitæ sequuto acceptum, Auicẽna ipse soluit, dicens: Non ergo te seducat iuuamentum quorundam propter phlegma quod ipsi euacuant uomendo uel egerendo: nam illud non est propter euacuationem phlegmatis iuuantem ipsos, imò quoniam multitudo & cõpressio humorum adinuicem remouetur ab eis. Verum iuuamentũ essentialiter est euacuatio choleræ nigræ. Interim autẽ, donec aliud mihi ostendatur, quæ hactenus confecimus colligentes, ex eis breuiter curationem eliciamus.

Reuerẽdus hic uir ægritudine propria cerebri laborat, melancholia uocata, quæ

Rabe optima.
Chymici.
Corui caput apud alkimistas.
Bilis transmutationes.
Pituita in cerebro cõgelari nõ potest.
Cerebrum ære æstiuo calidius.
Pituitam congelatam in melancholiã nõ uerti.
Pituita gipsea.
Ab Auicenna desciscit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est mala cerebri temperatura, frigida & sicca, ab humore atræ bilis partim facta, partim fiens, partim futura fieri: qui quidem humor uel nequaquã exustus est, uel modice. Symptomata morbum comitãtia sunt, timor, tristitia, pusillanimitas, cum corruptis quibusdam imaginationibus.

Facta igitur ægritudo calidis & humidis indiget: frustra autem hæc adhiberentur, faciente causa in cerebro permanente. Est igitur hæc antea per euacuationem amouenda. Verum quia & hæc frustra tolleretur, si præstò esset in corpore, alia similis materia apta ad cerebrum ferri, ideo & hanc uacuare oportet: & ne de cætero rursus abundet præcauere, cerebrumq; ipsum demum roborare, ut si qua fortè regeneretur, eam à se pellat.

Intentiones curatiuæ melãcholiæ per propriatẽ in cerebro.

Erit igitur una & prima intẽtio, ad quam ultimo resoluendo deuenimus, humoris melancholici in corpore abũdantis euacuatio. In omnibus enim in quibus causa faciens adhuc adest, ab ipsa curatio inchoãda est, autore Galeno quarto Therapeutices. Secunda, euacuatio eius qui in capite est: quæ duæ intentiones, si exacte loqui uoluerimus, præseruatiuæ potius sunt quàm curatiuæ: sicuti & ea quæ præcauet ne humor hic abundet, & quæ cerebrum roborat, ut uel non recipiat uel repellat, si quid eò feratur. Tertia uero in ordine sola & uerè curatiua, est ea quæ prima occurrit, & ad iam factam uertitur ægritudinem, contraria uidelicet ad calidum & humidum alteratio.

Atræ bilis euacuatio.

Venæ sectio.

Galeni cautio in secãda uena.

Euacuatio melancholici humoris in toto corpore inuenti, à uenæ sectione, si Galeno credimus, est inchoanda. Verum quia non certis indicijs cognoscimus sanguinem melancholicum in uniuerso corpore dominari, sed contrarium potius superius collegimus, Galeni cautione utemur, qua tum aliàs, tum in hac ipsa, de qua loquimur, affectione utitur, ut scilicet fluentem secta uena sanguinem inspiciamus, & si ater fuerit, tantum fluere sinamus, quantum satis esse coniecerimus: sin secus, cohibeamus. Vena autẽ huic sectioni magis idonea erit, quæ in cubito media. Ab hac autem uenæ sectione inchoandum putamus, tametsi non in toto corpore, sed in cerebro causam morbi esse putemus: tum quia in tam diuturno, quo uexatus est tempore, uix fieri posse existimamus, quin ob longos mœrores uniuersus sanguis ad melancholicum sit mutatus: tum quia Galenus, ubi solum cerebrũ sanguinem continet melancholicũ, non in totum reijcit uenæ sectionem, sed quãtum ad ipsam dispositionem attinet, dicit non esse necessariam: innuens, ratione alia posse esse opportunã. Quam rationem explicans Aëtius, addit, Nisi multi sanguinis fuerit ægrotus. Esse autem hunc uirum multi sanguinis, & medicus ille, qui mecum hac de re loquutus, & monachus qui me consuluit, attestati sunt.

Vena media.

Sanguinis per hæmorrhoidas prouocatio.

Ad eandem intentionem pertinet sanguinem per hæmorrhoidas prouocare. Notum enim illud Hippoc. maniacis, uaricibus aut hæmorrhoidibus superuenientibus, maniæ solutio fit. Quo loco melancholicos proprie uocatos intelligere debemus, si Galeno credimus. Hanc autem hæmorrhoidum prouocationem, licet multifariam efficere possimus, commodius tamen per purgatoria medicamina, & per clysmata faciemus: quæ & propria ratione adeò congruunt, ut eorũ assiduus usus
» ualde sit in hac uacuationis intentione necessarius. Quando enim (ait Paulus, de his
» loquens quibus cerebrũ primo afficitur) ob temporis diuturnitatem humor est factus difficile mobilis, uarias & fortiores curationes adhibere oportet. Purgandi ergo
Purgatio per initia facienda. sunt statim ab initio per epithymũ aut aloën: quorũ si modicum quotidie assumpserint, maxime iuuabuntur, & quietè consequẽtur. Laudauit quoq; Aëtius, ut uẽter quotidie leuiter subduceretur, per amaracũ & serum nõ ex caseo factum, sed ex lacte uel equino uel bubulo. Quo pacto uero à lacte separãdum sit serũ, docet Dioscap. de lacte, simulq; etiã bibendi modũ, quippe ut per interualla, heminæ, id est, ib. 5. bibantur, minus tamẽ pondus bibenti quotidie fortè sufficiet. Amaracũ uero in-

Amaracus.

telligo

telligo herbam apud nos corrupto uocabulo Marellam uocatam: medicorum uulgus & officinæ, Matricariam uocant. Auic. uehuen, de qua Dioscorides scribit sub nomine Parthenij. Ego pro omnibus his utor Sena, quæ licet non multo antea in usum uenerit medicorum, illaboriosè tamen melancholiam & exustos humores purgat, & secure quotidie bibitur, additis diuersis rebus, iuxta laborãtis temperaturam, ætatem, horam, & reliqua id genus, quæ in omni sua operatione medicus ante oculos semper habet. In hoc autem uiro, præterquam æstatis tempore, flores uel semina rorismarini maxime puto congruere, & rosas, uel earum potionem æstate. Primo tamen, ut dixit Ruffus, habenda est cura bonæ concoctionis.

Rorismarini semen.

Clysmata.

De Clysmatibus inquit Aëtius: Post uenæ sectionem & purgationem, interpositis aliquot diebus, clysteribus euacua. His auxilijs si sanguis per ora uenarum aniexierit, non erit æger alia molestia propter hoc afficiendus: sin minus, sanguisugis, alijs ue aptis ad id notis medicamentis promouendus. Ad hanc quoq; intentionem pertinet uomitus, de quo idem Aëtius: Vomitus per maiora interualla prouocandus, non à cibis, sed ieiuno: nec cum fortibus, quoniam sunt nocua. Auicenna uero dixit, accersendum uomitum, si in stomacho sit aliquid quod in ægritudine faciat augmentum, & si non est ægritudo uehementis debilitatis. Verba autem hæc ultima torserunt expositores, quoniam non bene leguntur in communibus exemplaribus: legendum enim, & non est stomachus uehemẽtis debilitatis. Quibus uerbis consonant alia Auicẽnæ uerba, ubi loqui incipit de melancholia in cerebro confirmata. Ait enim: Euacua per clysterem & uomitum, nisi in illo cuius stomachus est debilis. Huc quoque spectant, id est, ad euacuationem materiæ in toto repertæ, urinæ & sudoris prouocatio. de his enim inquit Paulus: Bonæ autem & diureticæ uirtutes, & sudorum purgationes. Vtrunq; igitur procurandum, adhibita tamen cautione, ne calidioribus utentes, eam quæ adest atram bilem exuramus, aut nouã in corpore crescere faciamus. Hæc quidem sufficere puto ad primam intentionem exequendam.

» *Vomitus.*

Auicennæ locus emendatus.

» *Vrinæ.*

» *Sudor.*

Euacuatio humoris in capite contenti.

Secunda intentio, hoc est, humoris in capite cõtenti euacuatio, ijsdem ferè auxilijs, quibus & præcedens absoluitur. Erit igitur & hanc ob causam uena secanda, si multi (ut relatum mihi est) sanguinis hic existit: primũ quidem humeralis eius partis, ut bene hoc loco dixit Auic. in qua caput est grauius, facta prius sectione basilicæ, si in toto corpore abundare sanguis uideatur: dehinc ea quæ in fronte est media. Erit enim hic ordo eo casu seruandus, ut primo media, iecoraria secundo, tertio humeralis, quarto uena frontis incidatur. hoc enim uoluit Auic. si eius uerba bene legantur & intelligantur. Sic enim scribendum est: Et quandoq; necessarium erit » ubi ut phlebotomes basilicam, cum inuenis signa cõmunia scilicet multi sanguinis » in toto corpore, & ante phlebotomiam uenarum frontis, quia tunc mouebit plus. »
Sanguis ex naribus prouocandus: hirudines post aures admouendæ, cucurbitulæ inter spatulas: tum quoq; per nares & palatum materia euacuanda, atq; etiam per capitis cutem occultã & sensum fugiente diffiatione. Pleni autem sunt medicorum libri medicamẽtis quibus hæc tria postrema peragentur. Vtilia autem in distrahendo & uacuando sunt, frequentia balnea: sed dulcium, non medicatarum aquarum. *Balnea.*
Siquidem humectandus est hic uir, non exiccandus. Calida autem sunt & sicca, inquit Paulus, omnia spontanea balnea, Galenum sequutus, tum alibi, tum 1. lib. Sa- *Balnea spontanea, calida & sicca omnia.*
lubrium. Ego utrorunq; uestigijs hærens, monacho consilium super his aquis pro hoc uiro petenti, absolute eorũ usum in balneis interdixi: potum tamen aquarũ eatenus concessi, quatenus purgationẽ facit dominãtis humoris: in qua tamen & illud cauendum, ne propria ui, aut longo usu, nimis calefaciãt uel exiccent.
His peractis, satis arbitror occursum esse & futuræ ægritudini, & ei quæ adhuc fit: supereſt ut ei quæ facta est, id est malæ temperaturæ, frigidæ & siccæ, nos oppo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præsidia fictæ intemperaturæ.

namus. Illud fiet, si tantum calefecerimus humectauerimusq; caput, quantum frigefactum & exiccatũ esse ultra naturalem habitum cognouerimus. Ad hoc autem maxime confert uictus ratio, quæ tanti momenti est, ut absque alio præsidio, ea sola se multos Galen. curasse testetur. Cibus igitur, inquit Paulus, esse boni succi debet, & modice humectans. Aliæ quoq; res, quas non naturales medici uocant, ad easdem qualitates uel actu uel potestate uergãt. Ineptus autem sim, si ad particularia descendam, omnibus nota, præsente præsertim tam docto medico, cui non solum hæc quæ in propatulo sunt, sed etiam quæ plerosque medicorum latent, sunt apertissima. Illud potius non prætermiserim, ultra uictus qualem diximus rationem, caput quoque ipsum esse humidis calidisq; & fomentis & lotionibus præsertim ex aliquot ioribus locis guttatim cadentibus abluendum: hoc adhibito moderamine, ut uel utraque simul misceantur, uel per uices, modo hoc, modo altero utamur: cauentes ne tenuioribus partibus per calida exolutis, terrestriores ineptæ omnino resolutioni dimittantur: uel per sola humentia tota materia ita incrassetur, ut ex melancholia comitialis morbus sequatur. Bene igitur monuit Auicenna, utraq; commiscenda, ubi curam eius melancholiæ exequitur, quæ est in cerebro cõfirmata: licet eius uerba non bene in communibus codicibus apponantur. Sic enim legendum erat:

» Et secunda est, ut administres cum euacuatione humectationem assidue tum emu-
» brochis & oleis calidis, & ponas in eis ex medicinis, sicut chamæmelon & anethum
» & melilotum & radicem lilij, ut non incrassetur humor propter resolutionem pu-
» ram in qua non est lenitas, neq; incrassetur cum his quæ humectant, & non est in

Auicennæ lo eius emendatus.

» eis resolutio. Clarius autem hoc exequutus est Ioannes cognomento Mesue, capite de cura doloris capitis à melancholia, & proprio capite de melancholia, in utroque loco citans Galenum: quanquam ego cum perlegerim totum Galeni librum de medicamentis secundum loca patientia, ad quem maxime hæc pertinebant, nul-

Apud Gal. non est Sennæ mẽtio, contrà quàm dixit Mesuas.

libi hanc sententiam inueni: sicuti nec Senam in musto misceri. Quod tam alienum est à Galeno, ut iureiurando affirmare possim, nullam esse in Galeni libris Sennæ mentionẽ. Nullibi etiam apud eum legi, iure hœdi aut ueruecis caput abluendum: quæ tamen omnia affert Mesue ex Galeni autoritate. Nec hoc dixerim, quod ea præsidia uelim respui: sed ut cognoscatur, tantum huic Mesue non esse attribuendum, ut quicquid scripsit, absq; alia indagine, (quod multi faciunt) pro oraculo habeatur, quum multi in eo non aspernandi inueniãtur errores: quale est illud, quod

Error Mesue.

ex eiusdem Galeni sententia, uitanda esse docet urinam prouocãtia: cuius nos contrarium autoritate Pauli superius docuimus. Sed & ipsemet Galenus in cura quartanæ commendat res urinam mouentes, utiturq; diospolitico, & diatrionpiperon uocato medicamine, imò & ipso pipere. Non igitur Galenus fuit, qui urinam prouocantia prohibuerit, sed Auicenna: nec cap. de melancholia, sed de mania. nec tamen prohibuit omnia, sed ea quæ plurimum prouocãt. Nam Paulum sequutus, ra-

Hipposelinum.

dicem & semen equini fœniculi quotidie præbet, ac bryoniæ, id est uitis albæ radicẽ.

Bryonia.

Hæc igitur sunt quæ mihi relatis inhærenti, de affectione & curatione huius uenerabilis uiri occurrêre, quibus ipsum spero, eo iuuante qui solus languores sanat, sanitati pristinæ restituendum. Quod si omnibus peractis statim nõ successerit, non ilico spes abijcienda est. Quemadmodum enim scripsit Aëtius, & nos quandoque experti sumus, multi tempore curationis nihil adiuti, post eam roborata natura conualuerunt. Cuncta autem quæ scripsimus, arbitrio ac iudicio præsentis medici subijcimus, uiri solertissimi & studiosissimi.

Ex Ferraria, pridie Calend. Iunias. M. D. XXIIII. Epist.

EPIST. III. in qua multa simplicia medicamina dilucidantur.

Ioannes Manardus Hieronymo Carezono. S. D.



Erò quidem respondi literis tuis, si tempus spectetur quo sunt datæ: cito, si id tempus spectes quo sunt redditæ: citissime, si nodi considerentur, quos petis dissolui: qui tot sunt, atq; ita cõstricti, ut uix ab ipso enodari Hercule possint. Tuum igitur erit ignoscere, si non omnibus manum admouero, & si hos etiam quos aggrediar, non penitus dissoluero: malui enim tibi minus sapere putari, quàm minus diligere, præsertim quũ Hieronymus Augustonus communis amicus te desiderare responsum per plures antè dies significasset, quàm tua mihi fuisset reddita epistola. Eodem igitur quo tu uteris ordine, ne te diutius protraham, iam rem aggredior.

De Nascaphtho.

Nascaphthon Paulus Aegineta Naocaphthon uocat, & à quibusdã dici ait Nacaphthon: nec plus de eo docet capite proprio, quàm esse Indicum aroma. In descriptione autem Cyphi Niliaci Lacaphthon dicit esse corticem piceæ, uel alterius arboris: ubi eandem rem intellexisse mihi uidetur cum Nascaphtho, ut etiam Hermolaus putauit. Theophrastus inter aromata quæ unguentis miscentur, Nartam reponit, libro nono de historia plantarum: quam esse eãdem rem cum Nascaphtho, suspicor potius, quàm certus decernam. quod si uerum est, forte pro Narcaphtho apud Dioscoridem legendum Nartaphthon. Hæc sunt quæ hactenus cognoscere ualui de Nascaphtho: nec temere arbitror inuenias, qui docere certum aliquid de eo possit, peregrina semper re, & quæ iandiu apportari ad nos desierit. Nuper tamen ex Thoma Lucẽsi, arte quidem seplasiario, sed eruditione multos medicos excellente, didici, corticem qui uulgò Tegnamen dicitur, esse Nascaphthon.

De Halimo.

Halimon (ni fallor) uidi aliquando iuuenis in maritimis Vmbriæ, monstrante Vlysse Lanziareno, uiro omnium bonarum artium studioso, & in herbaria (quantum illa ferebat ætas) erudito: quo uero nomine ab eo diceretur, non satis possum meminisse. Scio ab Auicenna in secundo libro de ea scribi, sub Melliæ nomine, & à Serapione sub nomine Molochiæ, & alio nomine Atriplicem marinã ab eodem uocari. Scio etiam tum in historia, tum in uiribus aberrasse hunc barbarum. In hi-

Error Serapionis.

storia quidem, quod plures spinas habere dicit, quàm Hausegi, id est Ramnus, habeat: & id quidem ex Dioscoridis sententia, qui apertis uerbis carere spinis scribit. Saporem etiam ex Galeni sententia ei dicit esse amarum, falsum cum pauca stypsi: quum Galenus nullam ei attribuat amaritudinem, sed falsum & substyphonta tantum saporem. Habere etiam inflammationem paucam, uitio tamen (ut puto) librarij: legendum enim inflationem. Radicis drachmas duas cum melicrato potas conquassationi conferre neruorum, sedare dolores, & prouocare lac scribit autore Dioscoride: qui tamen non duas, sed unicam drachmam, lenire tormina rupta & conuulsa dixit, & facere lactis ubertatem.

De Ramno.

Ramnum, Hausegi uocat Auicenna, licet falsò dicatur rubus. Esto enim quod ramnus inter rubos à Theophrasto alicubi numeretur, neq; ipse tamen neq; alius bonus autor, simpliciter affirmauerit ramnum esse rubum: minusq; quàm cæteri hoc dicere potest Auicenna, qui aliud caput scripsit de rubo: ubi dicit quosdam dixisse rubum esse Alhausegi: qui loquendi modus ostendit, eum sic dicentium opinionem non sequutum. Quicquid autem de hoc sit, constat rem, quæ nunc dicitur rubus, diuersam esse ab ea, quæ capite de Ramno à Dioscoride describitur. Spinam uocatam ceruinam, ego semper arbitratus sum genus esse Ramni. Marcellus contrà sentit, leuibus (ni fallor) argumentis: quod uidelicet ramnus frutex, non arbor

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, nec eius materia rubro colore uisitur, quum spina uocata Ceruina iusta arbor sit, & tota rubeat. Quod enim ad magnitudinem attinet, memini me olim puerum uidisse Ceruinum spinum, uix duas ulnas à terra elatum, fruticemq; potius quàm arborem præ se ferentem. Quod si specie arboris quandoque uisitur, non facit hoc, quin natura sit fruticosa. Vidi enim quandoque Florentiæ brassicam, quæ proceritate multas æquabat arbores, & quasdam etiam superabat: nullus tamen propter unam alteram ue talem, brassicam inter arbores numerauerit. Sed & ipsemet Marcellus paliurum, quem affinem ramno facit, quandoque arboreſcere, quandoque fruticis naturam ait non excedere. Ex colore etiam non satis ualidum colligitur argumentum: non enim in totum rubet ceruini spini materia, sed extrorsum candida quum sit, introrsum rubet. Sint igitur uel non sint idem ramnus & ceruinus spinus, neque enim hoc nunc decerno, argumenta certe Marcelli non ea ostendunt diuersa: tantisper igitur ceruinus spinus mihi pro ramno stet, donec alia spina compareat, quæ eum loco dimoueat. non utar tamen ea, quum nota sint multa, longéque magis exposita, quibus possim in erysipelatibus & herpetibus uti. Vim eius in herpetibus tacuit Auicenna, sicuti & quod pro amuleto sit, in foribus & fenestris suspensus, ad mala arcenda medicamina: qui tamen in hoc minus pecauit, quàm Serapion, pro malis medicamentis propriam scribens arboris operationem.

Brassica ingēs.

De Paliuro.

Paliurum si dixero me uidisse, dicam quod certum mihi non est: si non uidisse, id quod est ambiguum. Videor enim uidisse inter sepes uaria fruticum genera spinis obsita, atq; in his fortè Paliurū. An uero aliquo in loco arboreſcat, incertū mihi est. Virgilius carduis eum iungens, arborem putasse non uidetur: nec in carminibus suis Columella, rubis, herbisq; potius, quàm arboribus connumerans. Aliquo tamen in loco arborem fieri, Agatoclis & Theophrasti testimonio, credendum: quibus consentire Plinius quoq; uidetur, loto eum coniungens, quam pyri esse scribit magnitudine, Theophrastum sequutus.

De Loto.

Fuit autem & ipsa Lotos quandoq; Italiæ familiaris, nunc adeò rara, ut ferè pro miraculo ab aduenis spectaretur ea, quæ prope templum diuo Antonio dicatum Patauij Hermolao uiuente uidebatur. Scribit de fructu eius Auicenna, sub nomine grani Anescen, non absque tamen errore, ut ferè solet: magnitudine enim pisperis esse dicit: dicente Dioscoride, & eum sequuto Serapione, quod maius est, & Theophrasto fabæ æquante. Tacet dulcedinem, odoris boni dicit, quum Dioscorides dicat grauis. Addit coloris similitudinem, quem tacet Dioscorides. Plinius crudi esse dum est maturum, ante maturitatem alium atque alium. Addit & quod facilius frangatur, & nescio quid de medulla: quæ unde acceperit, diuinare non possum. Sed quod peius omnibus his est, ponit calidum & siccum in secundo ordine, quum Razes & Serapion reponant inter frigida: Galenus & Paulus siccitatis mentionem faciant, sed actiuas (ut philosophi uocant) qualitates reticeant. Serapion arborem uocat Sadar, fructum Nabac: quem sequutus uidetur Auicēna. Nam præter ea quæ suprà ex eius diximus sententia, de Sadar quoque scripsit capite 631. nihil tamen aliud de ea tradens, nisi quod ad caput de Nabac, lectorem remittit: nulla habita mentione eorum, quæ de grano Anescen superius scripserat. Ex quo colligi facile potest, id quod ego sæpe soleo dicere, Auicennam suo de medicina libro ultimam manum non appossuisse: sed quæ occurrebant, à uarijs autoribus sumpta, in unum uolumen congessisse, digesturus per ocium, si licuisset. Celtis hæc arbor latine dicitur, & faba græca uel syriaca, quia autore (ut diximus) Theophrasto, fructum fert magnitudine fabæ.

Auicennæ error in Anescen.

Auicēnā suo de medicina lib. su premam manū non appossuisse.

De Hiberide.

Hiberidis nomen duabus herbis adscriptum inuenio: uni, quam Nasturtij folia habere,

habere, in fine primi libri scribit Dioscorides, & libro uigesimoquinto Plinius: alteri, quæ fruticosa & lauri folio, nisi maius longe esset, cuius inter coxendicis remedia meminit Aegineta, alióque nomine uocari dicit Lepidion: de quo Lepidio scribit Dioscor. libro secundo, nulla eius ceu notæ herbæ parte depicta. Plinius libro decimonono, laurinis solijs esse, sicuti Paulus, scribit: sed mollioribus, non maioribus, ut Paulus: nisi & in ipso Plinio deprauatus locus sit, & pro mollioribus, legendum sit maioribus. Arabes sub uoce Sceitaragi, de Lepidio loquuntur: licet Auicenna sub eodem nomine de ligno quodam Indico & de fructu alio pertractauerit, atque ultra hæc nōnulla adiecerit, quæ de Hiberide à Dioscoride uidentur accepta: quod tamen caput ego post Marcellum fini primi libri simul cum capite de Halicacabo, Dioscoridi accreuisse puto. Non enim in eum locum ubi de arboribus tractatur, congruum erat, duas illas herbas non uocatas irrepere: & quum de Halicacabo libro quarto inter Strychni genera abunde differuerit, superuacaneum omnino fuerat de ipso seorsum, & importuno adeò loco pertractasse. Quare probandi uidentur codices, in quibus caput illud ultimum non inuenitur: quo summoto, non uideo quo pacto Hiberis herba, sola possit inter tot arbores comparere, præsertim quum nec Galenus nec Paulus proprium de Hiberide caput scripserint, contenti de Lepidio scripsisse, quod uocari à nonnullis dicunt Hiberida. Huic si accesserimus sententiæ, Hermolaóque consenserimus, Lepidion esse herbam, quæ nunc uulgò apud nos Raphanus dicitur, affirmanti, quæ à Pannonibus, apud quos in continuo usu ad carnium & piscium condituram est, Turma dicitur, apud alios, ut audio, Myrroraphanus appellatur: cui in gustu & uiribus tanta est cum Nasturtio affinitas, ut Cardami nomen tertium apud antiquos meruisse putanda sit: quod & apud sciolos quosdam & grammaticos & medicos adhuc reseruat, Nasturtium scilicet nuncupantibus: si his utique consenserimus, Hiberis erit notissima sub Raphani nomine. Si uero de prima Hiberide loquamur, de qua Dioscorides libro primo, & Plinius uigesimoquinto, utique fatebor hanc mihi incognitam, nisi inter Nasturtij genera deputetur.

Capita duo Dioscor. accreuisse.

Raphanus.

Silurum piscem esse quem nunc uulgò Sturionem uocamus, in nuperrime uulgato de piscibus Romanis libello, multis rationibus probare contendit Paulus Iouius, inter eos qui hoc seculo medicinam bonis literis coniunxere, eminentissimus. Cui sententiæ cur non accedam, multa me, licet inuitum, cogunt: non enim libenter à tanti uiri, atque etiam amici sententia recedo. Primum est, quod Silurus dentes adeò duros habet, Aristotele teste, ut morsu hamos frangat. Nullos autem esse Sturioni dentes, & omnes sciunt, & ipsemet Iouius attestatur. Silurus eodem auctore damnatur, quum fert oua. Nos autē fœminas Sturiones ouis plenas plus quàm enixas probamus: non usqueadeò tamen, ut maribus, quod idem in Siluris facit, præferamus. Silurus Canis exortu, quia sublimis innatat, sideratur: Sturiones eo tempore maxime cōmendamus, imò (ut ipsemet Iouius ait) in mediis tantum solstitij feruoribus laudantur. Adde, si placet, quod Silurus, Plinio teste, omne animal graſſando appetit, ut & innatantes equos quandoq; demergat: quod facere nullus unquam Sturiones uidit, ceu segnitiem potius, quàm tantam agilitatē præ se ferentes: alioqui quo pacto magna animalia uel læderent, uel tenerent, quum dentibus careant? cur etiam in tam uasta animalia insiliant, quum non nisi minutissimis & fugendo uesci possint? Mitto longam illam, & quasi singularem ouorum custodiam, de qua Aristoteles, & eum sequutus Plinius: & quod fluuiatilis semper ab Aristotele dicitur, neq; inter eos pisces cōnumeratur, qui ex mari ad flumina ascendunt: è quorum numero Sturionem esse, nec ipse Iouius diffitetur. & quod præcipuæ magnitudinis est Silurus, nec minus quindecim talentis aliquādo pendet, teste Plinio, ad quam molem nullus Sturio protenditur. Vnum est quod plurimum

De Siluro: Paulus Iouius.

Silurum nō esse Sturionem, manifestis rationibus probatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud me poteſt, quod ſcilicet Plinius prope Padum natus, & qui propter Tybers ripas uixit, Silurum, ſi eſſet Sturio, peculiarem Nilo non feciſſet: ſed Attilo potius Padano, ſicuti magnitudine, ita natalibus aſſociaſſet. Hæc ſunt quæ me à Iouij ſententia uel inuitum retrahunt, rationibus præſertim, quibus utitur, me non retinere ualentibus. Maxime enim adductus ad id opinãdum eſt, quia mirum ei uidebatur, quod Silurum apud antiquos celebratum, hac ætate ignoremus: & Sturionem ex aduerſo nunc celeberrimum, quo nomine ab antiquis dictus ſit, plurimum dubitemus. Minimam autem hoc argumentum apud me uim habet, qui (iam ſupra tertium decimus agitur annus, dum Vladiſlai Pannoniarum regis ſaluti inſeruirem) non ſemel uidi piſcem, quem indubie Silurum eſſe, præter reliqua, hoc argumento putaui, quod in animalia quantumuis magna, in Tybiſco præſertim flumine, quod Iſtrum influit, audaciſſime adeò inſurgit, ut nec hominibus parcat. Publica enim apud Pannones fama eſt, aliquando captum, in cuius uiſceribus humana manus ornata anulis inuenta ſit. Vocant incolæ hunc piſcem (ſi recte memini) Acchiam, uaſtiſſimo ore, & duriſſimis dentibus armatum, figura Gobio ſimilem, eaq; aſpectus atrocitate, ut terrorem etiam mortuus uideatur ſpectantibus afferre. De nomine uero Sturionis apud antiquos, ut ab illis in totum diſſentio, qui Lupum uel Attilum notiſſimos nũc piſces arbitrati ſunt: ita alteri illorum accedo, qui uel Torſionẽ, uel Hyccam putauere. Vter autem uerior, nõ opus eſt eſſe me hoc loco arbitrum: ſatis enim fuerit id quod petis declaraſſe, quem ſcilicet piſcem eſſe nunc Siluũ exiſtimem. Sturione igitur & Siluro nunc ſepoſitis, ad minutiores piſces, hoc eſt Smarides, me conuertam.

Silurum apud Pannones haberi.

Sturio, uel Torſio uel Hycca eſt.

De Smaridibus.

Mænulæ.

Smarides maritimi piſces adeò Mænis ſimiles ſunt, ut ab eodem nomine utraque Mænulæ nunc uulgò dicantur: plebei certe & uiles adeò piſciculi, ut non numero aut pondere, ut ferè reliqui, ſed aceruatim inuitato etiam emptore, Venetijs uendantur.

De eruo.

Orobum ignorauit Auicen. ut multi etiam noſtro æuo.

Eruum, Græci Orobum, Auicenna cap. 331. herbam Iudaicam: capite uero 353. Herbum uocauit: ignorare tamen uiſus, quæ res eſſet, ſicuti & à multis nunc quoque ſeplaſiarijs & medicis ignoratur, granum quoddam nigrum Vitiam potius, quàm Orobum referens, pro ea capientibus, quum ſit in Tuſcia notiſſimum. Vidi 30 ego Florentiæ album & ruſum.

De ſiſere.

Siſere, ſiue Siſarum in Italia non uidi: in Pannonia uidiſſe me puto & Germania eius radicem, napi figura & magnitudine, luteo colore, iucundo ſatis odore, & ſapore adeò grato, ut ad nobilium quoque menſas ueniat cum bubulis carnibus elixa: ut minus mirandum ſit eam Tiberium è Germania flagitaſſe, ut ſcribit Plinius.

De Atriplice.

Atriplex notiſſimum ſemper fuit olus: Atreplexum antiqui uocabant: unde uulgò apud nos nomine parum decurtato, Trepexum adhuc nominatur. Dicitur & alio nomine à Græcis Chryſolachanum, quaſi aureum olus dixeris: cuius quoddam genus dicit Plinius in pineto naſci, lactucæ ſimile: hoc ego plerunque ſuſpicatus ſum eſſe olus nunc apud nos cõmune, Spinacia nominatũ. Quod ſi uerum eſt, 40 nõ bene ab Hermolao hi reprehẽduntur, quibus uidetur Atriplex idem eſſe cum Spinacijs: erit enim idem eo modo, quo genus eſt idem cũ ſpecie, ut Atriplicẽ, ſeu, quod idem eſt, Chryſolachanũ duas ſub ſe ſpecies continere intelligamus, Spinacia uidelicet, & Trepexũ. Quare uero Plin. dixerit in pineto illud naſci, nõ ſatis eſt mihi compertũ: ſubeſſe tamẽ mendam puto, & pro pineto legẽdum nomen aliquod, quod à ſpina deriuetur. Nec unica hæc in ea mẽtione dubitatio, ſed alijs etiã ſociata pluribus: ut, quod ſecundum genus foliis eſſe oleris dicitur: incertum enim eſt inter tot olerum genera & diuerſa folia, cuinam ſimile ſtatuatur. Ibi quoq; oritur ambiguitas poteſt, ubi dicitur, edi ut olus molle. Verum ſi oleris nomine dum ſimpliciter proſertur, braſſicam intelligamus, utraq; hæc dubitationes tolluntur. Intelligendum

Spinacia, Atriplicis fortè genus.

Plinij locus emendatus.

dum autem ita eſſe, ex Plinio licet colligere, libro 19. capite octauo ſcribente: Olus caulesq; quibus nunc principatus &c. Et libro 35. capite 15. de Alumine, quod lepras curet cum ſucco olerum: ſcribente Dioſcoride, capite de Alumine, Cramben, ubi Plinius olus dicit. Similiter cum idem, inter braſſicam & uitem eſſe inimicitias: Varro libro primo, capite 16. Vitis, inquit, adſita iuxta olus &c. Sed de Atriplice hactenus nimis multa.

De Chondrilla.

Chondrillam Serapion cap. 143. Candarel nominat. Eſt autem herba adeò Cicorio ſimilis, ut Cicorium etiam nunc dicatur. Primum eius genus, in cuius ramuſculis gummi Maſtichæ ſimile inuenitur, neſcio me unquam uidiſſe. Secundum creberrimum apud nos eſt, foliis communi Cicorio ita ſimilibus, ut non dignoſcerentur, niſi magis & inciſa eſſent, & terræ hærerent.

De Tragopogone.

Tragopogon id olus ſylueſtre eſſe diu arbitratus ſum, quod uulgò barbam pretri dicunt, petræ fortè uolentes dicere, uel presbyteri, quem prete uocãt: folio enim Croci oblongo conſtat, radice dulci & longa, caule exiguo, ſuper quem barbula cana, à qua nomen accepit. Me tamen ab antiqua ſententia deterret Hermolai autoritas, magni alioqui momenti, falſò opinari id quod nos, nonnullos dicens: ſed quia nullam rationem reddit, quare falſi ſint qui ita opinantur, nondum antiquam penitus deſero opinionem.

De Ornithogale.

De Ornithogale nihil habeo quod ſcribam, niſi uelim ea excribere, quæ Plin. & Dioſcor. de ea tradidere: nec magni referre uidetur eam cognoſcere, quum Gal. & Paulus, ut nullius uſus in medicina, eam prætermiſerint.

De Phaſeolo.

Hermolaus à recentioribus Aëtium ſequutis, Phaſeolum pro Smilace intelligi ſcribit, non candidum, ſed rubentem, qui & lobos, & dolichos dicatur: quam ſententiam licet nec approbet, nec reprobet, ſed tantũ referat Hermolaus, eam tamen ac ſi ab illo probaretur, & recitat Marcellus, & explodit: non alio argumẽto, quàm quod ueriſimile non uidetur ad eam altitudinem & frondium copiam poſſe legumen aliquod augeri, ut ſcenas & tabernacula ueſtiens inumbret: in quo argumento tantus Marcello fuit taxandi Hermolai ardor, ut ſemetipſum, proprio (ut aiunt) gladio iugulet: ſiquidem ſuperius hoc eodem capite Smilacem, quicquid ea ſit, in leguminum genere & cenſu numerandam dicit: quam tamen ipſomet interprete tanto incremento eſſe dicit Dioſc. ut ſcenas & tentoria inumbret. Fateri igitur oportet, aut uerbum Dioſc. σκιωποιεῖσθαι, non bene à Marcello conuerti: aut Smilacem, quæ ipſomet teſte, legumen eſt, adeò poſſe creſcere, ut tabernaculi inſtar ſoles arceat: atq;, ut ſequens eſt, Marcelli argumento eos non reuinci, qui Phaſeolum pro Smilace intellexerunt: quum tamen eſſet ad manus aliud argumentum, quo poſſet eorum ſententia euidentius conuelli: ſi enim Smilax ſit Phaſeolus, ſequitur Dioſcoridem de eodem legumine bis ſcripſiſſe: primo ſcilicet ſub Phaſeoli nomine, ſecundo ſub nomine Smilacis. quod tamen argumentum licet probabilius uideatur, quàm id quo uſus eſt Marcellus, facile tamen diluitur ex his, quæ lib. 1. Epiſt. medicinalium, epiſt. 3. à nobis tradita ſunt: oſtẽdimus enim Phaſelum aliud legumẽ eſſe à Phaſiolo, ſicut ab utroq; Piſum. Iuxta quam ſentẽtiã dicere quiſpiã poterit, de Phaſiolo, id eſt, de legumine, quod latine dicitur Eruilia, ſub Phaſioli nomine ſcripſiſſe Dioſcor. de Phaſelo autẽ, ſub nomine Smilacis: quorum dictorũ primum certum apud me eſt: ſecũdum etſi nõ adeò mihi compertũ ſit, uideo tamẽ Serapioni & Auicennæ placuiſſe, quum de Phaſiolo nunc uulgò uocato ea prodiderint, quæ Dioſc. de hortenſi Smilace. Nuper tamen etiam cognoui ueram Smilacem in ſummam proceritatem aſcendentem, grana quoq; in ſiliquis producentem, Phaſelo communi præterquam colore (rubra enim uel crocea ſunt, & ueluti à lateribus preſſa uidentur) ſimilia. Multo tamen duriora uidentur quàm cõmunes Phaſeli. In ſumma igitur tria iam cognoſco in hoc genere uel ſub hoc nomine legumina, ſpecie inter

Eruilia Phaſiolus eſt.

Phaſiolus apud Auicen. & Serapionem Smilax eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

se diuersa, Phaselum scilicet cõmunem, Phasiolum qui & Lobos & Eruilia dicitur, & Smilacem.

De Medica. Medica quanto olim notior Italiæ, tanto nostro seculo ignotior, quum sit in Hispania uulgaris, & notissima, Alfalfa ab ea gente uocata: quæ uox fortè deducta est à uoce Alfasafat, quam Auicenna simul cum nomine Cot, & Alistiscat, eidem in 2. lib. adscribit: licet lib. 3. cap. de tremore, ubi oleum de Andacoca multum laudat, uideatur eandem per Andacocam intellexisse.

De Aphace. Aphacen Vitiæ proximam esse, ex Galeno lib. Alimentorum primo colligi potest, de utraq; eodem cap. scribente, similitudinemq; quandam inter eas agnoscente. Nonnulla tamen à Theophrasto Aphaci adscribuntur, quæ longe distare eam à Vitia manifeste ostendunt: quale est, folia similia agresti Cicorio habere, primã Vere florere, citissimum senescere, florem in lanuginosos pappos resolui, aculeatã esse, & alia. Quod autem mihi de ea uideatur, hoc est: Duplicem Aphacen esse: alteram, de qua Dioscor. & Galen. scripserunt, inter legumina reponendam, Vitiæ adeò similem, ut eius nomẽ etiam hodie adhuc apud rura retineat, & syluestris Vitia dicatur, quam in agris sæpissime spõte natam uidemus: de hac proculdubio scripsit Plinius capite quinti libri septimo & uicesimo: & Auic. lib. 2. uidetur scripsisse sub nomine Bachechem, cap. 103. Aliam, de qua Theophrastus lib. 7. & Plinius libro 21. inter syluestria olera reponendam, & quæ (ni fallor) Cicorij nunc species habeatur, flore luteo.

Duplex Aphace.

Vitia sylue stris.

De Thlaspi. Thlaspi. Serapion de eo scribit capite de Nasturtio, sub nomine Nasturtij tectorum. In Theriacæ autem descriptione, Nasturtium album uocauit, sicuti & in eadem Auic. Quo nomine autem nunc uulgò dicatur, haud satis mihi compertũ est, nec præterea aliquid, nisi quæ lib. 6. Epist. medicinalium à me sunt scripta.

De Erysimo. Erysimon sunt qui esse putent olus, quo in acetarijs libenter simul cum lactucis uescimur, Eruca gentilis uocatum: à quorũ sententia non admodum sum alienus. Alij herbam esse dicunt, cuius semen uulgò Rhugetam appellant. Serapion Burugi nuncupauit. Auic. capite de Tuderi, Orminum quidem pingit: plures uero medicinas Erysimi, quàm Ormini sibi adscribit.

De Ptarmice. De Ptarmice nihil habeo quod scribam, ceu frutice inter montana, ac petrosa loca nato, nec qui unquam ad campestria hæc nostra loca, quod norim, descenderit.

De Struthio. Struthion, quam Condes Arabes uocant, diu desideraui. Vidi toto eo tempore, quo in Pannonia fui, singulis annis, quo die oleæ ramos apud nos sacerdotes, certa cum religione benedictos populo donant, flores sine odore, quos simul cum subuirentibus salicis ramusculis, pro olea, qua carent, Pannones tribuunt: quos, quod passerum species præ se ferebant, Struthi flores existimaui: sed quia ineunte Vere uisebantur, quum scribat Plinius Struthion æstate florere, licet reliqua satis quadrarent, non sum ausus eam herbam Struthion credere. Marcellus uulgarem herbam dicit, & ubicq; locis incultis nascentem. Sunt & qui in agro Bononiensi nasci dicũt, & Gualdam uulgò dici.

De Arisaro. Arisaron mihi penitus ignota, & fortè Italiæ: nam (si Plinio credimus, qui Arimeam uocauit) Aegyptia herba est.

De Isatide. Isatim nunc uulgò Guadum uocant: uulgaris & notissima herba est, ut quam nigro colori infectores substernunt. A Serapione uel eius interprete uocatur Indicum, quum sit alia res, quæ Indicum uocatur. Auic. scripsit de eo sub nomine Nil.

Nil. Germani tamen uocant nunc Nil, album quendam puluisculum in ærarijs fornacibus inuentum, oculis ualde utilem: de quo per iocum dicunt, Nil prodest oculis: quem ego puluisculum puto esse uerum Spodium, magno medicorũ errore, qui imponi sibi à mercatoribus permittunt, utilissimas quasdam res exustas pro Spodio multa pecunia uendentibus. Quanquam me non latet quosdam esse, qui Nil illud existi-

Spodium apud Germanos sub nomine Nil haberi.

existiment Pompholyga siue Tutiam esse: ex quorum sententia ipse quoque quodam loco suprà loquutus sum.

Crocodilion similis est Chamæleontæ nigræ, ei uidelicet herbæ quæ nunc Carlina dicitur. Distinguitur, præter natales, radice, quam longã, & mediocriter latam habet, odore ut Nasturtiũ acri. Carlina crassam, extrinsecus nigrã, interius subflauã. De Crocodilio.

Acantha Arabica, Poterion, Acanthion, mihi sunt penitus ignota.

Acantha uel Acanthus per multos annos à me quæsita, anno ante hunc tertiodecimo, aliud tunc agenti, sese mihi obtulit, gratissimo spectaculo: uulgò apud nos Brancham ursinam maiorem uocant. Est enim alia minor, re & nomine, cuius frequens apud iuniores chirurgos mentuo: ex qua Vladislao Pannoniarum & Bohemiæ regi, mihi olim benignissimo domino, pergratum edulium parari à suis cocis solebat. Est autem frequentior hic, quàm prima: neutram tamen in Italia alibi, quàm in hortis uidi. De Acantha.

Tragoriganum Leonicenus, in uestigandis simplicibus medicamentis, sicuti & redintegranda uniuersa medicina diligentissimus, à similitudine uocum motus, herbam esse putauit, gratam in acetarijs, quæ uulgò Tracon nuncupatur, & ab Auicenna (ni fallor) una transposita litera, Tarcon. A qua sententia ego semper abhorrui, quoniam Tragoriganum folio & ramulis origano communi, agresti ue Serpyllo similibus scribatur à Dioscoride, à quibus Traconis folia multum sunt diuersa, ramulosq; uel non habet, uel alios omnino, quàm origanũ, uel serpyllum. Nunc uero in mentem mihi uenit, fortè genus primum intellexisse Leonicenum, quod loci gratia lætius inuenitur & latifolium magis: subijtq; in memoriam in inferiori Pannonia prope eam regionẽ, in qua fuit Sirmium nobilis olim ciuitas, nunc uinorum gratia celebratissima, uidisse me aliquando hanc plantam, adeò præ soli bonitate luxuriantem, ut ad bicubitalem ferè altitudinem attolleretur, & folio esset pollicari latitudine. Si tamen uerum est id, quod præter uulgatã opinionem Hermolaus confirmat, ex semine uidelicet lini in cepis macerato nasci hanc herbam, artificialis potius herba erit, quàm Tragoriganum. De Tragoriganno. Sirmium Pannoniæ.

De Maro non semel scripsimus ex Galeno libro de Antidois, adeò similem esse Amaraco, hoc est Maioranæ nunc uocatæ, ut eodem nomine, utraque Maiorana apud nos dicatur. Nobilior tamen habetur Maron, quoniam odoratior, nec usilosa, ut uulgaris Maiorana, folijsq; albicantibus. Est in secundo Auicennæ libro caput de Maro, in quo, ficubi, maxime detegitur, quàm ignarus fuerit simplicium medicamentorum. De Maro.

Acinos, clara adeò redditur ex Ocimi notissimæ herbæ similitudine, ut uel ex hoc solo debeat agnosci. Ocimum autem id intelligendum est, quod maioribus folijs constat, minusq; hodie in precio est: tale enim intellexisse uidetur Dioscor. quum Mercurialis folia, quæ satis magna sunt, Ocimo faciat similia. Vidi ego iuuenis dum ad perdiscendas herbas cum earum peritis euagarer, herbam quandam odoratam, quæ nisi hirsutior fuisset, Ocimũ credi poterat, hanc mihi pro sylueſtri Ocimo præceptor meus monstrabat, & Acinos mihi nunc est. De Acino. Ocimum.

Baccharem nescio an unquam ueram uiderim, omnibus herbarijs Asaron pro ea monstrantibus. Marcellus notissimã omnibus esse ait, ruraq; omnia uolentibus eam monstrare. Volui sæpe è Florentia petere, sed alijs occupatus negocijs minime feci: dabo operam ut ineunte Vere ad nos deferatur. De Baccharе.

Ex tribus Panacis generibus, Herculeum tantum, quod meminerim, uidi: & id quidem uno tantum loco, Ferrariæ in horto monachorũ, quos uulgò lesuatos uocant. Ex hoc manat Opopanax: licet Mesue alterius uideatur fuisse sententiæ, sicuti in nostris in eum annotationibus demonstratum est: poterat tamẽ ueritatem, si non ex Græcis, saltem ex suo Serap. edisсere & Auic. qui, tametsi nõ absq; multis De Panace. Opopanax. Mesue lapsus in opopanace.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erroribus, quos quisquis cum Dioscoride eorum dicta contulerit, facile animaduertit, Heraclium tamen Panacem è quo fit Opopanax, melius quàm Mesue uidentur agnouisse.

De Ligustico in alia epistola ad eundem Carezonum.

De Ligustico quid sentirem, tertio ante hunc anno, tibi meis literis significaui: quare quum in eadem adhuc sententia perseuerem, ne (ut aiunt) actum agam, nihil aliud nunc scribam.

De Siso.

Sison in Syria nasci scribit Dioscorides, semenq; esse, nulla plantæ in qua gignitur, habita mentione, nisi quod in cacuminibus multa habet ueluti granula. Galenus addit, subamaro esse sapore: nec ipse tamen, nec alius (quod sciam) quicquam tradit, per quod possit eius planta cognosci: quare à Syris quærenda eius historia.

De Smyrnio.

Smyrnium, quicquid alij sentiant, mihi est id, quod nunc Alexandrum uocant, uoce ab Olusatro deflexa. Florentiæ Macerones, corrupta & ipsa à Macedone nominatione.

De Elaphoboſco.

Elaphoboscum nondum uidere mihi datum est. Vulgares quidam herbarij herbam pro ea ostendunt, cui præter folia satis quadrant reliqua: quanquam nec uerum folium satis nobis certum est: siquidem Dioscorides Terebintho, Plinius Olusatro simile facit, nisi sit in Plinianis codicibus menda, à tot, tamq; oculatis castigatoribus nondum castigata: quod ego certe tam uehementer suspicor, ut non possim aliud cogitare. Nec solum uerbum Olusatrum mihi suspectum est eo loco, sed tota illa periodus, Semine corymbis dependentibus similis effigie, sed non amaris foliis olusatri. Quem locum, si mihi quoq; liceat ferulam errantibus Plinij codicibus adhibere, partim coniectura, partim lectione quorundam hæc Plinij uerba recitãtium, sic emendauerim: Semine corniculis dependentibus Siliciæ, id est fœnigræci effigie, sed non amaris, foliis oleastri. Oleastri enim ad Terebinthi folium, quod est laurino simile, magna affinitas est, quæ nulla est olusatri. Nulla tamen aut corymborum, aut cornicularum in Dioscoride est mentio, nisi in Elaphoboſci coma corymbos intellexerimus, quales & in Hipposelini coma intellexit Dioscorides. Hæc sunt mi Hieronyme quæ hactenus de his cognoscere ualui plantis, de quibus me interrogasti. Vereor autem hæc mea nõ omnia forte esse probatum iri: sed malui insciitiæ apud te reus fieri, quàm quicquã, quod posceres, negare. Vale, & si quid melius in his indagaueris, mihi quoq; te non pigeat impartiri.

Plinij locus castigatur.

Ex Ferraria, VI. Calend. Martias. M. D. XXV.

EPIST. IIII. Ioannes Manardus Vincentio Caprili medico egregio S. D. De Lilio conuallium.

Certamen in re literaria.

Egisse te Epistolas meas medicinales, & laudasse (ut uerum ingenue fatear) non parũ gauisus sum: (quis enim à laudato uiro laudatus non lætetur?) Longe tamen maiorem ex eo uoluptatem accepi, quod me rursus ad scribendum prouocas, & quasi quodam præludio, præliatoria ue pugna in amœnissimum florum campum inuitas. Nihil enim libentius facio, quàm cum pulcherrima illa Hesiodia lite, à Galeno etiam probata, decerto, in qua longe melior euicti, quàm uincentis conditio: uictor enim gloriam, fluxam certe rem, ac fragilem, & quam boni ferè semper, uel nihili, uel minimi fecerunt: uictus ueritatis agnitionem, qua nulla preciosior, magisq; optanda possessio, post pugnam reportat. Occurrit autem tibi primo in ipso patentissimo florum campo, cãdidissimus ille flosculus, mole quidem exiguus, ui adeò eximius, ut suauissimum odorem tam longe lateq; iactet, ut nulli quantumuis magno flori in hoc cedat: ab qua candoris, odorisq; præstantia, Lilij nomen à Pannonibus, aquilonaribusq;

alijs hominibus, apud quos est frequentissimus, meritò adeptus est: adiecta Conuallium cognominatione, quoniam & in humilibus potius, quàm in sublimibus locis nasci eum uidebant, & sponsum seipsum in Canticis canticorum nuncupare conuallium Lilium legebant. Hunc tu primo congressu, eum qui Conuoluolum putauit proterens, Hemerocallem uocari à Dioscoride & Plinio audacter contendis. Ego uero nimis fortè mihi sumens, & tibi & illi occurro quisquis fuerit, aliam rem & ab Hemerocalle, & à Conuoluoli flore Liliolum hoc conuallium esse affirmans: quod non alia ratione melius probare possum, quàm re ipsa uel ante oculos posita, uel ita calamo depicta, ut qualis sit, etiam ab his qui non uiderunt, possit intelligi: ita enim discerni certo iudicio poterit, an ea huic flori cõgruant, quæ de Hemerocalle & Conuoluolo à bonis autoribus traduntur.

Lilij cõuallium depictio.

Planta ex qua flos iste prodit, folio fermè constat Arnoglossi, minus tamen striato, & plures quidem fibras, sed nõ adeò manifestas ostendente, cauliculis tenuibus, eidem etiam Arnoglosso similibus: flosculis plurimis, uestitis calathi figura, summo candore fulgẽtibus, & suauissimum odorem late fundentibus: radicibus laxis, longis, nodosis. Quæ quantum notis Hemerocalles dissideant, nemo est Dioscoridem & Plinium legens, qui non facile agnoscat: folio enim & caule Lilij constare Hemerocallem dicunt, radice bulbosa, & magna, flore uehementer pallido. Similitudinem inter folia, licet non multa sit, potest tamen quispiam defendendi proprij dogmatis gratia, affirmare: caules uero tantum distant, quantum baculi crassities à festuca. Quid uero dicam de radice, quæ in Hemerocalle crassa & bulbosa, in hac planta tenuis, & laciniosa? Quid de flore, quem Hemerocallis ualde pallentẽ, planta hæc candidissimum ostendit? Ex his probatum mihi manifeste uidetur, Liliolum hoc à magno Hemerocallis Lilio longissime distare.

Hemerocallem non esse Lilium conuallium.

Non esse autem Conuoluolum, Liliolum florem ita euidens per se est, ut stultus putãdus omnino sit, ut tu etiam scribis, qui id non modo credat, sed suspicetur. Si igitur flos hic cõuallium Lilium uocatus, nec Hemerocallis est, nec Conuoluolum, quo, inquies, nomine ab antiquis dicitur? Dicam quid suspicer, ut uobis quoq; insurgendi contra me materiam præbeam, mutuoq; hoc congressu tandem ueritas eruatur. Obseruaui ego multoties, dum Vladislao & Ludouico Pannoniarum & Bohemiæ regibus inseruirem, tantam esse affinitatem inter huius flosculi plantam, & eam quam uulgò Fraxinellam nunc uocant, ut non facile esset unam absq; reliqua reperire: tantamq; similitudinem, maxime quum defloruerunt, ut uix una ab alia possit internosci: nec certe, præterquam ex radicibus, quæ crassiores, & certioribus internodijs in Fraxinella diuisæ sunt, discerni. Quo fit, ut differre tantum sexu (eo uidelicet sexu qui in plantis esse potest) mihi uideantur: Fraxinellamq; uocatam esse marem, & Lilioli plantam fœminam nuncupandam. Quæ si uera sunt, simulq; etiam uerum sit id quod longo à me tempore creditũ est, Fraxinellam hanc esse, quam Græci & Latini Polygonaton, Arabes Secacul uocant, ad idem quoq; genus Lilium conuallium pertinebit. An uero coniectura me mea fefellerit, accepto in manus Dioscoride, plantaq; ipsa, quæ, quoniam decorem mulieribus conciliat, in hortis satis frequens esse cœpit, tu qui oculatissimus esse in his rebus soles, semotis his affectibus qui uerum perturbare iudicium solent, iudicabis. Vale, & quibus cœpisti armis me in pugnam uocare, perge.

Lilium conuallium non esse Conuoluolum.

Lilium conuallium ciusdem generis esse cũ fraxinella, sexu tãtum differre.

Ex ædibus nostris Ferrariæ, Calend. Quintilibus, M. D. XXII.
ante plenam ex Podagra post Nephritidem
conualescentiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. V. ad eundem, de Aloë, Saccharo, & Rheo.

BOni imperatoris munere fungeris, uereq; Vincentius mecum esse cupis Vincenti: qui uix prælusoria inter nos de cõuallium Lilio incepta pugna, hoc minime cauẽtem triplici acie diuersis ex partibus adoriris, in aloë uidelicet, in saccharo, in rheo barbarico. In aloë quidem nõ probas, quod solus ausus sim egregium magistrum (sic enim tu eum nominas) Mesuen negare, aloën ora uenarum aperire affirmantem: cui, ut maior sit autoritas, Galenum cõiungis dicentem, Aloën omnem materiam iam fluxam dissoluere: ex hoc enim uniuersali dicto sequi putas, ut collectum in ani uenis sanguinẽ dissoluat, sicq; ora illarum uenarum (ut Mesue dixit) adaperiat. Ego, quantum ad Mesues cõuellendam autoritatẽ, satis me ostendisse arbitror, & in proœmiali mea in hasce Epistolas medicinales epistola, & in his annotationibus quas in ipsum olim æditas propediem inuulgaturus sum, tanti eum non esse, ut maioris præiudicij, nedum certi iudicij loco eius dicta à nobis habenda sint. Quod ad maiorem uero machinam, hoc est Galenum attinet, quæ tu affers bene & lecta, & intellecta, nihil ad propositum nostrum spectant: non enim plus uoluit eo loco Galenus, quàm præter adstringentem & reprimentem, ui quoq; quam Græci ἀφοψυκτικὸν, hoc est discussoriam uocant, aloën constare: ita enim uerbum ex uerbo loquitur, lib. de simplic. medic. 6. Omnino repellit, & discutit. Sic Paulus, qui ubique, sed præcipue in hac medicinali materia, non solum sensum, sed uerba eius æmulatur. Sic Serapion ex eius refert sententia. Esse autem discutiendi uim ab ea quæ aperiendi est, diuersam, ita clarum est, ut superuacaneum sit probare. Discutere ualent etiam, quæ moderate sunt calida. Aperire nequeũt, nisi quæ adeò uehementer calent, ut acria sint, & ferè urant: sicuti Galen. 5. simplicium medicamentorum lib. testatur: ueluti allium, cepe, fel, quæ pro exemplis apertoriæ medicinæ ibidem à Galeno numerantur, quæ ad quartum usque calefaciendi ordinem assurgunt, quum aloë uix secundum attingat. Discutit igitur, & (ut communiter loquuntur medici) resoluit aloë, non tamen tantã uim habet ut uenas aperire possit, iuxta Galeni sententiã. Quum igitur ut antea fuit, in sua hæresi, Mesue solus maneat, nõ cogor loco cedere, aut in hoc tam laudato ab omnibus medicamine, quale ipse putauit, maleficiũ admittere.

Aloën nõ aperire ora uenarũ.

In saccharo adeò putabam mentẽ meam me ostendisse, ut si inueniri posset qui secus sentiret, neminem tamen futurũ, qui nouam hanc de eo opinionem, & quibus ad eam fundandam rationibus mouerer, non intelligeret: sed (ut uideo) tu inuentus es, qui nec quid uelim, nec quibus rationibus id uelim, assequutus es. Insurgis enim in primis in me, quasi dixerim, nos non solum antiquorum saccharo carere, sed & arundine, ex qua in India, & felici Arabia olim colligebatur: quum tamen scripserim aperte contrarium: rationi uidelicet consentaneum esse, quum res mera naturæ fuerit, nullum cultum artemq; desiderans, adhuc extare: eademq; epistola rationem reddiderim, quare olim ex India uel felici Arabia portatum, nunc non asseratur. Affirmaui igitur, non negaui, antiquorum saccharum, licet ad nos non deferatur, adhuc tamen reperiri: sed quod tota ea epistola uolui, hoc fuit, de uulgari hoc nostro antiquos medicos non scripsisse, esseq; hoc rem omnino ab antiquorum saccharo diuersam, utpote differẽte Materia, quæ in nouo est succus certæ plantæ: in antiquo ros: Forma, quam antiquum salis, nouum inspissati liquoris habet: Efficiente, quod in nouo est ignis, in antiquo sol: Fine, & uiribus, quæ diuersa in utroq; & scribentium autoritate, & reiipsius experientia cõprobantur. Ad quas, aliasq; rationes nihil respõdes, nisi quod de materia aliquid tãgens narras potius, quàm probes, ex eadem materia, hoc est arundine concisa utrunq; constare: & licet inter mel-

Saccharum antiquorum.

la à Dioscoride, Plinio & alijs antiquum saccharum enumeretur, non ideo hoc factum, quod eiusdem materiæ putauerint, sed quia consueuerunt cognata cõgeneribus adiungere. Sed uide quæso, quomodo omnibus antiquis medicis in hoc repugnes, quamq; potens sit ueritas, quæ te paulò post etiam tibimet pugnare coëgerit. Consueuit quidem Dioscorides diuersarũ rerum capita ob quandam uel naturæ, uel figuræ, uel alterius rei similitudinẽ, inuicem copulare, ut toto eius libri progressu uideri potest: sed uno eodemq; capite de diuersis toto genere rebus nũquam eum uidebis tractantem. Quum igitur uno cap. libri uidelicet secundi 74. cui titulus unicus est de melle, cum tribus mellis generibus de saccharo scribat, clarũ est quod mellis speciem putauit: quod ipse etiam modus loquendi, uerbaq; aperte monstrant: postquam enim egit de melle Heraclio, subdit: Vocatur & quoddam saccharum, quod mellis genus est, in India feliciq; Arabia concreti. Galenus etiam mellis speciem dicit nostro minus dulce, & quatenus quidem abstergit, siccat, & discutit, simile: quatenus uero non malum stomacho, nec siticulosum, à substantia nostri recedere. Paulus mel esse portatum è felici Arabia. Plinius (ut tu met affers) mel in arundinibus collectum. Quæ si uera sunt, & à te lecta, quo pacto potes dicere inter mella Plinij, Dioscoridem & alios meminisse sacchari: non quod mellis materia cõstare existimarent, sed ut morem seruarent cognata cõgeneribus adiungere? Meum igitur argumentũ in suo consistit robore, materiam utriusq; sacchari probans diuersam, quum antiqui sit quæ mellis, noui plantæ succus. Si enim uerum esset id quod tu uerisimile dicis, sub ea zona dulcem humorẽ eius plantæ ui solis extrahi, & densari, ac in antiquorum saccharũ conuerti: non recte ab allegatis autoribus mel diceretur, & inter mella locaretur. Et quod tu ais, eadem (ex qua sine arte in India & Arabia sit antiquorũ saccharum) planta cõcisa, nunc hominum artificio nostrum parari, præter id quod ex libito absq; ulla probatione à te dicitur, etiam si uerum esset (quod ego nequaquam puto) meam potius roboraret, quàm infirmaret opinionem: omnino enim diuersum esse oporteret id, quod ex ipsa planta uiuente adhuc & integra, ui solis tractum & agglutinatũ obduruisset, ab eo quod tota concisa planta ignis ministerio arte cõdensatur. Et quum autores de illo tantum scripserint, non esse temere eius uires in alterũ transfundendas. Et hæc quidem satis esse puto quantum ad latinos & græcos autores. Ad Auicennã uero accedens, quem etiam in subsidium uocas, facile dicere possem, si uellem, nihil ad me eius dicta in hac re pertinere, ut hominis inter antiquos nõ numerandi, sed nec inter autores, hoc est, qui arti aliquid addiderunt, quum ex alijs ferè uerbum ex uerbo acceperit, quicquid in suum librum cõgessit, atq; cum multis uel sui, uel interpretũ culpa mendis, ut aliàs maiore subsellio fortè demõstrabitur. Verum ut amico, hoc est tibi, aliquid condonem, cum inter idoneos hoc in negocio (protestatione tamẽ præmissa, dono hoc me facere, non ex debito) libens & uolens admittam, ostendamq; quæ ex eo abs te afferũtur, tantum abesse ut meæ opinioni aduersentur, ut mirũ in modum mihi faueant. Mel enim & Mannã esse rorem dicit, nec differre inuicem, nisi quod id quod est occultum apes colligunt, & in mel formant id quod manifestum, homines, quod certe (ut tu dicis) Manna dicitur: quibus uerbis si addideris id quod ab eodem scribitur ultimo capite libri secundi de Zucharo, quod ipse uocat Alhusar, quod uidelicet est Manna cadens super Alhusar, similis frustis salis, clarum tibi fiet eandem esse materiam mellis apum, mannæ & sacchari antiquorum etiam secundum Auicennam. Nam quod per zucharum Alhusar, antiquorum saccharum intellexerit, ex eo cognoscipotest, quod eas uires illi adscribit, quas Dioscorides suo, scilicet quod cõfert renibus & uesicæ, ac usus obtenebrationi, & est stomacho accõmodarum. Sed & quas Galenus & Paulus, exiguã uidelicet dulcedinem, abstergere, & esse ἄδηλον, id est, absq; siti, uel insiticulosum. Eandem igitur materiã & ipse Auic. esse putauit mellis,

Auic. nec inter antiquos, nec inter autores numerandus.

» Saccharum » mellis speciem esse apud antiquos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mannæ,& sacchari. Quod uero saccharū hoc rem diuersam à cōmuni zucharo exi
stimauerit,præter id quod proprio cap.de eo disserit,ex hoc etiam patet, quod reli
quis speciebus cōparat,dicens,quod nō facit sitim,sicuti reliquæ species.Sed &aper
tius lib. 4. cap.de linguæ asperitate,ubi de zucharo Tarberzet, & sale Indo,ceu de
diuersis rebus mentionem facit,qui Indus sal (etiam te teste) est saccharum:ut possi
Eadem indū esse saccharum. mus sic ad hominem argumentari: Sal Indus (ut tu ais) est saccharum,& est res alia
à zucharo apud Auicennam: igitur saccharum est aliud à zucharo apud eundem:
quod ferè est id,quod tota de saccharo epistola probare conati sumus. Sed in saccha
ro diutius forte,quàm esset opus immorati,ad Rheon transeamus.

Rheo barbari co nō inesse um purgatoriam.

In hoc me accusas, quod dixerim,antiquos uim purgatoriā eius non agnouisse: 10
scribente Dioscoride,ante accessiones febriū eo modo dari,quo agaricum.Nulla au
tem alia causa utruncp dari putas ante febris accessionē, nisi ut humorem febrem fa
cientem purget. Sed caue quæso mi Vincenti,ne dum hæc dicis, magnæ medicina
lium regularum inscitiæ Dioscoridem insimules: norunt enim qui uix prima medi
cinæ rudimenta didicere,non solum ante accessionem,sed nec eo die,quo futura ti
metur accessio,humores,qui febrem faciunt,esse purgandos. Respondeo igitur pe
tenti tibi,nec à proprij honoris uento (ut ais) inflatus,sed ueritatis ui,non alia re im
Rheon non dari ante febris accessiones causa purgationis. pulsus,medicos agaricū & rheon ante accessionem præbentes non ad purgādum,
sed ad rigorem prohibendum dare,sicuti & costum,& piper,& lasser, atque id ge 20
nus mille:quod & ipsius Dioscoridis uerba aperte ostendunt,de agarico scribentis:
» Ante accessionem datum rigorem soluit:præsertim quum nondum de purgatoria
Agaricū quare ante accessiones detur. » eius uirtute mentionem fecisset,de qua post ea uerba agens,subdit: Purgat & uen
trem,unius uel duarum drachmarū pondere cum melicrato potum. qui loquendi
modus declarat eas,quas hactenus dixerat in diuersis morbis utilitates, non à pur
gatoria ui,cuius nondum meminerat,sed uel ab adstringente,uel à calefaciente fies
» ri.Post historiam enim de uiribus loqui hoc modo cœperat: Vi quidem adstringens
» est,ac calefaciens: facit aduersus tormina,cruditates.& reliqua quæ sequuntur. Cla
» rius etiam hoc Galen.demonstrat,eod.de Agarico cap.in hæc ferè uerba: Discutit,
» crassitiem incîdit,uiscerum obstructiones remouet,& propterea arquatos ex ieco
» ris obstructione sanat,comitiales adiuuat,circulares rigores à crassis &tenacibus hu
» moribus factos tollit. Et quum omnes recensuissent uires, in fine addit: Etiā purgat.
aperte ostendens ea,quæ prius enumerauerat,non à purgatione fieri,sed à uiribus
quas primo loco recensuerat. Sed ut ad Dioscoridem reuertamur, cuius tantū te
stimonio niteris,quum ad purgandum minimum drachmæ pondus requirat,ad ri
gores trium obolorum pondere sit contentus,nónne euidenter ostendit se in rigo
ribus submouendis purgationē ab eo non expetere? Ex his constare satis arbitror,
non ad purgandum,quod omnes boni refugiunt medici, agaricum ante accessio
nes dari,sed calefaciendi,discutiendi,& incidendi gratia. Quæ si uera sunt,quis cre
dat rheon,cui nulla purgādi uis,uel à Dioscoride uel à Galeno adscripta est,ea cau
sa ante accessionē exhiberi? nihil plus de eo hac in re scribente Dioscoride,nisi quod ad
ad periodos facit: licet tu,nescio quo modo hallucinatus, dicere Dioscoridem affir
mes,ante febriū accessiones eo prorsus modo dari,quo agaricum: quod certe Dio
scorides non dicit: nec ubi de accessionibus loquitur,ullam de agarico mentionem
» facit,sed alio interposito remedio, in hæc uerba comparat: Dosis ad singulos affec
» ctus similiter agarico eodem pondere, & ijsdem liquoribus. Addis præterea Pauli
testimonium,sed nec uerba,nec locum signas. Ego quum totum Paulum non se
mel perlegerim, uim purgatoriam rheo adscribentem nunquam inueni. Tu si lo
cum mihi mōstraueris,plus tibi hoc nomine debebo,quàm ijs laudibus,quibus me
non merentem accumulas. Vale.

Ex ædibus nostris, VII. Idus Quintiles. M. D. XXII.

Ioannis

LARVM MEDICINALIVM LIBER DECIMVS.

Annotationes in Simplic. Mesue,cum annotationibus in Cōposita eusdem, proprio uolumine sequentur.

EPIST. I. ad illustris. Mirandulanos Principes, D. Ioannem Franciscum literis,& D. Ioannam pudicitia & uestate nemini secundis,de fructu Azarolo uocato.

Quæ misistis poma,grata mihi admodū multis nominib. fuere: 10
& quod peregrina, nec in nostro hoc climate hactenus (quod
sciamus) inuēta:& quod à uobis missa: quos ita obseruo & co
lo,ut mortalium neminem. Accessit his & ueluti nata est, ter
tia quædam gratia,quod uidelicet occasionem præstitere uesti
gandi,atcp (ni fallor) inueniendi, quo nomine ab antiquis uo
cata,& quas eis uires illi adscribant, qui medicinalem materiā
nobis reliquere:obiterćp (quod alioqui libens semper facio)aliquot explodendi er
rores in his Arabum libris repertos,quos nostri seculi medici instar oraculi habent.
Veritus autem ne (quod plerunćp accidit) dum alienam insector inscitiam, meam
prodam: mea hæc meditata examini uestro submitto,ut qui arborem ipsam, à me 20
nunquam uisam,optime nostis,& acri uestro ingenio non exilia hæc modo, sed his
longe abstrusiora iudicare estis idonei.

Azarolum pomum.

Pomum ad me missum,uulgò Azarolum uocatū,antiquos uocasse Mespilum,
ex his colligo quæ de primo Mespili genere scribit Dioscorides.Ea enim (quantum
ad fructum ipsum attinet) ita Azarolo nostro quadrant,ut habuisse eum in manu
uideatur,quum scriberet: Pomum, inquit,paruo mâlo simile,gustu iucūdum,ter »
nis intus ossiculis,unde nomen apud aliquos Tricocco: sera ei maturitas. Ex qui- »
bus uerbis æque colligitur,& Azarolum esse hoc primum Mespili genus,& pomū
id quod nunc Mespilum uulgò uocamus, sub eodem genere non utiq; contineri,
Anthedon. Aronion. quod Anthedon nominant Theophrastus & Plinius,Dioscorides Aronion, (nisi 30
fortè codicum uitio uel in Dioscoride Anthedon,uel in illis Aronion legēdum) sed
sub secūdo,Setanion & Epimelis uocato. De eo siquidem scribit idem Dioscor. quod
in Italia nascitur,& latioris est umbilici: qui usqueadeò latus nostro Mespilo est,ut
nulli pomo magis.Et quamuis uel ex hoc solo ualeat unum ab alio genus interno
sci,addam tamen & nonnulla ex Theophrasto accepta,quibus euidentiora quæ di
ximus reddentur. Fert, ait Theophrastus,Setania fructum grandiorem,candidio »
rem,solutiorem, lignumćp intus mollius habentem: reliquæ minorem, sed odore »
præstantiorem,magisćp gustu adstringētem,ita ut seruari diutius possit. Mespilum »
enim nostrum magnitudine ita superat Azarolum,ut ad iusti mâli crassitudinē ali
quando accedat:coloreć est,si non plenè candido,ad candorem tamen plus quàm 40
Azarolum,quod uerè rubens est,deuergente. Tanto uero præ illo, dum utruncp
maturū est,facilius soluitur,ut suctu deglutiri etiam ab edentulis succus eius possit:
quum Azarolum bene dentibus attritū,uix succum emittat. Lignum quod intus,
mollius esse nostro Mespilo quàm Azarolo,clarius est ei qui utrūcp gustarit,quàm
ut probari à nobis debeat. Illud potius in dubiū uenire possit, Marcelli cōmentaria
Patrocinatur Hermolao. in Dioscoridem legēti,an recte damnetur à Marcello Hermolaus,qui πυρλώας μα-
λακωτέρας, acinos molliore ligno cōuerterit: quum πυρλῶ nucleū,non acinum signi
ficet.Mihi certe uidetur,Marcellum tam hic,quàm alibi frequenter,occasionem po
tius quæsisse quàm inuenisse,Hermolaum calumniandi. Nam ut omittam, quod
Hermolaus taxari in hoc nō potest, nisi pariter & Plinius accusetur,qui lib. 15. cap.
iuxta uulgatam capitum Plinij sectionem, 20. eisdem omnino uerbis locum illum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theophrasti in suam transcripsit historiam. Nónne ipsemet Marcellus, capite de mâlo Punico, contra cõmunem (ut ait) æstimationem, *πυρῶν* acinum maluit, quàm nucleum conuertere, quibusdam coniecturis motus, quas nihil habere momenti, in quadam ad ipsum epistola demonstrauimus. Sed quocunq; nomine intraneum illud lignum nuncupetur, constat id mollius esse nostro Mespilo, quàm Azarolo: nec tria tantum, sed quinq; ueluti ossula in nostro contineri. Constat & illud, Azarolum diutius seruari: quando & adhuc apud me unus eius fructus hoc tempore supereſt incolumis, per tot miliaria ad nos aduectus, per quot à nobis distat Neapolis: quum uix ex mea uilla, minus quàm unius diei itinere hinc distante, circa Calendas Nouembris nostratia Mespila ferri possint incolumia: & pro miraculo haberi possit, si nunc unum reperiatur. Græcorum igitur testimonio, quibus subscribit & Plinius, aperte satis, ut arbitror, ostensum est, Azarolum esse fructum primi Mespilorum generis à Dioscoride descripti. Vt tamẽ hoc etiam reddatur credibile his qui solum barbaris credunt, aliqua ex Arabum libris sunt subijcienda, ex quibus & id cognoscatur quod uolumus, & præterea intelligatur, unde sit Azaroli nomen deriuatum. Serapion capite centesimonono, cuius titulus est, de Sorbo, sub Zarer nomine agit de Mespilo: quod si quis non credit, conferat quæ ibi ex uerbis Dioscoridis leguntur, his quæ ab ipso Dioscoride scribuntur, statimq; cognoscet fallere inscriptionem, nec de Sorbo ibi agi, sed de Mespilo: simulq; quàm parum his fidendum libris, qui ex Punica lingua ad nos uenere. Auicenna etiam libro secundo, capite 153. nomine parũ mutato, Zarur enim & Alzarur appellat, de eadem re agit. Mutatio autem ea uel uitio librariorum contigit, uel ob consuetudinem hominum illius linguæ, qui Hebræorum more plerunque sine uocalibus scribunt, unde facilis lapsus interpreti ex una in aliam uocalem. Sed quicquid de hoc statuatur, nullius momenti res est: sicuti & quod primum genus appellat Triangulum Latinorum, quum ad secundum potius genus pertineat, ut Latinum dicatur, ceu in Italia nascens, ut dicit Dioscor. nec Triangulum dici aliquo pacto, sed Trigranium possit. Eiusdem census errores sunt, quod secundum genus uocari à Græcis dicit Teselimon & Sentalium, pro Setanio & Epimelide. Illa uero maioris ponderis, quod secundum genus facere capitis dolorem ait, & esse malum stomacho: quæ ratione carent, bonis autoribus aduersantur, nec experimento comprobantur. Ea enim quæ adstringunt, quum uapores deprimant, caput potius iuuant quàm lædant, & ui illa adstringente uentriculum roborant. Sed & primum genus, quod non ualde à secundo utribus differt, bonum esse stomacho scribit Dioscorides, & eum sequutus Serapion. Galenus etiam in lib. de rebus boni mali ue succi, Mespila uentriculum & uentrem dicit roborare. Causa uero erroris huius Auicennæ fuit, quod Comari uel Arbuti, quod idem est, fructum, rem quidem à Mespili utroque genere diuersam, nomine uero & effigie similem, (nam & ipsa Epimelis à Galeno & Paulo dicta est) cum Mespilo confundit: cuius fructus ita capiti & uentriculo nocet, ut Vnedoni ei sit nomen: ex argumento, ut ait Plinius, unum tantum edendi. Sed Auicennæ errata, seorsum à nobis dicato ad id opere, si operæpretium uidebitur, aperienda, missa nunc facientes, id potius prosequamur, quod suprà sumus pollicti, unde scilicet Azaroli nomen deriuatum: quod certe facile est scientibus hanc arborem Neapolim ex Hispania transportatam, in qua longo tempore Punico idiomate Philosophiæ & Medicinæ uiguerũt studia, extareq; adhuc ibidem multarum rerum, præcipue earum quæ ad medicinam spectant, punica uocabula. Tulisse igitur uerisimile est hanc arborem secum Punicum in Italiam nomẽ, addito, ut lingua illa consueuit, articulo. Dicta igitur primo Alzaror, deinde mutato r ultimo elemento in l, ob affinitatem quæ in utroq; est, additaq; Italica pronunciatione, quæ in uocalem desinit, Lazarola uel Azarola fuisse denominata. Hæc sunt quæ me

Mespilũ quo nomine appellauerit Serapion.

Arabũ libri deprauati.

Auic. zarur.

Error Auic.

Adstringẽtia capiti & uentriculo utilia.

Comarus.

Arbutum.

Vnedo.

Azaroli nomen unde deriuatum sit.

mouent ad putandum, Azarola esse uera primi generis Mespila: quibus si arbor ipsa consentit, pedibus manibusq; in hanc abibo sententiã: si uidelicet est inter amplissimas & longæuas, aculeata, folio Pyxacanthæ, antequam decidat rubescente, floribus amygdalæ, non tamen rubentibus, ligno q; denso & solido. Cupio autem hæc à uobis discere, simulq; an meam hanc opinionem approbetis, intelligere. Valete Principes optimi, Manardi uestri memores.

Ex Ferraria, Idibus Decemb. M. D. XXIIII.

EPIST. II. pro Sacerdote uertiginoso.

CAsus tuus, ut ex narratis abs te cõijcio, est uertigo, à crassa bile ad uentriculum ex iocinore transmissa. Pro cuius curatione ac præseruatione, præter ea quæ iam facta sunt, hæc obseruanda uidentur: Vtatur semel in hebdomada duabus uel tribus ex pilulis quæ habent, hieræ simplicis, rheubarbari electi, agarici trochiscati ana drachmã semis, maſtiches, spicæ, sandalorum citrinorum, rosarum rubearum ana grana septem, cum syrupo rosato fiant pilulæ nouem, & sumantur per horam ante cibum. Diebus quibus non sumis pilulas, sumas duas placentulas confectionis sequentis: Specierum aromatici rosati, specierum triasandali ana drachmam semis, zuchari dissoluti cum aqua rosata quantum sufficit, fiat confectio in placentulas.

Vtatur interdum clystere tali: Mellis rosati unciam unam, zuchari rubri ℥. s. diaphiniconis drachmas duas, olei uiolati uncias duas, olei anethini unciam unam. Ex his cum iure carnis, uel decocto ex malua, beta, & uiolæ communis foliis facta, sale, & uitello oui fiat clyster.

Fugito aërem nebulosum, uentos, maxime austrum, aërem nocturnum, radios solis & lunæ, breues deambulationes, aspectum rerum uelociter morarũ, ut aquæ currentis, rotæ, & similium, magnos strepitus, & sonos, fumum, multam intentionem in unam rem, & maxime luminosam, artem scribendi, ascensum loci eminentis, aspectum rerum profundarum, subitam reuolutionem de latere ad latus, inclinationem capitis ad inferiora.

Cibus & potus sit modicus, ita ut fames uitetur ac satietas. Panis sit ex farina non in totum à furfuraceis partibus mundata. Vinum debile, album, uel cæsium, ita dilutum, ut omnis fumus reprimatur. Vitentur euaporantia, qualia cepe, allium, porra, atque id genus alia. Item fabæ, phaseoli, & similia. Lactucis non continuè uescatur. Magis enim conueniunt endiuia uocata, cicorium, portulaca. Brassica nullo modo comedatur, ius uero eius est non inutile.

Fercula conueniunt ex milio, panico, oryza, farre, ciceribus fractis. Bonum tamen est, ut uespere à cibarijs liquidis abstineat. Carnes sint pullorũ gallinarum, perdicum, phasianorum, hœdorum castratorum, uitulorum. Vitetur uaccina, porcina &c. Condimenta fiant ex agresta, uino granatorũ, succo limonum, uel arantiorum. Vitetur sinapismus, qui mostarda dicitur.

Fructus humidi uitentur. Item ex siccis, castaneæ & nuces. Conceduntur amygdalæ, pistacia, passulæ. Pira seu cotonea in fine omnis cibi ac potus sunt laudabilia. Eo uero tempore quibus non reperiuntur, utatur uel citoniato, uel coriandris præparatis in fine cibi.

Somnus sit capite bene eleuato per duas horas post cœnam, non supino corpore, sed super latus primo dextrum, pòst sinistrum, & adusque horarum octo spatium protendatur. Vitet somnum diurnum, neque caput multum calidum teneat in somno.

Summopere nitaris ut singulo quoque die uentris onus deponas, in quo si na-

Universidad de Deusto
Biblioteca

turam auaram uideris, uel clystere, uel balano eam incites.

Frictionibus mane crebrò priusquam surgas, utaris: quæ à supernis partibus, collo uidelicet incipientes, in infimas desinãt. Vesperi uero cum te in lectum collocas, pedum plantas donec te somnus occupet, fricari facias. Operam des ut capitis superflua per nares & os expurgentur: quod si per se non respondent, masticatione masticches, & adhibitione in nares unius guttæ succi radicum betæ, recrementum prouocetur. Quæ tamen remedia non nisi rarò admodum, & post pilularum sumptionem facienda sunt. Frictiones magnæ capitis uitentur, leues tamen pectinationes cõueniunt. Caput bene à sordibus mundum teneatur. Effusio aquæ calidæ super manus & pedes multũ laudanda est. Venereorum usus, non minus in hoc casu, à medicorũ canonibus interdicitur, quàm à sacris canonibus est semper sacerdotibus occidentalibus interdictus. Pisces omnes, præter paruos fluuiatiles, dimittantur. Caseus, & quæ ex eo cibaria conficiũtur, similiter dimittendus: pauco tamen interdum pro sigillo (ut ita dicam) stomachi, in fine mensæ uti potes.

Oua recentia, sorbilia, uel in aqua post fractionem decocta, & cum modico omphacij condita conueniunt: dura uel frixa & non recentia relinquantur.

Exercitio utatur temperato, & in quo quãtum possibile est caput quiescat: ideo uitanda equitatio, equi tortoris, uel multum caput cõmouentis. Quies tam corporis quàm animi summè proficua est, ideo ira, clamor, contentio, cantus, cum similibus fugienda. Hæc sunt uenerande Sacerdos, quæ mihi in præsentia multum occupato, scribenda se obtulerũt, cum quibus spero te pristinam ualetudinẽ recuperaturũ, annuente eo à quo est uera salus, & omnis medela, cui sit honor & gloria.

EPIST. III. Consilium pro infante coxendicis laxatione laborante.

VExatur nobilis hic infans, ut ex his quæ non minus elegãter quàm erudite scripsit Excellentia tua, cognoscere potui, morbo in cõpositione, atq; illo eiusdem morbi genere, qui morbus in positu dicitur. Superius enim fœminis rotundum caput, à sinu coxæ, quem cotylam Galenus uocat, in quo naturaliter conijcitur, diductum est, ita ut laxatus articulus sit, non luxatus. Si enim luxatio adesset, necessariò fœmoris caput, ut Hippoc. primo, & post eum reliqui medici tradidere, uel in interiorem partem, quod maiori ex parte contingit, uel in exteriorem promotum esset: quod minus quidem frequenter fit, frequẽtius tamen quàm uel in priorem aut posteriorẽ, quod rarò admodum contingit. Nullum autem horum in hoc casu dici potest: nam si in exteriorem uergeret, crus breuius fieret, & in interiori parte fœmen magis concauum, & nates gibbosa, & extremitas fœmoris quæ iuxta genu est, crusq; pariter & pes introrsum uergerent: si in priorem, ad calcem par alteri esset: si in posteriorẽ, ut in secundo, breuius. Restat igitur solum primus modus, de quo ambigi possit, quoniam in eo crus longius suo compari est: quod in hoc infante, ut scribis, factum est. At si hoc esset, fœmoris caput manifeste in interiori parte uersus perineon sentiretur, pesq; in exteriorem partem spectaret, genu prominentius esset, nec flectere crus ad inguen ualeret: quorum nullum Excellentia tua, quæ infantem diligentius attrectauit, inuenisse significat. Erit igitur morbus hic, si Pauli Aeginetæ modo loquendum est, non exarthrema, sed pararthrema proprie uocandus: quanquam si Paulo ipsi credendum est, coxendix soli exarthremati, non pararthremati subiacet. Sed quomodocunque uocetur, morbus in positu est, quem ueluti symptoma sequitur impedimentum ambulandi: præcedit ut causa, materia pituitosa, ligamẽta, copulas ue relaxans, ac molliens. Quare intentio curatiua quæ à morbo sumitur, siue exarthrema siue

pararthrema sit, erit capitis ossis fœmoris in suum locũ repositio. Quæ intentio ut facilis est cognitu, atq; factu non difficilis, ita annexam habet difficillimam cautelam, qua uidelicet caueatur, ne idem casus iterũ & crebrò cõtingat. Quæ res adeò difficilis est, ut multi, atq; hi quidẽ insignes medici, eam omnino impossibilem iudicarint. Contrariũ tamen & dixit & sensit Hippoc. cuius nos sententiã sequẽtes, primo quid pro cura agẽdum uideatur annotabimus, secundo quid pro cautione.

Ante omnia igitur enitẽdum, ut quãto magis fieri potest, corpusculum infantis superfluis humorib. & præcipue pituita, quæ morbi causa est, uacuũ sit. Si enim plano existente corpore repositio tentetur, periculum erit ne maior cõpia materiæ ad locũ trahatur, quæ resilire os plus quàm nũc cogat. Hæc euacuatio cõmode fiet ex crebra assumptione uel medicaminis de Turbeto, uel pilulæ de agarico, uel ex rotula elescophi uocati. Couducent etiã ad hoc clysmata ex decocto unius partis luæ & cẽtaurij minoris, & duarũ partiũ maluæ, in aqua uel uino. Vbi mũdum satis corpus uidebitur, aggrediẽda principalis intẽtio, ut loco scilicet suo os reponatur, malusq; positus remoueatur. Fiet hoc apte, si unus uir plantæ pedis pueruli palmam manus leniter premendo admoueat, alius circundato utraq; manu fœmore, uersus coxendicem tandiu impellat, donec crus oblæsum, & ob laxationẽ longius factum, alteri æquale fiat. Quam chirurgiam si tensio aliqua ex mora in copula acquisita impedire uideatur, præmolliendus locus erit cum altheæ radicibus, oleis, adipibus, atque alijs id genus. Dehinc, ut dictum est, loco suo fœmur reducendum. Ita enim curatio finem habebit, sola remanente in medici consilio præseruatione, quæ ut difficilior, ita maiore ingenio & studio procuranda.

Reducto igitur fœmore, & utroq; crure æquali reddito, ne rursus recidat, statim assicula, utriq; plantæ ex æquo adnectenda, quæ ita crus firmet, ut prolongari plus suo cõpari non ualeat: puerq; erit diutius lectulo cõtinendus: omniq; ingenio procurandum, ut muci illi qui articulum laxarũt, resoluãtur, & ne alij ad locum denuò fluant, cauendum. Secundum cõgruo uictu, & ad siccum uergente, euacuationibusq; superius dictis procurãdum. Vomitus tamen cæteris præstaret, utpote simul distrahens & euacuans: sed dubito, ne ob ætatem imperari possit. Primum medicamentis loco admotis aggrediendum, quæ satis exiccent & adstringãt, nec nisi modice calefaciant: quale est fomentũ ex aqua in qua bullierint granatorum cortices, rubi cymæ, myrti folia, & cortices radicum ulmi. Fiat autem cum spongia noua.

Fomento ter ad minus facto, madefaciendum linteũ in oleo myrtino, cui quarta pars foliorum myrti adiecta sit, & suprà satis arcte alligandum. Quod ubi per tres dies factum fuerit, fomentum quod ex aqua paratum fuerat, ex uino nigro adstringente faciendum erit, additis gallis & alumine, ad reliquorũ pondus: oleo uero pro myrti foliis: addendi castanearum interiores cortices. Quibus per alios tres dies peractis, per totidem alios hoc cataplasmate utendum: Rosarum albarum, farinæ lentium & oroborum ana partem 1. dactylorum acerborum, foliorum salicis ana partem 1. s. cum oleo myrtino fiat cataplasma. His peractis summouenda assicula à pedibus est, diligentiusq; considerandum, an crura in debita æqualitate perseuerent. Quod si inuentũ fuerit, poterũt illigata dimitti: si non, rursus colligari: puero tamen in utroq; casu adhuc in lectulo detento. Mutandaq; auxiliorũ forma, à cataplasmate ad uocata nunc cerota, uocata nunc dico, quoniam antiquis cerota ex sola cera oleo adiecta componebantur. Quæ uero nunc cerota dicuntur, resinacea esse oportet & glutinosa. Aptum autem mihi uidetur in casu nostro hoc futurum: Masticches partem unam, myrtillorum, seminum rosæ, maceris, corticum thuris, uerorum balaustiorũ, hoc est florum syluestris mali punicæ ana partis unius quartam partem, resinæ laricææ purioris, quam lachrymam uocant, parum: fiat cerotũ, quod super corio extensum loco applicetur, & per decem dies absq; alia

Cerota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

permutatione teneatur. Quibus transactis, concedendum puero ut surgat, non tamen ambulare permittendus: sed sedere cogēdus, pedibus æqualiter supra solium firmatis. Atq; hoc agendum, donec in totū quadraginta dies transierint, post quos permittendum ut ambulet. Quod si facere nequiuerit, ad fortiora ueniendum erit, habita tamen ætatis ratione, quæ nec exustionem, quam Hippoc. & alij in hoc casu faciunt, sed nec medicamina tolerat uehemēter urentia. Ego in hac ætate non transcenderem solia uel radices Lepidij, cum suillo adipe antiquo. Licet autem multæ sint herbæ Lepidion uocatæ, Paulum Aeginetam sequutus, eam acciperem quæ uulgò nunc Raphanus dicitur, foliis lauro quidem similibus, sed longe maioribus.

Hæc mihi uisa sunt in cura huius difficillimi morbi opportuna: quibus si non penitus sanus fiet, Deo tamen optimo, & omnis boni largitore, iuuante, spero aliquantisper conualiturum, coadiuuante etiam excellentia tua, cuius iudicio quæcunque scripta sunt, permitto. Ex Ferraria, XVIII. Febr. M. D. XXXI.

EPIST. IIII. pro uenerabili quodam Monacho.

QVo magis magisq; circa casus P. T. cogito, eo magis ab eorum opinione recedo, qui te eo morbo laborare arbitrati sunt, quem recentiores Melancholiam mirachiam, uetustiores hypochondriacam & inflatiuam uocarunt. Quanquam enim & temperatura, & corporis habitudo, & præcedens uictus, & professio, & literarum studium, ab atra bile non abhorreant: ea tamen abesse uideo, quæ adesse necesse est ei qui hoc morbo uexatur, & quæ in eius definitione, ueluti essentiam ipsius demonstratiuam apponunt. Sic enim eam affectionē Paulus Aegineta definit: Melancholia est desipientia absq; febre, à melancholico humore facta, cerebrum atq; intelligentiā occupante. Nullam autem ego in P. T. desipientiam, nullam in aliqua uirium cerebri, quas animales uocant, oblæsionem animaduerto: sed totum potius contrarium, prudentissimum concinunt, tenacem memoria, atq; absq; omni labe imaginationem. Tria præterea genera huius morbi, Galenus, atque alij qui eum sequuti sunt, enumerarunt. Primum, ubi cerebrum ab atra bile in seipso contenta, malam recipit temperaturam. Alterum, dum atra bilis in uniuerso corpore redundans cerebrū malis uaporibus replet. Tertium, sanguine melancholico circa hypochondria, præcordia à Celso uocata, congregato, uapores ad cerebrum mittente. Primum & secundum neq; hi qui te melancholia laborare medici dicunt, tibi adscribunt. Tertiū uero præterea, quæ superius dicta sunt indicia, à bonis autoribus tradita, procul à te abesse demonstrant. Ea sunt à Diocle scripta, & à Galeno nō reprobata, sumpto cibo, sputum humidum multum, ructus acidus, æstus & inundatio in præcordijs, uentriculi quandoq; uehementes dolores, qui ad dorsum usq; nonnullis extenduntur: uomitus uel cibi crudi, uel pituitæ, uel humoris amari, uel adeò adstringentis, ut dentes ex contactu obstupescant. Addit his Galenus ex Hippoc. metum & mœstitiam longo tempore tenentes: sub hisq; duobus contineri dixit quæcunque melancholicis contingunt: mœstitiamq; ad id eos ducere, ut odio omnes persequantur: timorem uero, ut more puerorum in tenebris paueant.

Addit his Paulus inconcoctiones: præcordiorū adeò uehemens pondus, ut conuelli uideantur. Auicenna nauseam inseparabilem, & plurimum in quibusdam horis circa præcordia tremorem.

Hæc sunt melancholiæ hypochondriacæ indicia. Quorum si qua forte in te inueniuntur, ea uel leuia sunt, uel non conuertibilia, sed in alijs quoque morbis euenire ualentia, potissimumq; ex uentriculi imbecillitate, renúmque ac lienis aliquali obstructione: facit enim uentriculi imbecillitas, ut cibus, præcipue ubi concoctu difficilis

difficilis sit, in eo diutius moram trahens, grauitatē & tensionem in illis regionibus pariat, & ut aptior ad id pars in flatuosum spiritum conuertat: qui huc atque illuc absq; ordine excurrens, & dolores & tensiones in inferiori uentre eousque gignat, quoad exitum inueniat. Ad quod etiam iuuat & renum obstructio, quæ alioqui sola ea symptomata solet efficere. Sed & lienis obstructio, uetans ne sanguis bene à succo melancholico emundetur. Ex quo etiā mœstitia aliqua & solitudinis amor, atque alia id genus nōnulla uel fiunt uel augentur. Augentur dico, quoniam professio ipsa monachica ad hæc sua sponte inclinat, præsertim ubi ei adnectitur literarum amor. Notum enim est illud Aristotelis problema, cur homines qui ingenio claruerunt, uel in studijs philosophiæ, melancholici omnes fuisse uideantur.

Tribus igitur, ut ad rem iam ueniam, nuper dictis morbis P. tuam affici iudico: mala uentriculi temperatura, lienisq; ac renum obstructione: ex quibus omnia ea symptomata sequi puto, de quibus conqueritur. Primiq; causam esse, frigidorum humorum copiam, pituitæ scilicet, ob ocium & cibaria monachis consueta genitæ, & atræ bilis à monachali uita auctæ, & à lienis obstructione adauctæ. Secūda, eiusdem succi melancholici crassitiem. Tertia, arenulas, quarū partem in lotio residentem aspeximus, à calore iecinoris ipsorumq; renum genitas. ut alia indicia breuitatis causa omittam, quæ in hanc sententiam me impulere. Ad curationem enim festinandum, cuius gratia hæc omnia inuestigata sunt, ut curatiui scopi facile dici possint. Mala enim uentriculi temperatura cum frigida sit, rebus calidis est amouenda: sed quia causam habet succorum frigidorum abundantiam, continuò fit. Ideo hi prius uacuandi, uictūsque talis instituendus, ex quo non amplius gignantur: & uentriculus roborandus, ut munere suo melius fungatur. Lienis uero & renum obstructio, suis quæq; deobstruentibus curanda, & demum hæc quoq; simul cum iecore roboranda.

Quod ad uictum ergò attinet, uitanda quæcunq; crassi maliq; succi sunt, & concoctu difficilia. Ascisenda cōtraria, & quæ aperiendi quandam uim habent, & deobstruendi. Bonis ergo, quantum fieri potest, uescendum carnibus, quales sunt inter uolatilia gallinacei pulli, perdices, phasiani, atq; auiculæ, in spinetis, non in aquosis locis uictitantes. Inter quadrupedes, uituli, hœdi, uerueces. Oua gallinarum recentia, forbilia, uel mollia ac tremula, omphacio & saccharo cōdita, adiecto cinamomi puluere. Si quando uero ad pisces accedendum, sint quos petræos uocāt, exigui & littorales, pinguedine, lentore, & malo odore carentes. Omnia autem, tam carnes, quàm pisces, sint potius elixa quàm assa, & cum petroselini radicibus, odora taq; menta condita, adiectis aromaticis speciebus huiusmodi: Cinamomi electi partes duas, seminis anisi partem unam, piperis longi & albi, zingiberis ana par. s. croci partis unius quartam partem, sacchari purissimi ad omnium aromatum pondus. Nullum olus cibi ratione accipiendum. Condimenti autem & medicamenti causa his herbis utendum, menta, betonica, petroselino, fœniculo, anetho, bugloso, tam domestico quàm syluestri. Ex his, adiectis quibusdam betæ, atriplicis, & spinacij foliis, omnibusq; in bono iure decoctis, uel in aqua & optimo oleo, possunt fercula cōmuni modo parata ministrari. Ad quem modum hordeo optime cocto, solo anetho adiecto, uesci poterit: necnon & farre similiter, cum anetho condito. Potest & non inutiliter iusculum ex oui unico uitello parari, addito omnibus puluere aromatico superius descripto. Ex fructibus hæc tantum conceduntur, pistacia, auellanæ, amygdalæ, passulæ. Et hæc de cibis dicta sint: quæ enim non sunt concessa, ea interdicta putanda sunt.

Potus sit uinum clarum, tenue, odoratum, suauumq; potius quàm rubrum, uel nigrum: & nec dulce nec acidum, sed adstringētis potius cuiusdam nō insuauiter saporis particeps. Quod etiā si esset absinthio, sena, & boragine, uindemiarū tempore

Universidad de Deusto
Biblioteca

conditum,non potus ſolum,ſed magni medicamenti uim haberet. Modus cõdiendi talis eſt: Vindemiarum tempore impleatur uas ex muſto, quod per unicam tantum diem bullierit, ſacculuſq; raræ texturæ herbis oppletus taliter funiculo exterius pendente alligatus, ut extrahi cum libuerit, ualeat, intra uas mittatur, atq; in eo per decem dies maneat, deinde extrahatur, & abiectis prioribus herbis, nouæ ſacculo adijciantur, perq; alios decem dies intra uas ſimul cum uino ebulliant, rurſusq; nouis appoſitis, ueteres abijciãtur, quæ tandiu in uaſe dimittantur, donec muſtum deferbuerit, tuncq; in uas aliud mundum, uinum abiectis herbis mittatur. Quod ſi moleſtum eſſet tali uino ſemper uti, primus ſaltem calix qui bibetur, ſit uini eo pacto conditi: reliqui, uini eas conditiones habentes quas ſuprà monſtrauimus. Do- 10
nec ergo uinum ſic conditum non erit paratum, in primo calice bibendo, per unicam horam antè madeant eædem herbæ. Et hæc quidem de potu dicta ſint: nunc ad reliqua accedendum.

Aër eligendus quantũ poſſibile eſt temperatus: ſi ad alterum tamen extremum uergit, ad tenuem potius quàm ad craſſum inclineт. Conclaue orientem æſtiuum ſpectet, inter uernalem uidelicet & aquilonem. Turbulentus & nebuloſus atq; obſcurus fugiatur. Solitudo, quantum religio permittit, tenebræ, ſolicitudo, & aſſiduæ nimis circa aliquam rem cogitatio, dimittantur, & paradyſi potius delitiæ, quàm inferni cruciatus mente uoluantur. Aſpectus ſit rerum uiridium, & florentium herbarum, reſq; odoratæ per cubile & ſternantur & ſuſpendantur. Sed iam ad alias 20
intentiones accedendum.

Euacuatio redundantium in uentriculo & toto corpore humorũ, per hunc modum procuranda: Vbi per tres dies P. T. quieuerit, hanc potionem in aurora bibat: Paſſularum, foliorũ ſenæ, polypodij, ana ʒ. s. in aqua fontis uel pluuiali tandiu bulliant, donec tertia pars conſumpta ſit: reſiduo abiectis herbis addantur catholici ʒ. 6. ſyrup. de pomis ʒ. 1. Dehinc per ſeptem dies alia potio bibatur, in hunc modum parata: Agrimonium, abſinthij & boraginis coma paribus portionibus in aqua eo quãtur, herbisq; abiectis aquæ ʒ. 3. ſyr. biſanthini ʒ. 1. s. adijciatur. Sumpto ſepties hoc potu, ſequenti mane hæc catapotia deglutiantur: Aloës, agarici, rhei barbarici ana ϑ. s. pilularum aggreg. ʒ. s. cum ſaccharo 5. conficiantur. His peractis uen- 30
triculi regio, hoc decocto ex alto cadente perfundenda: Abſinthij manip. 2. roſarum manip. 1. ſcœnianthos ʒ. 2. maſtiches, gariophyllorũ, ſeminis aneſi, careos, & cumini ana ʒ. 1. in tribus aquæ partibus, unica uini, & media aceti, ad tertiam bulliant, & lana in decocto madente, ex alto ſupra ea loca adſtricta, fiat ut liquor cadat.

Quo peracto, uentriculus ad umbilicum uſque hac mixtura illinendus: Olei de abſinthio, roſacei, rutacei ana ʒ. 1. pulueris gariophyllorum, maſtiches, piperis longi, macis ana ϑ. 1. ceræ albæ, & aceti parum. fiat unguentum. Præcordium uero dextrum ſub quo eſt iecur, ſequenti ungendum: Succi cicorij ʒ. 2. olei de abſinthio ʒ. 1. pulueris ſandalorum citrinorum, roſarum rubearum ana ʒ. 1. ceræ & aceti roſati parum. fiat linimentum. Siniſtrum, lienis regio, hoc: Olei rutacei ʒ. 1. s. pulue- 40
ris radicum capparorum ʒ. 1. ceræ & aceti ſcillitici parum. fiat unguentum. Prouidendum præterea ut bona ſit aluus, uel iniecto clyſmate tali: Succi betæ, mercurialis, maluæ ana ʒ. 5. olei rutacei ʒ. 3. ſalis ʒ. 6. Vel balano huiuſcemodi pulueris: Hieræ, diacolocynthidos ʒ. 2. ſalis nitri ʒ. 1. mellis cocti quantum ſufficit: conficiatur balanus. Vel ſi hæc forte moleſta fuerit, uices eorum ſupplebit ʒ. pulueris ſenæ, quæ communiter paratur, adiecta ſacchari parte. Vel iuſculum ex uitello oui, additis ſecis uini ſubtiliſſime contritis drachmis duabus. Supra omnia conducet Galeni picra, pondere ʒ. 2. uel ϑ. 4. obuoluta pane tenui, quo in myſterijs utuntur, in aqua abſinthij madefacto. Verum quia hiera uel picra, non bene apud communes ſeplaſiarios paratur, ideo non abre fore putaui uerũ Galeni præparationis modum adſcribere,

adſcribere, qui habet, cinamomi partes 2. maſtiches, xylobalſami, aſſari, ſpicæ, croci ana partem 1. aloës lotæ partes 6. Picra Galeni.

Nemo autem miretur ſi cinamomum duplicaui, quia quod uulgò cinamomum dicunt, non uerum cinamomum eſt, ſed caſia. Tradiderunt autem nobis antiqui, etiam qui Galenum præceſſerunt, cum uero caremus cinamomo, eius loco dupla caſia eſſe utẽdum. Vocaui igitur caſiam cinamomũ, quia ita uulgò uocatur. Duplicaui eam, antiquorum obſequens præceptis, qui imbecilliorem ſcientes, pro ſimplo cinamomo dupliciter eius accipi iuſſerũt. Hanc picram ſi P. T. ſæpe per horam ante exiguam cœnam acceperit, mirum in modum ex ea iuuabitur, & eam non im- 10
meritò dici ſacram agnoſcet. Verum in magnis æſtibus erit ab ea abſtinendum, atque eius loco, mixtura ex electuario Indo uocato, & diaprunon ſumenda, ut ſint utriuſque drachmæ duæ.

Et hæc quidem ſufficere uidentur ad omnes ſcopos ſuperius dictos cõplendos. Vnus tamen adhuc ſupereſt, quem ſuprà omiſeram, quoniam directe ad curationem pertinere non uidebatur: ſanguinis uidelicet per ora uenarum ſedis, prouocatio: ex hoc enim ſanguis ater, qui ad ſuperiora uel repit uel repere poteſt, & diſtrahitur & uacuatur: experientiaq; ipſa docuit, ex eius fluxu, ferè in totum cuncta ceſſare ſymptomata. Propterea hanc prouocationẽ uelim & nunc, hoc eſt, antequam deſinet uer, fieri: atque alijs annis citius, hocipſo ſcilicet Vere inſtante, necnon au- 20
tumno. Quibus uero ingenijs, licet eorum ſint pleni medicorum libri, ego tamen ueluti expeditius & minus moleſtũ laudo, ut per hirudines uenis illis admotas fiat. Quorũ opus duplici modo augere poſſumus, abſcindendo uidelicet earũ caudas: neq; enim ob hoc fugere deſinunt: uel ſi poſtquam oppletæ eciderũt, uapor aquæ in ſede recipiatur: hoc enim modo tantum uacuatur ſanguinis quãtum optamus.

Poteram hoc loco finem facere, quoniam expleta iam ſunt, quæ ab initio iudicaui neceſſaria. Addere tamen adhuc uolui nonnulla, ut locupletius & P. T. quam ſummopere diligere cœpi, necnon peritiſſimo & eloquẽtiſſimo Iuriſconſulto Franciſco Bellenzino, qui te mihi per literas commendauit, ſatisfaciam. Vſus diacalaminthes, modo Galeni in lib. de tuenda ualetudine paratæ, mire conducet: uerum 30
uerenda eſt eius nimia caliditas, & propterea erit cum roſaceo ſaccharo minuenda. Proderit & mane betonicam herbam mandere, & bene attritam deglutire. Non le ue quoque auxilium erit ex rheo barbarico eodem modo manſo & deglutito, & ex rheo pontico uocato: ſi illius ſemidrachma, huius integra ſit, uocato dico rheo pontico: quia radix eo nomine nunc dicta, centaurij maioris radix eſt, non rhei. Proderit & maſtiches granum, & nux myriſtica, quam moſchatam dicunt, & ore detenta & deglutita. Item zingiberis conditi fruſtulum: cui æſtatis tempore myrobalanus chebula etiam condita adijciatur. Citro quoque condito, hyeme quidem ſolo cortice, æſtate ſimul cum cortice pulpa, concoctio mire roborabitur. Mire quoque iuuabunt flores roriſmarini ſaccharo conditi.

Hæc ſunt quæ in hoc biduo, publicis lectionibus & alijs negocijs impedito, mihi pro P. tuæ ſanitate occurrerunt. Quibus ſpero, Deo optimo fauente, à quo eſt & ſalus & omne bonum, te optatam ſanitatem conſequuturum.

Valeat P. T. meiq; in ſuis ad Deum precationibus ſit memor.

Ex Ferraria, VII. Idus Maij. M. D. XXXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. V. pro illustris. domina Alphonsa, tumore uteri cum multis symptomatibus laborante.

CAsus huius præclarissimæ D. adeò difficilis cognitu mihi uidetur, ut non modo absenti, sed etiam præsentibus, quotidieq; cuncta indicia examinantibus, magnam ingerere debeat perplexionem. Quantum tamen ex schedula ostensa possum conijcere, satis uereor, ne tumor præter naturam uteri ceruicem infestet. Moueor ad hoc suspicãdum, ex doloris quasi continua molestia, imò ut in fine scribitur, Nunc continua, ex mingendi difficultate, capitis grauitate, pulsus frequẽtia, renum dolore, appetitus prostratione. Locum autem huius tumoris puto esse partem anteriorem, quæ uersus uesicam est; hincq; stranguriam & dysuriam fieri, doloremq; in pectine, præcipue dum mingit. Quod uero aliquando, præsertim noctu, magnã urinæ copiam emittat, euenire puto, quoniã iacendo (maxime supino corpore) tumor à uesica elongatus exire libere urinam permittit. Ex simili etiam causa fieri, id est tumore, quod sanguis aliquando exeat conglobatus: ex quo enim libere exire non ualet, aliquo tempore in uteri concauitate manens coagulatur: ad quod facit sanguinis aquosi segregatio, qui non ita impediri potest ab exitu, sed uiam exeundi inuenit. Quod modo in sinistra, modo in dextera parte doleat, accidere puto ex ipsa tumescẽte parte, modo in unam, modo in aliam partem uergente: ad quod etiam addit sanguis ille conglobatus, qui & ipse reuoluitur. Flatus quoque & inflatio in intestinis coarctata, & urina retenta, uterum utrinq; obsidentes, dolorem augent, & ad totum quandoq; imum uentrem extendunt. Quod à sexta hora usq; ad duodecimã plus sentit molestiæ, fortè euenit, quia iam peracta secunda concoctione, id est, genito & distributo sanguine, facto ex cibo accepto in prandio, descendentibus etiam excremẽtis alui & uesicæ, locus ubi est tumor & comprimitur & trahitur. Quod nõ bene cubet supra dextrum latus, est argumento, tumorem consistere uersus sinistram. Causam huius tumoris arbitror esse materiam commixtam ex sanguine satis pituitoso, cum exigua bilis portione. Quod enim dolor aliquando uel mitigetur, uel quasi totus auferatur, præter causas superius tactas, accidere puto ex eo, quod biliosa pars in tumore collecta, quandoq; ut tenuior saltem aliqua ex parte exhalat: remanet tamen semper obtusus quidam dolor, à sanguine illo pituitoso factus, in una uentris parte, id est uteri ceruice congregato: quem qui scripserunt, obtenebratũ & obscurum sensum uocant. His cõiecturis, quas quambreuissime potui, recitaui, mihi uidetur, ægritudinem huius excellentis. D. esse tumorem præter naturã ceruicis seu colli, ut uocant, uteri: & sequi ex eo dolorem, uelut symptoma: foueri tamen à sanguine ad ipsum uterũ longo ex morbo debilem fluente: & inflatione, id est uento, ex imbecillitate tum ipsius uteri, tum naturalium membrorum genito: & urina retenta: quam retentionẽ etiam existimo esse symptoma tumoris facti ab eo, obstructione in collo uesicæ per uiciniam coarctato. Coniungi etiam aliam malam affectionem, hoc est malam temperaturã humidam uteri, laxãtem ipsum & imbecillem reddentem ad cõcoquendum proprium nutrimentũ, & retinendum. Ex quibus elicio

Intentiones curatiuæ.

intẽtiones curatiuas: quarũ prima & dignitate & proposito, mihi uidetur esse euacuatio humoris in tumore collecti: & quia eum in augmento esse credo, iudico euacuationem fieri debere ex admixtione aliquorũ repellentium cum discussiuis, hoc est resolutiuis. Sed quia fortassis totum corpus repletum est, ideo prædominãtium in toto corpore humorum, prius est facienda purgatio: uel si admixti cum sanguine uiderentur, roburq; adesset, secanda uideretur uena interior cubiti, quam hepaticam uocant: simul enim distractio fieret & plenitudinis amotio: deinde ad localia posset accedi. Ipsa quoq; mala temperatura uteri, cum (ut uidetur) sanguinem pituitosum

pituitosum pro causa habeat, purgationem desiderat, quæ tamen non nouam suggerit intentionem. Siquidem ablata pituitæ copia, tam tumori quàm isti malæ temperaturæ prouidebitur. Verum quia hic morbus non est in totum factus, sed quotidie fit: non solum curationi subditur, sed etiam præseruationi: quæ fiet roboratis naturalibus membris, & ad gignendum bonum sanguinẽ factis idoneis: simulq; ipso utero ut nutrimentum ualeat bene concoquere, bonumq; sanguinem retinere, & in propriam substantiam conuertere, ac deteriorem usque ad tempus euacuationi debitum seruare. Erunt igitur intentiones curatiuæ, phlebotomia, prudentiæ præsentium medicorum relicta: purgatio superabundantiũ humorum: distractio: euacuatio humorum tam in tumore quàm in utero contentorum. Roboratio uteri & naturalium membrorum, hoc est iecoris & uentriculi. Ita enim ea nunc uocant.

Purgatio, si abundare uidentur crassi & tenaces humores, nõ antea facienda est, quàm attenuati fuerint & incisi: sin minus, saltem uiæ aperiendæ sunt: ad quæ conferre uidentur sequentes potiones: Decoctionis radicum assari factæ secundum artem uncias 4. syrup. de duabus ra. unc. 1. s. fac potionem depuratam & claram. Odoratam redde cum modico maceris. Sumpta ter hac potione dentur catapotia quæ recipiunt rhei barbarici electi, sed non à cortice mundati, ʒ. s. agarici electi ʒ. s. maceris gra. 6. cum uino odorifero fiant pilulæ 5. Catapotia hæc leuia describi, quoniã, ut audio, lubrici satis uentris est. Si tamen non plenè purgasse uiderentur, possent pluries repeti, aucto etiam, si opus uideretur, rheo barbarico & agarico.

Diuersio.

Facta congrua euacuatione per uentrem, ad distractionem ueniendum, quæ uarijs ingenijs facienda est, adeò ut non solum distrahantur humores, sed etiam euacuentur. Vomitus utrunq; expleret, & ideo si non difficulter uomit, laudarem ut excitaretur cum facilibus, addendo tamen aliquid quod phlegma euacuaret, ut agarici decoctionem: quod tamen fieri nolo, nisi post aliquot dies à uentris purgatione.

Vomitus.

Diuretica.

Vrinæ quoq; prouocatio, aliquo modo deriuat, & aquositatem uacuat: nec uerenda est, quum à Galeno & Paulo maxime in hoc casu commendetur, & ab Auicenna ipso, qui nec Erythrodanum quidem, id est rubiam quam uocãt tinctorum, est ueritus. Ego autem, Dei ope, nonnullas mulieres per huiuscemodi urinas mouentia curaui, quæ ex usu adstringenti quotidie ad peius labebantur. Distrahit quoque frictio, maxime superiorum partium, quæ primo molli linteo, deinde aspero facienda. Commendant etiam Galenus & Paulus post frictionem, unctionem ex melle cocto, qua & ego usus sum, addendo oleum, modo chamæmelinum, modo liliaceum. Proderit etiam diuersionis gratia cucurbitulas apponere utriq; hypochondrio, uel sub mammis, digitosq;, qui minimo proximi sunt, adeò alutis adstringere, ut rubor cum dolore moueatur. Proderit & exercitiũ, quo superioribus partibus corporis motis, cæteræ quiescant. Sanguinem quoque ex naribus prouocare ualde utile foret.

Frictio.

Vacuationibus his, & diuersionibus factis, ad loca ipsa ueniendum est uarijs ingenijs: balneo uidelicet uel sessionibus, fomentis, unctionibus, tam extrinsecus adhibitis quàm iniectis: suffumigijs, pessis, cataplasmatibus, emplastris, sacculis.

Balneum.

Balneum ex decoctione harum herbarum faciendum: Rosarum albarum, seminum earum, rubi summitatum uel florum si inueniri possunt: absinthij florum & foliorum, chamæmeli, altheæ, alceæ, quam alij candelariam, alij herbam ungaricam uocant: matricariæ, plantaginis cum radicibus ana manip. 1. Coquantur hæc omnia in tribus partibus aquæ pluuialis, & quarta parte uini nigri styptici, & herbis in folio manentibus fiat uel balneum uel sessio bis in die.

Vnguentũ pro uentre.

Vnctio uentris post balneum hoc modo paratur: Rosarum, matricariæ, S. lini ana unciam unam. Bulliant in libra una uini nigri styptici, ad consumptionem medijæ partis, & abiectis herbis addatur uino olei rosati ʒ. 1. olei liliorum alborum ʒ. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bulliantq; simul in uase duplici, ad uini consumptionem, & ipso oleo uenter ab umbilico infrà inungatur, lanaq; illota superponatur, sed aliquid etiam ipsius olei molli lana exceptum naturalibus sub pessi forma indatur. Ex eisdem rebus emplastra fieri possunt, & sacculi plent, in uino & aqua calidis calefacti superponi.

Suffumigia possunt fieri ex puluere rosarũ, macere & mastiche eliquato ad congruam figuram composita.

Hepar & stomachum confortantia. Ad robur hepatis & stomachi multum conferre scio, si parum rhei barbarici misticetur & deglutiatur.

Valebit & hæc cõfectio: Pistaciorum electorum ʒ. 3. pulueris maceris, rosarum rubearum, cinamomi ana ʒ. 1. zuchari albissimi dissoluti in aqua rosacea per balneum Mariæ uocatum, uel ad solem destillata quãtum sufficit: fiat confectio iuxta modum consuetum.

Nux myristica. Proderit etiam aliquando myrobalanũm chebulam conditam, puluere cinamomi insper sam, mane comedere. Item nucem myristicam, quam uocant moschatam, conditam. Tum hoc aromatico puluere potest in suis escis uti: Rosarum rub. electarum, sandalorum citrinorum ana ʒ. 1. cinamomi ʒ. s. piperis albi, maceris ana ʒ. 1. zuchari optimi ad pondus omniũ. Vti uino absinthite ualde utile puto. Quod si in parato forsan non inueniretur, ex tempore in hunc modum parabitur: Accipiantur molliores cauliculi absinthij recentis, si inueniri possunt: si non, sicci: digitisq; aliqualiter intorqueantur, si recentes sunt, ut uidelicet aptiores sint ad uim tribuendam, & per horam ante cibum infundantur uino aromatite stomachico, syapseosq; alicuius participe: post horam, quãdo uidelicet bibendum erit, cum linteolo uinum coletur; & si nimis amarum uidebitur, cum alio simili, sed non absinthite, temperetur.

Absinthite uinum.

Regio quoque naturalium membrorum (medium illud spatium, quod est inter umbilicum & os stomachi) sæpe foueatur uino & oleo, ita ut sint uini odorati sypti ci partes tres, olei omphacij, id est, facti ex oliuis immaturis partem 1. in quibus bullierint rosæ, absinthium, & menta odorata.

Stomachicũ unguentũ Galeni. Vngi quoq; potest unguento stomachico Galeni bene composito: quod tamen uix puto bene componi posse, quia uera Spica caremus. Et hæc quidem de membrorum naturalium roboratione dicta sint.

Verus ex dictis rebus, quas ad tumorem laudauimus, satis meo iudicio roborabitur. Si tamen amplior roboratio uideretur necessaria, foueri poterit spongijs uino madefactis, in quo folia myrti, menta, & rosæ bullierint, addita quinta parte aceti. Earundemq; rerum fumus per os uteri recipiendus est. Et hæc quidem satis explere uidentur intentiones necessarias.

Syrup. electus. Verum libet præterea amplius nonnulla subtexere, (quoniam ægritudo ipsa multis ex causis quas silentio prætereo, difficilis est) prædictis intentionibus deseruientia: inter quæ præcipuus uidetur hic syrupus: Rhei pontici ueri, si haberi potest, hoc est, ex Ponto portati ʒ. 1. uel si haberi non potest, loco eius rhei communis ʒ. 8. turbit electi & mundi ʒ. 8. myrob. cheb. ʒ. 1. rosarum, mentæ siccæ ana manip. 1. Fiat decoctio secũdum artem, & ex ea syrupus longus cum melle rosaceo, in quo dum coquetur, bulliant in linteolo raro cinamomi ʒ. 8. sandalorum & maceris ʒ. 2. Hinc bibantur duæ, tres, uel ad summũ quatuor unciæ: leuiter enim purgabit, concoquet, roborabit. Interdum quoq; utendum his pilulis: Rhei barbarici electi cum cortice suo ʒ. 1. turbit electi & mundi ʒ. 2. maceris, rosarum ana ʒ. s. cum electuario de succo rosarum fiant pilulæ 15. sumantur 5. uel 7. hora ante cibum.

Quoniam festinat nuncius, finem faciam, si unum addidero, quod uidelicet urgente dolore, & immoderato fluxu, adeò ut periculum uideatur, ne uires plus nimio prosternãtur, non est uerendus usus Narcoticorum. Ego enim illorum beneficio quandam mulierem, simili morbo, sed longe grauius uexatam, multos annos, præseruaui. Inter reliqua autem eam compositionem ualde utilem inueni, quæ Sazenea à Ioanne Mesue nuncupatur. Hæc sunt quæ mihi in hoc breui tempore, alioqui & publicis lectionibus, & alijs negocijs occupato, occurrêre: in quibus benignum lectorem desidero: quoniam nec mihi reuidendi, nedum amanuensi rescribendi tempus datum est. Si quid tamen offenderit excellentissimos doctores, qui hæc uisuri sunt, non dedignentur id mihi significare, ut ego uel recantem, uel rationem ostendam quæ me mouerit, quam breuitati studens, prætermisi.

Narcotica.

Sazenea apud Mesuen.

AT cum mihi sit amplius nonnihil tẽporis condonatũ, addam nõnulla. Vsum anisorum, albo saccharo coopertorum (ut fieri solet) commendo, addito ipsi saccharo modico maceris. Ad dolorem sedandum & resoluendum, mediocriterq; roborãdum, summè ualebit cataplasma aluo appositum, ex radicibus liliorum alborum, uitellis ouorum, & oleo rosaceo omphacio. Ad idem, alijs non iuuantibus: Adeps coturnicis, si haberi potest, misceatur cum oleo chamæmelino, & ʒ. s. croci & opij addatur. Si haberi adeps ille nõ potest, loco eius sumatur anserinus.

Oua recentia. Oua nuperrime nata adhuc calida, si sorbeantur, mire conferunt: nec despicia-tur remedium quia uulgatum. Et si quando fluxus urgebit, puluis pulchrorum corallorum rubrorũ supponatur. Ad dolorem sedandum & resoluẽdum: Oua, adeps anseris, medulla cruris cerui, cum rosaceo soluantur, addaturq; parum croci, & cum lana illota bene molli injciantur. Hinc eadem lana insusa in uino & oleo, uel rosaceo, uel cotoneorum, uel myrtino, iuxta maiorem minorem ue adstringendi necessitatem, inferiora omnia umbilico membra, & anteriora, posterioraq; tegantur. In oleo ex glandibus expresso, magnam habeo fiduciam ad restringendum.

Meliloton. Meliloton uerum, quod est sertula campana, in bona sapa coctum, additis quinque uitellis ouorum, in aceto usq; ad duritiem coctis, rosaceo oleo dissolutum confortat, dolorem sedat, & resoluit.

IOANNIS MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER VNDECIMVS.

EPIST. I. Ioannes Manardus Ferrariensis medicus, Ioan. B. Montano, eiusdem artis professori eminentiss. S. D. Exponitur caput 21. libri primi Galeni de differentijs pulsuum, iuxta antiquam translationem.

QVANQVAM ea in me minime agnosco, quæ tu nimio fortassis amore ductus (malo enim hoc, quàm adulandi studium in te suspicari) mihi per tuas literas adscribis: eam tamen mentem Dei Opt. Max. munere in me comperio, ut omnes iuuare, & amicis quidpiam in re præcipue literaria petentibus, semper cupiam satisfacere, atq; ijs præsertim, qui medicinalis scientiæ studiosi, non barbarorum uerbis ueluti mancipia seruiunt, sed rationi & experimẽto nixi, medicinæ decreta ex ipsis potius fontibus, quàm ex turbidis lacunis haurire desiderant. In quorum numero cum te iampridem esse cognoscam, quod petis, quantum per imbecillitatem meam licuerit, conabor absolue re. Petis autem, ut ijs quæ à Galeno, uel à barbaro potius interprete, lib. 1. de diffe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentijs pulſuum, cap. in uulgata æditione 21. obſcure ſcribũtur, lucem expoſitionis adijciam. Quod ut cõmodius exequi ualeam, primo de quibus pulſibus loquatur, oſtendam: ſecũdo, primã quam ſubijcit figurã, deſcribam: tertio, ad expoſitionẽ uerborũ me uertam, ſimulq; ſecundam figurã depingã. Vt igitur ad rem ipſam accedam, dico Galenũ cap. 17. agere incepiſſe de pulſibus in eo genere inæqualib. quod à motu ſumitur: iuxta cuius motus conſiderationẽ dicimus aliquos pulſus ueloces, aliquos tardos, aliquos inter hos mediocres. Duasq; in eo ſtatuiſſe differẽtias, unam quæ in unica arteriæ parte generationẽ habet, alteram quæ in pluribus. Primamq; in tres præterea alias ſecuiſſe: quoniã aliquãdo quiete media motus interciditur, aliquãdo nulla quidem quies interuenit, ſed motus ipſe non ſemper ſibi parem habet celeritatem, aliquando motus qui finem accepiſſe uidebatur, iterum redit. De primo genere, hoc eſt, in quo motus cõtinuitas media quiete intercipitur, cap. egit 18. nouẽ in eo inueniens differẽtias. Secundũ, in quo nulla quies interuenit, ſed diuerſitas ſola celeritatis & tarditatis, ulterius bifariã diuiſit, quoniã aliqui regulam quandam ſeu uniformitatẽ in hac ſeruãt mutatione, alij irregulariter ac diuerſimode motum uel intendunt, uel remittũt. De primis 19. cap. decernens, ſex eorũ inuenit differentias. De ſecũdis agere cœpit cap. 20. ſub nomine pulſuũ anomalam uerſionẽ facientiũ. uerſionẽ dicens, celeritatis mutationẽ, quæ à celeritate ad tarditatem, uel ecõtrario, uel à mediocritate ad utrumuis fit extremũ: quam uerſionẽ illi pulſus irregularem facere dicũtur, qui non certo ordine uel intenduntur, uel remittuntur: ſed cum, exempli gratia, primã partem æqualiter celerem habuerint, aliam tardam habebunt. Poſſunt autem facilioris doctrinæ gratia præcedentes, hoc eſt, qui regularem uerſionem faciunt, hac triangulari figura oſtendi: ubi quantum ſecunda pars à prima properando uel morando recedit, tantundem tertia uariat à ſecunda.

Prima figura.



Figura pulſuum regularem facientium mutationem, id eſt uniformitatem.

Secundi, hoc eſt, ij quos nunc declarare intendimus, qui uidelicet irregulariter uertuntur, per hanc oſtenduntur:

Secunda.




Figura pulſuum duas ſenſiles mutationes habentium.

In hoc ſecũdo genere quãdoq; duas, quãdoq; tres oſtendi motus differẽtias dicit Galenus: quãdoq; etiã ſe quartæ imaginẽ deprehendiſſe: poſſeq; fortaſſis à quopiã, qui in hiſce ſe diligẽter exercuerit, quartã illam manifeſte cognoſci: ea tamẽ in totũ prætermiſſa, de ijs ſe acturũ dicit, qui multoties & ſibi, & ijs qui optime artẽ pulſuũ aggreſſi ſunt, manifeſte apparuerunt: in quibus uidelicet arteriæ motus, aut duas, aut tres ſenſiles differentias facit. Et addit, ſi duæ fuerint, ſex fore complicationũ modos: ſi tres, quatuor & uiginti. Et hæc quidẽ eſt primæ particulæ huius uigeſimiprimi capitis ſentẽtia, quod male à præcedenti capite diſiunctũ cum fuerit, obſcuriorẽ Galeni mentẽ reddidit. Quam ut locupletius aſſequamur, ſciendũ, per ſecũdam figurã ſuperius deſcriptã cognoſci eos pulſus qui duas ſenſiles differẽtias habẽt, diuiſo uidelicet in duas partes toto arteriæ motu. Si quis uero cognoſcere eos pulſus uoluerit, qui tres differẽtes ad ſenſum motiones habent, ad ſequentẽ figurã reſpiciat.

Prima

Tertia.




Figura pulſuum tres ſenſiles mutationes in eodem motu facientium.

In ea quippe intelliguntur tres in eadem motione differentiæ in uelocitate, ſicuti per aliam figuram pulſus cognoſcitur, qui duas tantummodo differẽtes habet motionis partes. Reſtat declarare, cur in primo genere ſex tantum cõplicationes enumerentur, & in hoc ſecundo quatuor & uiginti: quum in primo nouem, in ſecundo ſeptem & uiginti diuerſitates contingant, ſicuti ſequentibus figuris oſtenditur.

Prima figura continens omnes complicationes uelocis, tardi, ac commoderati pulſus, quotquot excogitari poſſunt, in duabus partibus diaſtoles, uel in duabus partibus ſyſtoles, in uno eodemq; pulſu.

Prima pars	Secunda.	Prima pars	Secunda.
1 Velox	Tarda	6 Tarda	Commoderata
2 Velox	Velox *inutilis propoſito*	7 Cõmoderata	Tarda
3 Velox	Commoderata	8 Cõmoderata	Velox
4 Tarda	Tarda *inutilis propoſito*	9 Cõmoderata	Cõmoderata *inutilis propoſito.*
5 Tarda	Velox		

Nouem igitur ſunt, nec plures, complicationum differentiæ, quas imaginari in hoc genere eſt poſſibile: quarum tamen ſex ſunt, quæ ad hoc genus uerè pertinẽt, quia ueram inæqualitatem habent, tribus ceu æqualibus reiectis, ſecũda uidelicet, quarta & nona. Illa enim tota uelox, hæc commoderata: ſicuti quarta penitus tarda exiſtit: atq; ut ſequens eſt, æqualibus pulſibus, non inæqualibus cõnumerandæ. Si enim eũdem pulſum, ut ipſe Galenus ait, nulla interueniẽte quiete bis poſueris fieri, unũ & æqualem efficies pulſum. Ex his autẽ patet primæ partis huius uigeſimiprimi capitis expoſitio, quæ ad eum uſq; locum pertingit, ubi hæc uerba in antiqua æditione legũtur, *Homalis igitur in his tribus*: quæ quidẽ pars lucidioris expoſitionis gratia in tres particulas ſecari poteſt. Primo enim enumerãtur differentiæ quæ in his duobus generib. inueniri poſſunt: debetq; hæc pars cum præcedẽtibus hoc pacto conſungi: Verũ nũc de ijs agendũ, qui aperte & nobis, & ijs qui optime artẽ pulſuũ tractarunt, multoties apparuerũt: quãdo uidelicet motus arteriæ aut duas ſenſiles differẽtias, aut tres facit. Duabus igitur differẽtijs exiſtẽtibus, ſex erũt complicationes, quæ inter reliquas proxima iam figura recẽſitæ ſunt: prima uidelicet, tertia, quinta, ſexta, ſeptima, & octaua. In tribus uero quatuor & uiginti, quas ſicuti cõmemoratas priores per figurã aliã oſtẽdemus, ubi Galeni omnia circa hãc primã dicta expoſuerimus: q ſecũdo loco, in ea particula, cuius initiũ, *Cur utiq;*, cauſam reddit, quare cũ ſint tres motus differẽtiæ, uelocitatis ſcilicet & tarditatis & cõmoderationis, quæ per binas motus partes multiplicatæ nouẽ cõſtituũt diuerſas inuicẽ cõplicationes, ſex tantum in hoc genere differẽtias eſſe dixerit: claraq; eſt, ex his quæ ſæpius dicta ſunt, huius particulæ ſentẽtia. Si qua uero remanet in ea dubitatio, caſtigata iſtius æditionis litera remouebitur. Vbi enim legitur, *Cur utiq; unquã aut tribus*, lege, *Cur uero tribus*. Et ubi, *alterutro diuerſorũ motuum*, lege, *utroq; differentiũ*. Illis autẽ uerbis, *Si cognoueris eundem pulſum, addendum, quod*, & legẽdum, *Si cognoueris quod eundem pulſum*. Et ubi ſcribitur, *unũ homalum*, lege, *unum totum homalum*. Et ubi habetur, *tres aſcendunt*, lege *abſcedunt*: ut textus integer à fine capitis uigeſimi, cum principio capitis uigeſimiprimi cõnexus ita legatur, *Sed nunc de ijs agendum qui aperte & nobis & ijs qui optime artem pulſuum tractarunt, multoties apparuerunt: quando uidelicet motus arteriæ aut duas differentias, aut tres facit. Duabus igitur exiſtentibus, ſex erunt complicationes: in tribus uero uigintiquatuor. Cur uero tribus exiſtentibus pulſibus, utroque differentium motuum, ueloci & tardo & commoderato, differentias dicimus ex dicta complicatione eorum non nouem, ſed ſex fieri, ita utique diſces.*

Emendatus Galeni locus uetuſtæ traductionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si cognoueris quod eundem pulsum deinceps bis supponens fieri, nulla quiete media existente, unum totum homalum operabere. Et secundum hoc ex nouem complicationibus tres abscedunt &c. In fine demum huius partis, eo loco, *Si uero & aliqua*, excludit dubitationem circa superius dicta contingentem. Dictum est enim eos pulsus esse æquales, qui utrasq; partes uel tardas, uel ueloces, uel commoderatas habent: uidetur enim inæqualitas quædam in his quoque intelligi posse, ut, si ambæ quidem partes celeres sint, sed una sit altera celerior. Prætermittendam autem esse nunc dicit hanc differentiam, ceu multam in se obscuritatem cõtinentem: partesq; huiuscemodi uarietatem habentes ueluti parisormes inuicem esse accipiendas, & pulsus ex his compositos tanquam uerè æquales, ab hoc genere segregandos. Et hæc quidem est Galeni mens, quam nonnullis locis castigatis, eruere non est difficile: nam ubi habetur *amplior est*, lege *ampliorem*: ubi *tribui, tribuet*: ubi *ut his eisdem, & fortassis sibi paribus*, lege *ut eiusdem & inuicem æqualibus*. Sic clara erunt quæcunq; à Galeno de primo hoc inæqualium pulsuũ genere dicta sunt, in quo scilicet duas tantum diuersas partes cõsideramus. Alterũ uero genus ex tribus differentibus partibus cõstans, bene intelligere nequimus, nisi ante oculos figurã, quam Galenus subijcit, posuerimus, quæ non solum in istis nostratibus exemplaribus, sed in plerisque etiam Græcis deest: simulq; nõnulla ante eam uerba, totum intellectum interturbantia, in uno tantum codice, hactenus apud ædes S. Ioannis & Pauli Venetijs inuenta, subijciam. hæc sunt: Similiter si tres supponens inuicem differentes motiones, in earum singula tres pulsus permutando complicueris, septem quidem & uiginti erunt omnes figuræ, quarum tamẽ tres æqualitatem incidere necesse est, ueluti sequenti figura manifestatur.

Figuræ pulsuum tres differentes partes in celeritate in eodem pulsu habentiũ.

	1	Velox	Velox	Tardus
Inutilis.	2	Velox	Velox	Velox
	3	Velox	Velox	Commoderatus
	4	Velox	Tardus	Tardus
	5	Velox	Tardus	Velox
	6	Velox	Tardus	Commoderatus
	7	Velox	Commoderatus	Tardus
	8	Velox	Commoderatus	Velox
	9	Velox	Commoderatus	Commoderatus
	10	Tardus	Velox	Tardus
	11	Tardus	Velox	Velox
	12	Tardus	Velox	Commoderatus
Inutilis.	13	Tardus	Tardus	Tardus
	14	Tardus	Tardus	Velox
	15	Tardus	Tardus	Commoderatus
	16	Tardus	Commoderatus	Tardus
	17	Tardus	Commoderatus	Velox
	18	Tardus	Commoderatus	Commoderatus
	19	Commoderatus	Velox	Tardus
	20	Commoderatus	Velox	Velox
	21	Commoderatus	Velox	Commoderatus
	22	Commoderatus	Tardus	Tardus
	23	Commoderatus	Tardus	Velox
	24	Commoderatus	Tardus	Commoderatus
	25	Commoderatus	Commoderatus	Tardus
	26	Commoderatus	Commoderatus	Velox
Inutilis.	27	Commoderatus	Commoderatus	Commoderatus

Hac figu

Hac figura ante oculos posita, facilia redduntur quæcunq; de secundo hoc inæqualium pulsuum genere à Galeno sunt dicta. Conflat enim tres ex uiginti septem hisce pulsibus, uerè esse æquales: secundum uidelicet, quoniam tres partes ueloces habent: decimum tertium, qui tardas: ac uigesimum septimum, qui commoderatas. Et propterea uerè à Galeno statim ab initio huius capitis dictum esse, uigintiquatuor tantum esse huius inæqualis pulsus complicationes. Tres enim hi, non quia ad hoc genus pertineant, sed ad explendas quascunque imaginari in eo genere complicationes possumus, in hac figura sunt repositi. Liquet & illud, quod secũdo à Galeno in hac parte dictum est, duodecim ex huius secundæ figuræ pulsibus in primã figuram recidere, primum uidelicet, tertium, quartum, nonum, undecimum, decimumquartum, quintumdecimum, decimumoctauum, uigesimum, uigesimumsecundum, uigesimumquintũ, uigesimumsextum. Primus enim & quartus primam partem uelocem, aliam tardam habent, sicuti primus primæ figuræ: in hoc inuicem differentes, quod primus uelocitatis, quartus tarditatis plus habet. Tertius & nonus huius figuræ, in tertium recidunt primæ, à uelocitate incipientes, & in commoderationem desinentes. In hoc & ipsi inter se differentes, quod tertius plus uelocitatis quàm commoderationis habet. Nonus econtrario plus commoderationis quàm uelocitatis. Vndecimus & decimusquartus, ad quintum primæ reducuntur: principium tardum, finem uelocem habentes: licet in undecimo uelocitas, in decimoquarto uincat tarditas. Ad sextum primæ, decimusquintus, & decimusoctauus referuntur, à tarditate initiũ capientes, & in cõmoderationem desinentes, ita tamen, ut in decimoquinto tarditas, in decimooctauo cõmoderatio dominetur. Cum septimo cõcordant uigesimussecundus & uigesimusquintus, ex cõmoderatione ad tarditatem transeuntes: sed is quidem cõmoderationis, ille plus habet tarditatis. Demũ uigesimus & uigesimussextus huius configurationis, octauo primæ cõcordant, ex cõmoderata ad tardam motionẽ procedentes, uincente tamen in uigesimo uelocitate, in uigesimosexto cõmoderatione. Hæc quidem est Gal. sententia ad eam usq; partem, cuius initiũ. Et fiet uticq; & hæresis hic, uel ut habet alia litera, diæresis: in qua Gal. diuersas ait ac dissidentes opiniones in hoc loco nasci posse, quibusdam omnes in prima figura statuendos pulsus putãtibus, qui duos tantũ motus in una diastole habent: alijs magnitudines attendendas dicẽtibus: & si æquales fiunt, in prima figura, si altera alteri duplex, in secunda collocantibus. Hanc opinionem si sequuti fuerimus, duodecim nuper enumerati pulsus ad secũdam figurã pertinebunt, utpote alteram motionis speciem semper geminam habentes. Nam primus (exempli causa) uelocitatem tarditati duplicẽ habet, sicuti tertius cõmoderationi. Decem quoq; reliquos si cõsideraueris, unam alteri motionẽ duplicẽ habere cognosces: & propterea iuxta hanc secũdam opinionẽ, ad secundam spectant figurã, qui aliam sequẽdo opinionem, ad priorẽ pertinerent, cum duas tantũ habeant diuersas motiones. Subdit deinde Galenus, se conaturũ fuisse ut hanc litem dirimeret, si magnum inde lucrũ se consequuturũ in arte putaret: sed satis esse hoc tantum statuere, quod modo altera motionũ per maiorẽ fit, quàm reliqua dimensionẽ, modo utræq; æqualiter se habent. Hoc enim si quis tãdiu memoria tenuerit, donec discat quid earũ singula apta sit demonstrare, in utram maluerit figurã duodecim cõnumeratos pulsus reponat.

Demum in ultima huius partis portiũcula, manifestum esse dicit, reliqua duodecim huius secundæ figuræ genera, quæ in totũ sunt inæqualia, nullam cum primæ figuræ pulsibus habere cõmunicationem: hisq; hanc ipsam inæqualitatẽ, quæ in tribus uidelicet attẽditur unius motionis partibus, manifeste adscribi: illis uero qui primæ figuræ cõmunicant, non uerè: & sunt à primo secundum ordinẽ numerando quintus, sextus, septimus, octauus, decimus, duodecimus, decimussextus, decimusseptimus, decimusnonus, uigesimusprimus, uigesimustertius, uigesimusquartus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dicuntur autem duodecim hi pulſus ſecundum tres differentias habere inæqualitatem, non quidem quod tres illas motiones ſpecie diuerſas habeant: hoc enim tantum ſex eorum conuenit: ſexto, qui primam uelocem, ſecundam tardam, tertiam habet commoderatam. Septimo, qui primam uelocem, ſecundam cõmoderatam, & tertiam tardam. Duodecimo, qui primam tardam, ſecundam uelocem, tertiam commoderatam. Et decimoſeptimo, qui primam tardam, ſecundam commoderatam, tertiam uelocem. Et decimonono, qui primam cõmoderatam, ſecundam uelocem, tertiam tardam. Ac uigeſimotertio, qui primam commoderatam, ſecundam uelocem, & tertiam tardam habet. Sed uel quia omnes diuerſas habent, ſicuti ſex nunc enumerata genera: uel ſi duæ extremæ motiones ſunt ſimiles, per intermediam ab eis diuerſam dirimũtur, ita ut in una diaſtole tres animaduertere peculiares diuerſas motiones liceat: quod ſex reliqua genera percurrenti facile cõſtabit, ſcilicet quintum, octauum, decimum, decimumſextũ, uigeſimumprimũ, uigeſimumquartum. Quintus enim licet primam & tertiam partem ueloces habeat, prima tamen à tertia per ſecũdam, quæ tarda eſt, dirimitur: & octaui, prima & tertia ueloces, per mediam commoderatam diſtinguuntur: & decimi, extrema tarda, media uelocitate ſegregantur: ſicuti decimiſexti tarditates, cõmoderatione: & uigeſimiprimi commoderationes, uelocitate: & uigeſimiquarti, tarditate. Quoduis igitur horum generum cõſideranti liquidò patet, quod ſi à prima motione incipias, tres ſemper differentes motiones annotabis. Et hæc quidem eſt earum capitis huius partium expoſitio, quæ aliquam obſcuritatem ob barbaram interpretationem habent. Nam quæ ſequuntur, ubi de pulſibus agitur, qui dicroti, non diſcreti, ut habet communis lectio, ab Archigene uocati ſunt, ſatis clara uidentur. In quibus tamen ſi quid forte te dubitare cõtigerit, idq; mihi ſignificaueris, conabor quantum tenues uires meæ poterunt, omnem tibi ſcrupulum eximere. Vale, &, quod facis, medicinam à fontibus, non à turbidis riuis haurias. Epiſtolæ meæ medicinales quas ſub prælo, & annotationes in Meſuen, quas ſub incude habeo, me in reſpondendo fecerunt tardiorem.

Ferrariæ, IX. Februarij. M. D. XXII.

EPIST. II. pro D. N. Regien. inflatione lubricitateq; uentris, appetitus deiectione, & concumbendi impotentia laborante.

QVatuor ſunt de quibus conqueritur præſtantiſſimus hic uir: quod cibum non appetit, quod inflationem uenti inſtar in uentriculo & inteſtinis ſentit, quod uentrem nimis lubricũ habet, quod ad uenerea impotens ferè eſt. Quæ licet tam uehementia non ſint, ut debitas, ciuis leſq;, ac conſuetas auferant actiones, atq; (ut ſequens eſt) neq; morbi proprie dici, neq; ſymptomata morborum poſſint: quia tamen nõnihil impedimento nunc ſunt, & uerendum ne procedente ætate (agit enim annum 44.) in peius ruant, deterioremq; aliquã inferant moleſtiam: ideo conſilium petit ad cauenda futura, & amouẽda præſentia. Cuius uoto ſatisfacturi aliqua neceſſaria præfabimur, quibus nõ animaduerſis nec præſeruatio, nec curatio recte fieri poſſet. Affectus hi, licet uarij ſint, unam tamen habuerũt, ſicut ipſe narrat, præincipientẽ cauſam, immodicum uidelicet & intempeſtiuum uenereorum uſum: quo ferè per quinquennium perſeuerante, non ſolum genitalia, ſed & naturalia membra magnam imbecillitatem cõtraxere: euacuatis enim multis per frequentiores cõcubitus ſpiritibus, genitalia membra laſſa, & ueluti flaccida, laxataq; adeò remanſere, ut non ſolum ad ſuperflua

Intempeſtiuæ Veneris incõmoda.

ſuperflua opera, ſed & ad ea quæ huic ætati congruerent, ſint inualida. Ex eadem cauſa, concurrente etiam temporis importunitate (ferè enim pleno ſtomacho concumbebat) ipſa naturalia membra, uẽtriculus & hepar, reddita ſunt debilia, & propterea deminuto in eis calore inflatio gignitur: appetitus cibi proſtratus eſt: & retentoria facultas non perfecte ſuo fungens officio, excrementa uentris liquidiora exire permittit. Naturalium autem horum membrorum impedimenta impotentiam illam coëundi fouent: ſiquidem prima ac ſecunda cõcoctione non debite perfecta, tertia non ita perfici poteſt, ut poſtquam reliqua corporis membra, quæ, ut ipſe narrat, fortia ſunt, ſuam alimenti portionem acceperunt, tantũ ſuperſit alimenti, quod ad multiplicandum ſemen ſufficiat: atq; hoc pacto ad impotentiam concumbendi, præter genitalium imbecillitatem, ſeminis quoq; defectus concurrit, qui ex naturalium membrorum debilitate quodam modo dependet. Vt igitur quæ agenda ſunt recte inueſtigemus, conſiderandum eſt hanc concumbendi impotentiam ſymptoma quoddam exiſtere, actionem uidelicet deminutam, à mala temperatura, frigida & ſicca, genitalium pendentem. Ex defectu enim ſpirituũ, & ultimi alimenti, quod in ſemen uertendum eſſet, membra illa diu exinanita frigiditatem & ſiccitatem contraxerunt ultra eam quam naturaliter habebant. Alterum autem horum, id eſt defectus ſeminis, à naturalibus membris pendet, ſicuti ſuperius demonſtratum eſt. A quibus alij quoq; affectus in principio recitati originem trahunt: uentris enim lubricitas, quæ & ipſa ſymptoma eſt, malam uentriculi temperaturã & inteſtinorum ſequitur frigidam & humidam, quæ nunc fouetur à materia pituitoſa, ex mala concoctione facta. In quam etiam alia affectio, id eſt inflatio illa referenda eſt: quæ ſi læderet manifeſte operationes, morbus eſſet in receptaculo, uel in numero. In uacuitatibus enim uentriculi & inteſtinorum adeſt res, quæ adeſſe nõ deberet. Pendent ergo quoquomodo uniuerſa hæc à mala naturalium membrorũ temperatura impenſius frigida, & minus (plus tamen quàm deceret) humida. Non negarim tamen & atram bilem in liene, & circa hypochondria, imò in uniuerſo ſanguine abundantem, tum natura, tum ex accidenti (reſtricto ſanguinis atri per ani uenas fluxu, qui euenire olim conſueuerat) ſua frigiditate malam temperaturam frigidam, & inflationis generationem adiuuare, ſicuti ſiccando humiditatem quadantenus remittit.

Intentiones curatiuæ.

Erit igitur prima intentio, & à qua inchoandum, euacuatio pituitæ, & atræ bilis in toto corpore, & præcipue circa naturalia membra repertæ. Secunda, malæ temperaturæ, factæ per ſua contraria, calida ſcilicet & modice ſicca, remotio. Tertia, inflationis in naturalibus membris abundantis diſſolutio. Quarta, naturalium membrorum, ut ſuo melius deinceps fungantur officio, roboratio. Sed hæc ad præſeruationem potius, quàm ad curationem ſpectat: ſicuti & uictus ratio, quam ſtatuere quintam poſſumus intentionem. Sexta, factam in membris genitalibus coërcebit intemperiem, & ex ea pendentem imbecillitatem.

Quæuis autem harum intentionum ita explenda eſt, ut ad alias interim quoque oculus habeatur. Nam (ut à prima exordiamur) per ea medicamenta abundans materia uacuabitur, quæ nõ ſolum purgent, ſed & malæ temperaturæ aduerſentur, naturalia membra roborent, & inflationem diſſoluant: quæ tametſi diuerſa eſſe poſſint, & ex his quæ parata apud officinas ſemper ſunt, & ex his quæ de integro componi poſſunt, nonnulla tamen à me deſcribentur, quæ noſtro propoſito melius conducere uidentur.

Cathartica atræ bilis.

Prima ſunt catapotia, quæ habẽt, agarici præparati ʒ.2. rhei barbari ʒ.1. lapidis Armenici toties loti ut nec odorem, nec ſaporem amplius in aqua dimittat, & demũ ter quoq; abluti cum aqua roſ. gr. 16. cinamomi electi, piperis longi, maſtiches, ſpicæ nardi electæ ana ʒ.1. aloës bene ex uino Cretico lotæ quantũ omnium reliquorum pondus: reformentur cum eodem uino, deglutiãturq; drachmæ pondere, uel

Universidad de Deusto
Biblioteca

mane,uel per horam unam ante leuem cœnam.

Conducent & hæc: ℈.2. pulueris hieræ picræ Galeni,quam ſimplicem uocant, cum elota aloë,Galeni,non Meſue modo compoſitæ:& ℈.1. agarici præparati cum uino Cretenſi commixta, additis granis duobus lapidis Armenici, ut ſuperius docuimus,loti. Aut ex eiuſdem hieræ ℈.2. & ℈.1. pilularum aggregatiuarum Ioannis Meſue. Quod ſi amaritudinem non abhorreret,prodeſſet ſummopere puluis, qui haberet hieræ,ut ſuperius diximus paratæ ℈.2. fenæ,turbiti ana ℈.s. zingiberis ℈.s. ſacchari ʒ.2. qui cum uino,uel iure pulli gallinacei bibi poſſet. Tempore autem medio inter unam & aliam purgationem,mane ubi ſurrexit, & bene ſe concoxiſſe cœnam ſentit, ſorbeat abſq; aliquo liquore ſyrupi de corticibus citri uncia, cum dimidio tanto oxymelitis ſimplicis. Mixtura enim hæc concoctionem adiuuabit,craſſitiemq; ac tenacitatem humorũ auferens,eos uacuationi reddet aptiores.

Expleta prima hac intentione,quo pacto ſecunda explenda ſit, breuiter docet Galenus, & eundem ſequutus Paulus: optima frigidæ & humidæ temperaturæ aiens auxilia,acria omnia,id eſt, quæ acuta uulgò dicũtur:quibus miſcenda ea quæ adſtringunt abſq; manifeſta infrigidatione. Ex proportione illis reſpondere oportere,quæcunq; extrorſum adhibentur. Scire autem uelim medicos,ſi qui forte hæc noſtra legerint,caput 25. Auicennæ,male in uulgatis codicibus inſcribi,de cura malitiæ complexionis frigidæ & humidæ in ſtomacho: ſiquidem non antè ageret de compoſitis,quàm de ſimplicibus diſtemperantijs.Inſcribendum autem eſſe illud caput,de cura imbecillitatis uentris ſecundum Empiricos, & ſecundum Quintum. Reſpondent enim quæ ab initio capitis ſcribuntur,capiti quarto, iuxta græcam diuiſionem,libri ſeptimi Therapeutices Galeni. Ea autem,quorum principium, Illa uero &c.reſpondent curationi,qua utebatur Quintus, ex eodem capite à Galeno accepta. Innitentes igitur Galeno,non Auicẽnæ,dicimus,ad remouendam diſtemperantiam frigidam & humidam,poſt binam uel ternam purgationem, utendum puluere facto ex duabus partibus piperis longi, & parte una Maceris (uulgò Macem uocant) & æquali cinamomi. Optimumq; præſidium eſſe, pauciſſimũ potũ uini antiqui uehemẽter calidi,in quo ſi abſinthij coma per aliquod tempus maduerit,longe erit præſtantius. Et mulſum confectũ ex duobus ſextarijs uini antiqui potẽtis,cui adſit auſteritas in guſtu, unoq; electi mellis: quæ tandiu ſimul bulliant, quoad fermè dimidium uini ſit conſumptum,terq; per ſacculum excoletur in quo 20. pars pro uini portione ſit pulueris ex piperis longi partibus duabus, cinamomi parte una,gariophyllorum parte media. Extrorſum autem ab ore uentriculi uſque ad umbilicum inungendum cerato,quod habet olei de Spica odoriferi,olei de Maſtiche ana unc.pulueris gariophyllorum,maceris, ſandalorum citrinorum ana ʒ.s. ceræ albæ,& aceti roſati parum. Et hæc dicta ſint de ſecunda intentione.

Auicẽnæ caput male inſcriptũ.

Tertia,hoc eſt,inflationis diſſolutio,ſi ex his quæ ſuprà docuimus,non plenè abſoluta fuerit (euacuata enim materia,& mala amota temperatura, auctoq; calore, ueriſimile eſt inflationẽ ceſſare) ſed reliquiæ aliquæ adhuc ſuperſint,utendum medicamẽto,quod Diatrionpipereon dicitur,non uulgari illo quidem,quod Meſuen ſequuti communiter præparant,ſed eo, quod quarto Salubrium libro Galenus docet. Habet autem id trium piperum ſingulorum partes 25. aniſiq;, thymi,& gingiberis partes 4. quæ optimo melli, & exactiſſime deſpumato commiſcentur. Datur autem ſæpius in die, ante & poſt cibum. Proderit & oleo antiquo uentrem ungere,cui octaua caſtorei pars ſit adiecta.

Gal. Diatriõs pipereon.

His peractis ſi non tantum roboris naturalibus membris acquiſitum fuerit,ut cibum appetere,tandiuq; retinere ualeant,donec concoctus planè ſit, nec uentris lubricitas remiſerit,indendum maius robur eis eſt,quod quarta pollicebatur intẽtio. Vtendum igitur rheo barbarico ſcrupuli pondere, ipſum ſicut eſt maſticatũ uacuo ſtomacho

ſtomacho deglutiendo, addendáque cerato paulò ſuperius deſcripto,media uncia olei coroneorum.

Cuncta autem quæ diximus irrita erunt,niſi congrua uictus ratio coniungatur. Vitanda igitur mali ſucci alimenta, & ad concoquendum difficilia. Longior uero fuerim,ſi ſingula hæc enumerauero,alioqui non ſolum medicis, ſed cuiuis etiam ciuiliter educato ferè cognita. At ſi nonnulla ſelegero ex omnibus,noſtro propoſito magis congruentia,breuitati ſimul & utilitati melius conſulam.

Ex carnibus igitur præcipue ſunt,turdi, perdices,turtures,phaſiani, auiculæ,lepores,capreoli: poſt has gallinæ,& columborum uel ſylueſtrium, uel in turribus nutritorum pulli,uituli,ueruеces,hœdi. Ex granis,oryzæ,& lentes,prima abiecta aqua: chondrus,id eſt far,hordeum. Ex fructibus,pira,& coronea,auellanæ, piſtacia,uuæ paſſæ. Paſſas uuas cum dico,non eas ſolum intelligo, quæ ex Corintho feruntur exiguis acinis,quas Romanias uulgò nominant,quia & eodem nomine Peloponneſi partem appellant,ubi Corinthus eſt: ſed ubicunq; paratas, ſi pingues,ſi cum auſteritate quadam dulces,ſi tenuis corticis ſint:tales enim & per ſe laudantur, & propoſito noſtro plus quàm reliquæ conducunt. Mâla,quæcunque ad hyemem reſeruata adſtringentia aliquo modo in guſtu ſentiuntur: oliuæ,& cappares. Ex oleribus,menta,origanum,intybum,præcipue ſylueſtre,aſparagi. Ex piſcibus,parui, fontini,petrini,non tenaces,non multum pingues. Ex uinis,flaua,odorata cum quadam auſteritate,uel amaritudine. Omitto multa non ſolum ad cibos,potuſq; ſpectantia,ſed ad aërem,ſomnum,exercitiũ, ac reliqua quæ non naturalia uocant,ueluti omnibus nota: & ad ultimũ,hoc eſt,genitalium membrorum roborationem accedo.

Alimenta probatiſſima.

Vuæ paſſæ.

Corinthiæ uuæ.

Quanquam enim his actis,quæ ſuperius dicta ſunt,ſperandum eſt malam temperaturam genitalium deperituram,atq; ipſa debitum robur conſequuturа: nonnulla tamen ſubijcientur huic rei idonea,nõ omnibus cognita: fruſtra enim ea ſcribuntur,quæ cuiuis ſunt manifeſta. Horum aliqua per os ſumenda, aliqua extrorſum admouenda. Ex primis aliqua ſimplicia,aliqua compoſita. Inter ſimplicia hæc maxime conueniunt: Radix,quæ ab Arabibus ſecacul, uulgò geniculam,uel genichellam,alij ſigillum ſanctæ Mariæ, alij,quod folia eius ſimilia fraxino ſint, fraxinellam uocãt: ego polygonaton à Dioſcoride uocatam puto. Lingua auis:hanc reponit Auic.lib.3. inter medullas,lib.autem 2. plantam arbitratur:foliorum enim eius, & corticis medicinas ſcribit. Serapion arborem eſſe dicit ſimilem arbori Dirdar,id eſt Vlmo,quam & arborem Cimicum uocant, corrupto tamen & hic nomine: culicibus enim,non cimicibus ſimilia ſunt,quæ in Vlmi ueſicis inueniuntur animalia. In fraxino tamen,non in ulmo,inuenitur res,quæ Lingua auis nunc dicitur: de qua nulla mentio apud antiquos,nedum ut facere ad Venerem ſcribatur. Linguam quidem anſeris laudat in hac re Plin. lib.30. unde fortè deriuari potuit,quod de auis lingua Arabes ſcripſerunt. Scolymi radix,Cardum Auic.uocat lib.3. Harſuſum lib.2. Articoccum uulgò, uolentes (ut arbitror) dicere Alcoccalon,uoci coccalon,quæ pineam ſignificat,articulum Arabum more addentes. Xyphij ſuperior radix in uino. Eſt autem Xyphion Græcis, nobis Gladiolus, in aruis nascens,folio ad gladij ſpeciem acuto,à quo & nomen accepit: binas radices habens, ſuperiorem,quæ & craſſior: inferiorem,quæ tenuior & ueluti arida eſt. Et hæc de ſimplicibus.

Venerem excitantia.

Vlmus.

Linguæ auis nulla apud antiquos mentio.

Scolymus.

Xyphion.

Gladiolus.

Compoſitionum apud recentiores & antiquos magna eſt copia: inter quas ego hanc elegi,ceu non ſolum ad concubitum, ſed ad robur membrorum omnium,inflationiſq; in prima concoctione genitæ diſſolutionem optime facientem. Recipit autem radicum eius ſatyrij,quod triplici tantum folio conſtat, lilio ſimili,niſi minus eſſet: granorum pini,radicum paſtinacæ ana partes 20. zingiberis, ſeminis aniſi,&

Universidad de Deusto
Biblioteca

erucæ ana partes 10. caudarũ scinci, cinamomi, seminis bulbi ana partes 4. moschi quintam partem unius partis, mellis electi & despumati quantum satis sit: radices in melle coquantur, caudæ, bulbi, & semina bene cum melle contrita addantur, & ubi ab igne hæc submoueris, reliqua in puluerem redacta superadde, cunctaq; exactissime commisce, & in uitreo uase reconde, utereq; mane & uesperi.

Multa quoq; à medicis scribũtur extrorsum ad hunc usum admouenda, in quibus cauendum, ne nimis exiccent: id autem consequemur, si aliqua humectantia commiscuerimus, ueluti sesaminum, aut amygdalinum oleum, uel etiam commune ex bene maturis oliuis paratum.

Misceantur igitur amygdalinum oleum, & quod ex Saliunca præparatũ de Spica uocant æquis portionibus, & pudenda, & quæ circunstant partes inungantur. Aut amygdalino oleo styracis quarta pars, & benzoi decima adijciatur. Vel ex oleo seminũ cucurbitæ, cui pyrethri octaua pars, & uigesima moschi sit adiecta. Laudat Paulus Aegineta oleum cui parum radicis narcissi, uel pyrethri, uel cocignidij, aut staphidos agriæ, aut seminis urticæ sit adiunctum. Hæc igitur sunt præsidia, quibus spero iusto uigori præstantissimũ hunc uirum restituendum, Deo optimo adiuuante, cui decus & honor.

Ferrariæ, VIII. Calend. Septembres. M. D. XXIX.

EPIST. III. Ioannes Manardus P. Nicolao Castelanio philosopho & medico insigni, de Citri semine.

ALiud ex alio negociũ in causa fuit, ut hactenus literis tuis non respon-derim, gratissimis mihi quidem & desideratissimis, ut ab amico profici scentibus, de quo iandiu nihil intellexeram. Sed quarum auxerit gratiam, quod ex his cognoui, te non in eorum medicorũ numero esse, qui tantum barbaris fauent autoribus, ut nihil illis sapiat, nisi quod barbariem oboleat, & putidas illas literas in quibus ab adolescentia nutriti sunt, & in quibus consenuerunt. Tantum autem uideo te ab his abhorrere, & in contrariam abijsse sententiam, ut meæ tibi placuerint epistolæ, alioqui parum dignæ, ut à tam emunctæ naris uiro, qualem te semper cognoui, legãtur, nedum probẽtur. Vel ex hoc uno igitur puto eas tibi placuisse, quod posthabita multorum autoritate, libere ueritatem sequũtur, etsi semper fortassis non assequãtur. Tantum autem uideo eas tibi placuisse, ut ad augendum earum numerum, petas ut discordiam submoueam Auicennæ in Citri semine, quod lib. 2. suæ medicinæ, calidum, in cõmentario de uiribus cordis, frigidum, & in tertio quidem ordine, facit. Quod quidem onus his libenter dimitterem, qui illum sibi in idolum erexere. Apud enim me non tanti est, ut in eo multas, hac etiam apertiores, non cognoscam repugnantias: nec in diuersis modo libris, quales sunt quos tu adducis, sed in uno eodemq; libro, eademq; libri parte, sicuti quadam ad Pactum Mantuanũ medicum epistola, in Populo arbore olim demonstrauimus, de qua quater eodem libro, hoc est, lib. suæ medicinæ 2. scripsit, & semper diuersa. Vt tamen tibi morem geram, dabo operam, ut ipsum, si fieri potest, à contradictione in hoc uindicem. Theophrastus, ut quantum possum altè exordiar, lib. 4. de historia plantarum, sub nomine mali Persicæ & Medicæ, arborem describit, Adrachnes folio, aculeatam, poma ferentem odorata quæ non mandantur. Citra autem ferentẽ intellexerit, an uocata Arantia, sciri certe non potest: quia proceritatis arboris non meminit, quæ his magna, illis ita deest, ut arbusta potius uideri possint quàm iustæ arbores. Sed nec figuram pomo dedit, quæ in Arantio orbicularis, in Citro oblonga est. Virgilius in Georgicis sub Medicæ arboris nomine, ferentem

Auicennam secum pugnare in Citri semine.

ferentem Arantia descripsisse absq; dubio uidetur, cum libro secundo canit:

Media fert tristes succos, tardumq; saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum
Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ
Miscuerunt q; herbas & non innoxia uerba,
Auxilium uenit, ac membris agit atra uenena.
Ipsa ingens arbos, faciemq; simillima lauro,
Et si non alium late iactaret odorem,
Laurus erat, foliis haud ullis labentia uentis.
Flos apprime tenax, animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Hæc ille. At Dioscorides eodem nomine usus, non eandem rem cum Virgilio, hoc est Arantium, sed Citrum intellexit, malum eius oblongũ esse dicens, rugosum, colore auri, & cum grauitate odoratum. Galenus quum arborem malum Medicam appellet, fructum nõ malum Medicũ, sed Citrion uocari ab omnibus scribit: id dubio procul intelligens, quod Dioscorides: carnem quippe edi dicit sicuti corticem: quod de Arantio intelligi nequaquã potest, carnem uel non habente, uel si habet, non talem ut mandi per se possit. Serapion, Dioscoridis & Galeni uerba afferens, nõ de alia re se loquutum ostendit, quàm de qua illi. Quod & pariter dicendum de Auicenna, in 2. suæ medicinæ lib. de Citro eadem scribente quæ Dioscorides, Galenus, & Serapion. Vnus igitur hic erit tuendi Auicẽnam modus, ut de Citro Dioscoridis & Galeni, in 2. suæ medicinæ lib. eum loquutum dicamus: in commentario de uiribus cordis de Arantio. Sed quia Arantiũ in lib. 1. in tractatu de urinis, & lib. 5. uocauit Citrangulum, & semen quoq; ipsius Arantij æque amarum sentimus sicuti Citri, quod est caloris argumentum, ideo hæc tibi fortè non satisfaciet responsio. Et propterea alia uia inuenienda est, qua hanc submoueamus repugnantiam. Dicamus igitur, Galenum sequentes, quod quum duplicem in hoc, sicuti ferè in cuiusuis alterius fructus semine, inueniamus partẽ, unam quidem extrinsecus quæ ueluti cortex est & tegmen, aliam interiorem ueluti nucleum: de hac in commentario de uiribus cordis, de alia in 2. medicinæ lib. loquutum Auicennam. Hanc, ne fortè ficta à nobis credatur, in Citri semine diuersarum partium consideratione, facit Galenus lib. 7. de simplicibus medicamentis: ab initio enim capitis in quo agit de malo Medica, in semine (per semen totum id, ut arbitror, intelligens, quod carnem & nucleum interiacet) dominari dicit acidam qualitatem ac siccandi uim, adeò ut in tertio sit ordine siccantium & infrigidantiũ. Prope finem autem capitis, nucleum, qui est uerum semen, amarum dicit, siccareq; & discutere in secũdo ordine. His igitur duobus modis uel altero eorum tueri quis Auicennianus suum magistrum poterit, ne sibi repugnare in Citri semine uideatur. Quomodo autem ueritati eodem capite non repugnauerit, defendant alij. Ego loca monstrabo, ubi à ueritate uideri potest deuiasse. Cortícem Citri calidum esse ait in primo ordine, siccum in fine secundi: quum Galenus siccum absolute in secundo, nec calidum, sed uel commoderatum dicat, uel parum infra temperamentum. In alia contrarietate, carnem calidam dicit, quam Galenus & Paulus frigidam. Sed neq; in semine Galeno penitus concordat: facit enim calidum in primo, & siccum in secundo: dicente Galeno, quod discutit & siccat in secundo. Decoctum eius suauem oris odorem, & corpus pingue reddere: quorum posterem um nec à Græcis, nec à Serapione scribitur, & omnem excedit rationem. Acidam eius partem esse bonum nutrimentum gutturi & pulmoni: quorũ utrumque rationi, alterum contrarium est etiam Serapioni, nocere pulmoni affirmanti. Eandem sedare mulierum infirmitatem, obscuro sanè sensu, & si de mensibus intelligatur, ut locus ille requirit, à Dioscoridis sententia alieno, qui edi à mulieribus dicit,

Prima cõtradictionis solutio.

Altera solutio.

Auicẽnæ lapsus in toto Citro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

πρὸς τὴν κίησιν, id est, fastidia quæ ipsis prægnantibus superueniunt: quarum Aristoteles quoque meminit, libro de animalium historia septimo. Cogitent qui Auicennam colunt, quomodo his respondeant: sciantq; non temere in toto secundo libro inueniri caput, in quo non similia his, & longe etiam maiora errata diligens lector ualeat inuenire. Tu uero perge ut cœpisti, & pluris sit tibi ueritas, quàm multorum quantumuis magni nominis, multis seculis præscripta autoritas. Vale.

Ex Ferraria, XV. Calend. Martias. M. D. XXIII.

EPIST. IIII. Ioan. Manard. Hieronymo Caranzono medico insigni, de libystico, cordumeno, cardamomo, coralina.

Ligusticum. Libysticum.

EX tribus quatuor ue quæ à me petis doctiss. pariterq; amicissime Hieronyme, uix unum est in quo tibi, nescio etiam an plenè, possim satisfacere. Verum enim Ligusticum, seu (ut Galenus uocat) Libysticum, uix semel conspexi, neq; tunc quidem satis certe. Semen enim solum mihi monstratũ est, cui quidem ea omnia quadrabant, quæ à Dioscoride scribuntur: erat quippe nigrum, oblongum, odoratum, acre, & fœniculi figura. Sed quia neque folia, neq; radicem uidi, affirmare certò non ausim Ligusticum fuisse. Vulgarem uero hanc herbam, quam pro Ligustico passim herbarij ostendunt, apij semper speciem putaui. Sed cum ad certũ eam caput referre laboro, mutare sententiam cogor, atque ad secundam potius Dauci speciem redigere: uerum & hoc non absque formidine, donec partes eius omnes exacte fuerim contemplatus, quod tempestas anni nunc non patitur.

Vulgare Ligusticũ uel ad Apiũ uel ad Daucum redigendũ.

Cordumeni. Cardamomum.

Cordumeni seu Carui agreste à Serapione uocatum, non est ambiguum id esse quod Græci & Latini Cardamomum uocant. Respondent enim quæ eo capite à Serapione dicũtur ex Dioscoridis sententia, his quæ Dioscorides ipse de Cardamomo scripsit, non absque tamen multis erroribus, quorum nonnullos afferre non ab re putaui, non tui causa, quem norim ex eorum numero non esse, qui hisce Arabibus medicis adeò afficiuntur, ut non aliunde medicinam haurire uelint, quàm ex illorum turbidis lacubus: sed propter hos ipsos, si qui fortè tales in Academia uestra reperirentur. Atque ut multa mittam quæ in electione peccauit, atque alia nonnulla leuiora, in medicinis pro Lato uerme Ascarides scripsit, quum sint hi minimi uermes, & infimo intestino hærentes: Latus adeò magnus, ut tota ferè interior intestinorum membrana, in eum uersa uideatur, ut quadam ad Pactum epistola olim aperuimus. Vbi etiam Dioscorides miscerí dicit ad unguenta spissanda: Serapion oculorum uertit collyria. A primo errore nec Auicenna immunis fuit, sub eadem Cordumeni uoce de Cardamomo scribens, pro Lato uidelicet uerme, Ascaridem ponens. Quid uero uterque per Cardamomum intellexerit, bonus erit uates qui diuinauerit. Nullum siquidem in eo cap. græcum autorem affert Serapion: quod magno indicio est, esse medicinã nouam, antiquis medicis incognitam. Duplex uero quum faciant, maius scilicet & minus, in maiore describendo parum inter se sunt concordes: habere enim cortices & capita sicuti rosa dicit Serapion, & esse grana maiora Nabacho, & alia in se granula claudere puluerulenta, odorata, pinguia, & angulosa, sapore acria, & adstringentia. Auicenna, maius Cardamomum nigrum, ciceris magnitudine, album intra se granũ habens. Verum in uiribus quoq; discrepant. Calidum enim & siccum in tertio ordine scribit Auicenna, Serapion in primo. atque in alijs nonnullis differunt, ut uel ex hoc disci possit, quàm parum tutò multi se ægrotantes barbaris autoribus committant. Auget hunc errorem, quod tria semina passim norunt officinæ, non figura tantum, sed & uiribus differentia, quæ pro

Cardamomum Arabũ antiquis medicis incognitum.

Arabũ dissensio in maiore Cardamomo.

Barbaris medicinæ autoribus se cõmittere periculosum.

Errores aliquot Serapionis.

quæ pro Cardamomo uenditant: quorum nullum, uel ad Græcorum Cardamomum, uel ad barbarorũ Cordumenon referri potest, sed nec ad horum Cardamomum. Omnia autem quæ Cardamomi nomen uulgò nunc habent, & ea omnia quæ à Serapione & Auicenna sub eodem Cardamomi nomine traduntur, esse ab antiquorum Cardamomo diuersa, uel ex hoc constare potest, quod nullum eorum uel scribitur, uel ad gustum sentitur, amaritudinis particeps, quam Dioscorides suo adscripsit. Hæc sunt quæ de Cardamomis peregrinis omnino, & propterea parum notis rebus, discere hactenus potui. Ad Coralinam iam accedo.

Semina quæ pro Cardamomo circũferuntur, id non esse.

Coralina, Bryõ Thalassion est.

Coralina, à Coralij similitudine, dum utrunque in aqua est, nomen accipiens, & quæ à triginta quinque ferè annis hactenus ad eijciendos è uentre uermes magni usus esse cœpit, à Dioscoride, ni fallor, Bryon Thalassion, hoc est Muscus marinus, dicta est. His enim uerbis Bryon describit libro quarto, capite nonagesimo: Bryon Thalassion nascitur in lapidibus & testis in mari, capillosa, tenuis, absque caule. quæ omnia Coralinæ uocatæ, natalibus & effigie ita quadrant, ut nulli rei alteri magis. Bryi autem, seu Musci nomen, si quis iam siccam intuetur, cõgruentissime attributum ei cognoscet. Effigie enim & colore Musci, supra arbores quasdam nascentis, conspicitur. Duo tamen sunt quæ huic sententiæ aduersari uidentur: unum, quod in Hermolai uiri doctissimi interpretatione lactucæ folijs maritimũ hoc Bryon pingitur: alterum, quod nulla interficiendi uel educendi uermes uis ab autore ullo uel græco uel barbaro ei attribuitur. Verum ad primum dicimus, Hermolaum nimis hoc loco, sicut in alijs pleriscp Plinio credentem, non quod in Dioscoride, sed quod in Plinio legerat Bryo adscripsisse. Sic enim ille scripsit libro uigesimosexto Naturalis historiæ, capite octauo: Bryon marina herba, sine dubitatione lactucæ folijs simili- »
lis, rugosa, ueluti cõtracta, sine caule, ab ima radice exeuntibus folijs: nascitur in sco »
pulis maxime, testisq; terra comprehensis. Discordia autem hæc inde nata uidetur, »
quod Plinius uel in Dioscoride (si eum sequutus est, ut multi credunt) uel in alio autore græco, non trichodes, quod capilli similitudinem ostendit, sed tridacodes, quod lactucæ, legebat. Nec ego in hac parte Marcello consenserim, putanti aliud esse Bryon de quo Plinius, ab eo de quo Dioscorides agit: ita enim concordant medicinæ, & præter folia ferè reliqua, quæ uterque scripsit, ut credi non debeat, diuersas ab eis res eodem nomine comprehensas. At si Plinius & Dioscorides Bryo suo peculiarem aduersus uermes uim, qualem in Coralina cognoscimus, non attribuerunt: non propterea putandum, aliud esse eorum Bryon ab hac nostra Coralina. Siquidem nec medicinarum singulas uires agnouerunt antiqui, nec quascunque nouerunt, scriptis mandauere. Adde quod nec Bryon ubicunque natum, æqualem habet in hoc efficaciam: sed certis quibusdam Italiæ locis hoc expiscantur pharmacopolæ, quod sub Coralinæ nomine plebi uenditant. Hæc sunt quæ ad tua quæsita nunc occurrerũt: quæ licet putarem acri tuo ingenio non plenè satisfactura, malui tamen ea, quàm me abs te culpari. Vale.

Ex Ferraria, VI. Februarij, M. D. XXIII.

EPIST. V. ad Andream Turrinum medicum responsio ad nonnulla quæsita.

REdditæ mihi hodie fuerunt literæ tuæ: quibus quantum per aduersam ualetudinem licuit, exigente celeritatẽ nuncio, breuissime respondeo.

Paulus duo capita scribit: alterum, cui titulus, De superflua mulierum purgatione: secundum, De muliebri fluxu: in quo sic scribit ad literam: Fluxus est rheumatismus uteri, quo totum corpus expurgatur. Tale autem est id quod uacuatur, quale est id quod abundat: rubrum quidem »

Fluxus muliebris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

» ut ἰχὼρ, id est, sanies quædam sanguinis, album uero à phlegmate factum: aliud pal
» lidum, à bile factum amara, aliud aquosum. Si sanguis purus ceu secta uena fera
» tur, attendendum diligenter ne corrosio adsit in utero. Cognoscitur fluxus, quo
» niam continue loca ex uersicoloribus humiditatibus madescunt: quæ autem labo
» rat mulier decolorata est, non appetit, non bene nutritur, & in ambulando difficul
» ter spirat, tumescentes habet oculos, atque quandoque dolet, quandoque non, mo
» doq; cum ulcere, modo sine eo, & aliquãdo cum phlegmone, uel cum sorde, uel pu
» re. De curatione uero sic scribit: Quoniam hæc passio humida est, subueniendum
Fluxus mulie brem curan tia. » est uniuerso corpori cum his quæ absque manifesto calore exiccant. Vtendum igi
» tur frictione totius corporis, atque unctione ex melle cocto, dandaq; diuretica phar
» maca, sicuti aqua in qua est coctum asarum & apium: totúmque corpus per uen
» trem uacuandum. Et hæc quidem sunt quæ scribit Paulus, additq; multa ad ad
stringendum idonea, & ad dolorem sedandum, necnon quibus in interpollationis
bus utendum: quæ ideo non scripsi, quod ea tibi cognita esse iudicaui. Aliud igitur
An diuretica omnia menstrua prouocent. potius aggredior, quod & maiori eget perscrutatione: an uidelicet omne quod uri
nam prouocat, menstrua quoq; prouocet: & si ita est, quomodo asarum & apium
in casu nostro conuenient, quum menstrua prouocent. Manifestum certe mihi ui
detur ex Galeni sententia, licet non omnia quæ urinas mouent, menstruas quoq;
purgationes moueant, multa tamen esse quæ utrunq; faciant, inter quæ asarum &
apium connumerari à Galeno euidentissimum est: siquidem loco per te allato, in-
Menstrua pro uocantia. ter medicinas quæ menstruas purgationes in totum detentas prouocant, Asarũ re
posuit cum Sauina uidelicet, Meo, Iride, Calaminthe, Pulegio, Dictamno, Costo,
Apium. Casia, Amomo, Cinamomo. Apium uero idem posse, scripsit idem Galen. lib. 8. de
» simplici medicina, in hunc modum: Apium adeò calidum est, ut urinas & men
» strua moueat. Nec obstat, mea quidem sentẽtia, id quod dicis ex Galeni sententia,
esse aliquas medicinas quæ singulares sunt, ex hoc nomine, quod uidelicet ita pro
uocant urinam, ut nõ menstrua, & lac: & quod sunt calidæ & siccæ, quum ea quæ
prouocant menstrua, sint calida & humida. Non enim ita dixisse uidetur Galenus,
Lac gene rantia. » sed hoc modo: Quæcunq; calefaciũt & exiccant moderatè, ad lactis generationem
» sunt utilia: quæ uero plus calefaciunt, non tamen uehementer exiccant, mensium
» lationibus sunt idonea: urinas autem & ambo hæc prouocant: & præter hæc nihil
» minus quæcunq; calefaciunt & exiccant, quæ propterea eximie uretica uocantur,
» non quia sola urinam moueant, sed quod solam absq; mensibus & lacte. Non igi
tur negat Galenus medicinas menstrua prouocantes esse uel actu uel potentia sic
cas, sed non adeò siccas esse ut illas, quæ per excessum quendam ureticæ nomina
tur: alioquin sibi ipse manifeste repugnaret, quum & Costum, & Casiam, & Cina
momum prouocare menstrua dixerit, quæ potentia sicca sunt, & nõ nisi actu quo
que sicca ex orientalibus locis ad nos afferuntur. Neq; hoc Galeni dictum de ure
ticis ita ad uiuum resecandum est, ut credamus nõ posse inueniri medicinam, quæ
Sauina. simul & uehementer exiccet, & menses prouocet: quum ipsemet lib. 6. Sauinam
inter fortiter exiccantia cõnumeret: quam tamen in educendis mensibus nulli me
dicinæ postponit, adeoq; ureticam facit, ut sanguinem per urinam educat: nam ad
menstrua prouocanda non tantum uehementia siccitatis obest, quantum tenuitas
partium prodest: quæ etiam facit ut Casia in tertio ordine sicca, & Cinamomũ, (cui
parem nihil æque, hoc est, in tertio saltem calidum, exiccandi uim habet) menstrua
uehementer educant. Si quid igitur est quod urinam solum mouere possit & non
menstrua, calidum id esse oportet, & uehementer siccum, nec tenuium partium.
Asarum autem & Apium non esse inter hæc enumeranda, uerba ipsa Galeni aper
tissime monstrant, utrunque (ut suprà ostensum est) inter prouocantia menses re
ponentis. Vnde cogimur dicere, non propterea hæc in casu nostro esse uerenda,
quod

quod menstrua prouocent: siquidem maius ex his iuuamentum consequemur in
eo quod urinas mouent, quàm sit nocumentũ, quod ex prouocatione illa consequi
possumus, quod certe uel nullum est, uel ualde exiguum: quoniam malæ illæ hu
miditates in utero & toto corpore retentæ (ut præter rationem experientia quoq;
ipsa docet) magna ferunt nocumenta. Doctrinam igitur Galeni sequentes, primo
materias peccantes proprio medicamine purgabimus, quod aquosos humores per
uentrem educat: deinde Asari & Apij decoctum dabimus, quod humiditates ipsas
ad uterũ fluentes ad ureticas uenas traducens per urinam purgabit: & si quæ erũt
in utero congregatæ, uel adhuc ad eum fluxerint, leniter per os ipsum uteri emun
dabit: deinde rursus per inferiorem uentrem purgantes simul & uacuabimus, &
diuertemus: postea frictionibus & unctione eadem perficiemus: demumq; ad ad
stringentia, nisi per hæc finem optatum fuerimus consequuti, pergemus: ita enim
procedit Paulus: & enumeratis multis adstringere ualentibus, subdit, & quæ in ute
ro sanguinem manante dicta sunt, quæ non sunt multũ fortia. Huic autem pro
cedendi modo Auicenna quoque consentire uidetur cap. 23. cui titulum facit, De
cursu matricis: quod quidem caput, capiti Pauli superius adducto correspõdet, ad
iectis tantummodo pauculis, quæ ad fluxum seminis spectant. In hoc tamen à Pau
lo differt, quod per iniecta uterum emundat & adstringit, non per epota, quod alio
capite, hoc est quarto, effecerat: cuius titulus esse debet huiusmodi, De cura fluxus
sanguinis: & in fine eius de cura patientis fluxum ex aquositate sanguinis. Incipit
autem hanc curam his uerbis: Et reiteremus distinctionem curæ fluxus sanguinis »
facti propter tenuitatem & aquositatem eius. Dixit autem reiteremus, quoniam su »
prà eodem capite dixerat de eo his uerbis: Et si causa eius fuerit aquositas, & prouo »
catio eius scilicet per urinam, & retractio eius ad cutem supple, erit eius curatio, & »
detur in potu de gummi Arabico, & Tragacantho, facta uidelicet diuersione & ua »
cuatione per urinam & sudorem. Quam curam ueluti cõcisius positam, rursus re »
petit in ea parte, Dico ergo: interpositoq; uno remedio ad ulcera, ponit curam ali
quorum una & eadem uia procedentium in cuiusque fluxus muliebris curatione,
siue ab aquositate, siue ab alia proueniret causa: quæ cura constabat ex prouocatio
ne, adstrictione, confortatione per uices facta: cuius ipse iudicium faciens in fine ca
pitis eam in plerisque laudat: fieri tamen ait quandoque fluxum sanguinis ex alijs
causis, non ex tenuitate & aquositate, quæ cogunt uti à pure styptícis puris. Distin
ctiorem autem doctrinam nobis reliquisset Auicenna, si, quemadmodum Paulus
facit, seruasset penitus distincta capita de superflua menstruorũ purgatione, & de
cursu seu fluxu uteri, quæ ita differunt secũdum Paulum, ut in illo de superfluente
menstruo, hoc est singulo quoque mense facta sanguinis uacuatione:
in hoc de assiduo uel sanguinis, uel alterius huiusmodi hu
miditatis fluxu agatur. Hæc sunt quæ mihi,
alioqui podagra afflicto, & nuncij
celeritate, ne dicam im
portunitate
penè
oppresso, ex tempore occurrerunt: ut uenia
dignum uideri debeat, si quid
peccatum
est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LARVM MEDICINALIVM LIBER DVODECIMVS.

EPIST. I. Ioannes Manardus Ferrariensis medicus, Vincentio Caprili medico, de cochleari, & acetabulo.



VVM apud Cælium, uirum sicuti doctrina, ita liberalitate atque omni uirtutum genere nemini secundum, fortè epularemur, interq; alia mensæ instrumenta, argẽtea cochlearia apponerẽtur: tu ne asymbolus penitus in cõuiuio uidereris, in quo præter epulas, quas Cælius ipse semper lautissimas conuiuis præbet, solet quisq; cõuiuarum selectum aliquid in literis proponere, quæstionem nobis in cochlearis mensura mouisti, parem oxybapho eius faciens capacitatem. Quod cum Cælius minime probaret, atq; ego minimo minus, tu expletis epulis & plerisq; alijs disputationibus inter cõuiuas agitatis, demumq; allato Pierij Valeriani, cuius honorandi gratia cõueneramus, de mysterijs antiquis libro, magnaq; cum uoluptate & laude multis eius capitib. à nobis auscultatis, quasi cõcoquere eruilium quam cum cochleari hauseras, nõ posses, domum reuersus, tumultuariã epistolam ad Cælium adornasti, in qua tuam de cochleari sententiam conaris adstruere: melius certe horas illas collocaturus, si quæ ultro citroq; in utiliore argumẽto dicta fuerãt, annotasses. Sed fit nescio quomodo, ut errare quisq; malit, nouumq; errorẽ antiquo addere, quàm deprehẽsus monitusq; resipiscere, & alijs rectius sentientibus cedere. In hac epistola post procœmiũ, primo ex Plinij autoritate acetabuli mensurã, quod idem oxybapho est, heminæ quartam partem capere ais, hoc est drachmas 15. Addis præterea, acetabulum idem esse Latinis, quod Græcis est cotyledon, multasq; ac diuersas significationes habere. Cotylã quoq; in Græcorũ conuiuijs mensurã fuisse, cuius apud religiosos quosdam adhuc extent uestigia: Romanos uero ea usos ad intinctus, & ab aceto uocasse acetabulum: cuius forma esset parua, rotũda, sensim in cõcauitatem desinens, ut in cochleris figura cernitur. Ab hac figura herbam quandam uocatam, quia folia habet acetabuli figura: & acetabula in pisce polypo, & apud Galenum uteri cotyledones, partes esse concauas, in quibus fœtus hæret, & ossium cauitates. Addis præterea, id quod potissimum urgere ais, modum medicinarum, quod Thymelæa datur ponere acetabuli, similiter & Thlaspi, item Epithymum & Tithymallus, quod non fieret si magna mensura esset acetabulum. Hæc sunt (ni fallor) tuæ disputationis capita. In quibus quantũ à scopo cadas, nemo non uidet, qui uel primum pedem in primis disciplinis promouerit. Problema disputandum erat, an cochlear & acetabulum essent idem. Cuius problematis partem affirmatiuã adferre nemo potest, nisi ostendat utroq; nomine eandem rem significari. Quũ enim, Aristotele teste, Idem tribus præcipue modis dicatur, genere scilicet, specie & numero, nec de primis duobus modis esset disputatio: nullus enim negabat & utraq; esse uascula, & in usum mensarũ uenire: sed de tertio tantum, an scilicet idem numero, erat cõtrouersia. Eadem autem numero sunt (ait idem Aristoteles) quorum nomina quidem plura, res uero significata eadem. Tuum igitur erat probare, per acetabuli & cochlearis nomina eandem mensurã significari: quod non facis: sed cochleari in totum deposito, acetabulum tantũ amplecteris, atq; ita pro arbitrio uersas, ut inter acetabula cotylam quoq; reponas. Quod certe apte nunquam fiet, nisi pluribus acetabulis obruatur: quadruplo enim maius uas est quàm acetabulũ cotyla, iuxta bonos autores, quũ sit eadem cũ hemina. Oportuit autẽ te, seposita aliquãdo cotyla & acetabulo, cochleari manum

Pierij Valeriani liber de mysterijs antiquis.

Cotyledones.

Idem tribus modis dici.

Eadẽ numero.

Cotyla.

Hemina.

manum admouere, nobisq; ostendere eius capacitatẽ esse cum acetabulo parem: quod quum tota epistola non facias, frustra te in acetabulo & cotyla laborasse aperte ostendis: Hermolai enim autoritas, licet uiri nostro seculo doctissimi, non tanti momenti est, ut Galeno, Paulo, Plinio, Africano, Prisciano, uel Remnio, alijsq; antiquioribus, qui diuersa ea uascula putauerũt, anteponenda sit. Alioqui neq; corolarium, imò neq; ipse sub eius nomine uulgatus Dioscorides, doctrinamq; & grauitatem Hermolai mihi ubiq; redolent. Nam ut alia nunc mittam, quis tantam hallucinationem in Hermolao alioqui oculatissimo admittat, ut cochleare ab acetabulo discernere non ualuerit: præsertim quum aliquando Plinium sequutus, cochleare ligulam interpretatus sit, sicuti capite de Pytiusa. Sed Hermolai autoritate in præsentia omissa, ad ea quæ tu urgere potissimum dicis, conuertamur. quæ tamen tantum absunt ut urgeant, ut nec rem quidem uel de longinquo attingant, sed maxímo ab ea absint interuallo. Nihil enim aliud probant, etiam si quicquid petunt, concedatur, quàm acetabuli mensuram non esse magnam. Sed quæso mi Vincenti, nónne in Aristotele puer legisti, magnum & paruũ de numero eorum esse quæ ad aliquid referuntur: miliq; granum, quanquam reliquorum cerealium comparatione paruum dicatur, alteri tamen sui generis grano collatum, magnũ dici posse: Atq; econtrario, montem paruum dici, qui sit myriade modiorum maximi milij longe maior? Dicimus igitur, acetabulum, modio, sextario, medimno, cado, & ci. Cochleari uero quãtumuis magno, maius longe, sexcupla scilicet & decima proportione. Est enim acetabulum, etiam temet ex Plinij autoritate teste, quarta pars heminæ, quæ secundum omnes autores idem est cum cotyla: quare fit ut cotyla una quatuor supra sexaginta contineat magna cochlearia. Vide igitur in quem labyrinthum te Marcellus coniecerit, à quo ferè ad uerbum bonam tuæ epistolæ partem excripsisti. A quo errore nec ipse immunis est, si id quod tu, de acetabulo sensit & cotyla. Quod ego tamen credere non ausim, de homine tantæ lectionis & eruditionis: nec eius uerba hoc aperte monstrant, quæ sunt: Cotyledon facta est à cotyla Græcorum in poculis & conuiuio uini mensura & uasculo. Et paulò infrà: » Quoties autem seruata eiusdem uasculi forma in alium transferebatur usum, oxybaphum uocabatur. Quæ Marcelli uerba ad formam figuram ue potius spectare, » quàm ad capedinem uidentur: sicuti prima uerba ad uocis potius derivationem, » quàm eiusdem rei significatum pertinere. Quemadmodum & id quod de poculis fictilibus, quibus in paupertate & cœnobijs (ut ipse ait) utuntur. Si enim uascula fictilia quibus in cœnobijs utuntur, antiquis cotylis essent ambitu & continentia æqualia, sicut iuuenibus & robustis forte commoda, ita senibus & tremulis ualde essent incommoda, ut quæ utraq; etiam manu, ut mos est istis hominum generi pocula amplecti, uix possent labris admouere. Sed siue magna sit, siue exigua acetabuli mensura, non potest certe minor esse quàm drachmarum quindecim, si Plinio standum est, quem tuis copijs ueluti ducem præmisisti. Si igitur Thymelæa (ut dicis) est de maxime soluentibus uentrem, quis audeat ex ea, quocunq; nomine, acetabuli uel cochlearis uocetur, quindecim drachmas semel dare? Dicere igitur oportet, uel locum illum in Dioscoride deprauatũ esse, uel folia Thymelææ, quæ Cneorũ usq; ad Theophrasti tempora uocabantur, non esse inter fortissima purgatoria numeranda. Ego primæ parti potius accesserim, ut qui norim Mezereon nunc uocatũ, corrupta scilicet uoce à Cneoro, adeò uehemẽter purgare, ut nedum acetabulum, quod iuxta omnes bonos autores cyathum unũ semis capit, hoc est, heminæ quartam partem, sed uix cochleare paruum, id est, triobolum, quod minimum est omnium mensurarum, forti uiro audeam exhibere. Locum igitur depraua tum omnino puto, quod etiam ductus ipse uerborum ostendit, orationisq; interruptus ordo:

Magnũ & paruum dici ad aliquid.

Acetabulum.

Mezereon.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dioscoridis locus deprauatus.

primo enim plurali numero, folia nominat, ubi docet, ἀφαιρεῖν γὰρ αὐτῆς ἴνας. deinde singulari, καθαίρει δέ. & paulò post, ἄγει, & ποιᾷ, & μιχθέν. deinde redit ad plurale, λεῖα, ἀναλησθήτα. Auget autem causam huius suspicionis, monstratq; quodam pacto uiam intelligendi hunc locum, ultimo æditus Dioscoridis codex, in quo legitur, ὧν πλεονόμενον ὅλον ὀξυβαφον πλῆθος. quasi uelit Dioscor. non bibi acetabuli mensura, sed emplastri modo apponi: in quem modum nec maior etiam acetabulo quantitas uerendâ. Et hæc quidem de Thymelæa, licet præter rem, non tamen ab re dicta sint. Thlaspi & Epithymum nihil moror, in illo enim Galenum, cui refragari nemo audet, in hoc Mesuen, cui multi credunt, habeo suffragantes. Horum posterior uigínti drachmas eius præbet: alioqui experientia ipsa docet, Epithymū non esse inter uehementia medicamina censendum. Argumentum uero quo probas acetabulum uideri quatuor drachmis minus, optime refellit Cælius, in literaria palæstra athleta inuictus. Maior difficultas est in Tithymallo, si tamen ea uerâ sunt, quæ tu de eo ex Dioscoridis sententia scripsisti. Equidem quum omnia quæ ille de septem Tithymalli generibus scripsit, diligenter perlegerim, de nullo legi, quod folia eius acetabuli integri mensura præberet: sed de primo tantum uocato Caracia, quod dimidiati. Excerpta autem ut puto à te ea uerba sunt ex cap. de Peplo, de quo mini me mirum dari acetabulum, quum & opsonijs ad aluum molliendam telte Plinio inspergatur, quod certo indicio est non esse ualde medicatum. Videmus etiam rusticos, oleris modo supra duo acetabula folia Anabuli, & utriusque Sambuci esitare, atque ὀρθοκάθιλω, ut Hippocratis & Galeni uerbo utar, nec propter hoc à consuetis negocijs laboribusq; cessare. Ecce igitur, ut quæ tu maxime urgere putabas, nullo fere negocio cecidere. Supereſt, si cauillatoris notam, quam nobis uelle inurere in calce tuæ epistolæ uideris, delere uoluero, ut scilicet melioribus quàm tui fuerint, testibus probem, oxybaphum acetabulum ue maius esse cochleari: quæ certe res adeò in propatulo est, ut pudeat in ea tempus conterere. Vtar autem, quia cum medico ago, medicorum tantum testimonio. Verum quia intelligi non potest, an oxybaphum apud antiquos medicos idem sit cochleari, nisi utriusque mensura recte à nobis inuestigetur: ideo utrunque medicorum testimonio metiri conabor. Oxybaphum tuipse definisti esse drachmarum quindecim. Si ergo probauero tantæ capacitatis non esse cochleare, teipso opinor iudice uictoria à nobis stabit, etiame non monstrante certam cochlearis mensuram. Incipiens igitur à Dioscoride ceu antiquiore, ostendam ex eius dictis, cochleare non posse drachmas quindecim capere. Primus locus sit, cap. de Aloë, ubi dicit cochlearia duo soluere uentrem, & stomachum purgare. Insanior autem sit Oreste, qui triginta drachmas aloës, uel elephanto ad ciendam aluum dederit. Hoc argumento aperte monstratur, cochleare non esse oxybaphi capacitate. Sed audi aliud, quo eius minimam mensuram agnoscas. Paulò post ea uerba addit idem Dioscorides, drachmas tres aloës perfecte purgare. Ex his manifeste colligitur, drachmas tres plus esse quàm duo cochlearia: duo siquidem cochlearia soluunt uentrem, & stomachum tantum purgant: drachmæ tres perfecte purgant. Sequitur igitur ut cochleare minus capiat apud Dioscoridem quàm sesquidrachmam. Sed audi & Plinium de eadem aloë loquentem libro 27. cap. quarto: Datur, inquit, ad stomachi dissolutionem in duobus cyathis aquæ tepidæ uel frigidæ, cochlearis mensura, bis terue in die ex interuallis, ut res exigit. Purgationis etiam causa plurimum tribus drachmis. Ex his Plinij uerbis sequitur, quod cochlearis capacitas minor sit quàm integræ drachmæ: quando tria cochlearia non tantum possunt apud eum, quantum tres drachmæ. Idem alio testimonio Dioscoridis probatur capite de Pityusa, purgationis gratia dantis foliorum tres drachmas, radicis duas, seminis unam, succi uero cochlearium. Succum enim esse in hisce plantis potentiorem semine, docet in lib. de simplicib. medicamētis Galenus.

Epithymum.

Aloës dosis.

Cochlearis capacitas.

Notum

Notum quoque & illud est, quod quanto res potentior, tanto eius exhibenda portio minor. Quod si datur seminis drachma, & succi cochleare, sequitur plus esse drachmam quàm cochleare. Scillæ quoq; assæ, octuplo salis commixtæ, dat idem Dioscorides duo cochlearia ad aluum emolliendam. Sed per Deum rogo, quisnam fuerit, uel Dacus uel Geta, qui eius miscellæ triginta drachmas possit elitare? Aut eius quæ salis sex cyathos, & scammonij drachmas uiginti recipit, deuorare drachmas quinq; supra quadraginta? quum tamen perfectam desideranti purgationem, tria eius cochlearia dari Dioscor. præcipiat. Sed præterea quis adeò temerarius sit medicus, qui struthij, id est radiculæ, in quarto ordine calidæ, drachmas quindecim audeat exhibere, cuius tamē idem Dioscorides præbet cochleare? Liquet igitur apud Dioscoridem exiguam esse cochlearis capacitatem, uixq; conferendam, nedum æquandam acetabulo. Idem ostendamus Galeni testimonio. Is lib. 11. de simplicib. medicamentis, dari iubet castorei cochleare: quod neutiquam facere, nisi exiguam & ipse putasset eius capacitatem. Lib. uero 7. curatiuæ methodi, ubi mediocriter cupimus euacuare, hieræ duo parua exhibet cochlearia: quando ad summum & plurimum, duo magna: minimam dosin esse dicens paruum cochleare. Quæ palàm ostendunt, & duplicem esse cochlearis mensuram, & utranque acetabuli comparatione exiguam, præsertim quum acetabulum maius putauerit quàm Plinius. Siquidem lib. 6. de medicinis cōpositis secundum genera, quum tres cotylas distinguat, unam scilicet nouem, aliam 16. & tertiam 12. unciarum (quam heminam Italicam uocat lib. 4. de tuenda ualetudine) nullum acetabulum minus facere potest quàm uiginti drachmarum: si (ut omnes affirmant) acetabula quatuor heminam uel cotylam complent. Sed age aliorum quoq; testimonio medicorum, certam utriusque inuestigemus capacitatem. Est apud me antiquus codex Lazari, re & cognomine Bonamici, & utraque lingua eruditissimi, in quo multa habentur ad medicinam pertinentia, atq; inter reliqua medicinalis Dioscoridis materia: cui adnectitur commentariolum sub eiusdem Dioscoridis nomine, de mensuris & ponderibus inscriptum. In hoc ita de oxybapho scribitur: Oxybaphum, quod est quarta pars cotylæ, capit uncias binas semis. De cochleario uero hoc modo: Cochlearium grammata habet tria. Gramma autem, ipsomet teste, ualet obolos duos: oboliq; sex apud omnes autores drachmam faciunt. Quare iuxta hunc scriptorem cochlearium continebit drachmam unam, quæ erit uigesima pars oxybaphi, & octuagesima cotylæ, quod de magno cochleari intelligere oportet. Apud Paulum uero Aeginetam ita legimus: Oxybaphum habet cyathum unum semis: cyathus chemas paruas, seu mystra parua duo. Mystrum autem hoc paruum, licet Paulus nō definiat, est unius unciæ. Quare secundum Paulum oxybaphum continebit uncias tres: & hæc quidem est communis sententia: sicuti & quod cotyla capiat libram integram, & parum cochleare tres obolos, magnum sex. Vides igitur mi Vincenti quàm malo fundo innixa fuerit tua de cochleari & acetabulo præpropera sententia, quam ue nostra solida & bene fulta. Nolim tamen te quasi absterritū, terga omnino uel manus dare, sed à prælio quidem te optarim, non tamen à bello semel nobiscum inito, cessare, quin potius redintegrata acie nos in alio campo minus paratos aggredi. Ex mutuo enim hoc congressu ueritas plerunque eruitur.

Vale.

Ex ædibus nostris, XV. Calend. Quintiles.

Cotylæ species tres.

» *Oxybaphū.*
»
»
»
» *Cyathus.*
» *Mystrum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. II. ad Hieronymum Auegnam Vitilianen. medicum insignem, stranguria & dysuria uexatum.

Stranguria. Dysuria.

QVum inter seniorum affectus, ab Hippocrate ultimo aphorismo libri tertij recitatos, urinæ stillicidia, difficultatesq; numerantur, quas strangurias & dysurias Græci, & ferè nostri seculi medici uocant: nemo miretur, si tu quoque (qui, ni fallor, iam sexagesimũ annum exegisti, post uigilias, labores, & curas, quas necesse est eum perpeti qui medicinã exercet, præsertim in eo loco, ubi non adest alius qui fesso tot laboribus manũ subdat) in hos casus incidisti. Sed illud potius admiratione dignũ, quod statis determinatisq; circuitibus, hoc est, 15. quoque die hisce affectib. tribus quinque ue ad summum diebus sequentibus affligaris, reliquo tempore tali molestia careas. Huius typi circuitusq; causam quum à me coram peteres, ad Galenum statim confugi, qui 2. lib. de differentijs febrium causas huiuscemodi circuituũ, tum in membrum mittens, tum in id quod recipit, transfundit. Ita enim natura insitum esse, ut quæcunq; particula robustior est propria quadam ui, id à quo læditur ad debiliorem transmittat, nec cesset ista transmissio, donec ad imbecillissimam uentum sit. Fit enim in corporis particulis idem quod in ea mala republica, quam Aristoteles uocat ὀλιγαρχίαν, in qua qui plus possunt, minus potentes opprimunt, & hi rursus alios, donec ad infimam plebeculam peruentũ sit, quæ adeò omni potestate destituta est, ut eam necesse sit opprimi tantum, & neminem opprimere. Ad eundem modum membra quæ principem locum in corpore tenent, quicquid in eis redundat, ad ea transmittunt, quæ minoris dignitatis sunt, & hæc rursus ad alia, donec uel extra corpus pellatur, uel in aliquam ignobilissimam partem decumbat. Fit autem hoc præsertim, quando præter id quod particula minus nobilitatis habet, est etiam ad suscipienda excrementa deputata: ex quorũ numero una est uesica, ad serosum humorem

Vesicæ munus.

suscipiendum, atque ad exteriora demittendum fabricata: cui serosæ humiditati, si quid uel totius corporis, uel iecoris, uel renum uitio maligni miscetur, id simul cum urina recipi ab ea necesse est. Quod ubi paulatim congestum ad molem uenit, quæ operationẽ uesicæ in excernenda urina impedire possit, tunc stranguria dysuria ue fit, & pro qualitate eius morsus ardor ue quispiã in urinæ exitu excitatur: quæ symptomata tantisper durant, donec materia illa tota exierit. Facit etiam ad huiuscemodi malæ rei in uesica aggregationem, uesicæ ipsius præternaturalis quædam imbecillitas, paulatim ex talium rerum receptione acquisita. Facit & dolor calorq; loci, ita ut hæc sese mutuò augeant, materia quidem calorem mordentemq; dolorem, atq; hi rursus materiam: fitq; demum ex his omnibus, ut ipsa quoque uesica ob imbecillitatem, proprium alimentum non probè transmutet, atq; hoc pacto ipsa quoque sibimet perniciem afferat, cõcurrente etiamnũ quadam dispositione in ea permanente, non absimili qualitati quæ in his uasculis remanet in quibus opsonia elixantur. Hæc igitur sunt, ni fallor, causæ, quamobrẽ per uices circuitusq; affligaris.

Periodica afflictio.

Quænam uero sit nocua illa res, quæ ita per uices aggregatur, incertum esse uidetur: possunt enim arenulæ, possunt lapilli, potest humor aliquis, & hic quidem uel bilìosus uel salsuginosus, ardorem excitare, atq; uel per se & absq; medio, uel ut cusculo mediante. Nullius autem horum adsunt indicia præterquam arenularum & pituitosi cuiusdam humoris, quæ ambo remittente se ardore exire consueuerũt: quare proculdubio ab his facta ea symptomata uidentur, quibus exeuntibus quiescunt. Sed quoniã excellens quidam medicus, quo cum nobis fuit circa casus hosce tuos disputatio, suspicabatur uehementer à calculo hæc fieri, nec tu ab eius sententia multum abhorrere uisus es, ideo operæpreciũ me facturum putaui, si hanc sententiam

tentiam pro uiribus eliminarem, præsertim quum non exigui sit momenti ad curatiuas intentiones inuestigandas. Sed quoniam argumentum, quo ex tempore usus sum, maturius etiam rem considerãti uisum est efficacissimum, ab eo exordiũ etiam nunc faciam. Dicebam enim, si symptomata hæc per uices à calculo fiunt, uel calculus in uesica semper adest, uel à renibus ad eam transmittitur. Si primum, nulla ratio assignari poterit, quare per certa & signata interualla affligat. Fieri quidem forte posset, ut nõ semper eodem modo infestaret, sed magis minus ue, secũdum quod uel in caua parte, uel prope ceruicem inueniretur. Verum si hoc esset, non uideo quomodo certum tempus seruari ualeret, per quod symptomata illa reuerterẽtur. Facile præterea esset quoties in ceruice inueniretur, uel excussione, quam Galen. præcepit, uel aliquo alio ingenio à ceruice ad concauitatem eum repellere, quo expulso symptomata uel in totũ, uel magna ex parte cessarent. Cum tamen tu utrunque expertus, neq; ob excussionem cruribus leuatis factam, neque ex catheteris in meatum uirgæ impositi repulsione, ullam te inuenisse requiem testatus sis. Nequaquam igitur putandum, uicissitudinariã hanc certo tempore dysuriæ stranguriæ ue reuersionẽ ex calculo in uesica semper residente fieri posse. Sed nec à calculo à renibus ad uesicam transmisso hæc fieri, euentus ipse testatur: si enim ita esset, oportet semper ante cessationem pausam ue symptomatum, lapillum exire: alioqui reuerteremur ad id quod iam destruximus, hoc est, ad calculum in uesica permanentem, qui, ut ostendimus, tametsi ualeat modo plus modo minus offendere, statis tamen & certis tẽporibus id facere non potest. Ex his euidenter concluditur, uel non esse in uesica calculum, uel etiam si adsit, inueniri aliam causam oportere, quæ uel sola, uel simul cum eo circularis illius molestiæ sit causa. Verũ ut ingenue fatear quod sentio, quo tempore apud nos fuisti, calculi in uesica indicia certa nõ apparuerunt. Necq; enim urina fuit aquæ similis, cum fabuloso sedimento, incocta ue aut subalbida, nec sanguinis mictus, nec pudendi assiduus adfuit uel pruritus uel dolor, neque ipsum ultra modum uel laxum, uel intentum, nec perpetua mingendi uoluntas, aut stranguria, nisi quandiu durauit accessio: qua denicq; per exitum crassiorũ quorundam humorum & fabuli finita, nullum præterea indicium calculi remansit, sed matellam lotio unica mictione absq; molestia implebas, & quocunque placebat uel eques uel pedes absq; ulla læsione accedebas. Rebus igitur in futurum eodem modo cedentibus, præseruationis potius quàm curationis gratia (nullus enim morbus remansit, qui curationem desideraret, seruato semper congruo uictu, ante tempus alterius accessionis) utendum hac potione: R hei barbarici tenuissimus puluis, in decocto polypodij, glycyrrhizæ, & adianti bibendus: sit aũt rhei integra drachma, polypodij uncia, utriusq; reliquorum drachmæ duæ. Bibita semel tertio aut quarto ante accessionem die hac potione, dempto rheo, singulo quoque die eadem iteretur potio, ex qua si fortè aluus nõ leniretur, adiuuanda erit per mollis clysmatis iniectionem, quæ nec accessione superueniente dimittetur. Sed si immodicus fortè adesset in mingendo morsus & ueluti ardor, addendus potioni succus seminum cucumeris & albi papaueris: & si his mitigatus non fuerit, ad cremorem corticũ uenien-

Catheter. ἀσθενὲς instrumentum chirurgicũ quo urina elicitur.

Calculi in uesica eam incumbentis notæ.

Ad humores crassos in uesica resides.

dum. Roborandum præterea semper iecur cum intybi succo, cui absinthij pars quarta, & aceti rosacei octaua sit adiecta: renumq; regio ad pudendum usq; solani succo cum rosacea aqua fouẽda. Adderem alia multa, nisi me moraretur uetus adagium, Noctuas Athenas. His igitur contentus esto: quæ nec addidissem, nisi me identidem & ipse rogasses ut hoc agerem, & post tuum à nobis discessum adolescens ille ciuis tuus, qui hic studij gratia moram trahit, me frequenter tuo nomine solicitasset.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. III. Ioan. Manard. Petro Carnicer uiro eminentissimo, Bononiensisq; Academiæ, ac Hispani Collegij Rectori dignissimo. De Aloë, quod non aperiat uenarum oscula.



VIsse in symposio illo uestro, qui pro Mesue aduersus me starent, minime miror. Non facile enim quisq; dogma deserit in quo consenuit. Sed illud potius admiratione dignum uisum est, quod tales & tot uiri, primas in Academia uestra tenentes, nõ euidentiores pro suo & Mesues dogmate, quàm quas scribis, attulerint probationes. Quũ enim medicina, sicuti & quælibet alia ars, duobus ueluti cruribus innitatur, experimento uidelicet & rationi, uel altero uel utroq;, decens erat, id quod dicebant euidenter adstruere. At nec certo experimento, nec probabili satis ratione suam opinionem, ni ego fallor, roborarunt. Quod ad experimentum enim attinet, ut non negamus epota aloë quibusdam uenarũ ani ora referari: ita Galeni clypeo muniti, non aloës maleficio, propria ue ui, id fieri defendimus, sed eorum quæ excernuntur acritudine. In hanc enim, non in pharmaci uim, id ipse refert 6. lib. aphorif. 47. de homine loquens atra bile uexato, cui ex acrium humorũ purgatione bis in anno ipsius iussu data, ani uenæ aperiebantur. Alioqui nec uerisimile est eum aloë usum in expurganda hominis illius atra bile, sed uel epithymo, uel elleboro nigro, uel alio medicamine nigri humoris purgatorio: inter quæ nec Mesuas ipse aloën numerauit. Quare non est ut in aloën Galeni experimentum referatur. Noui etiam ego uirum qui ex potu rhei barbarici, quo frequẽter utitur, idem se pati affirmat, quod alij dicunt ex aloë: quum tamẽ nemo adhuc, quod norim, tale rheo barbarico adscripserit maleficium. Nec desunt qui scripserint, à polypodio sanguinem per urinam elici: simili & ipsi, ut arbitror, argumento decepti, quod scilicet epoto polypodio symptoma illud nonnullis acciderit. Non in aloën igitur magis hoc referendum, quàm in alia purgantia. Sed dicet forte, uel senex ille, uel alius eiusdem sectæ: Si ea uis non magis aloë adest quàm alijs medicamentis acres humores purgãtibus, unde factũ est, ut communis sententia, non solum medicorum, sed & aliorum hominũ aloë utentium sit, quod ipsa potius, quàm alia medicamenta, sedis uenas aperiat? Dicam, non alia ex causa in hominũ mentes hoc dogma irrepsisse, nisi quod crebrius aloë utuntur, quàm alio quouis purgatorio medicamẽto. Ferè enim quicunq; sani uel lenien dæ alui, uel uentriculi expurgandi gratia aliquo medicamento utuntur, ad aloën, uel ad catapotia ex ea confecta, confugiunt. Quare factum est, ut quod ab excrementis ab aloë motis fit, id proprio uitio & per se ab ea fieri putetur. Confirmauit eorum credulitatem medicorũ opinio, qui Arabas medicos instar oraculi uenerantes, quicquid apud eos legebant, absq; alio examine, & ipsi suscipiebant, & alijs persuadebant. Primus autem inter Arabes qui hoc scripserit (quod quidem me legisse meminerim) fuit Serapion: cui quantum fidei tribuendum sit, legenti eius aggregationes, & cum his quos affert autoribus conferenti, facile patẽre potest: uix enim caput inuenias, quod sit ab erroribus immune. In hac uero ipsa re quantum ei credendum sit, uel ex hoc cognosci potest, quod Pauli sententia id scribit, qui nec per somnium quidem quandoq; talem rem cogitauit. Nihil igitur experientia contra nos facit, nec Arabum, qui Serapionem unus post alium sequũtur, autoritas. Iam rationes examinemus. Nullam certe uideo eos pro suo dogmate rationem attulisse, nisi quod cit menses: hanc argumentationem innuentes, Aloë prouocat menses, ergo aperit ora uenarum. Quæ certe ratio, instar rationis Melissi, in materia pec cat & forma: falsum assumens, eoq; etiam dato, propositum non concludens. Nullus enim idoneus autor talem ei uim, menstrua scilicet mouendi, adscripsit. Quod si etiam

Mesue lapsus in Aloë.

Rheo barbarico epoto quibusdam ani uenas reserari.

Polypodij potione quibusdã sanguinem per urinam elici.

Aloë non ciere menses.

si etiam hic ad experientiam prouocent, ego ad rationem prouocabo, quæ docet, uterum menses non trahere: & propterea si sint multum impediti, aut omnino retenti, non nisi à ualde calidis & incidentibus medicamentis reuocari, qualia sunt satuina, nepeta, pulegium, cassia, cinamomum, atq; id genus similia, quæ scilicet in tertio calefacientium ordine reponuntur. Ad quem ordinem quoniam, Mesue etiam ipso teste, aloë non ascendit, ideo non est inter ea quæ proprie menses mouent numeranda: sed si quando in hoc conducere forte usa est, id non propterea factum, quod uenas aperiret, sed quia aliquid amouit quod eorum fluxum prohibebat. Ex quo fit, ut sequela, cui tacite bonus ille senex innitebatur, non id cõcludat quod uolebat, ut uidelicet si quoquomodo in ciendis mensibus aloë ualet, idcirco ora uenarum aperiat. Hæc enim à nulla medicina aperiri possunt, Galeno teste, quæ non sit acris & terrestris, atque ignea quadam prædita caliditate. Carere autem aloën omni acrimonia, & gustus ipse indicat, & Galeni autoritas: & uires quas quotidie experimur, & boni autores ei adscripsere, demonstrant. Nec est ut quispiam Iacobo de Partibus innixus, adstringendi potestatem ei duntaxat adesse dicat, dum extrorsum admouetur: dum uero intus accipitur, aperire. Nam præter hoc quod nulla res id per se actu agit, siue intus, siue extrà adhibeatur, cuius agendi potestatem non habet: statim etiam redarguitur à Dioscoride dicente, quod pota sanguinis excreationes compescit. Quam sententiam à suo etiam Serapione poterant edíscere. Sed & ab Auicenna (quicquid nugentur expositores) cap. de sputo sanguinis, inter medicinas quæ apertis uenis bibuntur, aloën numerãte. Taceo Plinium, testem apud eos fortè minus idoneũ, qui 27. lib. ait, Aloën sanguinis excreationes, si modicæ sint, drachmæ põdere ex aqua: si minus, ex aceto potam sanare. Cuius tamen testimoniũ quum consentiat Galeno libro quinto methodi, si uas fractum paruum fuerit, aloën laudanti, non uidetur posse à medico respui. Adstringit igitur aloë secundum bonos autores, non solum foris admota, sed & intrò assumpta: quod Iacobus negabat. Quare alium patronũ inueniãt necesse est Mesues isti sectatores: quẽ si fortè ob inopiam inuenire nequiuerint, fungar ego eius uice, absque ulla spe præmij: doceboq; modum, quo si non uictoriam, saltem concordiam cum bonis autoribus, imò cum ipsa ueritate, possint inire. Erit hic modus (ne amplius suspensos eos teneam) si dicant, Mesuen non de quauis aloë, sed de maligna tantum intellexisse. Vel si omnino cõtendant, eum etiam de bona loquutũ, dicant, ab ea duntaxat sanguinem elici dum exorbitat, hoc est, plus purgat quàm deceat. Quibus dictis si reclamauerint, moneas eos rogo, ut patienter expectent, donec utrunq; ex proprijs Mesues dictis ostendam. Et ne diutius morer, grauerq;, ad seriem ipsius hic transcribendam, legãt ipsi caput secundũ primi tractatus canonũ uniuersalium: & nisi utrũq; eorum quæ dixi ibi reperierint, nihil posthac mihi credant de erroribus Arabum loquenti. Quem locum si diligenter quoq; illi legerint, qui ipsum Mesuen reprehenderunt meæ capite de Centaurio, satisfeciſſe asseruerunt, nihil se dixisse cognoscent: præsertim si addiderint Mesue dictis, ea quæ à Galeno de paruo Centaurio scribuntur libro septimo de simplicibus medicamentis, quæ sunt: Decoctum herbæ injiciunt nõnulli ischiadicis, hoc est, coxendice laborãtibus, ceu educens biliosa & crassa, hæc enim expurgat: uerum quando adeò uehementer operatum fuerit, ut sanguinolenta euacuet, magis iuuabit. Educunt igitur tam aloë quàm centaurium sanguinolenta, non quia ex propria natura uenas aperiant, sed ut quodlibet aliud facit, dum uolentius operatur: utrunque enim eorum acredine & morsu penitus caret, quæ adesse his oportet quæ uenas aperiunt. Et quãuis Mesue indiscrete de maiore & minore Centaurio scribens, acredinem maioris in minus quoque uideatur transferre, non usqueadeò tamen in hoc, sicuti in aloë cæcutiens fuit, ut scilicet educere sanguinem, aut uenas aperire dicat, nisi dum superflue purgat. Quem etiam

Menstrua quibus medicamentis mouẽantur.

Iacobi de Partibus lapsus.

Aloën sistendo sanguini salubriter sumi.

Centaurij quia ratione sanguinolẽta educat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

locum niſi conniuentibus oculis ſenex ille, de quo prius loquuti ſumus, uidiſſet, cognouiſſet utique diſtinctionem ſuam uel Iacobi de Partibus, cum Meſue non conuenire, duplicem operationem Centaurio intra corpus aſſumpto ordine quodam adſcribente: primam adſtringendi, quæ ab amaritudine & ſtypſi fiat, qualitatibus in eo inſignioribus: alteram à calore & acrimonia, quam poſt longam eius in corpore agitationem fieri dixit, nec ſemper, ſed proprie cum eius purgatio ſupra modum exuperat. Si igitur neq; reſponſio Io. M. cap. de Centaurio, noſtræ reprehenſioni ſatisfacit, quod de exorbitante tantũ loquatur: facit enim immodica illa operatio, ut non ſolum aloë & centauriũ, ſed omnia etiam purgatoria, ſanguinem euacuent: neque Iacobi de Partibus diſtinctio, ponens aloën intra corpus aſſumptam ſemper aperire, quod nos falſum eſſe ex bonis autoribus demonſtrauimus, perſtat noſtra opinio in ſuo robore, aloën per ſe maleficio illo uenas aperiẽdi carere, quod ei Arabes impinxere: & ſiue foris admoueatur, ſiue intrò adigatur, adſtringendi ſemper uim & roborandi habeat, quam à natura eſt conſequuta. Hæc habui quæ pro aloë iam quarto ſcriberem, non ut inuenta mea tuerer, quæ nec ipſe multifacio, ſed ut tibi morem gererem, cui tantum me debere ſentio, quantum nunquam potero perſoluere. Vale uir magnifice, &, quod facis, eos quibus præes, à turbidis paludibus ad puriſſimos fontes euoca.

Arabum error.

Alica. *Zea.*

De Alica & Zea nihil ſcripſi, quoniam nihilo plus compertũ habeo, quàm quod Hermolaus & Marcellus tradidere: nam & Galeni quoque tempore res obſcura erat, & poſſumus nos hoc tempore abſq; humanæ uitæ damno utranq; ignorare.

Ex Ferraria, III. Calend. Sextiles, M. D. XXX.

EPIST. IIII. ad Vincentium Caprilem, quo nomine olus à uulgo Petroſelinon dictum, à bonis autoribus uocetur.

DVm medicinalem materiam, id eſt ſimplicium medicamentorum notitiam, longo tempore obfuſcatam illuſtrare conaris, Vincenti chariſſime, inter reliqua non ab re inquiris, quo nomine apud bonos autores id olus uocari putem, quod nunc paſſim Europa dapibus iuribusq;, necnon embammatibus miſcet, & à uulgo Petroſelinon dicitur. Eſſe enim aliam rem à uero antiquorũ Petroſelino, adeò in propatulo eſt, ut probatione non indigeat. Veri ſiquidem petroſelini ſemẽ tam impenſe amareſcit, ut quoddam eius genus Theriacæ additum, eam reddere amariorem, quàm myrrha, praſſium, chamædrys, & tenue centaurium, ualeat, ut ex Galeno in libro de Antidotis colligi poteſt. Hoc igitur tibi ſciſcitanti reſpondi ſtatim, ingenueq; aperui id quod etiam alicubi ſcriptis mandaueram, eam ſcilicet herbam, quæ uulgò Petroſelinon dicitur, Selinon, id eſt apium hortenſe, ab antiquis uocari. Ad quod probandum, Plinij teſtimonio uſus ſum libro uigeſimo ſcribentis, Ramos apij largis portionibus per iura innatare, & in condimentis peculiarem gratiam habere. Quæ certe ita petroſelino uocato conueniunt, ut nulli olerum magis. Quam ſententiam quum minime probares, aduerſus eam non alio uſus es argumento, quàm quod nullius apij inter olera, hoc eſt libro ſecũdo, meminerit Dioſcorides. Nullam enim herbam eſſe apud Dioſcoridem olus putãdam, de qua in alijs libris tractauerit, quum ipſe apertis uerbis in proœmio ſecundi libri promittat ſe de oleribus in eo ſcripturum. Quod cum à me nõ approbari uideres, petijſti, ut nominatim aliquod olus oſtenderem, de quo alijs in libris pertractaſſet. Viſum igitur mihi eſt, uel horulam non male locare, in qua pro hac ueritate oſtendenda laborarem. Sed quoniam, Ariſtotele teſte, oportet diſputantes in nominibus conuenire, prius ſtatuendum eſt quid oleris nomine ſignificetur:

Petroſelinon, Apium hortenſe.

ſignificetur: hoc enim ignorato, cognoſci non poteſt, an hæc uel illa res ſit olus nuncupanda. Siue igitur ab alo uerbo, ut nonnulli, ſiue ab olla, ut Varro putat, oleris nomen deducatur, conſtat omnes herbas quæ ueſcendo ſunt, eſſe inter olera reponendas. Olera enim, lib. 7. de hiſt. plant. ait Theophraſtus, quæ nobis uſui cibo ue ſunt. Percurrendus igitur Dioſcoridis codex, uidendumq; an in alijs libris de aliqua herba ſcribat, quæ ad menſas cruda uel cocta feratur. Occurrit autem primo Scolymus, de quo ipſe ſcripſit lib. tertio, quod in cibos recipitur: & poſt ipſum Eryngion, ciendæ Veneri à multis in cibum expetita: ſed & Origanũ, Pulegium, Saluia, Menta, Calamintha, Thymus, Serpyllum, Sampſuchus, Acinos, Liguſticũ, Paſtinaca, Caros, Anethum, quæ nullo pacto uidentur ab olerum cenſu ſubmouenda. At ſi hæc olerum nomine dignamur, cur Apium tam hortenſe, quàm Hippoſelinon uocatum reijciamus? ſcribente de hoc Dioſcoride, λαχανώδες ὥσπερ τὸ σέλινον, quo uerbo etiam in Smyrnio & Elaphoboſco utitur, nec aliud notat quàm quod Plinius dicere ſolet, eſtur ut olus: addit, quod radix ueſcendo eſt cocta & cruda, folia & caules cocti tantum manduntur. Sed non ſolum duo hæc Apij genera inter olera recipit Galenus libro ſecundo de eſcis, & Paulus Aegineta libro de eſcis, uerum & cum his Smyrnium: quod à Romanis Oluſatrum uocari quum dicat idem Galenus, quis neget inter olera habitum? Poſſem addere his Strichnon, id eſt Solanum hortenſe: Myrrhin, Cirſion, hoc Bugloſſum, illam Cerſolium uocant: ueramq; Bugloſſum, quam Boraginẽ: Coriandrum, Rutam, Satureiam, aliaq; permulta quæ ſimul cum Apio à Theophraſto inter olera reponuntur: de quibus tamen in alijs libris, non autem in ſecundo ſcripſit Dioſcorides. Sed ueritus ſum ne illud in me dicatur, λίθον ἐλαύνεις. Vale.

Olus unde ſit deductum. *Scolymus.* *Eryngion.* *Smyrnium, Oluſatrum.* *Strichnon, Solanum hortenſe.* *Myrrhis, Cerſolium uulgò.* *Cirſion, Bugloſſus uulgò.* *Bugloſſus, Borago.*

EPIST. V. ad Iacobum Pharuſium Regienſem medicum, de uenæ ſectione in Pleuritide, & Spodio.

NOn erat ut accuſari, uel impudentiæ uel arrogantiæ uerereris, Iacobe dilectiſſime, ſi me, cum quo nullum antea fuerat commercium, in re medica interpellares: ita enim & natura ipſa, & animi propenſione affectus ſum, ut quoſcunque agnoſco literis deditos, ipſamq; ueritatem in illis quærentes, eos ſummopere & diligam & amplecter: è quorum numero cum te eſſe, & multorum antea teſtimonio, & demum tuis literis cognouerim, nullus eſt in literaria palæſtra labor, quem tui cauſa non ſim libenter ſubiturus: tantum abeſt, ut duabus à te propoſitis dubitationibus grauer reſpondere, uel tu timere debueris ne mihi moleſtus eſſes. Accipe igitur tuorum quæſitorũ, ſi non qualem uelles, at qualem ſenex, mediocris eruditionis, ualetudinarius, uarijsq; curis implicitus, præſtare poteſt reſponſionem.

Secandam in pleuritide, iuxta Hippocratis & Galeni ſententiam, interiorem cubiti uenam, atq; ex eodem potius, quàm è diuerſo phlegmonem patientis particulæ latere, clarius eſt, quàm ut multis uerbis oſtendi oporteat. Nam ut alia loca omittam, libro quarto de uictu acutorum morborum ſcribuntur hæc uerba: Si dolor ſupra ad clauem attigerit, uel circa mammam, aut brachium, interiorẽ brachij uenam ſcindere oportet, ab ea parte, quæcũq; illa fuerit, ubi eſt dolor. Quæ uerba enarrans Galen. inquit: In hoc quoq; loco rurſus pertractat legitimæ partis ſententiã, unum addens, quod in illa fuerat prætermiſſum, quod ſcilicet uenæ ſectio ex directo patientis lateris facienda eſt. Et lib. 1. de morbis, de pleuritide & peripneumonia quæ ſine ſputo ſunt tractans Hippoc. ſecandam ait uenam in manu iecorariam uel lienicam, in ea parte, quæcunq; illa ſit, καθ' ὁποτέρην ἂν ἐν τῷ νόσημα, id eſt, in qua mor-

In pleuritide ſanguinem mittendum ex laterale affecto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus fiat. Habenda igitur hæc pro indubitata Hippoc. & Galeni sententia. Nec est, ut tu, uel alius quispiam absterreatur, & pugnare cum Hippocratis sententia Galenum putet eo loco libri curatiui ubi de uenæ sectione docet, quamlibet inflammationem inchoantem esse reuulsione curandam, atq; ut sequi uidetur, ex altero, non ab eodem latere faciendam uenæ sectionem. Nos etenim dicimus sectionem uenæ interioris cubiti eiusdem lateris in pleuritide à reuulsionis ratione nequaquam cadere, quum ab interioribus ad exteriora sanguinem euocet: quem reuulsionis modum Galenus ipse in proprio de reuulsione commentario, apertissime docuit. Et libro quinto curatiuæ methodi, eam etiam quæ ab interioribus fit ad exteriora uacuationem, cum his numerans, quæ ex superioribus ad inferiora, à dextris ad sinistra, uel econtrario fiant, atque æque cum illis statuens reuulsiuam. Quamuis igitur in
» expositione illius aphorismi quinti libri, Dolentem partem capitis posteriorem, rec-
» ta uena in fronte incisa iuuat: eam cum cæteris non expresserit, non tamen propterea concludendum est, quod non habuerit in numero reuulsionum, quum nihil sermoni suo adiecerit, quod illam excluderet, sed potius sub generali reuulsionis descriptione eam uideatur comprehendisse, reuulsionem esse dicens, uacuationem quæ ad cõtraria fit. Didicimus enim ab Aristotele in Moralibus, non solum unum extremum alteri, sed etiam medium utrique extremo esse contrarium. Si quis tamen contendat, omnem reuulsionem à Galeno sub triplici illa diuisione fuisse comprehensam: dicam, hanc de qua loquimur, uel à dextro ad sinistrũ, si in sinistra parte fuerit inflammatio (costæ enim sinistri lateris, brachio eiusdem lateris comparatæ ad dextram partem uergunt) uel econtrario si in dextra, facere reuulsionem: atque ita ad secundum genus ibi recitatũ, hoc est, ad eam quæ secundum latitudinem fit, esse reducendam, & inter reuulsiuas omnino computandam. Nec ab illarum ratione excidere, etiam si Hippocratis & Galeni modo sanguinem euacuet in inflammatione contentum: non enim inuicem pugnant reuulsio & uacuatio, ut tu sentire uideris, quum secundum Galenum libro decimotertio methodi curatiuæ, sectio interioris uenæ dextri cubiti, sanguinem qui ad iecur fertur, simul uacuet & auertat, & sit semper eo inflammationem pati incipiente facienda. Nec alibi (quod meminerim) apud eum reperi, euacuantem uenæ sectionem reuulsiuæ aduersari, sed potius euacuantem locum generis obtinere, adeóque cum sectione uenæ conuenire, ut nulla ex causa uena secetur, nisi ut sequatur, uel multa, uel exigua sanguinis euacuatio. Et propterea à Celso & alijs, qui latine loqui uolunt, sanguinis missio quælibet uenæ sectio uocitatur. Vacuatiua igitur est quælibet uenæ sectio, non semper tamen est reuulsiua: sed tunc à reuulsionis ratione cadit, cum uel ex ipsa patiente particula fit, uel ex ea quæ illi est ualde proxima: tunc enim nõ ἀντίσπασις, hoc est, reuulsio dicitur, sed προχέτευσις, id est, ad propinqua deriuatio: utraq; tamẽ auersio dicitur à Galeno libro quinto methodi, quia scilicet ad alia loca conuertit sanguinem. Primam, hoc est reuulsionem, conuenire ait Galenus in libro de uenæ sectione, incipientibus inflammationibus: secundam antiquis. quæ tamen non semper uenæ sectione fieri potest, quum multa membra inflammationem pati possint, in quibus nec uena est sectioni idonea, nec alia ei uel cõmunis uel proxima, quæ commode præcidi possit: in quo casu pro uenæ sectione, uel cucurbitulis, uel hirudinibus utemur, quod agere in pleuritide medici præcipiunt, & nos fieri uidimus, cum magna ægrotantis utilitate, præcedente tamen uenæ sectione ex cubito. At si forte uenæ sectio non fuerit ab initio facta, sitq;, ut tu in epistola ponis, necessariò faciendа, fiet utique, iuxta Galeni doctrinam, ex iecoraria, & eiusdem lateris uena: sequeturq; ex ea, si obsequendo Hippocrati ad mutationem usque coloris sanguinem fluere siuerimus, reuulsio, & sanguinis in inflammatione cõtenti uacuatio: reuulsio quidem primo, deinceps uero sanguinis inflammationẽ faciẽtis euacuatio: qui esse

Reuulsionem à uacuatione non differre.

Sanguinis missio, uenæ sectio.

Auersio.

Reuulsionem simul cum euacuatione fieri.

ctus non adeò inuicem dissident, ut ab una uenæ sectione non ualeant ambo prouenire. Nec obstat philosophorum dictum, cui tu inniteris, quod scilicet ab uno quatenus unum, non possunt uarij effectus prodire: non tantum enim duo illi, sed & doloris, tussis, difficilis spirationis ablatio, alijq; multi effectus ex una poterunt uenæ sectione promanare. Quomodo autem philosophorum illud uerbum, si uerum esse debet, intelligendum sit, non est nostrum hoc loco declarare: satis enim sit nobis nosse, quod ex uno præsidio multi possunt in medicina boni effectus sequi, ut ex causæ ablatione, morbi, & omnium quæ ex eo sequebantur symptomatum ablatio. Quando uero subdis, si eadem uenæ sectio simul uacuet & auertat, sequi, ut idem eiusdem respectu sit propinquius & distantius. Ego certe hanc sequelam non aspicio, non enim procedit nisi posito, quod suprà à nobis negatum est, scilicet quod euacuatio & auersio in eo differant, quod hæc à longinquo fit, illa ex propinquo: & hæc euacuat, illa distrahit. Suprà enim ostendi, quamlibet uenæ sectionem esse euacuationem: auersionémque ueluti genus esse ad antispasin & parocheteusin. Quod si forte dixeris, te per uacuationẽ intellexisse parocheteusin, hoc est eam quæ ad propinqua deriuat: dicam, uenæ sectionem à cubito in pleuritide factam, quocunque tempore fiat, semper esse reuulsionem, quia semper trahit ad longinqua: & propterea non sequi, quod idem sit propinquius & remotius: quod utique sequeretur, si eandem uenæ in pleuritide sectionem, fateremur simul esse antispasin & parocheteusin. Quod uero obijcis de Anaxione, cui uena cubiti secta est in octaua die, in qua morbus (ut ais) nequaquam inchoans erat. Et quod non est ex loco patiente ab Hippocrate euacuatus, faciliter tollitur ab ipsomet Galeno in eius aphorismi cõmentatione dicente, quod signa coctionis terminant illud principium quod est pars totius morbi. & alio loco eiusdem cõmentationis, quod crudissimus morbus est in quo nihil omnino expuitur. Quum igitur Anaxion ad undecimam usque diem nihil expuerit, sequitur, crudissimum usque ad eam diem fuisse morbum, &, ut sequens est, uenæ sectionem octaua die, in principio, quod est pars totius morbi, factam fuisse. Nec admiratione dignũ est, principium pleuritidis ad tot dies posse produci, legenti apud eundem Galenum libro primo de Crisibus, perdurare principium pleuritidis, quousque pauca & cocta ægrotans cœperit expuere: quod quum Anaxioni nõ in undecima, sed tantum in decimaseptima cõtigerit, sequitur ad eam usque diem principium fuisse dilatum. Meminit autem huius sectionis uenæ Hippocrates, alioqui assuetus in eo libro tacere præsidia quibus utebatur: quoniam medici, ut scribit Galenus, eum locum enarrans, ueluti lege quadam sancitum obseruabant, ne post quartã diem uenam secarent. Putandum uero, ait idem Galenus, quod alios sectione uenæ egentes, secunda, tertia, quarta uel die tali remedio curauerit. Cur uero tantum in hoc Anaxione distulerit, licet Galenus non dicat, forte fuit, quia antequã deliraret, anceps erat Hippocrates, an secanda uena esset, uel purgatorium pharmacũ exhibendum. Viso autem delirio in octaua, & quod grauius se habuerat in septima, cum uehementiore febris spirandi difficultate, tussis molestia, atq; præterea quod ad calefactiones nulla sequebatur doloris remissio: octaua die uenã secuit, reuulsionis gratia, non deriuationis ad loca proxima: quoniam adhuc erat morbi principium, nec aliqua præcesserat uel naturæ uel artis euacuatio: quo casu non solum in principio, sed etiam in alijs temporibus eadem uena secari congrue poterit, ubi magnus sit morbus cum uirtutis robore. Siquidem Galenus in libro de uenæ sectione, duo hæc aduertenda docuit, non dierum numerum: idq; opere exercuit in iuuene qui uiginti ferè dies inflammatione oculi laborauerat, quemadmodum ipsemet testatur in eodem libro. Nec, quod tu uereris, auersionem ipse formidauit, quæ necessariò per illam sanguinis missionem sequebatur non solum ab internis ad externa, sed etiam à superioribus ad

Ab uno præsidio effectus uarij.

Phlebotomiã in pleuritide semper esse reuulsiuam.

Anaxionis pleuritici curatio per Hippoc.

Aphor. part. prima.

Crudissimus morbus.

Principiũ morbi unde sumendum.

Canones in uenæ sectione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inferiora. Tantū enim abeſt, ut auerſio repugnet (ut tu ſcribis) uacuationi, ut quandoq; ſola ſufficiat ad uacuandum. Euacuatio quippe non ſolum per affinia (ut tuis uerbis utar) & propinqua perficitur, ſed per ſeiuncta, etiam ſi abſq; extractione ſanguis ex loco patiente ad alium locum transferatur, ſicuti docet Galenus in arte medicinali, & in libro curatiuæ methodi 13. Non igitur ab initio repudianda ſectio uenæ eiuſdem lateris (ut tu cōtendis) quia ſimul cum auerſione euacuet: imò propter hoc præ ea quæ ex aduerſa parte fit, ex Galeni doctrina eligenda. Ex Galeni dico doctrina, quoniam, quemadmodum ego puto, à quibuſdam ab eo præſcriptis non eſt uſqueadeò grande nephas in noſtra regione quandoq; recedere. Magnus quippe Galenus fuit, homo tamen, & ideo non ubiq;, ni fallor, ab errore immunis. Eum enim in reddenda criſimorum dierum ratione, & alij ante me, & ego alio loco deuiaſſe demonſtraui. Ignoſcant igitur mihi Galeni manes, quod pro ueritatis amore facturos certe credo, ſi interdum aliter ſentire me cognouerint: cum in maioris momenti re, hoc eſt, in negligendo CHRISTO & Moſe, grauius ſe erraſſe iampridem agnoſcāt. Alioqui quo pacto nō ignoſcat nobis ab eo recedētibus, qui uolens ac libens multis in locis ab Hippocrate, quē ueluti numen quoddam colebat, ſæpenumero receſſit? Atq; ne ſingula loca percurramus, in quibus ab Hippocrate diſcedit, in hac ipſa de qua nunc agimus pleuritidis cura, aliter quàm Hippoc. & egit, & nobis agendum conſuluit. Scribit enim Hippoc. lib. 2. de uictu morb. acut. Si ſub tranſuerſo ſepto fuerit dolor, nec ad clauem peruenerit, mollire aluum oportet, uel nigro Elleboro, uel Peplio. Galen. uero ab eius ſanctione recedens, inquit: Cognoſcere quidem hæc oportet, & meminiſſe, non ſemper autem uti in pleuriticis. Tantum autem ualuerunt hæc Galeni uerba, ut neoterici (ait Paulus) omnibus pleuriticis uenam ſecent, ueriti, ut idem Paul. putauit, eam quæ ex purgatione fit perturbationem. Quis igitur nos meritò culpauerit, ſi ſimultaneā ſanguinis uacuationem cauentes, nec tantū ſanguinis auferre ſemel uolentes, quantum neceſſe eſt fluere, illis qui in phlegmone cōtinetur extrà duci debet, contrariā patienti lateri uenam, reuulſionis potius gratia, quàm euacuationis ſanguinis in tumore cōtenti, nonnunquam, ſi uideatur ita conſultū, primo ſecuerimus: deinde uel eodem uel altero die, per eiuſdem lateris uenam reliquū abſtulerimus: præſertim ſi peſtilentialis fuerit, hoc eſt, uagans & pernicioſa pleuritis, in qua ſanguis quantū fieri poteſt, eſt longiſſime à principalibus membris diſtrahendus: quod per malleoli uel tali, magis quàm per alterius uenæ ſectionē fieri, nemo ignorat. Quod ſi ſit etiā mulier cui menſtrua defecerit purgatio, uel uir cui conſueta ſanguinis per ani uenas ceſſet uacuatio, quis uitio mihi dederit, ſi his per inferiores uenas ſanguinē detraxero: præſertim quum neq; hoc à Galeni dogmate multum abhorreat. In lib. ſiquidem de uenæ ſectione curatiuo, cautelæ gratia, in utroq; caſu uerè crurum uenas ſecat, & quod quiſpiam magis miretur, in comitiali uertiginoſoq; morbo laborātibus, in quibus tamen minus timendum ex humoribus ſurſum latis eſt, quàm in peſtilentiali pleuritide. Adde quod nec eam quæ ex cōtrario latere in pleuritide uenæ ſectionem uſquequaq; uituperat Galenus: ſed ei quæ per rectum ſit comparans, uel parum iuuare dicit, uel poſt tempus: quæ certe non faciunt, quin quandoque bona ex cauſa commode fieri poſſit. Nec ea quæ per cruris uenas ab eodē latere ſit, ab Hippocratis dogmate recedit, iubentis per rectum ſemper fieri oportere euacuationes, ſi & ipſa per rectum fiat. Nec à Galeno, qui manu patiente ex altera manu ſanguinē trahit, uel ex eiuſdem lateris pede: & pede inflammato, uel ex altero pede, uel ex manu eiuſdem lateris. Nulla igitur alia ex cauſa Hipp. & Gal. uidentur in pleuritide eiuſdem lateris ſectionem præferre, niſi quod per unicam ſectionē uolunt ſanguinem in inflammatione exiſtentem citò è corpore extrahere. Hac igitur intentione ceſſante, quæ hoc æuo ferè ceſſat in hac noſtra regione, in qua non adeò copioſis propterea utimur

Galenum in criſimorū dierum ratione lapſum, uide Picum Mirand. aduerſus aſtrolog. lib.

Pleuritis peſtilentialis.

In pleuritide ſanguinem aliquando mittendū aliūde quàm à cubitu uena.

mur uacuationibus, quod corpora noſtra imbecilliora, quàm ut eas ferant, nunc inueniūtur, non magnopere aberrare uidetur, qui aliam uenam maioris reuulſionis gratia ſecuerit. Præterea magis congruit cum uena interiore unius brachij, uena interior alterius, quàm cum humerali, ſeu, ut alio nomine dicimus, cephalica: ſed hanc ſecari Galenus cōcedit, interiore uel media non ſe bene oſtendentibus. Quoniam (ut ipſe ait) euacuationes undecunq; fiant, in uniuerſum animalium corpus diſtribuuntur, licet non æque celeriter, neq; ſimiliter ex omni uena. Igitur uena alterius brachij ſecta, licet non æque cita neq; ſimilis, utilitas tamen non negligenda ſequetur. Quæ ſi non tanta fuerit quanta deſideratur, hoc eſt, non quāta ex ſectione ab eodem latere ad mutationem uſque coloris ſanguinis facta, erit tamen ſecurior. Magis enim (ut ipſe Galenus ait) cauere debemus ne uires reſoluantur, quàm ſtudere ut ſanguis abundans euacuetur. Maiorem autem affinitatem eſſe dextræ & ſiniſtræ interiorum uenarum, quàm humeralis cum alterutra, ex diſſectione cognoſcitur: oriuntur ſiquidem ambæ axillares ex uena concaua priuſquam in iugulares diuidatur: humerales uero poſtquam in iugulares eſt diuiſa. Quare neceſſarium eſt, ſanguinem, qui à ſubcingente membrana in qua pleuritis ſit euacuari debet, antequam per humeralem tranſeat, ſupra axillaris utriuſq;, quas & baſilicas uocamus, exortum, ad iugulares uſque, quæ ſupra collum extra thoracem ſunt, aſcendere. Breuior igitur omnino, & expeditior uia eſt, ab una axillari ad aliam, quàm ab humerali ad eiuſdem lateris axillarem. Ad quod etiam facit axillarium amplitudo, quæ non parum humerales uincit: per maiores enim canales & ductus, æqua humoris moles citius & promptius educitur. Adde quod per humerales prius deſcendit ſanguis qui in iugularibus propinquiſq; eis locis continetur, quàm is aſcendat qui eſt in inferioribus. Sed dixerit forte quiſpiam: Si tua hæc argumenta concludunt, ſequitur erraſſe Galenum, qui non apparente interiore mediaq; cubiti uena, ſecari humeralem iubet, nō autem alterius lateris iecorariam. Dicendum, Gal. nullam in eo loco, hoc eſt, lib. 2. de uictu morb. acut. feciſſe inter uenas duorū laterum cōparationē, ſed inter uenas eiuſdem brachij diuerſas: alioqui ueriſimile eſt, ſi una ex interioribus latet, ſimilem quoq; alterius lateris pariter deliteſcere. Vel fortè dicendum, quod directum aſpectum plus facere putauit, quàm propinquitatem: quod certe & ipſe in multis ſuarum cōment. locis præ ſe tulit. Et Auic. cap. de uenæ ſect. lib. 1. in coxendicis dolore, exteriorē tali uenam, non ob aliud interiori prætulit, niſi quod, licet utraq; ab eadem uena oriatur, ab ea ſcilicet quæ ſub poplite eſt, illa tamē magis è directo reſpicit coxendicem. Habes igitur meā quambreuiſſime potui, de uenæ ſectione in pleuritide ſententiā, de qua audio ferè omnes, qui alicuius in Europa nominis ſunt, medicos, proximis annis ſcripſiſſe: quamuis nullius cōmentaria in ea materia mihi uidere hactenus cōtigerit: quæ ſi legiſſem, fortè argumentorum ui, aliter me & ſentire & ſcribere coēgiſſent. Nō enim ego is ſum, qui (quod aiūt) mordicus adeò mea dogmata tuear, ut melius ſentientibus libenter non acquieſcam.

Humeralis uena.

Axillarium uenarum origo.

Humeraliū uenarum origo.

Galeni locus enarratus.

QVæris ſecundo, quid ſit Spodium, quum Dioſc. & Gal. inter mineralia computauerint: Auic. radicem cannæ dixerit, ui uentorum exuſtæ: alij pro eorem quādam uenditent, quam, ut uendibiliorē fortè reddant, ex elephanti gutture conſtare dicūt. Ego, ut paucis rem abſoluā, dico Spodium proculdubio inter metallica numerādum, magnæq; affinitatis eſſe cum Pompholyge, utrūq; enim fit liquefcentibus in fornace ære uel Cadmia: in hocq; ſolum differūt, quod Pompholyx tecto parietibusq; fornacis hæret, Spodium ceu ponderoſius ad terram cadit. Adeò præſtat igitur Pompholyx Spodio, ut Galen. nunquam ſe uſum Spodio dicat, quia Pompholygis copiam multam habuerit. Ex quo licet aduertere proximi ſeculi ad noſtra uſq; tempora inſcitiam, quando pleriq; noſtri pharmacopolæ non modo pro Spodio uiliſſimum Antiſpodium, exuſtarum uidelicet cannarum cinerem magno

Spodium.

Pompholyx.

Universidad de Deusto
Biblioteca

precio emunt, ac præferunt. Sed nec Antiſpodium: nam adulteratam Pompholyga uocat iſtas cannas eius libri autor, qui ad Paternianum de Simplicib. ſub Galeni nomine inſcribitur. Hunc igitur iſti, utroque, hoc eſt uero Spodio, & Pompholyge reiecto, accipiunt, & in nobiliſſima medicamenta, ad cordis uidelicet & iecoris robur compoſita, admiſcent: quum tamen ſi Antiſpodio utendum erat, parata ferè ubique locorum eſſent ficus, caprificus, myrtus, oleaſter, cydonia, lentiſcus, atq; alia permulta, ex quibus uſtis Antiſpodium, Dioſcoride & Plinio teſtibus, facile parari poteſt. Et ſi forte iſta deerant, non poterant deeſſe craſſa lintea, quæ cum alijs ab eiſdem autoribus ad confectionem Antiſpodij ſcribuntur idonea. Alioqui quæ neceſſitas cogit nos, ut relicto Spodio, Antiſpodio utamur? quum tanta copia ueri Spodij ſuppetat, quanta & æris. Vbicunq; enim ſunt ærariæ fodinæ, & fornaces, ibi Spodium colligi ualet. Neque ſolum ubi fornaces ſunt æs excoquentes, ſed etiam in argenteis Spodion reperitur, Dioſcoride teſte, & Plinio quoque, qui Lauritim appellari dicit: atque ſimiliter in aurarijs. Fit etiam eiſdem autoribus ex plumbo. Quin ipſum quoque plumbum quodam certo modo paratũ, quem Plinius indicat, præfertur Spodio. Quod ſi Spodium, atq; etiam ea quæ numerauimus Antiſpodia defuerint, habemus apud ſeplaſiarium quenque Pompholygen, uulgò Tutiam uocatam, qua præſente, non eſt ut quiſpiam (ſi Galeno credimus) uel Antiſpodium uel etiam Spodium quærat: niſi forte amore nimio Auicẽnæ deceptus, Spodium ſuum credat cor & uentriculum roborare. Quod ego non magis illi credo, quàm Serapioni, à quo ferè ad uerbum, quæcunq; de Spodio ſcribit, excripſiſſe uidetur. Huic uero quàm parum hac in re credendum ſit, uel ex hoc colligi poteſt, quod Dioſcoridem & Galenum affert de uiribus eius ſcribentes, apud quos nulla eſt illarum mentio, ſicuti nec ullius uel Spodij uel Antiſpodij per cannarũ exuſtionem facti. Quam quam incertum eſt Serapionem de hoc loquutum: uidetur enim potius de alia re eo capite ſermonem habuiſſe, quam Satuuſcir uel reſcius uocat, quum Auic. ſuum Spodium, ut noua habet æditio, Thabaſir uocauerit. Quicquid tamen id ſit de quo ſcribere ibi uoluit, certum eſt quod non eſt Spodium Dioſcoridis & Galeni: de hoc enim egit ipſe Serapion cap. 422. ſub Tutiæ nomine, modumq; docuit faciendi Antiſpodia, ex Dioſcoridis uerbis: licet non Antiſpodia ipſe uocet, ſed uicem Tutiæ ſupplentia. Quem etiam Auicenna imitatus eſt capite quinto ſupra ſeptingeteſimũ, non abſque tamen (ut ferè ſolet) errore: qui occaſionem quoq; errandi Simoni Genuenſi & alijs dedit. Ait enim, id quod deorſum cadit dum fit Pompholyx, eſſe Climiam, quæ nominatur Succudus: oblitus eorum quæ ſcripſerat de Succudo, cap. 669. ubi uidetur putaſſe Succudum eſſe plantam, non rem metallicam: calidumq; non frigidum. Quod ſi quiſpiam errorem eſſe librarij dixerit, non Auicennæ, legendumq; non Succudum, ſed Deſcudium, negare tamen non poterit Climiam, quæ græce Cadmia dicitur, eſſe rem diuerſam à Pompholyge & Spodio, uel ipſomet Auicenna teſte, qui in litera c de duplici ſcripſit Climia: & in hoc cap. ex ipſa fieri Pompholygen teſtatus eſt. Quare fateri oportet, uel Climiam eſſe rem diuerſam à Pompholyge, uel idem fieri ex ſeipſo. Sinamus igitur Auicennam cum ſuis cannis ludere, & Pompholyge quãdo opus fuerit utamur, atq; ea præcipue, quam Germani adeò publice Nil uocant, ut in iocum apud eos abierit, Nil oculis prodeſſe. Eſt enim hæc candida, atque, ut Dioſcoridi placuit, adeò leuis, ut efflari poſſit. Hæc ſunt quæ mihi occurrunt ad tua quæſita reſpondenda, in quibus ſi quid forte te offenderit, ætati & ualetudini ueniam dato.

Vale.

Ex Ferraria, Idibus Iunijs. M. D. XXIX.

Lauritis.

Tutia.

Auicẽnæ lapſus in Spodio.

Serap. error.

Genuenſis lapſus.

Succudus.

Climia.

Cadmia.

Epiſt.

EPIST. VI. ad Dominicum Fonteium medicum Brixienſem, de nonnullis ſimplicibus.

SErus reſpondeo, uarijs preſſus negocijs: ſed duabus præſertim epiſtolis, conſilia quæ uocantur: in quarum altera mihi negocium fuit cum tribus nõ infimi nominis medicis, ſecus quàm ego de ægroto quodam ſentientibus: mox tamen ut reſpirare occepi, epiſtolas tuas quæſiui, diligẽtiusq; perlectis reſponſionem aggreſſus ſum. Vt igitur à poſtremis exordiar, ualde mihi moleſtum fuit intelligere, tantã in hominibus illis regnare ingratitudinem, ut nec uerbis quidem ſe gratos oſtendant: quod certe non tam tua quàm mea cauſa doleo: uidere enim mihi uideor, te nouas ſedes quærere, atq; eas forte, tam à nobis ſemotas, ut mutua hac literarũ uiciſſitudine nos priuari oporteat. Quandiu igitur licet, demus operã, ut per literas inuicem alter à altero perfruamur, & mutuo attritu, uel ſcintillam aliquam ueritatis eliciamus.

Meſuen ſæpe erraſſe, & prima noſtra epiſtola, & in eum annotationibus oſtendi. Neſcio tamen ſicubi minus errauit, quàm in Fumaria: de temperatura ſiquidem eius melius longe ſentit quàm Auicẽna, frigidam dicens: acris enim & amara qualitas in ea uincens, caliditatem præ ſe fert, quæ ab exigua acerbitate remittitur quidem, uerum non tota obtunditur. Modice igitur adeò caleſcit, ut, teſte Aẽtio, in ſe bribus tutò dari poſſit. Tum etiam obſtructiones hepatis ſanare, & multas urinas biliоſas prouocare, haud leuia indicia ſunt caloris. Multo magis quàm Auicenna errauit Serapion: ea quæ de hac herba ex Dioſcoridis & Galeni ſententia refert, non ex eo capite accipiens, ubi de ea ſcribunt, ſed à capite in quo de Gingidio agũt: quæ tamen ab Arabibus ſumpſit, de ipſa fumaria uidentur dicta. Auicenna uero quæcunq; ſcribit capite de Fumo terræ, ex his accepiſſe uidetur, quæ de fumaria ipſa ab autoribus ſunt ſcripta. Alijs tamen in locis ſuæ medicinæ, quæ de Gingidio ab illis ſunt tradita, Fumo terræ adſcribit. Mirum autem, quod omnes quaſi de compoſito præcipuas uires quas ad oculos habet, à quibus & nomen κραννὶς accepit, intactas dimiſerint: quod uero uim haberet uentrem molliendi, & uentriculum roborandi, à quodam idiota inuentum eſt tempore Galeni.

Fumariam non eſſe frigidam.

Auicẽnæ error in fumaria.

Serap. lapſus.

Fumus terræ.

De Eupatorio ego quoq; ſemper dubitaui, an eſſet uulgare hoc Agrimonium: eo tamen libentius uſus ſum, quàm uulgari illa Eupatorio paſſim apud nos naſcente, cui præter folia quæ aliquo pacto canapim referunt, nihil eſt cum Dioſcoridis picturа commune: quam tamen ut certò ſcio non eſſe Eupatorium, ita certe neſcio quid ſit: ſicuti nec Agrimonium, ſi non eſt Eupatorium. Adde his, quæ nunc ignoramus, etiã ueram Argemonẽ herbam, ſi qua eſt alia, ita ad amuſſim à Dioſcoride effigiatã, ut ferè ſub oculos poſita uideatur: quæ tamẽ ad hanc uſq; ætatem ſemper mihi fuit incognita, nec hactenus inueni qui doceret, tanta fuit noſtris magiſtris cæcitas: inter quos putabãtur excellentiores, nõ qui hæc aut alia ad curandi rationem neceſſaria melius callerent, ſed qui in publica corona, dialectica problemata maiore linguæ uolubilitate, audaciuſq; (ne dicã impudentius) clamitando diſputabant.

Eupatorium. Agrimonium.

Argemone.

Sophiſtarum mos.

Vnde factum eſt, ut ſimplicia medicamẽta, etiam quæ notiſſima erant, uel penitus ignorentur, uel dubia & incerta ſint: ſicuti Pulegium, quod adeò notum antiquis fuit, ut ſuperuacuũ putarint ſcribere quale eſſet: nunc uero dubiũ ideo apud te eſt, quia in Mirandulenſi agro nulla lanugine ueſtitur herba, quam pulegium uocant: alibi uero in aggeribus & mõtibus uilloſum, tam mas quàm fœmina conſpicitur, altitudine etiam maiore, quàm Mirandulanũ, odoratiuſq; & colore diuerſum. Nec ſolus es, ſed & Hermolaus in Corollario ambiguus in eo fuit, haud planè ſciri dicens, an Pulegium modo officinis & ruribus uocatum, Calaminthæ genus ſit, an uerum pulegium: magnamq; eſſe affinitatem nepetæ, mentæ, & pulegij. Addit

Pulegium.

Calamintha. Nepeta. Mentа.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mentastrum. Sisymbrium. alio loco his etiam mentastrum, addo ego sisymbrium, cuius tanta est cum menta affinitas, ut in eam quandoque mutetur, teste Theophrasto. Inter has autem affines herbas, nescio si ulla difficilius internoscitur, quàm pulegium: quoniã (ut paulò ante dixi) nullus autor eam pingit. Vna tantum nota est per quam agnosci certe uaaleat, quod scilicet (ut Theophrastus & Plin. scribunt) brumali solstitio surculi eius seiuncti, & in carnario suspensi florent. Illud quoq; indicium eius est non exiguum, si nigram bilem purgat, ut dicit Dioscor. Bibitur autem huius rei gratia cum melicrato oxybaphi, hoc est acetabuli mensura, ut tradit Paulus. Continet autem acetabulum cyathum unum semis, eodem autore, hoc est, drach. 15. Sunt tamen qui 4. & 20. drachmarum acetabulum esse contendant, alij 22. Potes igitur, si certior fieri cupis, utrunq; experimentum facere. Ego pro comperto habeo, uulgare nostrum pulegium, à uero nõ differre, eoq; quoties occasio se offert, securus utor: prosperecq; cedit in his facultatibus, quas ei autores medicinæ adscripsere. Tenui & hoc nostrũ lanugine obducitur: nec ualde crescit: flosculosq; purpureos, albos ue circa caulem per interualla ad serpylli similitudinem emittit. Neq; putarim Dioscoridem, quod tamen tu contendis, cap. de Dictamno, innuisse pulegium depile esse, quum dixit dictamnum habere læuorem, & esse pulegio similem: similitudo enim in foliorum potius figura intelligenda mihi uidetur, quàm in læuore: sic enim uerbum ex uerbo scribit Dioscor. Herba est Cretica acris, læuis, pulegio similis, maiora uero & tomentosa folia habet. alioqui etiam λεῖον non semper id significat quod pilis caret, sed interdum, & fortè magis proprie, id quod non est asperũ, & prominulum. Tomentosa autem folia dictamni dixi, sicut Hermolaus & Marcellus, non ut tu uelles, gnaphalio similia: γναφαλιώδη enim legẽdum esset, non γναφαλώδη, ut omnes habent codices. Sed & uerba quæ sequuntur (ni fallor) aperte ostendunt, non gnaphalio herbæ Dioscoridem fecisse similia, sed tomentosa ea dixisse, sicuti & lanosa. Vt autem in præmissis abs te aliquantum dissentio, ita in conclusione tecum prorsus consentio, non esse scilicet eam, quæ circumfertur, ueram dictamnum, quod uel hoc argumento apertissime constat, quod dictamnum & caule, & flore caret, & semine, teste Plinio & Dioscoride: uulgaris autem, si qua alia planta, floribus est refertissima. Adde quod uera radicem, Plinio autore, habebat tenuem & inutilem, foliis solum utebantur, tanti ea facientes, ut qui legebant, in ferula, uel arundine cõderent, ne eorum uis euanesceret. Radix uulgaris huius nostri, satis crassa est, & sola in usu habetur, neglectis foliis, quæ tamen (ut diximus) sunt in uera utiliora. Quod non Plinij modo testimonio cõstat, sed etiam Galeni inter herbas Theriacen ingredientes, non inter radices eam connumerantis. Sed & Democrates componere Theriacen carminibus suis docens, ait: κόσσα πελώκη, καὶ ἕτη δικτάμνου πόας. hoc est uerbum ex uerbo, Costiq; albi, & dictamni herbæ. Vide igitur quantis in tenebris uersati sint patres nostri, uiri alioqui summo ingenio prædíti, erroreq; potius seculi, quàm uel incuria, uel insciția impediti: cæcos enim duces habebant, cum quibus eos quoque cæcutire erat necessarium. Vt enim à proposito non recedamus, si ad Auicennam accedebant, uidebant eum cap. 472. secundi libri, dictamnũ cum pulegio confundere: & præterea, quod balatum facere in ouibus scribit Dioscor. sanguinem ab eis emungi interpretari: statimq; ad dictamni species cõuerti, deincepsq; ad pulegij medicinas, quas etiam imperfecte scribit: prætermissis in totum dictamni peculiaribus uiribus. Et cap. 158. eiusdem, pari confusione miscere origanum & calamentum, hoc fluuiale, illud montanum nominando. Sin Ioan. Mesue consulebant, in Diacalaminthes præparatione, pro pulegio montanũ calamentũ legebant, & pro ipso calamento, quod montanum esse debet, fluuiale: quem errorem etiam sequutus uidetur Auic. in 5. in eiusdem Diacalaminthes confectione, ubi calamentũ uocat fluuiale, & puleium, campestre calamentũ. Sed uide quomodo ad enarrandos Arabum

Oxybaphũ. Acetabulum.

Dictamnum.

Dictamni folia usui esse, nõ radicem.

Auicen. lapsus.

Mesue lapsus.

Arabum errores imprudens me conuerterim, quibus ita scatent, ut non epistolis ostendendi sint, sed magnis uoluminibus explicãdi. Ad epistolas igitur tuas redeo. Typham me quoq; pluries uidisse arbitror. Vtinam Typha quoq; mihi esset pariter agnita: in hisce enim frumentaceis discernendis, multum ambigo: quod certe nemo mirabitur, qui Galenum legerit tam scrupulose in his incedentem. Proxime autem accedo ut credam Typham ita similem tritico, ut triticum putem. Eos enim non improbandos dicit Galenus, qui eam paruum triticum uocant, adeò est illi colore, densitudine, uirtuteq; similis. Sed & Theophrastus perquam similem dicit tritico, & mutari in id, si pista seratur. In eo autem differre à tritico, quod lemmate, id est soliculis tegitur, sicuti Hordeum & Olyra, quam Siliginem uocat Plinius: unicum etiam tenuem culmũ habet, & magis flaua est. Sed in hac epistola diutius forte quàm opus esset immorati, ad aliam accedamus.

Typha.

Hordeum. Olyra. Siligo.

Lysimachia Caranzono medico missa, ad manus meas peruenit: sed in agro etiã nostro frequens uisitur. Flos dubitare adhuc nos facit, atq; Leoniceni autoritas, qui herbam, quam infectores Corneolam uocant, ueram Lysimachion esse, ad aras usque, in secunda æditione de Plinij & aliorum medicorum erroribus, contendit. Autoritas dico: nam quas affert rationes, non satis mihi persuadent: siquidem nostra Lysimachion, & in aquosis locis nascitur, & folia tenuia Salici similia emittit, sicuti Corneola uocata. Horum igitur indiciorũ gratia non minus dici Lysimachion debet, quàm illa. Quod uero Corneola aureo flore ornatur, nõ purpureo, nec Plinio repugnat (ut credidit Leonicenus) nec esse ueram Lysimachion probat. Aduersum quidem Plinium esset, si constaret Corneolam uocatam, quam uisus ipse testatur aureum non purpureum florem habere, esse ueram Lysimachion: sed quum hoc probatum nondum sit, non est ante manifestam probationem crimine falsi Plinius condemnandus. Dioscoridis enim testimonium nihil facit aduersus Plinium: nam præter id quod Iurisconsulti singularem testem non admittunt, testimonium eius non est Plinio contrarium. Antiqua enim ac noua Dioscoridis exemplaria, florem Lysimachij esse purpureum, uel aureum dicunt: Plinius purpureum, non habita aurei mentione. Sciunt autem dialectici, tam recentes quàm ueteres, disiunctiuam enunciationem, neutri ex suis partibus aduersari. Noui præterea ex utrauis parte totam asserunt inferri disiunctiuam. Et hæc quidem dicta sint pro Plinio. Quod uero ex argumento floris aurei non probetur Corneolam esse ueram Lysimachion, notius est, quàm ut à me probari debeat. Sunt siquidem aliæ multæ herbæ flore aureo. Eodemq; argumento utar in nostra, imò tanto fortiori, quanto manifestius tam Dioscoridis quàm Plinij innitetur autoritati. Dioscorides enim Lysimachij florem purpureum, uel aureum dicit: Plinius purpureum. Neutrius igitur sententia nostro, flore purpureo constanti, aduersatur: quum suo, id est Corneolæ, Plinius manifestissime contradicat. Stat igitur nostra Lysimachion fortior duorum sustentata testimonio, quàm sua unius. Nec uideo etiam quare cogatur Plinius (ut Leonicenus ait) aureum fateri Lysimachij florem, nisi uelit cognominem illi lapidem, aureis insignem uenis, temere idem nomẽ fuisse fortitum. Nam ut mittamus cognomines nõ esse, quum herba Lysimachum, uel Lysimachion dicatur, lapis Lysimachus: potest lapis idem nomen meruisse, uel quia ab eodem Lysimacho inuentus sit, à quo & herba, uel quod similibus uirtutibus polleat, uel ex alia quauis potius causa, quàm ex floris cum uenis illius lapidis similitudine. Alioqui neq; flos est qui Lysimachion dicatur, sed herba ipsa quæ Salici similis est, non uenis lapidis.

Plinio patrocinatur aduersus Leonicenum.

Lysimachus lapis.

Non uidetur præterea notandus Plinius, si fumum, quem Lysimachion mittit, non acerrimum, sicut Dioscorides, sed grauem uocat. Nec ustionis meminit: non enim Dioscoridis, uerum naturæ interpres fuit: naturalem uidelicet historiã, & ab ipsa natura, & à diuersis autoribus acceptam describens. Rationes igitur quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuam Leonicenus Lyſimachiam aſſerit, non tantarum uirium ſunt, ut noſtram omnino reijciant: ſed (ut dixi) hominis potius autoritas eſt, quæ me ambiguum reddit: quæ licet magni momenti ſit, non tanti tamen, quin plus ponderet ſenſus. Sed neſcio quo pacto à tuis epiſtolis ad Plinij patrocinium noſtra deflexit oratio: quamobrem ad illas, defenſione Plinij alijs dimiſſa, eſſet reuertẽdum. Sed ne diutius iam itineri accinctum tabellarium remorer, huic epiſtolæ finem faciam: quod reliquum eſt, in aliud differens tempus. Vale.

Ex Ferraria, ſeptimo Idus Quintiles, 1524

IOANNIS MANARDI EPISTO LARVM MEDICINALIVM LIBER DECIMVSTERTIVS.

EPIST. I. ad Bartholomæum Charandinum medicum Mutinenſem: quod plerunq; purganda materia non turgens ante concoctionem.



VM me plerunque & in priuatis colloquijs, & in publicis lectionibus audiuiſſes Hippocrati & Galeno, quorũ alter medicinam ſeruit, alter diligentiſſime excoluit, inhærentem: recentiores Arabes, noſtratesq; eos ſequutos, nulla habita uel ætatis uel autoritatis ratione, audaciſſime taxantem: necnon ab eorum decretis, ſi quando aliter uidebatur, in operibus artis recedentem: ſumma admiratione affectus es, quod his quos in minoris momenti rebus depugnabam, in una quæ maximũ habere pondus uidebatur adhærerem, purgatorijs uidelicet pharmacis utens materia minime turgente, » nulla præuia cõcoctione: ſcribente Hippocrate in illo famigerato aphoriſmo: Con » cocta medicamentis purganda & mouenda non cruda, neq; in principijs niſi turgeant, multa autem non turgent. Licet autem mei huius dogmatis rationẽ te præſente, & legendo, & familiariter colloquendo multoties reddiderim, petijſti tamen, & quaſi cum conuicio efflagitaſti, ut quod uoce tenus docuerã, ſcriptis quoq; mandarem, ut & ea melius poſſes memoriæ commendare, & his fierent communia, qui uiua (ut aiunt) uoce non poterant à me doceri: præſertim cum excellentiſſimi alioquot medici, & antiquitati non minus quàm ego addicti, ſecus & agerent & docerent. Vt igitur tibi morem geram, quem bonarum artium, & præcipue medicinæ, meiq; ſtudioſiſſimum cognoui, manum calamo admoueo, & iamiam quod petis aggredior.

Problema quod diſputandum proponitur, tale eſt: Liceat ne, nulla præcedente per ſyrupos uocatos concoctione, purgantibus medicamentis uti. Quod problema diſputaturi, Ariſtotelis doctrinam ſequentes, ante omnia, ut in nominibus cum aduerſarijs conueniamus, intelligantq; quid ſit id de quo diſputatur, uidendum quid digeſtionis, quid ſyruporum, demum quid purgantis medicamenti uocibus ſignificetur.

Primum aggredientes dicimus, id quod Græci πέψιν, noſtri digeſtionem, & qui latiniores uideri uolunt, concoctionem uocant, in quarto Meteorologicorum libro definiri ab Ariſtot. perfectionem à proprio & naturali calore ex oppoſitis paſſiuis. Quæ uero ſint huiuſcemodi oppoſita paſſiua, ipſemet declarat, dicens: Hæc autem ſunt, propria cuiuſque materia: ubi enim cocta fuerit, perfecta iam eſt & facta: prin

Concoctio quid iuxta Ariſt.

cta: principiúmque perfectionis à propria prouenit caliditate, etiam ſi ab exteriore quopiam auxilio ſimul perficiatur. Et paulò poſt ſubdit: Sed principium quidem eſt caliditas quæ in ipſa exiſtit; finis autem, his quidem natura, id eſt ſpecies & ſubſtantia: his uero in ſubiectam quandam formam, finis eſt coctionis, quando tale tantumq; factum fuerit humidum. Nihil igitur aliud uidetur apud Ariſtotelem eſſe digeſtio, quàm operatio quædam caloris naturalis in qualitates paſſiuas, cuius finis eſt, uel ſpecies, uel qualitas quædam, & quantitas humiditatis.

Ex his autem ſequitur, erraſſe recentiores nonnullos, qui Auerroim ſequentes dicunt, digeſtionem apud Ariſtotelem in eo loco non alterationem, ſed alterationis terminum ſignificare. Quomodo enim digeſtionis finem doceret, ſi ipſam digeſtionem finem & terminum eſſe putaret? Sed num ne uidebant Ariſtotelem in fine præcedentis tractatus, ſe dicturum pollicentem, operationes actiuarum qualitatum, generationi & corruptioni affines? atque in ipſo ſtatim huius tractatus initio, pepſin, coctionem ue, calori adſcribentem, atque in maturationem, elixationem, & aſſationem, ueluti in ſpecies diuidentem? quas & ex ipſis nominibus, & ex propria cuiuſlibet earum definitione, actiones eſſe, non actionis terminos cognoſcimus. Eſt enim maturatio coctio quædam ſeminis in pericarpio, hoc eſt, in eo tegmine, quod ad fructus tutelam natura fabricauit. Operationem uero per hanc, non opus terminum ue ſignificari, oſtendit Ariſtoteles, dicens: Quoniam concoctio perfectio quædam eſt. Tunc maturatio perfecta eſt, quando ea ſemina quæ in pericarpio ſunt, tale aliquid facere poſſunt, quale ipſum pericarpion eſt. Conſtat igitur maturationem de qua Ariſtoteles loquitur, longo tempore ſeminis maturitatem, quæ finis & terminus eius eſt, anteire. Quod cum pariter de elixatione & aſſatione dicere oporteat, quæ & ipſæ concoctionis ſpecies ſunt, neceſſarium eſt earum genus, hoc eſt, concoctionem, operationem eſſe, non operationis terminum. Nec perfectionis nomine, quo ueluti ſub genere continetur, rem perfectam, ſed mutationem quæ in eam tendit, deſignari. Sed poſtquam de philoſophorum digeſtione, plura fortaſſis quàm opus eſſet diſputauimus: ad noſtram, hoc eſt medicorum digeſtionem accedamus.

Pepſis, hoc eſt, concoctionis uel digeſtionis nomine, in duplici tranſmutatione ututur medici: naturali uidelicet, quæ circa eſcam uerſatur, & nihil aliud eſt, quàm alteratio nutrimenti ad propriam nutriti qualitatem; & altera, quæ circa putridam uerſatur ſubſtantiam, & eſt alteratio ceſſare faciens putredinem, manente ſubſtantia. Conueniunt autem ambæ inuicem. Primo quidem in genere, quia utraque eſt alteratio. Secundo in agente, quia ab eodem calore fiunt, hoc eſt naturali, qui nihil aliud eſt quàm poteſtas per ualida corpora extenſa: qui tamen in prima ſolus, in altera coagentem ſecum habet calorẽ præternaturalem. Et propterea ſi id quod in prima concoctione concoquitur ſimilem naturam habet cõcoquenti, aut totum, aut certe maior eius pars in ſubſtantiam aliti mutatur, exigua eius portione ſemicocta remanente. Econtrario autem fit in ſecunda, quoniam uel nulla pars rei concoctæ tranſit in ſubſtantiam concoquentis, uel exigua eius portio. Si enim humor qui concoquitur, talis naturæ ſit, ut mutari in ſubſtantiam aliti poſſit, nec putrefactio magna ſit pro modo putrefactionis, plus minus ue eius tranſit in ſubſtantiam nutriti. At ſi uel putrefactio magna ſit, uel humor natura ſua talis, ut aſſimilari corpori humano, & conuerti in eius ſubſtantiam nequeat, ſimilis quidem ad quendam modum ſit membris ſolidioribus, ſed non adeò, ut in eorum ſubſtantiam conuertatur. Quare nec in utraque bile, nec in ſalſa pituita expectanda eſt uera & perfecta concoctio, quoniam ultra modum aſſi hi humores ſunt, & ueluti exuſti, à moderatóque ſanguine per ſuperfluentem coctionem receſſerunt. Sola autem

Pepſis duplex ſecũdum Medicos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pituita dulcis & acida, quoniam citra temperamentum sanguinis, præ crudítate re-
manserunt, ita concoqui ualent, ut in bonum sanguinem, & demum in substan-
tiam membrorum conuertantur. Vtraque uero bilis, & salsum phlegma, & icho-
res, quum ita concoqui non possint, ut in substantiam membrorum uertantur: sa-
tis pro modo suo concocti erunt, quando solidis membris quadantenus similes ef-
fecti, & à natura superati, apti redditi fuerint, ut uel ab eadē natura per se, uel cum
artis adminiculo expellantur. Et hoc est generalius concoctionis significatum, iu-
xta quod & pus, & lotium, concocta medici nuncupant.

Et hæc quidem de concoctionis nomine dicta sint: quod licet apud Medicos
quandoque opus significare possit, in hac tamen nostra disputatione, solam nobis si-
gnificat operationem.

De syrupis. De syrupis uero, primo circa nomen aduertendum, uideri hanc uocem, si græ-
ca est, ab ὀπὸς, hoc est succis, & σύρω uerbo, quod Latinis est traho, deductam. Non
inuenio tamen medicos græcos ea usos: quare fortè ab Arabicis ad nos uenisse pu-
tanda est, qui ea uoce utuntur in succis uel decocto cum aliqua re dulci inspissatis.
Scio tamen & latinos autores eadem uoce, sed in alio significato usos. Quātum ue-
ro ad rem ipsam attinet, medici, annis plus minus trecentis, ad concoquendos hu-
mores syrupis usi sunt, ab eaq́ ui, quam inesse illis putabant, digestiuos uocarunt:
apud eos enim concoctio, digestio, & cōcoquere, digerere dicebatur: qua uoce no
ui ex græca in latinam linguam medicinæ interpretes, periculosa æquiuocatione,
alij quidem in discussione, seu resolutione, alij in diductione & transitu nutrimen-
ti ad membra utūtur. Sed dimissa uocū lite, illud potius discutiamus, an syrupi qui-
bus nunc passim utimur, uim habeant digerendi, seu, quod idem est, concoquendi.

An syrupis insit uis cōcoquēdi. Ad quam dubitationem breuiter ex his quæ de concoctione declarata à nobis
sunt respondentes, dicimus, si proprie & uerè loquamur, nullum ex uocatis syru-
pis, qui uulgò confecti inueniuntur, uim habere concoquendi: hoc siquidem mu-
nus & priuilegium, soli calori naturali debetur: ipse enim est, qui quocunq́ trium
modorum, quos prius recitauimus, loquamur, concoctionem facere potest, & ei so-
li referri debet accepta. Post ipsum uero naturalem calorem sunt nonnulla, quæ
quatenus calorem ipsum uel fouent, uel augent, eatenus ad concoctionem condu-
cunt, & eam aliquo pacto adiuuant: qualia sunt quies, somnus, modica excalefa-
ctio, ciborum boni succi modicus esus, uini parum calefacientis potus. Modicè ue-
ro calefaciunt moderata frictio, usus aquarum calidarum commoderatus, pharma-
ca atque edulia etiam temperatè calefacientia: adde, si placet, & caraplasmata. Ex
syrupis igitur tantummodo ij ad concoctionem conferunt, qui ad quodpiam eo-
rum quæ numerauimus, cooperantur, calorémque naturalem aliquantisper robo-
rant: quod in paucis admodum agnosces, si eorum uires methodo quadam uestis-
gaueris. Quosdam enim inuenies alterātes, quosdam uacuantes, quosdam utrum-
que pollicentes: & ex alterantibus alios calidos, alios frigidos, alios humidos, alios
siccos. Atque in uniuersum, quicunque corpus uel corporis humores de una qua-
litate in aliam transmutant, siue illa qualitas inter primas, siue inter secundas & ter-
tias sit, alterantes dici debent. Et ex uacuantibus, alios per uentrem, alios per urinā,
alios per cutis occultos meatus materiam educentes. Ex his autem omnibus, soli hi
concoctioni seruiunt, qui calore, odore, adstringendi ui, uel somnum augendo, ca-
lori naturali adminiculum ferūt. Quæ cum paucis insint, sequens est, ut pauci sint,
qui uel ex accidenti mereantur dici concoctioni deseruientes. Non enim accedens
dum Drusiano, à solis frigidis & siccis ceu putredini contrarijs, iuuari hanc naturæ
operationem asserenti: prohibent enim eam potius ne fiat, quàm factam concoquant. Et hæc quidem de syruporum & nomine & ui dicta sint.

De purga

De medicamentis purgātibus. Elaterium. De purgatorijs uero medicamentis illud in primis aduertendum, antiquiores ca-
lidis & uehementibus, atque corpora ualde agitantibus purgatorijs usos: quod uel
ex Elaterij nomine licet agnoscere, quod latine agitatorium dici potest: quo nomi-
ne non solum in cucumeris agrestis succo, sed in omni purgante medicamine ute-
bantur. Videmus etiam Hippocratem in morbis acutis, elleboro, & peplio usum:
quorum alterum adeò uehemens nostratibus usum est, ut eius usum præ formidi-
ne ferè penitus abdicarint. Alterum uel ex socio licet agnoscere. quanquā & ex la
cte, quo abundat, uis quoque eius potest intelligi. Esse uero hæc calida, sicuti & alia
omnia quibus antiquitas ad purgandum usa est, ex Galeno uarijs in locis licet edi-
scere. In cōmento enim illius aphorismi primi libri, cuius principium, In acutis pas-
sionibus &c. ait: Omnia id genus, purgatoria scilicet, sunt potentia calida. Et in a- »
phorismo, Sub cane &c. Exusta tunc natura, eam quæ à purgantibus medicamen- »
tis non fert acritudinem. Et libro quarto de uictu morborum acutorum: Quia ue- »
hementer mouent & lacerant, ideo prohibentur. Quoties igitur (ut iam ad diluen »
dam propositam quæstionē accedamus) Hippocrates de purgatorio medicamen-
to mentionem habet, de his intelligendus est, quæ ipse in usu habebat: quæ & ual-
de calida erant, & sua ualida ui corpora uehementius exagitantia, quodammodo la
cerabant. At quum nostris temporibus inuenta sint multa, quæ uel frigida sunt,
uel modicè calida, qualia sunt siliquæ Aegyptiæ interiora, uel ipsa siliqua uirens ad-
huc & tenera condita, mel aërium, quod Mannam uocamus, dactyli Indi, quos Ta *Mel aërium. Dactyli Indi.*
marindos Arabica lingua appellant, rosarum & uiolarum uel succus, uel aqua in
qua maduerint, myrobalanorumq́ nonnulla genera, & pleraque alia, quis ea dixe
rit ab Hippocrate simul cum calidis illis suis & acribus uetita, quum ab eo fuerint
uel penitus ignorata, uel inter purgatoria minime computata? præsertim quum ui
deamus ipsum asinino lacte & sero usum. Sed nec de his quoque uidetur Hippo-
crates loquutus, quæ ex fructibus quibusdam confecta, melléque, uel apum, uel eo
quod Sacchar antiqui uocabant, uel zuccharo uulgari condita, nonnihil, exiguum
tamen id, recipiunt scammonij, & antea per assationem in cotoneo mālo repressi
ac castigati, uel alterius cuiusquam antiquorum purgatorij: & cum magno modo
liquoris alicuius frigidi dissoluta, purgationis leuis gratia à recentioribus medicis in
morbi initio propinantur. Quæ quum qualitatibus his penitus careant, ob quas
sua ipsa purgatoria antiqui prohibebant, careant etiam necesse est his symptomati-
bus, quæ illa materia non concocta exhibita ægrotantibus inferebant. Quod præ-
ter rationem, quotidiana quoque demonstrant experimenta. Deum ego immor-
talem testor, me, qui iam octo supra quadragesimum annos medicinam uarijs in lo-
cis professus, in febrium putridarum principio, nisi aliquid aliud prohiberet, siliquæ
Aegyptiæ liquore usum, adiecta tertia parte medicamenti, quod per dactylos uel
pruna seplasiarijs ubique paratur, nullum ex tali potione unquam cognouisse se-
qui ægrotantibus incommodum, quin potius modicam, & absque ulla notatu di-
gna noxa purgationem. Alioqui neque modus hic euacuationis ab Hippocratis
dogmatibus multum abhorret. Scribit enim secundo libro aphorismorum: Incho- »
antibus morbis si quid uidetur mouendum, moue. Quem locum enarrans Gale- »
nus, docet interdum ab initio morborum salubrium purgationem esse faciendam,
ut minorem iam factam materiam natura ualeat facilius concoquere. Ex quibus
uerbis & nomen & rem ipsam sumpsisse uidentur recentiores, purgationis quam
ab initio febrium putridarum faciunt. Id autem quod interdum Galenus facien-
dum dicit, temporibus nostris crebrius, imò ferè semper faciēdum est: siquidem no
stro hoc seculo corpora humana longe magis quàm Hippocratis temporibus reple
ta morbos incurrunt. Antiqui enim, uel parum, uel nihil mane comedebant, quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tidianisq; exercitijs, frictionibus, balneis, ciborum superflua discutiebant, nec tot escarum uarietatibus, támque peruerso earum ordine utebantur. Quis enim est uel ex infima plebecula, modo misera pauperie non laboret, qui olera, earum ue radices, legumina, fructus, iuscula, panem, caseum, carnes, pisces, lagana, orbiculos, placentásque uarijs ex rebus confectas, ut fors fert, absque ullo uidelicet ordine, in eodem uel prandio uel cœna non ingurgitet? quum legamus antiquos, & quidem Athletas, mane solo pane, uesperi solis carnibus uictitasse. Si igitur Hippocrates sobrio illo seculo purgandum quandoq; iussit in morborum initio, quanto nos id audacius agemus in his qui quotidianis ferè crapulis æstuantes, oppletis præ cruditate primis nutrimenti uasculis, morbos ex immodica repletione incurrerunt? Nec est ut quispiam dicat, Hippocratem in aphorismo de morbis his loquutum, quorum materia instar furibundi & maniaci hominis, uel animalis stimulis Veneris agitati, stare loco nequit, sed huc atque illuc irrequieto motu fluit & refluit. Quandoquidem id in laterali morbo Hippocrates iussit, in quo materia non de loco ad locum uagatur, sed ad unicam mouetur, ad certam uidelicet ac determinatam sedem, ubi facere cœpit inflammationem. Et Galenus ad eum morbum trahens aphorismum, interim prima, interim secunda, interim quarta, & quandoque quinta die pharmacum purgatorium, libro quarto de uictu in morbis acutis, se dicit exhibuisse. In quibus uerbis & illud aduertendum, multos frustra, imò cum ægrotantium non leui damno, uereri, ne pharmacum præbeant uel uenam secent in die uel iudicatorio uel iudiciali. Vt enim fugiendum, ne eo die fiat euacuatio per artem, quo iudicium facit natura, ita securè & purgatio & uenæ sectio fieri potest, quocunque die, etiam si de numero crisimorum sit, modo iudicium in ea non expectetur: quarta enim die purgationem se fecisse loco adducto Galenus testatur. Et in libro curatiuo de uenæ sectione, ad animæ usque defectum sanguinem misisse. Sed hoc obiter dictum sit, fortè alio tempore fusius cum alijs medicorum circa crises erroribus explicandum: ad idq; reuertamur, quod nobis nunc est principale propositum. Diximus enim Galenum nos opere docuisse, non semper, materia etiam non turgente, ante purgationem expectandam esse concoctionem, sed in principio pleuritidis, dolore ad præcordia descendente, materiam inflammationem facientem, pleruncq; iuxta Hippocratis decretum per purgationem euacuasse. Dicimus quoque nos ab eodem Galeno didicisse, quoties uenæ sectione egens eam detrectat, uicariam ei subijciendam copiosiorem purgationem. Quod cum ita in principio, sicuti materia iam concocta possit contingere, sequitur, eo casu recte in principio posse fieri purgationem. Ipse præterea primo libro de compositione medicamentorũ secundum loca, nulla præcedente concoctione, alia uè præparatione, utranque bilem & pituitam purgat in alopecia. Atque paulò post idem facit in manantibus capitis ulceribus, quæ Græci uocant ἄχωρες. Et libro secundo in capitis dolore, & decimotertio libro methodi, uidisse ait multos, quibus inflammatio in oculis cœperat, sola per inferiorem uentrem purgatione una die curatos. Hippocrates etiam in uulneribus & fracturis, & in epidemijs plerunque purgatione utitur, absque ulla concoctionis mentione. Atque ut uno uerbo me expediam, uix inuenies Galenum in alijs à febre morbis, uel molientem eam, uel expectantem: neque unquam inuenies, aut eum, aut Hippocratem, ueram concoctionem per syrupos nunc uocatos facientem. Veram dico, quoniam præparationem & corporis, & humorum quandoque fieri iusserunt: cui per quandam abusionem recentiores Auicennam sequuti nomen concoctionis attribuere: quum tamen à concoctione uera longo distet interuallo. Quod enim uerè concoquitur, ideo concoquitur, ut, quantum fieri potest, simile euadat concoquenti. Quod uero expulsioni

Veterũ in uictu moderatio.

sioni paratur, quanto magis id patitur, tanto redditur animali dissimilius, atque ab eius natura magis alienum.

Præterea concoctio fit à natura, non ab arte: illa econtrario ab arte potius quàm à natura. Concoctio humorum conseruat substantiam: illa eos dissecat, attenuat, & quodammodo consumit. Concoctio est tantummodo putridorum: illa non putrescentibus etiam adhibetur, & animalis particulis. Concoctio est omniũ humorum putridorum: illa solum tenacium aut crassorum. Quare si demus illis, ut quocunque libet modo loquantur, & quamcunque materiæ euacuandæ & corporis præparationem, concoctionem uel digestionem uocent, certe nunquam nobis ostendent, Hippocratem aut Galenum, in tenuibus humoribus, siue eos imbibant uasculorum parietes, siue in uasculis ueluti fluctuent, aliqua uti præparatione: sed in his tantum, qui præ crassitie uel tenacitate, diuelli à suis sedibus non possunt. Corpora enim, inquit Hippocrates, ubi quis purgare uoluerit, oportet bene fluida facere. Quis autem non uideat eos humores melius fluere qui sint tenuiores, & lentore omni prorsus carentes? Tunc enim, inquit Galenus, purgatio bene procedit, cum humores crassi, tenues facti fuerint, & tenaces præcisi, & meatus aperti, per quos transmittuntur. Et in fine commentationis ait: Corpus bene fluidum est, meatibus quidem omnibus reseratis, humoribus uero incisis atque tenuatis, si alicubi in corpore fuerit humor crassus & tenax. Et in expositione aphorismi penultimi primi libri, tunc humores esse ait ad fluendum facillimos, cum fuerint tenues, & nullo lentore participantes, apertiq; meatus per quos fieri debet purgatio, & nullam obstructionem habentes. Idem scripsit libro quinto in sextam epidemiam. Libro demum methodi septimo, ne uidear ambitiose multa loca quærere, clare adeò hanc rem opere monstrauit, ut inueniri nõ putem idiotam ita rudem, qui intelligere non possit, eum id uoluisse. Vitiosos enim humores in tunicis uentriculi receptos, nullo præuio apparatu, docet purgare per picram, aut per aquam mulsam in qua sit coctum absinthium. Tenacem uero pituitam uentriculo annexam, incidi iubet ante purgationem. Si igitur de hac humorum præparatione loquutus est Rhazes, quæ improprie concoctio uel digestio dicitur, immeritò ab Auicenna reprehenditur: Galenicq; clypeo munitus, facile defenditur. Intentio quippe huiusce modi humorũ digestionis nihil aliud est, quàm incisio & attenuatio: non, ut dixit Auicenna, substantiæ adæquatio ad euacuationem facilem parans. Quanto enim materia tenuior est, & lentore magis carens, tanto minus resistit medicamini eam trahenti, & per meatus atq; emissacula facilius pertransit. Quis enim nesciat aquam puram & limpidam, facilius & fluere & trahi, quàm terrosam & lutulentã? festucasq; tenuiores à succino, & acus à magnete, quàm ab illo magnas paleas, & ab hac clauos melius trahi? At si de propria uel de utraq; loquutus est concoctione, longe à uero recessit. Per ueram enim concoctionem non tenuatur necessariò humor, uerum pleruncq; potius crassescit: imò si proprie loquendum est, nec crassior necessariò redditur, nec tenuior, sed à calore naturali (ut superius diximus) uincitur & superatur: in qua tamen uictoria frequentius accidit ut fiat crassior, quàm ut tenuior, ueluti solidis membris, quæ crassa sunt adsimilatus. Non perdit etiã necessariò crassitiem atq; lentorem, quem prius habuit, ut ex Galeno colligitur circa finem expositionis in secundum librum Prognostici Hippoc. dicente, sputum cõcoctum interdum ob crassitiem & tenacitatem non expui. Quare contrario modo etiam in hoc se habet uera concoctio præparationi: hæc enim id quod crassum est, reddit tenuius: illa quod tenue est interdũ facit crassum. At si quis fortè nobis obijciat Galenum, in libello de cõstitutione medicinæ dicentem, quod crassum & tenax est, esse attenuandum, & quod tenue crassius reddendum: dicam (ut uerba ipsa demon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtrant) eum loquutũ de his ſuperfluis quæ redire ad naturalem habitum poſſunt, non de his quæ penitus inutilia quum ſint, paranda ſunt expulſioni. Quam præparationem ſi digeſtionis concoctionis ue nomine dignamur, triplicem neceſſe eſt redundantium humorum intelligere coctionem. Vnam quidem, & perfectionem, in his quæ ita eam recipiunt, ut conuerti in ſubſtantiam partium corporis redduntur idonei. Alteram in his quæ uitioſiora ſunt, quàm ut mutari in ſubſtantiam aliti poſſint. Tertiam ualde improprie hoc nomen recipientem, qua corpora bene fluida, modo quem ſuperius ex Galeno oſtendimus, redduntur. Prima finis eſt nutritio: Secundæ, naturæ uictoria: Tertiæ, commoda expulſio. Prima & ſecunda agunt pariter in materiam tenuem & craſſam, tertia tantum in craſſam & tenacem. Quare culpandus Auicennà, qui indiſcriminatim de tribus hiſce generibus loquutus eſt. In eo enim loco ubi docet non euacuandam materiam indigeſtam, loquitur de digeſtione ſecundo modo dicta. Vbi uero Rhazen taxans, digeſtionem ait eſſe adæquationem ſubſtantiæ materiæ ad facilem expulſionem, de tertia abſque dubio intellexit. Atque eodem modo in narratione, ſubtilis, craſſi & tenacis, præparatione indigentium, quam prædictæ ſubdit deſcriptioni.

In prima uero aduerſus Rhazen argumentatione, quæ ſi recte legatur, (mendum enim eſt in uulgatis codicibus) ſuper digeſtione ſputi fundatur, digeſtionem accipit ſecundo modo. Secunda uero ratio ſuper ſedimen urinæ fundata, primæ & ſecundæ concoctioni poteſt eſſe communis: licet eam per æquiuocationem trahat ad tertiam. Sed melius forte fuerit, ut lucidioris doctrinæ gratia rationibus Auicennæ reſpondeamus.

Ad primam dicimus, aliquod ſputum tenue (per ſputum intelligẽdo materiam ei quæ expuitur ſimilem) poſſe concoqui primo modo concoctionis, id uidelicet quod acidum eſt uel dulce: & hoc quidem neceſſariò craſſeſcere, quia non aliter in membrorum ſubſtantiam, quæ craſſiora eo ſunt, tranſiret. Aliquod ſecunda tantũ: & hoc quidem ubi perfecte à natura uictum fuerit, aliquo pacto craſſius fiet: non quod in hoc ratio cõcoctionis conſiſtat, ſed quod ex actione uictoriaq; naturalis caloris hoc ſequitur. Tertiam uero nullum tenue deſiderat: quanto enim craſſius fieret, tanto difficilius & à purgante pharmaco traheretur, & per ductus & meatus pertranſiret, quemadmodũ ſuperius & Galeni autoritate & ratione mõſtrauimus.

Ad ſecundam dicimus, ſedimen in acutis morbis, in principio non deſcendere: quia materia quæ ſecundo concoctionis modo coqui debet, nondum debitam formam adepta eſt. Dicimus etiam tenuitatem ſecundæ concoctionis finem non eſſe, ſed naturæ uictoriam: quæ cum in conſiſtendi ſtatu, nec antea completa ſit, in eo, non in principio, ſedimen laudabile gignitur & deſcendit.

Ad tertiam dicendum, quod ars naturam imitans, purgationẽ materiæ, niſi uel qualitas uel quantitas uel locus cogant, non facit ante concoctionẽ ſecundo modo dictam: abſq; præparatione tamen alia tenuis materiæ arte facta, ipſam expurgare poteſt. Dico, niſi quantitas cogat: quoniã ubi in corpore tanta redundet materia, ut ab ea natura uel opprimatur, uel periclitetur ut opprimatur, tunc ab initio, & non expectata ſecunda concoctione, hoc eſt naturæ uictoria, quæ in tanta copia uix ſperari poteſt, aliqua eius portio per artem demenda eſt, ut natura à tanto pondere leuata, reſiduum aggredi poſſit & uincere. Si enim bonus Athletarum habitus, Hippocrate teſte, ſtatim ſoluendus eſt: multo magis euacuationem deſiderabit malus ægrotantium habitus, non mole tantum, ſed & malignitate uires obruens. Rurſus, ſit Socrates, qui cum ſumma uitioſorum ſuccorum repletione febrem incurrat, ſequitur, ſi dum ſanus eſſet euacuatione egebat, quod multo magis ea indigeat febriens, aucta uidelicet ex febre ſpirandi neceſſitate, & uiribus oppreſſis. Item quantitas ſupra modum aucta ad idem ducere poteſt, ad quod uitioſa qualitas, hoc eſt ad mortem. Ergo ſi in hac quandoque euacuandum ante concoctionem, etiam in illa pariter erit facienda euacuatio. Mala etiam alia quæ humores turgentes efficere poſſunt, & ab immodica copia contigerunt. Ergo eadem ratione quæ cogit euacuare humores turgentes, cogemur etiam demere immenſam multitudinem. Veritas ſumpti apparet diſcurrendo incommoda quæ turgentes humores poſſunt efficere: ea ſecundum Galenum in expoſitione illius aphoriſmi quarti libri, Pharmacum exhibendum in ualde acutis, ſi materia turget, eadem die: morari enim in his malum: ſunt roboris diſſolutio, caliditatis febrilis augmentum, & periculum ne humores qui per corpus uagantur, in aliquod membrum principale decumbant. » 2. Aphor. 20. » » » »

Imminere autem hæc diſcrimina in materia plus nimio aucta, clarius eſt, quàm ut probatione egeat: uires quippe ex immenſo pondere labeſiunt: calor febrilis cæteris paribus eſt in maiore materia maior, facilliméque humores totum corpus oppletes principalia membra attingent. Si igitur hæc pericula cogunt nos, materia turgente eadem die euacuare: cogent nihilominus ea ſupra modum aucta. Quin ſi quis diligenter conſideret, facile agnoſcet copiam immodicam magis indicare euacuationem, quàm turgentiam. Huic enim poſſumus alia uia occurrere, reprimendo uidelicet motum, alterando calorem, & membra principalia roborando. Immodica uero repletio nullum habet magis præſentaneum remedium, quàm euacuationem. Præterea, ſi humores qui agitantur & de loco ad locum mouẽtur ac tranſfluunt, uacuari debent, ut dicit Galenus in commento illius aphoriſmi, Concocta &c. quanto magis hi erunt aliqua ex parte uacuandi, qui adeò aucti ſunt, ut ferè omnia loca abſque alio motu occupent? His rationibus & ſimilibus perſuaſus, dico ſolam exuperantẽ quantitatem cogere quandoq; medicũ ad euacuationem per pharmacũ, & præcipue ubi ſecari uena nõ poſſit, in morbi initio faciendam. Quod uero qualitas idem faciat, omnes fateri oportet, qui turgentem materiam euacuandam eſſe à morbi initio concedunt: hoc enim ipſum, turgere ſcilicet, qualitatẽ quandam conſequitur in humoribus repertam, adeò membra lædentem atque extimulantem, ut à nullo recipiatur, & propterea irrequieto motu huc atque illuc pulſa, fluctuet & refluat. Quænam uero ſit huiuſcemodi qualitas in humoribus reperta, quæ turgere eos facit, à nemine bene determinatum inuenio. Sunt qui hoc in materiæ tenuitatem referant: quod certe dici non poteſt: alioqui fateri oporteret, aqueam pituitam neceſſariò turgere: quod falſum eſſe nemo eſt qui neſciat. Mihi autem uidetur inter qualitates primas, hoc ſolo calori eſſe attribuẽdum, qui adeò acris & uehemens ſit, ut membra ueluti exurat, atq; ob hoc à quouis membro reijciatur: quem certe feruorem in alio humore præterquã in bile, uel bilioſo ualde ſanguine, inueniri non puto. Quare ſola bilis hoc modo turgere dicenda eſt, & ratione eius ſanguis. An uero quæuis exacta bilis putreſcens turgeat, & euacuari à principio debeat, non inutiliter quæri poteſt. Ad quod dubium, quantũ mihi uidetur, reſpondendum eſt, bilem certa ſede intra uenas putreſcẽtem, poſſe tam remiſſe calere, ut concoctio in ea ſit expectanda. Eam uero quæ extra uenas putreſcens intermittentem ſebrẽ facit, non ſine ratione dixerit quiſpiam, ante concoctionẽ poſſe euacuari. Scribit enim Galen. in commento aphoriſmi ſuperius adducti, cuius initium, Concocta &c. cõuenire, ut illi humores euacuentur, qui agitantur & de loco ad locum mouentur, & transfluunt. Et lib. 8. de cõpoſitione medicamentorũ ſecundum locа, turgere intelligit ad excretionem moueri, & nondum ad certam ſedem impetum habere aut conſiſtentiam. In libro uero de iudicijs ſecundo, dicit, in tertianis bilem uehementer moueri, & per ſingulas corporis partes diſſeminari, atque delationis impetu per ſeipſam expurgari, atque ob hanc cauſam ex ſudoribus & uomitis

Calorẽ eſſe turgentium humorum cauſam.

5. aphor. 21. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus finiri. Et in commentario cui titulus, Quos purgare oporteat, & quibus purga
» torijs, & quando, ait: In principio serosos & tenues humores euacuabis, concoctionem expectans in crassis & tenacibus, quales natura sunt bilis atra & pituita.
» Quare si quis in tertianis purgationem bilis ante concoctionem moliatur, non solum Galenum, uerum & naturam se imitari dicere poterit, per uomitum & sudorem, sed & plerunque per uentrem bilem in talibus febribus ante concoctionem expurgantem. Exuberans igitur caliditas tenuitati iuncta facit, ut bilis turgeat: tenuitas sola concedit, ut etiam si non turgeat, ante concoctionem euacuari possit.

Verum præter qualitates primas & manifestas, alia quædam qualitas quandoque in humoribus reperitur, quæ turgere eos facit, & die primo egere purgatione: occulta quædam & pestilens malignitas, qua affecti humores, nisi statim purgentur, cor, uel aliud principale membrũ petentes, ultimam afferunt perniciem. Hanc & aliàs quandoque, & annis quinto & uigesimooctauo, supra millesimum quingentesimum, uidimus ante magnam pestilentiam in hac nostra ciuitate, cum maxima mortalium, & præsertim nobilium strage peruagari. Ab initio leni quadam febricula afficiebantur, pulsuq́ & urina uix à sanis differebant: febris post biduum triduum ue supra modum crescebat, uires prosternebantur, urina ueluti fumentorum, inquietudo, bilis prasinæ uomitus, materiaq́ caput petente deliria, modo cum uigilijs, modo cum immodico sopore hominem cruciabant: uariiq́ coloris exanthemata per uniuersam cutem efflorescebant, omniáque demum incommoda, & his longe plura sequebantur, quæ turgentem materiam superius diximus comitari. Quare non poteram non admirari, quosdam præcellentis doctrinæ & nominis medicos, purgationem in tam pestifera lue ante concoctionem negligentes, atque alios medicos taxantes, qui ea utebantur. Si qui enim morbi inueniuntur, qui eiusmodi purgationem eadem die ita desiderent, ut tardare malum sit, hoc maxime pestilentes hæ febres requirunt, uelocissimã mortem, nisi ea fiat, inferentes. Sed nonne apud Galenum quinto methodi legerant, quotquot ex immani illa pestilentia incolumes euaserant, multis per uomitum, omnibus per uentrem, corpus antea fuisse & purgatum & exiccatum? Quod siue natura, siue arte factum sit, omnino nobis ostendit, in his qui ex pestilentia seruari debent, exiccationem corporis per purgationem esse necessariam. Quod uero expectanda non sit euacuatio salutem factura in consistendi uigore, ex hoc ostenditur, quod iudicia quæ in pestilentia fiunt, ad mortem potius quàm ad salutem tendunt, Galeno teste in secundo aphorismorum commentario, & ipsa comprobante experientia. Quare illi mihi potius probandi uidentur, qui ab initio pestilentium morborum, quanto citius possunt, omnia genera euacuationum exercent, quàm qui iudicium, quod potius malum quàm bonum in his speratur, expectant. Materiæ igitur qualitas euacuare plerunq́ cogit ante concoctionem. Verum præter quantitatem & qualitatem, idem quoque fieri ex loco, superius ostensum est. Vbi enim ad præcipuum aliquem locum materia decumbit, non expectata concoctione est uacuanda, quemadmodum in laterali morbo est demonstratum.

Ab initio pestilentium morborũ euacuandũ.

Vt igitur iam receptui canamus, & nostra disputatio, quæ diu uagando huc atq́ illuc, ueluti œstro percita, furentem materiam absq́ ordine sequuta cucurrit, quasi classici uoce ad id unde cœpit reuertatur, dicimus, materiã magna ex parte ante cõcoctionem purgãdam: eam enim quæ non proprie turget, sed uel sola quantitate, qualitate, uel loco perniciẽ, nisi euacuetur, timetur illaturã, euacuari oportere ante concoctionẽ à natura factam demonstrauimus: sicuti & eam quæ non proprie uel improprie turget, in alijs à febre morbis, & in ipsis etiã febribus debere à nobis potius quàm ab antiquis, ab initio minui, peiori scilicet uictu & maiore ocio utẽtibus, & medi

& medicamenta faciliora atque minus exagitantia habentibus: præsertim quum nihil habeant quod nobis obijciant aduersarij, nisi uulgatum illum aphorismum: Concocta medicamentis purganda & mouenda non cruda, neq́ in principijs, nisi turgeant: multa autem non turgent, quem tamen in multis exemplaribus non legi ait Galenus, licet in lib. de humorib. passim legatur. Et ut eum inter aphorismos recipiamus, habemus tamen cui opponamus aphorismum secundi libri ~~decimum~~ vigesimi nonũ, qui dubio procul Hippocratis est, iubentem in principio mouendum, si quid mouendum est. Quem aphorismum non solum scribit Hippocrates, sed etiam per alium sequentem probat, quia uidelicet circa principia omnia sunt imbecilliora. In his enim duobus aphorismis indulget medico Hippocrates, ut quando ei uidetur, euacuatione à principio utatur: quod & in penultimo primi libri permittit. Et licet dicat rarò hoc faciendum, nos rationibus superius adductis moti, crebrius id facere & possumus & debemus, in materia præsertim serosa ac tenui, qualis est bilis pallida, quæ à recentioribus citrina uocatur, quam nostro seculo uidemus satis abundare. Dicimus etiam, si quando expectanda est uera concoctio, eam per uocatos syrupos, qui maiori ex parte eam potius perturbant, quàm agant, non esse procurandam, sed cum his tamen rebus, quæ naturales uires augent & roborant. Nec nos alia præparatione humorũ indigere, nisi attenuatione crassorum, & incisione tenacium, quæ per cibaria & potus magis quàm per syrupos, Galeno teste, qui integrũ huic rei uolumen dicauit, dicimus facienda. Habes igitur mi Charandine meam de euacuatione ante concoctionem facienda sententiam, confusanee certe & absq́ ordine scriptam, ut ab homine sene, & multis negocijs impedito, quæ toties deponere calamum, & interrumpere commentationem coẽgerunt, ut quod tribus diebus absolui poterat, ad trienniũ ferè protractum sit. Tu autem quicquid id est, pro tuo in me amore boni consules. Vale.

Ex Ferraria, XV. Calend. Septemb. M. D. XXXI.

EPIST. II. pro nobili quodam uiro, magnum ueluti incendium in meiendo patiente.

BAldasar Sala, uir generis nobilitate, ac in negocijs principalibus exercendis dexteritate insignis, questus est apud me per literas, se, iam agitur secũdus annus, dum lotium emittit, maximũ in uesica urinæ persentire incendium: quod nec ex medicatarum aquarũ tertia potione, consilio medicorũ facta, nec alijs auxilijs mitigari, ne exiguo quidem, nedum restingui potuerit. Huic quantum in me est opem laturus, in primis affectionis ipsius essentiam & causas inuestigabo: deinde ex illis curatiuas intentiones eliciam. Affectus hic, ut iam primum aggrediar, à recentioribus ardor urinæ uocatus, nihil aliud mihi esse uidetur quàm dolor ulcerosus, uesicam ipsam, & potissimum eius ceruicem atque meatum, qui ab ea per pudendum descendit, affligens: quare inter symptomata, sicuti & quilibet alius dolor, est reponendus. Verum hoc symptoma ex alio sequitur, hoc est, ex re exeunte immutata, lotio uidelicet ipso ad maiorem quàm ex natura sua exigeret acredinem conuerso. Dico autem, hæc symptomata malam temperaturam consequuntur, à salsa pituita, ut per indicia ab excellentissimo Machello conscripta apertissime colligitur, genitam. Quæ quidem salsedo ex superfluo iecoris & renum calore totam lotij substantiã quasi assan tibus, generatur. Ex his igitur ad secundum accedentes, intentiones tam proprie curatiuas, quàm præseruantes elicimus. Mitigandus igitur primo iecoris & renum calor, ne decætero lotium superfluò exurat: ipsaq́ iam facta pituita purganda. Demum mala affectio ex longo transitu huius mordacis materiæ in meatibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

urinarijs derelicta, pro uiribus auferenda. In qua re sua solita diligentia ac solertia præsens medicus utetur, ad dignoscendum nunquid ulcuscula aliqua in huiusce locis sint facta, quod ut minime uellemus, ita maxime formidamus.

Inter diuersa quæ ad has explendas intentiones mihi occurrũt præsidia, sectio uenæ præcipuũ uidetur: per eam quippe & calor membrorum minuetur, & materia partim euacuabitur, partim distrahetur. Nec absterrere nos debet ætas, consentiente naturali temperatura, bono corporis habitu, & uictus ratione quæ præcessit.

Secanda igitur, si expertus & audax sector habetur, uena poplitis: si minus, à tali extrahendæ sunt plus minus ue, pro medici præsentis iudicio, unciæ sanguinis senæ. Facta uenæ sectione, bidui uel tridui interiecta mora, potio in aurora bibenda, in hunc modum parata: Polypodij recentis ʒ. glycyrrhizæ recentis, seminũ cucumeris ana semũcia. Myxaria uulgò Sebesten uocata, septem in seri caprini libra, uel in alio, si hoc haberi non potest, tandiu bulliant, donec tertia pars seri consumpta sit, & adiecta decocto bene excolato, rhei barbarici drachma fiat potio, ipso rheo prius tenuissime contrito. Tertio ab hoc purgationis die, deriuationis gratia duæ cucurbitulæ à pari utriusq; natis admoueantur, suprà quàm sedendo quiescimus.

His peractis, ad ea quæ intrinsecus extrinsecusq; alterant, ueniendum. Iecur igitur inungendum oleo rosaceo, cui æqualis portio succi intybi, quarta pars olei absinthitis, octaua aceti rosacei sit adiecta. Renes succo solatri, cum unguento Galeni infrigidante uocato, æquilance commixto. Vesicæ regio cum toto ad sedem usq; pudendo aqua tepida foueat̃, in qua portulacæ & papaueris albi semina decocta sint. Quibus nisi ardor mitigatus fuerit, papaueris ipsius cortices, demum aliquid hyoscyami superaddatur. Ex decocto etiam earundem rerum utiliter fieri possunt lesiones, quæ ad regionem usque iecoris pertingant. Bibenda quoque singulo mane erit solatri aqua, in qua cucumeris, portulacæ, & papaueris albi semina decocta sint, addito modo syrupo de papauere, modo nenupharino. Venter assidue leniendus, modo per siliquæ ægyptiæ liquorem in decocto polypodij resolutum, modo per clysmata eundem liquorem cum melle rosaceo recipiẽtia, modo per uini fecem tenuissime attritam, modo per senam in sero decoctam. Quod si cum tot præsidijs adhuc passio non sit sublata, hirudines uenis ani applicentur, atque cum adiumento aquæ calidæ inferius adeò bene occlusæ ut uapores eius loca hirudinum petant, à quatuor usq; ad sex uncias sanguinis extrahatur. Dehinc ad uehementer infrigidantia ueniẽdum, de quorũ natura sunt trochisci, à Paulo diaphysalidon uocati, qui recipiunt seminũ cucumeris partes 4. sem. hyoscyami, cicutæ ana p. 2. fœniculi, seminis lapathij, croci, pini fructuum, amygdalarũ amararum, opij ana partem 1. physalidos, hoc est, granorum quæ alchechengi uocãt, partes 30. Compone cum uino albo odorato, & fac trochiscos quorum singuli pendeant semidrachmã, quibus primum utẽris exterius dissolutis in oleo seminis cucurbitæ: deinde, si opus fuerit, dabis unum ad bibendum cum aqua solatri.

Frustra autem hæc omnia tentarentur, nisi congruo uictu uteretur. Qualis uero hic esse debeat, arbitrandum præsenti medico permitto, sicuti & quæcunq; superius scripta sunt. Non tacebo tamen puluerem in quo magnam habeo fiduciam: cõponitur autẽ ex physalidibus, hoc est, ut dixi, rubro illo fructu alchechengi uocato, quæ sint numero 12. sem. cucumeris, sem. papaueris albi ana ʒ. s. saccharo albo ad omnium põdus. Fiat omniũ puluis, ex quo semper ante alium cibum deglutiat semunciam. Bonum etiam erit, si octo decem ue myxaria in aqua solatri madefacta per horã ante cibum edat, & in secunda mensa bolum unum ex partibus duabus, seminis cucumeris, & una parte fructu ũpini, saccharoq; in aqua solatri & rosa resoluto, confecto.

Ex ædibus nostris Ferrariæ, III. Nouemb. M. D. XXXI.

Epist.

EPIST. III. ad Ioannem Paulum Castilionum medicum. Per manum quandoq; totum brachium à medicis intelligi. Expositio item obscurorũ quorundã Auicennæ uerborum, capite de lapide renum.

Vsuo adhuc Dei gratia, Ioan. Paule, pestilentiæ superstes: uigetq; in me adhuc animus, licet langueat corpus, & podagra me quandoq; lecto detineat, pedesq; adeò imbecilles semper relinquat, ut uix unquã ualeam absq; auxiliatore scalas ascendere. Adiunxerat & sibi chiragram cum tuæ mihi redditæ sunt literæ: atq; utrique successisset, longe illis sæuior, Nephritis, quæ ut serior, ita molestior adeò fuit, ut ad fauces usq; Orci me deduxerit. A qua tandem Dei optimi munere leuatus, ubi reuisere cœpi meam bibliothecam, literas tuas inueni tertio Calend. Martias ad me datas. Quare erubescens quod tandiu responsum distulerim, arrepto calamo statim respondere incœpi. In primis igitur gratias tibi ago pro tua humanitatis & amoris plena salutatione, atq; uice uersa, te etiam atq; etiam & saluto, & quantũ per absentiam licet, exosculor. Deinde quod ad disceptationẽ exortam apud nos pertinet, satis mirari non possum, in medico tanti nominis tantam dormitationem, ut non aduerterit, per manum interdum apud medicos significari non solum extremã illam brachij partem, quæ in quinq; digitos, palmam, carpumq;, & metacarpum diuiditur: sed totum id quod ab humeris extra thoracem prominet, & ex humero, brachio, extremaq; manu cõponitur. Quod si ex Galeno fortè non didicerat, poterat uel ex suo Auicenna cognoscere, lib. 1. cap. de phlebotomia, sex uenas manus secari dicente, atq; tres inter eas magis præcipuas supra brachij curuaturam secandas: iecorariam scilicet, quam ipse basilicam: humeralem, quam cephalicam: & mediam, quam nigram. Manum ergo intelligere eo loco absq; dubio oportet humerum cum toto brachio, uenamq; in synocha secare per quã superiora & inferiora uacuentur, qualis præcipue est media. Sunt tamen qui iecorariam præferant, fortè quia magis ex directo iecur respicit, quod est sanguinis fons. Vbi tamen sanguis in superioribus corporis partibus magis exuperare uideatur, humeralem secare non fuerit absurdum. Nulla autem ratio ostendit, ut in tanta sanguinis copia, per extremæ manus uenulas fieri debeat euacuatio, præsertim iubente Galeno, nec abnuente Auicẽna, ad defectionẽ usq; animi sanguinem esse educẽdum: quod ex uenulis illis manus uix fieri posset.

Petis præterea expositionem quorundam uerborum Auicennæ, cap. de lapide renum, quæ in communi æditione sunt huiusmodi: Et iterum si est lapis renum, & generatur secundum plurimũ, & non adhuc mingitur, tunc est sedimen urinæ retentum cum ea. Et si est uesicæ, & discernitur secũdum plurimũ post separationem urinæ, tunc est fex sanguinis, deinde associatur ei, & diuersificatur ab eo. Dicitur in primis, in Arabico non omnino similem esse lectionem: ita enim ad uerbum legitur: Et iterum lapis renum generatur secundum plurimũ, & non adhuc mingitur urina, & est sedimen urinæ retentum cum ea. Lapis uesicæ coagulatur secundum plurimum post separationẽ urinæ: & est fex urinæ, quæ non associatur ei, sed postponitur ab ea. Sunt autem hæc uerba in utraque litera, sed præcipue in prima, tanta barbarie obruta, ut Gentilis duobus expositis & altero immutato, sententiam conniuendo præterierit. Pro uerbo siquidem, generatur, legit immergitur: & participium, retentum, exponit mixtum: & fecem sanguinis intelligit hypostasin. Posumus autem hanc ex ipso elicere Auicennæ sententiam: Si est lapis renum & immergitur, hoc est, ita hæret, ut non adhuc mingatur, sedimen urinæ miscetur cum urina. Lapis uero uesicæ discernitur, id est manifestatur, post separationem urinæ:

Universidad de Deusto
Biblioteca

exit quippe primo urina, deinde percipitur lapidis nocumentum, posiea exit sedimen, quod demum associatur urinæ: diuersum tamen est ab ea, quia non tantum miscetur urinæ, quantũ in lapide renum. Nicolus desperans eorum sensum se posse assequi, attulit quidem uerba, sed dimisit inexposita. Iacobus de Partibus in hoc præferendus Gentili est, quod uerba Auicennæ seruat, nec extra proprium significatum extorquet, sed ex eis eam sententiam elicit quam & tu & alij potestis uidere, & recte, an perperàm, iudicare. Ego eo relicto, sensum potius Arabicæ æditionis, à nemine adhuc expositæ, conabor elicere: qui (ni fallor) est huiusmodi: In hoc differunt lapis renum & uesicæ, quod dum ille generatur, maiori ex parte urina simul cum suo sedimine retinetur: in huius uero generatione, exit quidem primo urina, deinde eius sedimentum. Prima autem huius sententiæ pars facile intelligetur cõsideranti modum quo lapis in renibus generatur. Quem modum sicubi alibi, præcipue libro primo expositionis in 6. Epidemiarum, Galen. demonstrauit. Ait enim:

» Ostensum est in commentarijs de naturalibus facultatibus, renes ad se trahere quic
» quid seroſi tenuisq; in uenis sanguini permiscetur. Vbi uero meatus qui in uentrẽ
» huiuscemodi serum excolant, plus nimio referati fuerint, simul etiam aliquid ex his
» quæ crassiora sunt, excolatur. Quod quando calefactum, in renum uentre similem
» p&ro acceperit consistentiam, si quidem renum excretoria uis totum hoc cum uri
» nis expulerit, arenosæ in ipsis subsidentiæ fiunt. Si uero adhærens uẽtri renis fuerit,
» difficulterq; ab eo uelli possit, alterum quidpiam sibijpsi simile ex concaua uena sui
» scipiens, amplius augetur: semper enim id quod influit, ei quod præerat circumne
» ctitur, atq; hoc pacto p&rus nota dignæ amplitudinis constituitur. Ex his igitur Ga
leni dictis ratio reddi potest, quare dum lapis in rene gignitur, urina simul cum suo sedimine retinetur, labefactata uidelicet ui renũ expultrice, & crassiore materia intra renis concauitatem retenta. Idem ex eodem Galeno colligitur in expositione aphorismi ultimi libri tertij, rationem reddente, quare senes faciliter calculo renum
» laborent. Ait enim: Quum in senibus multæ & crassæ superfluitates generentur,
» & præter hoc quoq; uirium adsit imbecillitas, obstruuntur plerunq; renes, & lapides gignũtur. Obstructis itaq; renibus, & ui eorum facta imbecilli, mirandum non est, urinam cum suo sedimine aliquantisper retineri. Et propterea Paulus Aegineta, dum lapis generatur, exiguam urinam excerni dixit, atq; meatus per quos excernitur adstringi. Potest tamen tanta esse arenularum copia, nec uis renum excretoria adeò imbecillis, ut arenis quibusdã exitus patescat: quod & ipse Paulus expressit, & fortè Auicẽna cognouit, addens particulam, secundum plurimum. Quæ uero dixit de lapide uesicæ, consonant Galeno libro primo de locis affectis, lapidis indicia esse dicenti, quod primo exit urina aquæ similis. Et lib. 6. quod pus ex uesica exiens, sine urina plerunq; excernitur, quia à loco propinquo excernitur. Vtrunque autem horum tetigit Auicenna: primum, cum ait, post separationem urinæ lapidem coagulari, postquam uidelicet urina aquosa exiuit, & fex retenta est: secundum, ubi ait, Et est fex urinæ quæ non associatur ei, sed postponitur ab ea. Hæc sunt Ioannes Paule dilectissime, quæ pro expositione illius difficilis textus mihi se obtulerunt.

Demum in calce tuæ epistolæ à me petis, an ẽ re tua esse putem, ut in patriam reuertaris: quod te quærere arbitror, quia multos per proximam luem interijsse hic medicos intellexeris. Quæ res si te mouet, illud etiã considerare debes, quod si pauci supersunt medici, pauci quoq; sunt qui eorum opem expoſcant: mediam enim hominum partem perijsse publica fama est: sed & in defunctorum medicorum locum multi insurrexerunt, qui uix, quando tu hinc recessisti, ad grammaticos pergebant. Fruimur præterea magna nunc salubritate. Quare cogitandum tibi est, si in patriam redieris, per multos menses proprio ære te militaturum: nisi fortè prositendi

tendi publice munus iterum aggrediare. Quod facile consequêris, aspirãte tibi Lodouico Bonacialo, ut doctissimo, ita bonis ingenijs fauẽte: quem præfectum aiunt gymnasio instaurando. Vale.

Ex Ferraria, IIII. Calend. Sextiles, M. D. XXIX.

EPIST. IIII. ad Iacobum Pharusium medicum Regiensem, de Leporina carne &c.

Io Egi amantissime Iacobe, nec sine uoluptate, quæ tu non minus argute, quàm eleganter, pro leporina carne disputasti, eam & boni succi esse, & coctu non difficilem probans. Adeò autem mihi applauserunt rationes tuæ, ut non minus tibi debere id animal putem, si quis modo illi sensus sit, quàm illi poëtæ, qui primam ei gloriam inter quadrupedes dedit: aut ijs, qui formosum fore septem diebus dixerunt, qui leporinas carnes esitauerit. Parúmque abfuit, quin tuis argumentationibus uictus, manus dederim, hisq; ac pedibus in tuam sententiã uenerim. Quod certe non inuitus fecissem, quoniam ipsis carnibus, cum datur, ego quoq; libenter uescor. Verum deterruit me ueneranda antiquitas, & ad hæc usq; secula quasi per manus nobis tradita sententia, quæ ab Hippoc. uel ab aliquo certe uetustissimo cœpit autore. Scribitur enim in libro de Diæta 2. qui quidem Galeni tempore à multis, nunc ab omnibus Hippocratiadscribitur, in hunc modum: Leporina caro sicca & adstringens, lotium aliquantisper mouet. Post quem, quisquis ille fuerit, Galen. lib. 2. de escis ait: Leporum caro sanguinem crassiorem gignit. Et in comment. de attenuante uictu, utilem eam dicit in uictu exiccante, non autem attenuante, quia crassum sanguinem gignit. Et apertissimis uerbis lib. 3. de locis affectis, magnam eam habere uim dicit in melancholici sanguinis generatione. Psellus quoq; & Paulus eisdem ferè uerbis Galeno subscribunt. Sed & Psellus inter cibaria atram bilem gignentia eam cõnumerauit. Post quos omnes Simeon in lib. de escis, quasi quæcũq; dicta à uetustioribus erant, colligens, inquit: Carnes leporũ, his qui exiccare corpus uolunt, ualde cõducunt: Io minime uero his qui temperatura sunt sicciore, sanguinem quippe gignunt crassarum partium, & melancholicum. Fecerunt omnia hæc Græcorum dicta, ut Arabes Latinosq; præteream, me cogitare, nunquid rationes, quibus leporinas carnes extollis, dilui aliquo pacto possent: aliæq; in contrarium afferri, quæ antiquorũ autoritati suffragarentur. Vtrunq; autem post sacras ferias, in quibus mihijpsi uacandum fuerat, circa hæc meditanti, non post multam indaginẽ occurrit. Antequam autem alteram earum aggrediar, nonnulla tanquam nota subijcienda. Primo quidem, quod cum de temperatura cuiuspiam rei medici loquũtur, non de ea loquuntur, quam in se, uel quoad totam naturam habent, (ad philosophum enim spectat hæc consideratio) sed hominis cõsideratione: ita ut id calidum aut frigidum, humidumq;, uel siccum dicatur, quod humanum corpus calefacere, frigefacere, humidumq; uel siccum reddere potest. Secundo subijciendum, escas & medicamina in hoc cõuenire, quod utraq; in nos agunt & à nobis patiantur: in hoc differre, quod medicamina agunt quidem potius, quàm patiantur: escæ econtrario magis patiantur quàm agant. Tertio subijciendum, escas tandiu rationem medicamenti subire, quandiu in sanguinem mutantur: ubi uero perfecte in sanguinem uersæ sunt, siue calidæ, siue frigidæ fuerint, ab eis semper calorem augeri. Quarto, escas, etiam ubi penitus mutatæ à nutriente ui sunt, posse corpus reddere multo quàm esset antea frigidius, si uidelicet plus frigidiorum humorum, pituitæ scilicet & nigri humoris, quàm boni sanguinis & bilis generent. Ex his quatuor suppositis colligitur, qua uia inuestiganda sit, & leporinæ carnis, & cuiusque alterius escæ temperatura.

Rationes, quibus alimẽtorum tẽperaturæ inuestigandæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non enim extrinsecæ cuiuspiam rei uel consideratione uel cõparatione id metiendum, sed relatione ad corpus humanũ iudiciũ faciẽdum: ex hoc quippe habet quid, ut sit homini cibus, quod talem habet cum homine similitudinem, ut cõuerti in eius substantiam possit: hoc enim est, & non aliud, quod facit aliquam rem, & dici & esse hominis escam. Et licet agere dum mutatur in corpus hominis aliud possit, non propter hoc esca, sed medicina potius dici debet. Si quis igitur recte iudicare uolue rit leporinæ carnis quatenus esca est, temperaturã: agnoscere eum in primis oportet, in quos humores à calore humano concocta uertatur: quod certe non nisi ex
» longo usu dignosci euidenter ualet. Omnia enim nutrientia, ut Galenus ait lib. 3.
» de temperaturis, alterãt aliquo modo corpus, sed immanifeste, dum semel tantum
» accipiũtur: uerum si longo tempore offerantur, ualde alterant, atq; manifeste cor-
» pora immutant. Et lib. 1. de escis: Escæ cognitio uix in multo tempore ex determi-
» nata experientia recte fit. Et Hippoc. in Epidem. Cibi & potus experientia egent.
In hoc ergo iudicio quod longo experimento innititur, standum antiquorum obseruationi, præsertim quãdo illis rationes quoq; aliæ consentiunt, quas Galenus ab extrinseco acceptas uocat: inter quas multum ualida ea, quæ à carnis ipsius substantia assumitur, quæ certe in hoc animali dura satis apparet. Facit autem hæc durities,
» ut serò, & paulatim nutriat. Quæcunq; enim dura carne constant, ait Galenus in
» expositione aphor. 18. lib. 2. tardius & paulatim nutriunt. quod non leue frigiditatis argumentum est. Quemadmodum enim id quod facile cõcoquitur & celeriter nutrit, est quo ad nos calidum, Galeno teste, in fine libri tertij de temperaturis: ita econtrario quod tarde & paulatim, esse quo ad nos frigidum. Facile enim id in substantiam nostram conuertitur, quod cum natura nostra maiorem habet similitudinem: atq; id difficilius, quod magis dissimile. Sumus autem nos à prædominio calidi & humidi. Est præterea eadem durities euidens indicium siccitatis, ut ex 2. lib. de temperaturis, à Galeno colligitur. Licet enim nõ omne durum sit siccum, id tamen durum quod neq; à uehementi calido duratum est, neq; à uehementi frigido congelatum, proculdubio est siccum. Tanta autem caliditas esse in lepore non potest, ut carnem eius induret: nec tanta frigiditas ut congelet. Quare quum sit dura, omnino etiam sicca esse uidetur: alioqui & ipsa sola durities eam à numero bonarũ carnium eximit, Galeno teste, in lib. de attenuante uictu. Quod etiam testatur dissimilitudo quam habet cum carne porcina, quæ præ cunctis carnibus, Galeno & ipso sensu teste, est nostræ magis similis. Et propterea inter carnes quibus uescimur, statui potest ueluti mensura & regula, cuius comparatione alias cognoscimus. Recedere autem ab ea leporinam per frigus & siccitatem, nemo (ni fallor) ambiget, qui utrãq; bene norit: exanguis enim, arida, & ueluti usta leporina uidetur, fuliginosæ comparata, uaporeq; omni atq; humore ac tenacitate ferè priuata: fragilis uero, & ceu fibris abundans: quæ omnia & difficilem cõcoctu, & seram ad diducendum ostendunt. Agilitas quoq; & in currendo uelocitas eam ualde à sue differre ostendunt, quod animal pigrum ualde est & ociosum. Sed & timiditas frigus indicat. Si enim siccitati coniungeretur caliditas, audaciam, quam summam in leone calido & sicco animali uidemus, in lepore quoq; efficeret. Si igitur substantia, durities, squalor, fragilitas, fibrarum copia, & fuliginosæ dissimilitudo, antiquorum autoritati & longo experimento consentit, hanc carnem à numero bonarum seiungentium: quis non potius credat Galeno, inter quadrupedes suem, uitulum & hœdum duntaxat cõmendanti: quàm poëtæ, eam fortè titillatione potius proprij palati, quàm certa ratione laudanti? Sed dices fortè, te non à poëtis, alioqui mẽtiri assuetis, sed rationibus persuasum in hanc sententiam uenisse. Ideo tentanda mihi tuarum rationum solutio: quarum prima ex sanguine accepta talis est: Si leporina caro est melancholica, sanguis quoque eius erit melancholicus: talem enim temperaturam habet caro, qualem habet sanguis.

Caro porcina, humanæ maxime similis.

lem habet sanguis. Quod leporinum sanguinem esse melancholicum ais, rationi, Galeno & Aristoteli uidetur repugnare. Rationi quidem, quia tenuis & aqueus est, non ater & spissus. Aristoteli uero, qui fibrarum ratione quæ leporino desunt, sanguinem crassum & terreum esse dicit. Galeno quoq;, qui sapidum eum dicit, & dulcedine, concoctionis facilitate, sanguinem auium superare. Hæc quidem uidentur capita tuæ primæ argumentationis, fusius tamen à te explicatæ. Mihi autem in primis, mi Iacobe, id non constat, quod ueluti basis fundamentúmque est argumenti, quod scilicet talem temperaturam habeat caro, qualem habet sanguis. Mutari enim nutrimentũ à nutriendo debet, non ecõtrario, res nutrita à nutrimento: quod uel ex hoc constat, quod diuersarum temperaturarum particulæ ab uno eodemq; sanguine nutriũtur. Quare si talis esset animalis nutriti natura, qualis est nutrimenti, fieret ut omnes corporis particulæ ex eodẽ sanguine nutritæ, eiusdem essent temperaturæ: quod est ab omni ratione alienũ: quum nemo sit qui nesciat, carnis temperaturam ab ea quæ est ossis, plurimum differre: sicut etiam scimus in latitudine partium corporis calidarum multis numeris sanguinem uincere carnem: siquidem post sanguinem, locant cor, post quod iecur, & post ipsum carnem. Longe igitur calidior est sanguis quàm caro. Sed ex tuis, imò ex Galeni dictis abs te adductis, euidenter (ni fallor) colligitur, carnem non sequi sanguinis naturam. Leporinũ enim sanguinem, ut tuipse recte adducis, sanguini auium Galenus præponit, cap. 22. lib. 3. de escis: quum tamen auium carnes non solum leporinis, sed omnium quadrupedum, cap. eiusdem 67. concoctu dicit esse faciliores. Et in lib. de rebus boni mali ue succi, inter escas culpa uacantes, carnes multarũ auium reponit, omnemq; sanguinem ceu concoctu difficilem uituperat. Ex animalis igitur sanguine, iuxta Galeni decreta, nõ necessariò colligitur carnis temperatura. Verum ut hoc tibi detur, non euidenter tamen probas, leporinum sanguinem non esse melancholicum. Tenuitas enim, & (ut tu uocas) aqueitas, frigus ostendunt, non calorem. Sanguis enim
» qui dilutior est, ait Aristot. lib. 2. de Partib. animal. cap. 4. frigidior est: eaq; anima-
» lia timidiora, idem Aristoteles dicit, quibus est dilutior: qui certe timor uel solus in
hoc animali summus, maximum est frigiditatis argumentum. Porrò sicuti tenuitas non est caloris indicium, ita nec crassities frigoris. Tauri enim (quod certe animal ualde calidum est) sanguis crassissimus est, eodem Aristotele teste: qui cum etiam sit nigerrimus, certo argumento nobis est, ex coloris nigredine non ostendi frigiditatem, sicuti neq; ex eo quod cõcrescit & spissatur: nam & hoc calidissimorum animalium sanguini, fibrarum ratione contingit, quæ crassiorem eum reddunt, & ad concrescendum aptiorem, ut Galenus quoq; lib. 1. simplic. medic. confirmat. Aristotelis igitur autoritas, pro antiquis potius stat, quàm pro tua sententia: nec leporini sanguinis affirmat frigiditatem, sicuti nec saporis suauitas, uel dulcedo quam ei Galenus attribuit. Didicimus enim ab eo, lib. de simplic. medic. 4. cap. 6. non omnia dulcia esse calida, sed ea tantum quæ dulcedinem magnam habent: quæ uero modicè dulcia sunt, esse frigida. Ad tantam autem dulcedinem hic sanguis non attollitur, ut calidus, hominis comparatione, ob dulcorem existimari debeat. Hominis dico comparatione, quia aliarum leporis particularum comparatione omnino calidus est. At si sanguis leporinus frigidus est, sequitur, si ratio tua concludit, leporinam quoque carnem frigidam esse oportere. Nec ratio igitur, nec Aristotelis aut Galeni autoritas, leporinũ sanguinem & eius carnem ab atræ bilis submouent natura. Quod ad Auicennã uero attinet, cuius etiam autoritati inniteris, licet ea apud me magni momenti non sit, dicere tamen possum iuxta ea quæ tanquam uera supposuimus, posse quidem leporinam carnem dum extrorsum adhibetur, & ut pharmacum solum agit, uim habere calefaciendi: dum uero intra corpus accepta, atque

Leporinum sanguinem non esse melancholicũ.

Timor frigiditatis signum.

ab eo mutata est, in melancholicum sanguinem uersa, reddere corpus frigidius. Disputationemq; nostram sub escæ consideratione, non sub pharmaci esse ratione: ad quem modum & ipsemet Auicenna capite de lepore, frigidam eam dicit & siccam. Atque per hæc primæ tuæ argumentationi satisfactum puto: pariterq; secundam eisdem fundamentis elidi, tanquã eidem ferè medio innitentem, quod scilicet ea caro melancholica esse non possit, cuius sanguis non sit melancholicus, qualem non esse leporinum ostendit tenuitas, aquea substantia, dulcor, atque fibrarum carentia, aquam potius quàm terram præ se ferentia. Diximus enim, animal nutritũ reddere potius nutrimentum sibi simile, quàm econtrario nutrimentum animal. Diximus præterea, aqueam fluxibilemq; substantiam non auferre à sanguine frigus & siccitatem. Acetum quippe, aqua rosacea, omphacium, necnon aqua in qua fabæ, lentes, glandesq; bullierint, simul cum fluida substantia frigus habent & siccitatem. Argumentum uero quod ab experientia sumitur, per contrariã experientiam confutatur, longiori obseruationi, & maiorum uirorum autoritati, & præcipue Galeni, innixam: quem certe, quicquid alij sentiant, & nebulones nonnulli garriant, à Deo optimo maximo mundo datum puto, ad tam necessariam hominibus artem, medicinã uidelicet perficiendam. Nec est ut dicat quispiam, lepores nostros ei fuisse incognitos, qui sint Græcis meliores: siquidem in Galeni patria nasci puto longe nostris præstantiores. Vidi nanque in inferiore Pannonia, quæ ad Græciam uergit, multo nostris pinguiores & sapidiores. Nolim autem te ad eorum sententiã accedere, qui Galenum culpant, quasi uina alba, dulcia esse posse negãtem: quum sint apud nos, corrupta forte à Trebelianis uoce, Trebiana uocata alba simul & dulcissima: in hoc nedum mente, sed & oculis adeò cæcutientes, ut nondum colorem album à pallido, rufo, flauo, fuluo, aureóque dignoscant: sed uulgarem loquendi consuetudinem sequuti, quæcunque uina nec rubra, nec cerasiola, nec nigra sunt, alba putent: quibus si aliqua mens adesset, nec essent ab odio in Galenum penitus infatuati, facile erat hanc distinctionem ab ipsomet Galeno discere in proprio commentario de uinis. Vbi enim dixit, nullum album uinum esse dulce: statim subdit, Flaua & fulua nonnulla sunt dulcia. Sicuti & libro de uictu morborum acutorum tertio, postquam dixit: Dulce uinum statim & nigrum est. paulò post & in eadem commentatione ait: Duplex est fuluum, sicut & nigrum: hoc quidem dulce, illud austerum. Nolim tamen te suspicari me in hæc tui causa diuertisse, quem nouerim & Galeni, & omnium bonorum autorum studiosissimum. Nec accusandi Galeni gratia, sed excusandi potius, uinorum exemplum attulisse. Sed ob nõnullos Galenomastiges, qui quũ uix pedem in medicina promouerint, à primisq; disciplinis penitus ieiuni sint, in foro, in tabernis, in circularib. sermonibus aduersus Galenũ, quem ne nominare quidem digni sunt, blaterare non desinũt. Sed hos in sua ignorantia, ceu malis auibus initiatos relinquentes, ad secũdam tuam dubitationem accedamus: in qua probare conaris, laboranti quartana febre, assas magis quàm elixas eas carnes conuenire, quoniam sint calidiores pariter & humidiores. Calidiores quidem, quia à calido igneo coctæ, non aqueo ut elixæ. Humidiores, quia densata ab igne extima parte, humiditas tota intus manet, quæ in elixatis educitur.

In Galenomastigas inuehitur.

Habes autem tuæ sententiæ assertorem Aristotelem, quem ueluti oraculum omnes obseruant, & meritò uenerantur. Ego uero Galeni clypeo munitus, in his præsertim quæ ad medicum magis quàm ad philosophum spectant, Aristotelem minime formido.

Vna igitur & prima euadendi uia hæc sit, si dixero Aristotelem naturam rerum in seipsas sequutum, assa elixis humidiora statuisse, congenitæ uidelicet humiditatis ratione, quæ in assatione adseruata, elixatione deperditur. Quam considerationem

nem quum medicus non sequatur, quemadmodum ab initio suppositimus, sed eam quam humani corporis comparatione res fortiũtur: mirandum non est, si hac in quæstione, sicuti in plerisque alijs, à philosophis dissentit.

Altera responsio communis est, nec multum à priore differens, quæ assa proprio humore, elixa aduentitio ait abundare.

His adijci potest tertia, ut simpliciter & absolute utroque humore, elixa humidiora asseramus: congenito quidem, quod cum per elixationẽ non in tantum amiserint, quantum assa per exustionem: aduentitio, quem ab aqua acquisierint. Tantam enim uim esse ignis assantis dicimus, ut nedum exteriores partes, sed & interiores plus nimio exiccet. A qua sententia nec Aristoteles ipse abhorret uigesimoquinto problemate, sectionis uigesimæ secundæ, à pane dum torrescit, humorem dicens extrudi: contrà uero in aqua tantam humiditatem, ut res alioqui propria natura siccas, humidas reddat. Cuius rei euidens argumentum in hordeo habemus, quod per elixationem amissa siccitate, adipiscatur humiditatem: & per torrefactionem sit siccius, ut scribit Galenus capite octauo primi libri de escis. An uero per assationem acquiratur caliditas, an auferatur, absolute dici non potest: siquidem nonnullis auferatur, nonnullis adfertur, iuxta diuersam rei & temperaturam & substantiam, necnon & assationis modum. Quantum autem ad propositum nostrum attinet, leporinæ carni modicè atque ut coquina requirit assæ, nullam arbitror caliditatem superaddi. Et de leporinis quidem carnibus hæc satis sunto.

De albo iure.

De albo uero à Galeno uocato iure, non est ut scrupulose inquiras, quænam eorum quæ in ipso miscẽtur seruanda proportio sit: sicuti neque salis, neque rhu, neque piperis, alterius ue rei quæ condimenti gratia opsonijs adduntur: sed pro domini palato, quod exploratum esse coquo debet, diuersa portione miscentur. Ita in porro & anetho & sale & oleo, quæ iuri albo & ptisanæ, tum uoluptatis, tum coercendæ humiditatis gratia adijciuntur, habita conditæ rei, regionis, horæ, consuetudinis, & reliquorum id genus ratione, plus minus ue miscendum.

Haud magni autem puto referre, quodnam porrum accipiamus, modo id hortulanum sit: alioqui seculo nostro solum capitatum ferunt: licet non magnopere ut grandioris capitis sit laborent olitores. Nec etiam est ut uerearis, ne cognominis porrò bilis ex hoc iure gignatur, refracta omni acrimonia ex aqua in qua excoctũ est. Anethi etiam siue folia, siue semina, siue comam acceperis, non ualde peccabis. Calefaciendi enim & siccandi uim omnes eius partes habent, nec odore carent.

Ad hunc modum parato iure, piscibúsque in eo elixis, ego quoque libenter uescor, præcipue si non desint oliuæ: quæ ne deessent tua liberalitate cum caueris, factum est, ut qui tibi ex asse debebam, etiam grandi ære fœnerato, soluere non ualeam. Versaui igitur uniuersam supellectilem, ut illud soluerem quod ultimo loco petis, antiqui uidelicet cuiuspiam medici Diapompholygos descriptionem: tandemq; ad Paulum Aeginetam confugi, apud quem lib. 7. sic lego:

Diapompholygos.

» Pompholygos unciæ duæ, lithargyri unciæ tres, teruntur cum lini succo, & adijciuntur ceræ unciæ sex, adipis gallinacei uel anserini unciæ duæ, chamæmeli unciæ sex.

Chamæmelon oleum ex floribus intelligo, modo quo idem Paulus præcipit, paratum, ut scilicet unciæ duæ florum uiridium quidem, sed per unam diem antè collectorum, amoto albo, in sextarium Italicum olei conijciantur, uasecq; simplici linteolo ut transpiret obtecto, per dies quadraginta insolentur, uas deinde bene obturatum adseruetur. Verum nec mihi displicet, id quod à nescio quo, non aspernabi-

li tamē medico, Gale no additum est: quisquis enim ille fuit, à Galeni dogmatis nec in hoc ipso medicamine, nec in alijs multum recedit. Et hæc quidem qualiacunq; satis nunc sint, aliàs fortè opulentiores facti dabimus meliora. Vale.

Ex Ferraria, pridie Calend. Iunias, M. D. XXXI.

EPIST. V. Consilium pro muliere, uteri pruritu laborante.

LEuatus aliquantisper uarijs & corporis & animi molestijs, saluti filiæ tuæ consulturus, sesso calamo manum admoueo. Hæc, ut scribis, septem supra triginta annos nata, rēperaturaq; & totius corporis & uteri calidiore, duplici symptomate iam sexennium uexatur, uteri uidelicet ingenti pruritu: cui si quando cedens, uel leuiter locos scalpserit, aliud statim, fœda scilicet pollutio sequitur. Horum primum ad tactus sensum pertinet, qui corrupta sensatione id sentit, quod sentire non deberet, materiam uidelicet tenuem, exiguū ueluti morsum quendam cuti inferentem. Alterum ad exiens mutatum: exit quippe res quæ exire eo modo non deberet. Morbus à quo primū pendet symptoma, est cōtinui solutio, ab acredine humorum facta: uericq; simile est (licet hoc non scribas) tum ex natura ipsa humoris, tum ex frequenti scalptura gigni in loco pustulas. Cuius uero generis sit hæc materia, quæ certe pruritum, &, ut ego puto, etiam pustulas facit, ex his quæ à te scribuntur cognosci potest. Sanguinem enim qui per menstruas purgationes exit, flauescere ais, iugiterq; manare ex utero croceum humorem, præcipue triduo ante mensium profluuium, præcedente ueluti anteambulatione, exiguo sanguinis fluxu. Ostendunt autem omnia hæc materiam quæ pruritum facit, esse sanguinem biliosum, ex totius corporis temperatura, præcipueq; iecoris superfluo calore genitum. Qui etiam sanguis ex locorum calore, maloq; eorum habitu impensius calens, solutionem quandam continui, & hac mediante pruritum, & ueluti titillationem quandam facit: ex quibus non deficiente seminali materia, quæ & ipsa, & natura sua, & bile ipsa exacuta, uim expulso riam irritans, ex leui occasione prorūpit. Quibus ex rebus secundum sequitur symptoma, seminalis materiæ eruptio.

Vt igitur utrunque amoueatur, nec amplius redeat, euacuandus ex locis est biliosus sanguis, cauendumq; ne amplius ad eos fluat: amouendaq; mala qualitas ibi facta, quæ nutrimentum maligno illo acore inficit. Et quia iecoris totiusq; corporis immodicus calor, causa est ut sanguis billiosior generetur, refrigeranda ea sunt: simulq; membra ad seminis generationem cōcurrentia, ut quantum fieri potest exiguum semen fiat, & minime mordax.

Vt autem hæc ordine quodam fiant, & ad particularia ueniatur, ante omnia secoraria uena incidenda est, selibraq; sanguinis ad minus mittenda: sequenti uero die, uel uno aut altero interposito, iuxta utrium robur, bibenda hæc potio: Senæ uncia una, seminum lactucæ & intybi ana ʒ. semis, bulliant in uncijs sex aquæ nymphææ, id est nenupharis, donec tertia pars sit consumpta: abiectisq; herba & seminibus, in decocto soluantur liquoris siliquæ Aegyptiæ, quam casiam uocant, ʒ. 6. rhei barbarici ʒ. 1. & fiat potio quæ in aurora bibatur.

Sequentibus diebus utatur hoc syrupo: Seminum fumi terræ, lactucæ, intybi, ana ʒ. s. senæ drachmas quinque. Bulliant in uncijs sex aquæ ad consumptionem tertiæ partis, & decocto adde syrupi rosati facti ex rosis recentibus septies mutatis ʒ. 2. Vtatur hoc syrupo diebus 15. & si quidem nota digna sequetur purgatio, tertio quo

tio quoque die tantummodo bibatur: si exilis, quotidie, & tertio quoque die adijcia tur syrupo pilula facta ex gran. 12. aurearum. Accepto 15. diebus syrupo, nisi immodica & ad imbecillitatem usq; sequuta fuerit purgatio, capiet hæc catapotia: Pilularum de fumo terræ ϑ. 2. aurearum ϑ. 1.

Expleto hoc purgationis ordine, quouis mane accipiat ʒ. s. huius miscellæ: zucchari nenupharini, ex floribus cicorij ana ʒ. 1. s. pulueris seminis lactucæ, radicis & seminis nymphææ, radicem albam & florem aureū habentis, ana ʒ. 1. s. misce cum syrupo nenupharino.

Iecoris regio hoc inungatur unguento: Succi portulacæ & intybi ana ʒ. 1, oleiro facei omphacini ʒ. 2. ceræ albæ & aceti rosacei parum.

Imus uenter & pars ei in dorso aduersa, hoc: Succi arnoglossi, lactucæ, & agni ana ʒ. 1. olei nenupharini ʒ. 3. ceræ albæ & aceti rosacei parum.

Loca uero prurientia, uino nigro adstringente abluantur, in quo res istæ bullierint: Arnoglossi semina, oryzæ grana, lentes, rosarum semina, nymphææ radicis albæ ana partem 1. saluiæ p. s. Post bonam ablutionem hoc unguento inungatur: Olei rosacei omphacini, olei nenupharini, succi solani ana ʒ. 1. pulueris lithargyri, ceruſæ, ellebori albi ana ʒ. 1. Hæc in mortario plumbeo tandiu tricētur, donec congruam formam accipiant.

Completa purgatione superius descripta, ubi per octo dies usa fuerit præsidijs post eam narratis, nec sequuta fuerit optata requies, secandæ uenæ poplitis, si inueniri à sectore poterint: si non, uenæ supra talum inferiores: hauriendæq; ex singula earum ʒ. 4. sanguinis, non simul tamen, sed primo die dextera, altero sinistra: interpositisq; duobus tribusq; diebus, cucurbitulæ fœminibus admouendæ, cum scarifi catione: interpositisq; iterum totidem diebus, hirudines duæ ano applicandæ, nec amouendæ, donec oppletæ cruore spōte excidant: permittendumq;, ut adhuc per duas horas sanguis per locum morsuræ guttatim defluat. Quod si nō fieret, iuuandus defluxus sessione supra uas plenum aqua calida, ita ut uapor eius occluso bene sedili, ad loca ubi hæserunt hirudines pertingat. His auxilijs, nisi fortè Dei prouidentia ob animæ salutem aliter statuerit, speramus, si non in totum, magna tamen ex parte fastidium leuari. Sed & nonnulla adijciemus, quæ & non parū ad id quod optamus conducent.

Bibatur semper ante prandium & cœnam drachma pulueris radicū nymphææ, cum uino nigro austero, aqua ferrata uel lactucæ diluto. Vtatur sæpe lentibus, prima aqua abiecta, cum aceto & oleo conditis. Lactuca mirum in modum confert & cruda & cocta. Portulaca item, intybum, cucurbita, atriplex, & cucumis. Si uinū bibendum, austerum sit, & cum aqua præcipue lactucæ. Sed & ubi hæc non suppetat, intybi uel portulacæ diluatur, ita ut aquæ tribus partibus, duæ tantum uini misceantur. Substernat sibi folia nymphææ, agni, & cicutæ. Accubitū supra dorsum fugiat ueluti inimicum. Ad hunc uitandum, plumbi laminas supra renes alliget, quæ alioqui per se proderunt. Salix siue epota, siue extrinsecus applicita, mirum in modum iuuabit. Sedeat in aqua ferè frigida, in qua nymphææ folia & flores, salicis & agni teneriores ramusculi, lactuca, & atriplex bullierint. Ex eadem aqua, sed frigidiore, abluat pedes & manus ad genua usq; & cubitos. Vtatur exercitio in quo brachia uelociter moueantur, immotis cruribus. Quotidie soluendus uēter cum lenibus, qualia sunt beta, malua, & mercurialis. Si fortiora his quæ superius scripsimus fuerint necessaria, bibātur drachmæ duæ seminis lactucæ cum syrupo de papauere. His etiam quæ extrinsecus admouentur, adijciantur hyoscyamus, cicuta, ac papaueris cortices.

Hæc habui quæ pro filiæ tuæ salute scriberem. Reliquum fusis ad Deum precibus supplebitis, præcipue ipsa quæ patitur, genubus nudis ad pedes IESV crucis

Universidad de Deusto
Biblioteca

fixi prostrata, toto corde cum debitis circunstantijs hoc instantissime petens: simul enim & corporali & spirituali remedio utetur. In quibus etiam precibus, mei uelim memineritis, iam septuagesimum annum agentis, & uocationem domini quotidie expectantis. XX. Augusti, M. D. XXXI.

EPIST. VI. pro muliere comitiali morbo laborante.

ALia de qua scribis mulier, temperaturæ à natura bilioſæ, sed ex ætate, morbo, & professione, ad melancholicam uersa, anno ætatis decimoquinto, cum ex arbore supra nates cecidisset, extrinsecusq; nullibi læsa uideretur, post mensem à casu stuporem in tota dextra parte patioc cepit, tandemq; comitialem morbū incurrit, à quo in primis sexto uel octauo mense affligebatur, dehinc in totum eam dimisisse uidebatur. Tribus enim annis eo caruit: nunc quasi instauratis uirib. ualidior apparet, secūdo uel tertio quoque mense, cum longioribus accessionibus, & maioribus semper symptomatibus eam inuadens. Menses præter ætatem parcè defluunt: annum quippe agit octauum supra trigesimum: spumaq; in ipsa accessione circa os aggregatur. Hæc sunt quæ de hac secunda mihi significas, petens, ut sicuti alios eodem morbo laborantes, à me uidisti curatos, ita quoq; huic opem feram.

Ego uero, ut à prognostico incipiā, alios quidem, & in Pannonia, & in Italia per manus meas à Deo curatos non inficior: neminem tamen (quod meminerim) tali ætate, sed aliquos ante pubertatem, aliquos tertio septennio, uel non multo suprà, in fine uidelicet pubertatis: quare satis uereor, ne hæc cum suo morbo ex hac uita recedat. Quia tamen manum domini scio non esse abbreuiatā, curationem eo auspice aggrediar. Verum quia curari, nisi ex accidenti, morbus nō ualet, cuius essentia non bene fuerit explorata, ideo ab eius definitione exordiendum.

Comitialis morbi definitio.

Comitialis igitur morbus est conuulsio omniū corporis partium non continua, sed per interualla quædam temporis facta, cum sensuum & principalium operationum, rationis scilicet & memoriæ oblæsione, ex crasso magna ex parte humore, uētres cerebri obstruente, & transitum spirituum prohibente, principio neruorū seu ipsum quatiente, ad expellenda quæ sibi sunt molesta. Ex quo autem sub conuulsione, tanquam sub genere continetur, sequitur ut sit uitiosus motus: ad quem motum diligēter attendere medicus debet, ut cognoscat an per consensum quendam, uel primario affectu cerebrū patiatur. Quando enim per consensum patitur, non accidunt uehementes & assiduæ conuulsiones, sed per interualla breuibus quibusdam saltuosis motibus patiens concutitur. Quem cōuulsionis modum, cum ex his quę scripta sunt cognoscere nō ualeā, pariter ambiguus remaneo, an primo, an per cōpassionem cerebrū affligatur. Alioqui uerisimile satis uidetur, ab eo latere quod ab initio stuporem passum est, ad cerebrū mitti uel qualitatem, uel uapores, qui cerebrum percutientes, symptoma istud efficiant: quem ascensum solent & ipsi patientes præsentire. Nolo tamen propterea desistere, quin, quantum fieri potest, saluti huius sanctimonialis consulam. Vtrouis enim modo hoc fiat, comitiali morbo laborat, uel, si exactius loquēdum, symptomate, uel potius uarijs symptomatibus, uidelicet motu, & principalium ac sensilium operationū læsione, quæ uel non fiunt, uel non recte. Quæ symptomata à morbo fiunt in cōpositione, ex meatuum uidelicet obstructione, à crassa materia genita, uel à uentriculorum parietibus inuicem concidentibus, & ex ipso adhæsu spirituū transitum prohibentibus. Vnica igitur intentio curatiua sufficit, scilicet obstructionis remotio: quæ in primo quidem genere fit per expulsionem crassæ illius materiæ quæ obstruit: in secūdo, resolutis uel qualitate mala quæ per partem post partem ad cerebrum ascēderat, uel uapore maligno

maligno qui membranas uentris nobilioris cerebri percutiens, & cōuulsionem earum, & concidentiam faciebat: quam rem absq; medici auxilio per se explere natura soleat. Er si in hoc pigra uideatur, iuuari debet per extremorum membrorum frictiones & ligaturas, & per cucurbitulas præcordijs admotas, demumq; per castorium ui in os demissum. Suscitat & galbani incensi suffumigium, & unguis odorati, quem blattam byzantiam uocant, & thymi.

Illud uero quod maioris momenti est, & cuius causa ad me scripsisti, est ut prouisio cautio ue adhibeatur, ne per uices, certósque uel incertos circuitus accessio redeat. Quæ res adeò difficilis est, ut plerunq; artifici, & quandoq; arti ipsi magnū decus pariat: calumniantibus idiotis medicos, quod in tam longo interuallo prouidere non ualeant, ne accessio alia subsequatur. Hanc igitur prouisionem, diuino imploratо auxilio, audacter aggredientes, primo huius typi ordinisq; circuituum causas inuestigemus. Dicimus igitur, cerebri, & præcipue principalium eius uentrium imbecillitatem, malamq; qualitatē, ex præcedenti accessione derelictam facere, ut quoties reperitur in corpore materia, quæ uel per propriā substantiam, uel per uaporem, aut qualitatem, uētres prædictos impetere ualeat, noua superueniat accessio, obstructis uidelicet meatibus, & impedito spirituū transitu, membranisq; ipsis primo, dehinc toto corpore conuulso.

Scopi igitur & intentiones præseruandi, sunt, ut primo quidem corpus uniuersum, deinde ipsum cerebrum bene purgetur: & post hæc si quid mali humoris gignatur, ad alia ignobiliora loca retrahatur ac deriuetur: & si suspicio adest, ne ex alio membro mala aliqua res cerebro mittatur, cursus huiusmodi intercipiatur. Demū cerebrum ipsum roborandum, & à mala omni qualitate mundandum.

Prima igitur in ordine intentio erit totius corporis euacuatio: quæ licet uarijs ingenijs fieri possit, præcipua tamen in hoc sunt, uenæ sectio, & purgatio. Incipiendum autem, ut ferè in omni casu, in quo utrunque agendum, à uenæ sectione. Sequenti igitur ab accessione die, nisi alia causa uetet, exterior cubiti uena aperiatur, sanguinisq; libra, plus minus ue, ut præsens medicus iudicauerit, extrahatur: deinde sequentibus quinque diebus, mane hic syrupus bibatur: Aquæ decoctionis hysopi ʒ. 3. oxymelitis ʒ. 2. Sexto die, purgatio fiat per scrupulos duos semis hieræ lusti, quæ recipit: Chamædryos, prassij, stœchados, ellebori nigri, scammoniæ, agarici, piperis longi, assæ, ana partes sexdecim, epithymi partes duodecim, euphorbij, interioris colocynthidæ, aloës, croci, gentianæ, seminis apij uulgò dicti macedonici, ammoniaci, sagapeni ana partes octo: opopanacis, polij, cinamomi, myrrhæ, spicæ nardi, schœnianthos, pulegij ana partes quatuor, aristolochiæ longæ & rotundæ ana partes duas, mellis quantū satis sit. Bibatur cum uncijs quatuor aquæ mulsæ modice salitæ. Sequentibus tribus diebus redeat ad hysopi decoctum, cui loco simplicis oxymelitis addatur composita. Iterumq; purgetur per hieram lusti, sed maior sit modus, hoc est, drachmæ unius & granorum 12. Rursusq; reuertatur ad hysopi decoctum, adiecto oxymelitide scillitico. Tertioq; per eandem hieram purgetur, quæ pondere sit quatuor scrupulorum.

Expleta trina hac purgatione, per dies septem resumatur, nullumq; aliud medicamentum accipiat, quàm pyrethrū cum melle, ita confectum, ut sint pyrethri pars una, mellis bene despumati partes 4. cuius mane accipiat scrupulos 4. noctu dum dormitura decumbit, scrupulos duos. Præteritis septem diebus, si uires bene confluerint, accipiat drachmam catapotiorum Alexandri, quæ recipiunt: Aloës, scammoniæ, bdellij, ellebori nigri, colocynthidis, gūmi ana partē unam, euphorbij, nitri ana p. s. Confice cum succo brassicæ: da à scrup. duobus usq; ad 4. prout natura & uires ferunt. Paulus loco gūmi ponit epithymū, quod ego laudo in casu nostro. His autem catapotijs nō semel tantū, sed pluries uti poterit. Sed & oxymel Iuliani

Universidad de Deusto
Biblioteca

multos iuuit: & ſapa quæ per totam noctem in colocynthide bene ab interioribus emundata, in cineribus calidis manſerit, mane bibita, multum ualet ad uniuerſum corpus expurgandum.

Cerebrum quomodo purgandum.

Quod ubi ſatis mundum eſſe uidebitur, ſecunda inſurget intentio, cerebri uidelicet purgatio, quæ per nares quidem fiet, elaterij ſcrupulo, ſemũciæ lactis admixto, uel ipſo ſolo elaterio in puluerem redacto naribus inſufflato, uel cyclamini ſucco. Per os uero, ſi maſticet paſſulas quarta parte pyrethri admixta: uel gargariſſet aqua in qua pulegium hyſopuſq; decocta ſint, aceti ſcillitici quarta parte addita.

Toto autem corpore & cerebro purgato, tertia inſurgit intentio, humorum ſcilicet auerſio ad ignobiliora loca. Quæ cum dupliciter fiat, reuulſione & deriuatione, à reuulſione incipientes, cucurbitulas ſub poplitibus cum ſcarificatione primo admouebimus, poſtea hypochondrijs & dorſo abſque ſcarificatione. Balneis quoque aquæ calidæ, in qua hyſopus, ruta, & ſaluia bullierint, in extremis mẽbris utemur. Ad eandem quoque reuulſionem ſpectant clyſmata, ex decocto earundem herbarũ, adiecto oleo rutaceo & hiera, iniecta. Balaniq; ex puluere hieræ alicuius ex magnis, nitro & melle compoſiti: hirudinesq; uenis ani admotæ. Ligationes item extremorum, aſſiduæq; frictiones cum nitro & ſinapi. Sed & uomitus, ſiue à cibo, ſiue poſt cibum. Præcipue autem reuellunt rubificantia, & demũ exulcerãtia, extremis membris, & præcipue cruri ex quo ſuſpicio eſt uapores aſcendere, appoſita.

Ad deriuationem uero pertinent hirudines, fronti, naribus, & poſt aures appoſæ: cucurbitulæ ceruici admotæ, & uenarum quæ ſub lingua ſunt ſectio, & ipſius quoq; capitis frictio: quæ tamen fieri antè non debet, quàm totum corpus ad rubo-rem uſq; fuerit perfricatum. In frictionibus enim hic ordo ſeruandus, ut à brachijs & manibus inchoantes, ad uentrem ſecundo & pectus ueniamus: deinde ad crura deſcendentes, longiori tempore in his perfricãdis immoremur, fortioribus etiam utentes frictionibus, à ſuperioribus ſemper ad inferiora trahentes. Atq; ultimo loco caput ipſum perfricandum. Sed harum frictionũ hæc ſola ad deriuationem, tres primæ ſpectant ad reuulſionem: quanquam & in ipſa quoq; capitis frictione, quatenus ab interioribus trahit ad exteriora, reuulſio quædam poſſit intelligi, ſicuti & in cauterio. Quod ſi reliqua non contulerint, ſummæ ceruici, ubi uidelicet poſteriori capitis parti adnectitur, erit adhibendum: & poſt hoc in loco ubi futuræ anteriores caluæ cõiunguntur. Quanquam hoc poſtremum ad quartam quoq; intentionem pertinebit, robur membranis, uentribus, & cerebro ipſi imponens: prius tamen alijs ingenijs id erit experiundum, bibendo ſcilicet betonicæ folia cõtrita cum oxymelite, atq; ipſis in iure decoctis, & in acetarijs utendo. Ad idem facit caſtorium, mane cum aceto mulſo uel aqua aſſumptum. Berbena cum uino pota.

Agarici oboli tres, hoc eſt, grana 36. cum oxymelite. Ariſtolochia rotũda cum aqua. Balſami fructus aſſidue maſticatus. Libanotidis ſemen cum uino & pipere potum. Piperitis in ore retenta. Anthyllis ea ſpecies, quæ folio Ibigæ, id eſt, chamæpity ſimilis eſt, cum oxymelite. Inter omnia uero ad malam qualitatem à cerebro tollendam, & robur addendum, maxime excellit ſcillæ ſuccus, Galeni modo paratus. Scillam in tenues partes manibus attritam, in uas ex quo mel extractum ſit, ponito, os uaſis bene obturato, pellem extrorſum toto uaſis corpori apponito, exacte colligato, uas in loco ad meridiem uerſo, & ab aquilonaribus uentis ita obtecto, ut nequaquam ab eis perflari poſſit, locato. Ea anni hora hæc facito, in qua canis exoriri ab omnibus Græcis putatur. Eſt autem tempus hoc dierum quadraginta, uiginti quidem numero ante eius exortum, & totidem pòſt: totoq; hoc tempore ita leniter poſitum uaſis mutabis, ut omni ex parte æqualiter caleſcat. Exacto hoc tempore, ſoluto uaſe inuenies ſcillæ corpus cocto ſimile, effluxiſſeq; ab eo ſuccum, quem optimo melli miſcebis, & cochleariũ magnum quotidie dabis. Corpuſq;

Scillæ ſucci extrahẽdi modus.

puſq; totius ſcillæ exacte terens, & melli pariter miſcens, eadem menſura dabis: ut tamen ſcias, ſecũdæ hoc notæ & poteſtatis eſſe. Ne tamen cochlearij nomine deceptus, aliquo eorum quæ nunc in uſu ſunt utaris, ſcias apud Galenum, magnum cochleare non plus capere quàm ſex obolos, hoc eſt grana hordei duo ſupra ſeptuaginta. Et hæc quidem de his dicta ſint, quæ intra corpus accepta, cerebro robur præbent, & reliquias malorum humorum conſumunt.

Ex his uero quæ extrorſum admouentur, quædam naribus, quædam auribus, quædam uertici apponẽda. Naribus quidem ruta, præcipue ſylueſtris, hyſopus, ſampſuchus, lauri folia & baccæ, nux myriſtica. Omnibus uero præſtare creditur pæoniæ, præſertim maris, radix recens ex altiſſimis mõtibus effoſſa. Auribus infundatur uerus balſami liquor, ſi haberi poteſt: uel eius loco oleum antiquum oliuæ, in quo balſami lignũ decoctum ſit: uel liquor aliquis ex his quæ per artem chymicam moderato ignis calore ex uarijs ſpeciebus guttatim ſtillauerit. Vertici cataplaſma apponendum, ex pane in aqua mulſa cocto, additis amaris amygdalis. Fouendumq; totum caput ex decocto nepetæ, & ſylueſtris uel domeſticæ rutæ. Denum ad ſinapiſmum ueniẽdum, ut ex tenui eius puluiſculo uehemens fiat frictio, adiecto euphorbio, nitro, & agria ſtaphide. Cataplaſmaq; ex eodem ſinapi & caricis in acerrimo aceto pridie maceratis confectum, per horam unam ante cibum in loco ubi futuræ uerticis coniunguntur, detineatur.

Multa addere poſſem: uerum his, Deo adiuuante, ſpero uel in totum acceſſionem tolli, uel ita leniri ut rarius ueniat, & minore tẽpore, mitiusq; affligat: niſi congruus uictus deſit: qui (ut breuibus me expediam) eſſe debet attenuans & præcidens, ad ſiccumq; potius quàm ad humidum uergens, non uentrem adſtringens, non caput replens, non inflans, non ex rebus concoctu difficilibus, uel mali ſucci, uel pituitam augentibus, non ad ſatietatem. An uero cœna plenior eſſe debeat quàm prandium, diſſentiunt inter ſe Galenus & Auicenna: quotidiano enim pane in tres partes diuiſo, ille duas partes dari cum fortioribus opſonijs in cœna iubet, unam in prandio, cum rebus uentrem mollientibus, ut oleribus, uel caricis, uel oliuis. Hic econtrario ſimpliciter duas cibi partes in prandio, in cœna unicam. Vtri autem ſententiæ magis hærendum, aliàs fortè maiore ocio diſputabitur. Non enim illis accedo, qui in quocunque caſu & homine lautius cœnandum quàm prandendum cenſent. Sed quantum ad caſum noſtrum attinet, ſi acceſſionem noctu futuram formidauerimus, parcius omnino cœnandum conſulo: ſi à prandio, parcius prandendum: ita ut acceſſio, quantum fieri poteſt, uentriculum, uel in totum uacuum, uel cum exiguo cibo reperiat. Nam ſi cauendum eſt, ut leuiculæ cuiuſque febris acceſſio uacuo uentriculo occurrat, quanto hoc magis cauendum in tam pernicioſo morbo? Qualiſcunq; uero cœna ſit, ſine uini potu fiat: ſed pro uino, melicratum ex aqua in qua pæoniæ radix decocta ſit, confectum bibatur. Si quando uero ob ſtomachum uino utendum, in prandio potius bibatur quàm in cœna, ſitq; colore flauum, clarum, tenue, guſtuq; aliquid acerbi habens. Vtatur aſſidue capparibus cum oxymelite conditis. Quod ſi ſcilliticum eſſet, longe magis conduceret.

Carnes quadrupedum uitet. Auibus, præterquam paluſtribus, ueſci poteſt: aſſatisq; potius quàm elixis, modo aſſatio ſine fumo fiat: pinguedoq; ſemper uitetur. Piſces, præter petrinos, dimittat: fluuialibus tamen ſi quando ueſci uoluerit, ſint omni tenacitate & pinguedine carentes, & in iure albo, quod porrũ, anethum, oleumq; & ſales modicos recipit, decocti. Lac & caſeus & quæcunq; cum eis parantur fugiẽda. Omnia etiam olera & legumina. Lactucis tamen, atriplice, beta, blito, braſſica, per uices quandoq; ueſci poteſt, ſicuti & lentibus & piſo: nam ptiſana etiam ſi crebrò utatur, nulla ex ea noxa ſequitur. Vitandi uehementes odores, ſiue boni, ſiue mali ſint: ſtrepitus, celer motus, præſertim à cibo, atq; rei ſplendi-

dæ, uel quæ uelociter aut per gyrũ moueatur, uel procul, aut deorsum sit, aspectus: uentorum perflatus, solares lunaresq; radij, clamor, cantus altior, & in totum quæcunq; uehementius agitare sensus & cerebrum ualent. Nam exercenda sunt inferiora membra, capite quãtum fieri poterit immobili permanente. Atq; de uictus ratione hæc dicta sint: cum quibus finem fecissem, nisi occurrissent nõnulla, à Græcis περίαπτα, à Latinis amuleta uocata, quæ cum physice hunc morbum curare ab excellentibus quibusdam medicis scripta sint, quãuis à me parum sint credita, non penitus uisa sunt relinquenda. Lapillus albus uel ruber in uentre pulli hirundinis inuentus, brachio alligatus. Lapis laspis capnostes, hoc est, fumalis nũcupatus, in collo gestatus. Iaspis alius calamo similis in annulo ligatus. Idem facit chrysolithos, coralliũ, pæoniæ & solani radix in linteo colligata. Asini frons in corio alligata.

Habes tandem, mi fili, quod tertio abhinc mense petijsti. Moræ autem causa, nõ aduersa, ut fortè suspicaris, ualetudo: satis enim belle per totam ætatem me habui: sed aliud ab alio negocium. Vale.

Ferrariæ, XII. Calend. Octob. M. D. XXXI.

IOANNIS MANARDI EPISTO LARVM MEDICINALIVM LIBER DECIMVSQVARTVS.

EPIST. I. Ioan. Manard. Andreæ Turino medico excellentiss. S. P. D. Defenditur opinio de sectione uenæ lateris patientis.

ARTINVS Hunnus Germanus magno cum fœnore me nomine tuo resalutauit: pro simplici enim & uerbotenus facta salutatione, plenã amoris in me, ne dicã obseruãtiæ epistolam, & acutissimam aduersus Curtium, medicum nostro æuo ualde famigeratũ, de sectione uenæ in pleuritide, disputationem, ab urbe reportauit. Hanc ego statim & absq; interspiratione deuoraui potius quàm legi. Deus bone, quàm acer & uigil in argumentando, quàm solers & uiuax in confutando, quàm prudens & emunctus mihi uisus es in respõdendo. Cœpi posthac perlegere cunctatius, atq; in legẽdo cogitare, in quibus tecũ, & in quibus secus & sentirem, & in quadam mea ad Iacobũ Pharusium medicum insignem epistola scriptis mãdassem. Quicquid autem occurrebat, mihijpsi potius quàm alijs in margine tui commentarioli breuiter & cõcisim adnotaui. Hæc qualiacunq; sunt, fusius aliquantisper explicata, quoniã id à me per epistolam tuam exposcis, ad te mitto: hac tamen lege, ut eo animi candore accipias, & ea animi synceritate legas, quo à me & scripta sunt, & ad te missa. Sitq; procul à nobis omnis lis & certamen, nisi id quod ueritatis indagandæ initur studio, & honestum ab Hesiodo primum, deinde à Galeno reputatũ est. Vt igitur iam rem ipsam aggrediar, ordine quo ipse usus es seruato, ab his quæ ab initio operis ex Hippocratis & Galeni sentẽtia tanquã axiomata supponis, incipiam. Ea sunt plus minus ue, si bene numeraui, nouem.

1 Duplicem esse humorẽ in phlegmone, qui per uiam defluxus generatur, fluentem scilicet & fluxum.

2 Fluenti deberi retractionem, fluxo deriuationem.

3 Incipiente phlegmone prohibendum id quod influit: in antiquo euacuandum id quod est in particulari occlusum.

Præseruationem, seu ut nunc uocare cœperũt, prouidentiã & cautelam aliam esse à curatione.

5 Præseruationem prius exequendam esse à medico, quàm curationem.

6 Aduertendum prius ad contrarium, posterius ex ipsa parte uacuandum.

7 Retractio ad contrarium, deriuatio per rectum facienda.

8 Vtrunq; per communes & coniuges uenas moliendum.

9 Retractio ubi sola intenditur, multo tempore præcedere debet deriuationem.

Hæc sunt quæ ueluti principia quædam ex Hippocratis & Galeni doctrina à te subijciuntur, quæ à nobis sigillatim sunt examinanda.

10 In primo ego tecum sentio: sed tertium membrum addo, reperiri scilicet posse in corpore phlegmonem patiente humorem, qui nec fluit nec fluxit, sed uel fluet, uel fluere, nisi aliõ trahatur, uel à corpore euacuetur, aptus est: huic uerius quàm fluenti deberi præseruationem.

Secundæ addo etiam quoddam genus tertium: ex ipsa uidelicet patiente particula euacuationẽ, aliam à retractione, quæ ad contraria loca: & à deriuatione, quæ ad propinqua. Sicuti alia est patiens particula, ab ea quæ contraria est, & à propinqua. Hancq; assero deberi materiæ quæ in patiente particula adeò fixa est, ut neq; per reuulsionem, neq; per deriuationem potuerit uacuari: in cuius tamen uacuatione tota cõsistit curatio, quæ ad nihil aliud tendit, nisi ad materiam, quæ tumorem præter naturam facit, uacuandam.

Tertiam sic moderor, ut dicam, in incipiẽte phlegmone, sicut & in antiqua, intentionem medici esse debere, non solum humorẽ qui fluit, sed & eum qui fluere possit, prohibere ne fluat: & eam humoris partẽ quæ iam fluxit, euacuare. Licet hanc ultimam intentionem non semper opere simul cum alia exequi possit.

Ea deniq; moderatione utor in quarto, quinto, & sexto: prouidentiam scilicet seu præseruationem quæ humori debetur fluenti uel fluxuro, aliam esse cõcedens à curatione, & magna ex parte eam tẽpore præire: posse tamen utranq; à prudente & bono medico, simul & unica uenæ sectione, in morbis præsertim acutis cõpleri: quæ in eo quod ad contrariũ trahit, reuulsio: in eo quod ad propinqua, aliquo modo dici potest deriuatio: in eo uero quod materiam in phlegmone contentam euacuat, curatio erit nuncupanda. Hancq; ab Hippocrate ceu audaciore quàm nunc sumus, lib. 2. de uictu morborum acutorum, in laterali dolore ad iugulum ascendente, & ad calefactoria non sedato, imperari.

Septimæ primã partem admitto, si contraria intelligantur, non tantum quæ maxime distant, ut infimis suprema, sed & quæ nõ maxime, ut dextris sinistra, internis externa, anterioribus posteriora. Secundæ quoq; parti libenter accedo, si hoc prillegium nõ ita deriuationi adscribatur, ut à reuulsione auferatur. Vtraq; enim (ut ipse etiã inferius fateris) est per rectum facienda. Satis tamẽ admiratus sum, quod hic dicas deriuationẽ fieri per rectum, & infrà in responsione ad primam Curtij rationem eam fieri dicas ad latus.

In octaua nulla est nobis dissentio. At in nona, tota (ut aiũt) uia distamus. In acutis quippe morbis (de his enim est disputatio) quãdo deriuatio post reuulsionem est necessaria, magna nec potest nec esse debet inter utranq; mora: siquidem morbus ipse acutus breuis est, & citò præterit occasio. Hæc sunt quæ in summa de tuis suppositionibus mihi uidentur sentienda.

Reliquũ est, ut relictis, uel in alium locũ dilatis tuis ad Curtij rationes responsionibus, ad solutionẽ earum accedamus, quas ipse Curtius contra propriũ dogma facit, & quibus tu maxime uideris inniti. Quarũ prima, sumpta ex quatuor modis reuulsionũ, positis à Galeno in Methodo, & cõmentariolo de reuulsione, tantũ abest ut cõtra nos cõcludat, ut opinionẽ potius nostram maxime cõfirmet. Si enim inter

Universidad de Deusto
Biblioteca

reuulsiones ea connumeranda est, quæ ab interioribus trahit ad exteriora, quis unquam negauerit uenæ cubiti sectionẽ esse reuulsiuã, quũ ex utrouis latere fiat, à cõstis semper trahat ad cubitum? Sed & si quis bene cõsideret, uidebit eam quoq; à superioribus trahere ad inferiora, uel econtrario: flexura quippe cubiti (ubi iecoraria uena cõmuniter aperitur) inferior est subcingente mẽbrana, si manũ ad genu declines: uel superior, si manũ uel supra caput eleues, uel totũ brachiũ quantũ uales, intendas, ut in sectione uenæ fit: quod Celsus sequutus, brachiũ supra costã esse affirmauit: & à dextris quoq; ad sinistra, aut econtrario trahit, quẽadmodũ in epistola ad Pharusium demõstrauimus. Expletur igitur una & eadẽ uenæ eiusdẽ lateris sectione, triplex retractionis genus: ab interioribus quippe ad exteriora, à superioribus ad inferiora, uel ecõtrario iuxta uarios positus & cõsiderationes, & à dextro ad sinistrũ, uel à sinistro trahit ad dextrum. Quare nõ immeritò est inter reuulsiuas numerãda. Quicquid autem garriat Auer. fusq; dec; facio: aut enim Galenũ non legit, aut si legit, oscitãter legit, nec intellexit. Vnã enim eandemq; sententiã in hac re semper habuit: nec in uniuersalib. & in Methodo aliud dixit, ut ille putat, q; reuulsionẽ ad partem aliquo modo contrariã faciendam, rectitudine tamen semper seruata. Nam id quod addis de hepatis apostemate, eodẽ fundamẽto soluitur. Sectio enim uenæ dextri lateris, reuulsiua & ipsa est: quoniam & ab his quæ intus sunt, ad ea quæ extrà proculdubio trahit, & à sinistris aliquo pacto ad dextra: cũ iecur, tametsi in parte totius corporis dextra situ sit, manus tamen dextræ cõparatione ad sinistra deuergat. Quare reuellere omnino & eam fatendũ, sicuti & illam quæ sit incisa uena frontis, parte posteriore capitis dolente. De ea enim sic uerbũ ex uerbo loquitur Gal. in utilli gati illius aphor. expositione: Dolentẽ partẽ capitis posteriorẽ &c. Non solum studet Hippoc. ubi opus est euacuare, sed & cum reuulsione. Reuulsio aũt ad cõtraria fit: secundũ longitudinẽ quidem sursum & deorsum: secũdum latitudinẽ hinc atq; hinc, hoc est, à dextra & à sinistra: secundũ profunditatẽ uero, ut antè & retro. Nũc igitur in posterioris partis capitis dolorib. euacuatio cũ reuulsione ex fronte fiet. Ex quibus Galeni uerbis apparet, q; ridendi sint sapiẽtes illi, qui reuulsionẽ metientes, tantã intercapedinẽ requiri aiũt, inter locũ à quo reuulsio faciẽda, & eum ad quem, quantũ distat humerus ab humero. Nam ne in gigãte quidẽ tantũ distaret frons ab occipitio, quantũ in homine mediocris staturæ humerus distat ab humero. Quanq; si totã uiam metiamur, quæ est à latere patiẽte ad uenã sectam, nõ multo minor erit, q; distãtia humeri ab humero. Patet etiã ex eisdẽ Galeni uerbis, eandẽ uenæ sectionem & reuulsiuã esse & euacuantẽ: quod sapientes illi negarũt, dicẽtes eam deriuatiuam, non reuulsiuam. Patet & tertio non semper seruandum illum ordinẽ, ut reuulsio euacuationẽ longo tempore præcedat. Vide igitur quàm facile sit hoc argumentum primũ soluere, nec opus sit uel asserere, Galenũ aliud alio loco sensisse, uel de reuulsione, dum sola fit intellexisse, uel de alijs reuulsionibus, non de uenæ sectione loquutum, uel dextram plus trahere ad sinistrum, quàm sinistram.

Aliam dubitationẽ tãgis circa idem argumentũ: quare scilicet dolente uno pede, Gal. cõsentit ut uena alterius pedis scindat: & similiter in manu: non aũt idem cõcedit in latere pleuritide affecto. Quæ dubitatio multos etiã ex nostris adeò angit, ut Gal. secũ in hoc pugnare cõtendant, quũ tamẽ in prõptu respõsio sit & diuersitatis ratio. Vena siquidẽ in brachio phlegmonẽ patiẽte, alia nõ præeũte euacuatione, secari nõ potest, nisi sanguis qui in toto corpore abũdat, uersus locũ patientẽ moueat: quæ res intẽtioni medici in principio omnino aduersat, quærẽti ad longinqua facere retractionẽ, non uersus patientẽ locũ humorẽ attrahere. At in pleuritide, secta etiã eiusdem brachij uena, hoc est, lateris inflammationẽ patiẽtis, fit ad longinqua & minime læsa retractio. Brachiũ enim satis distat à mẽbrana subcingẽte, nec ullam patitur inflammationẽ: quare non est in utraq; sectione eadem ratio. Sed restat circa hanc

hanc materiã maior mihi scrupulus, quomodo scilicet in hac uenę pedis sectiõe, alio pede phlegmonẽ patiẽte, seruet Hip. decretũ, κατ' ἴξιν, hoc est, per rectũ semper fieri iubẽtis euacuationẽ: præcipue cũ hanc uideat Gal. ei parẽ facere, quæ in manu abeodẽ cũ pede latere facit retractionẽ, quã per rectũ fieri nemo potest ambigere. Cui dubitationi nõ aliter, meo iudicio, respõderi potest, q; si dixerimus, retractiões hasce, à pede scilicet ad pedẽ, uel à manu ad manũ, à rectitudinis ratiõe nõ magis cadere, q; eã quę fit ab occipitio, ad frontẽ trahi uel imaginari potest: ita à brachio ad alterũ brachiũ, & ab imo crure ad reliquũ: quod in iecore, iecorariæ uenæ sinistri brachij cõparato, uel in dextro latere eidẽ uenę sinistrę cõparato, nõ potest cõtingere. Si quis uero eadẽ ratiõe dicat, uenã iecorariã dextri cubiti nõ esse è directo dextræ partis subcingẽtis mẽbranæ phlegmonẽ patiẽtis: dicã, in huiusce modi uenæ sectiõe, aliã rectitudinẽ seruari, q; per lineã longitudini corporis respõdentẽ, totũq; corpus in duas diuidentẽ medietates. Imaginamur in sectione uenę, diuersi lateris nullã esse directionẽ, nec eã uidelicet quæ per lõgitudinẽ, neq; eã quæ per trãsuersum, seruãdãq; præcipue primã ubi hoc fieri possit: ubi uero nõ possit, ad alterã potius recurrendũ, q; rectitudo penitus deserẽda. Et hæc quidẽ dicta sufficiãt quantũ ad Achillem (ut tu uocas) repellendũ. Deinceps uidendũ quomodo Hectorẽ, hoc est secũdũ argumentũ, (ita enim & tu uocas) propulsemus. Eius uis in ordine euacuationũ uidet cõsistere, inter quas præcedit reuulsio, sequit deriuatio, atq; post has tertia est quæ ab ipsa patiẽte particula fit euacuatio. Cũ igit sectio uenę eiusdẽ lateris sit deriuatiua, eã in acie præcedere debet reuulsio, hoc est, oppositi lateris sectio. Hęc, ni fallor, est secũdi arguis, quæ haud difficulter repellitur ex his quæ tuis, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, addidimus. Suppositiõib. Reuellit enim primo uenæ eiusdẽ lateris sectio, ut in solutiõe primi arg. ostendimus. Vltimo uero, dũ scilicet sanguis exijt q in inflãmata parte occludebat, principali, hoc est curatiuæ, cõducit. Et ne me hæc finxisse dicas, præter id quod ex definitiõib. illarũ operationũ mea hæc dicta sequunt: (reuulsio enim est auersio ad cõtraria: deriuatio, ad propinqua: & tertia ex ipsa patiẽte particula euacuatio) uerba etiã Gal. 2. lib. de uictu morb. acut. eãdẽ sectionẽ uenæ cubiti, quã reuulsiuam esse ostẽdimus, euacuare sanguinẽ in inflãmatione cõtentũ, apertissime mõstrat. Iecorariã enim humerali cõparans, ait: Nos celeriter & magis q; alias particulas euacuare festinamus, eã quæ patit inflãmationẽ, & præcipue in acutis morbis, quod interior cubiti uena facit. Et paulò post in ead. cõment. ait: Sufficiẽs indiciũ, quod sanguis ex particula inflãmationẽ patiẽte trãsumptus sit, est coloris permutatio. Liquet igit ex Gal. sentẽtia, per eandẽ uenæ sectionẽ & reuulsionẽ fieri, & sanguinis in inflammatione cõtenti euacuationẽ: & quod hoc quidẽ phlegmone inchoãte fieri uelint & Hipp. & Gal. series ipsa Hipp. manifestissime ostẽdit. Vbi enim Hip. docuit, tentãdum esse à principio ut dolorẽ per calefactoria exoluamus, uariaq; calefactoria recitauit, subdit: Si ad calefactoria dolor nõ soluat, nõ esse ipsis multo tẽpore utẽdum. Sed dolore ad clauũ ascẽdente inferiorẽ cubiti uenã secandam, nec à missione sanguinis cessandũ, donec color sanguinis mutet. Id uero q̃d in hoc loco tacuit Hip. ceu alibi dictũ, 4. lib. suppleuit quisquis fuit illius libri autor, repetens primi libri dicta, atq; addẽs, ex quo latere uena secãda. Ait enim: Si quidẽ dolor sursum ad clauũ peruenerit, uel circa mãmillã & brachiũ, interiorẽ brachij uenã scindere oportet, ex ea, quæcũq; illa sit, parte, in qua est dolor. Quẽ locũ enarrãs Gal. inquit: Hic quoq; exequit legitimæ partis sententiã, additq; nõnulla quæ intelligi tamẽ poterãt ex his quæ dixerat, quale & hoc, per rectũ lateris patiẽtis faciẽdã uenæ sectionẽ. Hæc Gal. Ex quib. liquet, eãdẽ esse huius libri quarti & libri secũdi de uenæ sectione in pleuritide sentẽtiã, adiecta cõditione semp ab Hip. intellecta, ut è directo patiẽtis particulę fiat. Cũ igit (ut ostẽdimus) sectio, quã in 2. lib. præcipit, sit ab initio morbi post calefactoria faciẽda: sequit eã è directo fieri debere. Nec est, ut dicas, calefactoria tentandi

gratia facta,& posse quocūq; morbi tēpore afferri,reclamāte ipso Hipp.& ab initio quidem lib. dicēte,primū calefactorijs tentandū ut dolorē soluamus. & paulò post: Si dolor ad calefactoria nō soluit,nō oportere multo tēpore calefacere,quoniā arescit pulmo & pus gignitur. Nec probādi hi mihi uidēt, qui uerbo Hipp.innixi,calefactoria nō ad curationē pertinere putāt,sed ad tentationē: quū ramē ad cōplendā primā curatiuā intētionē, hoc est,ad euacuādā materiā in inflāmatione cōtentā,ea fieri iubeat Hip. &,quēadmodū ait Gal.ad attenuandū & discutiendū sanguinē in phlegmone cōtentū. Quod si nō sequit,est quia plus trahit q̄ discutiat: quod absq; copia humorū in toto corpore nō accidit. Quare euacuādū totū corpus uel p uenæ sectionē,uel p pharmacū,nec calefactorijs amplius utēdū. Et hęc pro solutiōe secūdæ ratiōis uidēt sufficere,nec opus esse ut dicamus aliā indicationē sumi à materia, aliā à loco: uel q̄d in pleuritide nō sumus certi à quo loco materia fluat,sicuti in capite & utero. Tertiā rationē nō adducis,neq; ego scio quænā sit: sed cū dicas eadem uia remanere efficacissimā,ego pariter dicere possum,quod eadem uia tollenda sit.

Ad quartā accedēdo,quæ inter oēs uidēt ꝓbabilior,dico,Gal.uerba 13. Meth. quod auersio sit ad lōgissima faciēda,esse sanè & eo modo quo ipse semetipsum declarat intelligēda: alioq; semp opus esset scindere uenā,quæ per duas (ut aiūt) diametros distat à loco patiēte,atq; in pleuritide non è talo malleolo ue è directo lateris patiētis sito mittēdū sanguinē,sed ex opposito: quod nec tu,nec Auic. fatēt. Moderari igit hoc Gal. dictū oportet per duas eiusdē ratas & ꝑpetuas sentētias, eā scilicet quā nup tetigimus, ut è directo patiētis loci: & alterā, ut per cōmunes uenas, adde, si placet, & nota dignas, fiat euacuatio: ne cogamur fateri uenas extremæ manus, debere in pleuritide præ aliꝭ secari. Sed aduertēda quoq; bene loca Gal. in qbus præcipit, reuulsionē ad lōgissima faciēdā, atq; cū precedētib. subsequētibusq; uerbis & sentētijs cōferēda. Occurrūt aūt nūc mihi quatuor loca, in quibus ea uerba scribunt. Primus lib. 2. de nat. humana, ubi nō ex ꝓpria sentētia à Gal. scribunt, nec quasi Hip. magni uerba, cū pro Hippocratico libellū illū secūdū Gal. nō agnoscat, sed ueluti à nescio quo scripta, quē deridēdo nouū Prometheū uocat: q̄ postq̄ modo suo uenas finxerat, edocturus earū sectionē, ait: Studere oportet incisiōes facere q̄ lōgissime à locis, in qbus dolores fieri didicimus. Quæ uerba exponēs Gal. autorē illum dānat, q̄d nō determinauerit, utrū dolentib. iā partib. reuulsio influentiū humorū sit ad remota faciēda, aut sanitatis tēpore: sibi aūt uideri, hæc potius in sanis dici: uolente scriptore, redūdātes humores assuescere ad alias ferri particulas. Secūdus locus est Artis medicinalis, q̄ eodē modo intelligendus est, scilicet sanitatis tēpore: siqdē de parte artis, quæ pręseruatiua dicit, inibi sermo habet. Tertius & quartus locus ubi mentio lōgissimæ huius reuulsiōis, est 13. lib. Meth. Bis aūt ibi hoc legit, sed secūdo loco cum exēplorū adiectiōe, per quæ ostēdit se nō de lōgissima simpliciter locutū, imò nec de ea, quę licet nō extreme distet, ualde ramē remouet. Siqdē in affectiōib. capitis, præfert humeralē mediæ & iecorariæ: & in affectiōib. iecoris, pectoris & cordis, reliquis anteponit iecorariā: cū tamē apte cōstet, humeralē capiti, & iecorariā iecori, esse propinquorē. Demū generaliter loquēs, ait: Semp aūt in oīb. eas, quæ è directo. A qua directiōe cū cadat ea uena quæ ex opposito iacet lateri pleuritide uexato, cōstat secundū Gal. mētē, nō hāc, sed eā quæ è directo, esse secādā: q̄d etiā apte dixit in lib. curatiuo de uenæ sect. Nec dici potest (ut tu in respōsione ad primā Curtij rationē scribis) Gal. de illa uenæ sectiōe locutū, quæ in cōsistēdi uigore sit: quū aptissimis uerbis testet in eod. 13. lib. Meth. se de principijs loq̄ inflāmationū. Ab initio siqdē eius sermonis ait: Subijciat igit hepar incipiēs inflāmationē pati. Et paulò post: Oculis inflāmationē pati incipiētib. & in iocinore cū phlegmone laborare incipit, & in renib. sicuti si renes. Et ne lōgiores simus in re manifesta, in tota illa serie de principio loquit inflāmationū, atq; uniuersaliter cōcludit faciendā è directo euacuationē. Verū quo pacto possunt Hip. & Gal. quādo secādā uenā in pleuritide ex directo dicūt, in cōsistendi

stendi uigore intellexisse, ipso Hipp. quasi prœconis uoce in aphor. medicis clamāte: Incipientib. morbis si q̄d uidet mouēdū, moue: cū aūt in cōsistēdi uigore sunt, quietē habere melius est. Galenoq; in hæc uerba ei succinēte, in illorū morborū principijs in qbus spes est saluari debere laborātē, tentandū est afferre maiora auxilia, de qbus dixit Hip. si quid uidet mouēdū, moue. Sunt aūt hęc, phlebotomia præcipue, interdū etiā purgatio, quorū neutrū in cōsistēdi uigore accipiendū. Nisi igit uoluerimus fateri, Hip. & Gal. sibijpsis pugnātia scripsisse, dicere nō possumus, eos dū uenā secari, uel purgatoriū medicamē dari præcipiūt, de cōsistendi uigore fuisse locutos, in quo maiora auxilia penitus interdicūt, & quieti indulgendū, ratio ipsa, quæ plus ualeret q̄ oīnis autoritas, ꝑsuadet: purgationē tamē sicuti & uenæ sectionē ab initio quādoq; cōcedentes. Quod certe mirū est te alioq; oculatissimū, apud Gal. nō legisse, eū locū exponēte, quē tu ex 4. lib. de uictu morb. acut. citasti. Subijciā aūt Gal. uerba, à me utcūq; ex tēpore trāslata: Pharmacū exhibēdū quarto die absq; determinatiōe dixit: in nullo enim auxilio laborāti afferēdo intentio habēda est ad dierū numerū, sed ueluti Hip. inquit, aut statim ab initio priusquā humores firmētur, exhibēda est pharmacia: aut posterius, quādo iam fuerint cōcocti. Quare & circa primā diē, interim & secundā & quartā, interdū & quintā pharmacū exhibuimus, nō in quarta solum, quēadmodū ille scripsit. Hæc Gal. Quibus si addideris ea quæ ab eodē in principio huius cōment. scribunt, aperte cognosces, sectionē uenæ & purgationē, quas Hip. lib. 2. præcepit, esse in pleuritide ab initio faciendas. Ait enim: Pleuriticū nominauit, eū qui ab Hip. in parte libri legitima dictus est, in quo purgat eos qui ita se habent pleuriticos. Hæc Gal. eos qui ita se habēt intelligēs, in quib. scilicet dolor est in inferiore thoracis parte, quos se quādoq; purgasse prima die Gal. fatetur, atq; ut sequens est, in principio (quocūq; trium modorū apud medicos notorū principiū accipiat) in quo etiā principio, dolore ascēdente, sectionē uenæ facit. Nec dici potest (ut tu dicis) quod Hip. hoc pharmacū dederit, ad materiā antecedentē uacuādā, cū loco sectiōis uenæ eo utat, per quā euacuari uoluit materiā in inflāmatiōe cōtentā, q̄ ad iugulū usq; & ad brachiū dolorē facit, eādēq; intentionē euacuādi per pharmacū in iugulū usq; & ad brachiū dolorē facit, eādēq; intentionē euacuādi per pharmacū in dolore ad præcordia declināte habere uideat, ut scilicet utraq; & reuellere, & materiā in inflāmatiōe cōtentā, ualeat euacuare. Sicuti enim purgatio ad cōtrariū trahit, qa à superioꝛib. ad inferioꝛa: ita & uenæ sectio è directo facta, ad cōtrariū multis modis trahit, ut superius (ni fallor) demōstratū est: ambæq; ꝓpterea cōtrarietatis ratiōe pariter reuulsiuę dici merent. Gal. tamē, quēadmodū in epist. ad Pharusiū scripsi, in hac purgatiōe recessit ab Hip. q̄d adeò clarū est, ut mirari satis nō possim, esse uiros alioq; excell. q̄ dicāt Gal. aliq̄n ne latū q̄dē unguē, unquā ab Hip. recessisse: cū nulla ferè sit Hip. cōmētatio, in cuius expositiōe nō semel eū (modeste tamē) reprehēdat: præsertim si pro Hippocraticis habeamus, quæcūq; sub eius titulo & nūc legunt, & apud antiqores sunt lecta. Sed & in legitimis magni Hip. lib. exponēdis, ut erat libe ri animi, & nullius addictus iurare in uerba magistri, modo ordinē, modo uerba, sed & interdū sentētiā quoq; nō approbat. Sed ut reliqua nūc dimittamus, q̄s nō cognoscat in hac parte pro Hipp. Gal. nō stare: scribēte Hip. si subter septū fuerit dolor, & ad clauē nō adnuat, mollire aluū oportet, aut nigro elleboro, aut peplio: Galeno uero ipso, postq̄ Hip. uerba exposuerat, dicēte, Cognoscere q̄dē hęc oportet & meminisse, nō semp uero in pleuriticis uti. Quod enim dixerat Hip. agere oportere, Gal. dicit nō semper agēdū: nec solū dicit, sed ratiōib. probat, etiā ex aphor. (cuius initiū, In acutis passiōib. rarò, & in principijs, pharmacijs utēdū) atq; ex febris uehemētia, qua etiā si dolor ad præcordia perueniat, per sectionē potius uenę, q̄ per pharmacā euacuatio faciēda, qa maius periculū in ea est, & maiori infortunio subijcit, præcipue quādo naturæ ægrotātis experiētiā nō habuerimus. Quod igit Hip. dixit, seromone absoluto oportere fieri, hoc Gal. rarò faciēdū dixit, & solūmodo duab. stātib. cōditionibus, febri scilicet nō uehemēti, & cognita per experiētiā ægrotātis natura.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aphorismus aũt à Gal. adductus, clare ostẽdit, pharmaciã hic ab Hip. præceptã, esse intelligẽdã in principio: alioqui nõ esset proposito Gal. deseruiẽs, si Hip. in lib. de uictu morb. acut. de pharmacia, in cõsistendi uigore dãda, intellexisset, quũ aphor. de principio loquat. Vtrunq; igit liquet, & Hip. de euacuationib. in principio faciẽdis locutũ, & Gal. cũ Hipp. in sectione uenæ sensisse, sed in pharmacia ab eo discordasse. Pariter quoq; tollit, quod à te dictũ est, Hipp. nõ de præseruatiõe, sed de curatione tãtũ locutũ, quæ morbo iam facto debeat. Nõ enim cõsueuit Hip. præseruationẽ à curatiõe, in morbis adhuc fiẽtibus distinguere: sicut nec semp eos actus distinguit
» Gal. Hippoc. siquidẽ in aphor. inquit: Quæcũq; ægritudines à plenitudine fiũt, eua
» cuatio sanat. Quem aphor. Gal. enarrans, delirare quosdã neotericos dicit, asserẽtes ablationẽ causarũ morbos facientiũ nõ esse curationẽ, sed præseruationẽ: ibi esse solã curationẽ dicens, ubi nõ adest causa faciens: ibi præseruationẽ, ubi causa quæ adest, nondũ morbũ facit: tũc mixtã quodãmodo præseruationẽ & curationẽ, cũ facit: nec habere propriũ nomẽ: & propterea aliàs alio, in hoc opere medicos uti, modo curationẽ, modo præseruationẽ uocãtes. Dicere igit, Hip. docuisse curationẽ nõ præseruationẽ, est in nomine (ut Gal. ait) litem facere: & ut in cyclicis & clamorosis disputationib. fortè tolerari possit hæc responsio, in his certe quæ paçato animo tractant, fuga potius uidet q̃ defensio, præsertim cũ nullibi Hipp. aliã docuerit uenæ sectionẽ, neq; in pleuritide, neq; in alio quouis morbo, q̃ quæ per directũ: tacẽdoq; semp aliã, & hãc laudãdo, etiã tacẽdo nos monet, eã quæ ex diuerso sit latere, semp fugiẽdã: & quoties iubet uenæ sectionẽ, eã iubere quæ sit per directũ. Quod cõsiderãs Gal. obseruãsq; diligẽter ea quæ q̃tidie in ægrotis uidebant, & quæ Hip. exacte custodiens scripserat, unũ & primũ caput esse dicit, sanguinis eruptiões: quæ per rectũ fiũt, maximũ afferre ęgrotãtib. emolumentũ: & quę ecõtrario, nõ iuuare, sed dissoluẽdo uires potius obesse. Quod ubi in lienis & iocinoris tumorib. mõstrauit, ad opatiões artis cõuersus, idem in cucurbitulis & uenarũ sectionib. cõtingere ostẽdit. Deinde ad
» pleuritidẽ ueniẽs, subdit: Verũ & in pleuriticis quæ ex directo patiẽtis lateris uenæ
» sectio, euidẽtissimũ multoties demõstrauit iuuamẽtũ: quæ uero ex opposita manu,
» aut oñino exile, aut post tẽpus. Videre igit hinc licet, & præponi eã quæ ex directo alteri: & Galenũ ad sic sentiendũ, nõ tantũ Hip. autoritate ductũ, quãtũ naturæ intimatiõe, & longi tẽporis obseruatiõe. Quod si (ut dicis) nõ ex ꝓposito ibi locutus est, ad quemnã quæso aliũ locũ ptinere hæc tractatio magis poterit, cũ liber hic peculiariter sit sectioni uenæ dicatus, & in eius procœmio quærẽdũ inter reliqua dixerit, an differat, quãcũq; quis maluerit uenã secare, cũ oñes æque in omni iuuẽt affectione: an quẽadmodũ Hip. & alij probatissimi medicorũ uoluerũt, magnũ discrimen sit, si hãc uel illã secueris. Quod discrimẽ quũ in hoc loco ex eiusdẽ Hip. uerbis mõstrauerit, nescio quomodo dici possit, nõ ex ꝓposito locutus. Sicuti nec etiã uideo, quo pacto credẽdũ, sectionẽ ex directo in pleuritide nõ posse fieri ab initio: præsertim quũ ostẽsum sit, eã retrahere semper, & quãdoq; si mutatio coloris expectet, ex loco euacuare, atq; ut sequens est, triũ uenæ sectionũ uim habere. Reuulsiuæ quidẽ, quatenus ab interioribus ad exteriora, à subcingente uidelicet mẽbrana, quæ intra thoracẽ est, ad cubitũ, atq; à dextro ad sinistrũ, uel econtrario, & aliquo etiã modo ab inferioribus trahit ad superiora. Deriuatiuæ, quia ad brachiũ trahit, à latere non ualde longinquum. Demũ & ex ipso loco, si sanguis eousq; sinatur fluere, quoad ille exeat, qui in phlegmone continebatur: quod permittere optimũ est, inquit Galen. lib. de uenæ sectione, in omni magna phlegmone, quæ est prope sectam uenam. Nemo autem mirabitur eandem uenam eiusdem loci comparatione, dici longe & propẽ, qui sciat eas uoces de numero earum esse, quæ relatiuæ nominãtur. Iecoraria quippe uena prope membranam inflammatam est, uenæ extremæ manus uel tali relata. Si igitur Hippocrates & Galenus ita in pleuritide sicut & in alio quouis morbo, eam

bo, eã quæ per directũ fit uenæ sectionẽ semper laudarũt, atq; ei quæ per aduersum prætulerũt, neq; unquã inueniunt aliter scripsisse: quis duabus uocib. quibus Gal. usus est, cõtrarij scilicet & longißimi, motus, (quas tamẽ sanè intellectas mõstrauimus ei quæ per rectũ conuenire) dicere potest, eã quæ in aduerso sit cubito, in aliquo uel casu uel tẽpore, iuxta illorũ sententiã, in pleuritide esse præferendã: quas certe uoces, cõtrarij scilicet & longißimi, nõ ex nostra (ut plerũq; fieri solet) imaginatione, sed modo quo ipsemet Gal. uoluit, intelleximus: atq; uel ex hoc unico fundamẽto dilui, quæcũq; ex uerbis Hippoc. & Gal. aduersus hãc sententiã fiũt argumẽta, mõstrauimus. Quo uero modo tueri se possint, qui Arabas secuti, uenã cõtrarij cubiti primo, posteà eam quæ è directo est, scindũt, in quadã mea ad Pharusiũ epist. monstraui. Quã si fortè tantũ tibi ocij quãdoq; erit ut legere possis, unà cũ alijs meis multis nugis, ad te mitto, rogans obtestansq;, ut quæcunq; non probabis, quæ necessariò plurima erunt, obelo confodias. Malo enim tali ense pereant, quàm miseram uitam agant. Vale, & me ama. Ex Ferraria, v. Idus Iulias, M. D. XXXI.

EPIST. II. Iacobo à Barthen Dantisco, uarijs malis affectibus quinquennium afflicto.

Consideratis diligenter his, quæ tum ex tuis literis, tum ex colloquio sæpenumero inito, de tuis malis affectib. intellexi: iudico omniũ malorũ, quæ pateris, causas esse, atrã bilem & pituitã, in toto quidẽ corpore, sed præcipue circa præcordia, ostiũq; uẽtriculi, quod πυλωρὸν Græci nominãt, coaceruatas, atq; inde ad cerebrum fumidos uapores mittẽtes. A duobus aũt hisce humorib. ita oriri quæcũq; te uexãt symptomata, ut nõnulla utrũque, nõnulla alterũ tantũmodo sequãtur. Nam capitis dolor & ueluti quassatio, & eiusdẽ ac oculorũ grauitas & caligatio, auriũ sonitus, ructus, somniorũ copia & uarietas, totius corporis segnities, utriusq; humoris sunt germina. Frõtis uero calor, aluus adstricta, arida scabies, pruritus, dentiũ corrosio, immodicus appetitus, atrã bilẽ peculiariter consequi uidentur: sicuti somniorũ obliuio, nariũ obstructio, spirãdi difficultas, mucus, & screatus multus, mingẽdi difficultas, cũ lotij tamẽ copia, pituitæ redundantiã. Cũcta igit hæc, præter frõtis calorẽ, pruritũ, & dentiũ corrosionẽ, à frigida sunt tẽperatura, quæ à naturalib. præcipue mẽbris, ad loca patientia trãsmittitur. Frõtis uero ille calor quãdoq; perceptus, pruritus & dentiũ corrosio ab ea atræ bilis parte fiũt, quæ maiorẽ passa adustionẽ, ad quẽdã modũ calorẽ cõtraxit. Curatio igit & præseruatio uniuersorũ cõgrue fiet, si duo illi mali & redũdãtes humores ita coërceantur, ut posthac modicè habẽtes, inter proprios fines delitescãt, atq; mẽbra, quæ ab eis lędi cõsueuerãt, adeò robusta reddant, ut se ab eorũ impetu, si quãdo inuaserint, tueri ualeãt. Duo aũt hæc, quatuor salubrib. causis absoluent: his uidelicet quæ sumunt, quæ gerũtur, quæ educunt, quæ foris admouent. Sumẽda sunt, cibus, potio, medicamẽta, aër. A cibis ergo orsi, uitãda esse dicimus, cõcoctu difficilia, crassos humores gignẽtia, & quæcũq; immodicè uel calefaciũt, uel infrigidãt. Vitãdi ergo pisces magni, tenaces, & omnes quotquot in aquis stantibus capiunt. Qui uero ab his immunes sunt, aromatib. uel odoratis herbis sunt cõdiẽdi. Elixi præcipue conueniunt: sed & assi tolerãtur. Oua quocũq; modo parata, præter gallinacea, forbilia uel tremula. Lac, caseus, butyrũ, & quæcũq; ex eis escæ parant. Carnes senũ aquatiliũ & syluestriũ, præter phasianos, perdices, & paruas auiculas, quæ in dumetis pascunt. Salita omnia, & multis aromatib. uel acribus radicib. cõdita, frixaq;, & ex assa tiõe ueluti exusta. Fructus oñes, præter pistacia, passas uuas, auellanas. Legumina omnis generis. Omnia olera, præter mentã, apiũ, q̃d petroselinũ uocãt, saluiã, pulegiũ, origanũ: quę tamẽ medicamẽti potius, q̃m cibi ratiõe tolerant. Frumẽtacea oñia, hordeo, farre & auena exceptis. Panis azymus, minus uel nimis coctus: clibanitius,

Pituitæ & atrę bilis incõmoda.

uel alio quouis modo, præterquã in furno coctus. Crapula demũ, & quantũ per patriæ consuetudinẽ licet, ciborũ uarietas. Potus sit uel uini mediocris, uel ceruisiæ hordeaceæ, uel medonis uocati, quibus pauci lupi salictarij flores sint adiecti: uel pura mulsa aqua in qua assatus panis sit extinctus, uel anisorũ semina decocta. Medicamenti potius quàm cibi ratione potes, rarò tamen, ʒ. 2. uini Cretensis, quod Maluaticum uocãt, mane bibere: capite tamen nõ multum laborãte. Medicamenta sint, quæ præcidendi, attenuandi, & roborandi uim habeãt: qualia sunt inter simplicia, absinthiũ, anethum, melissophyllum: semina anesi, fœniculi, cumini: casia (quæ Cinamomũ dicitur) zingiber, piper. Ex his possunt parari aromata, addendo præcipue æstatis tempore tantundem sacchari. Inter cõposita: Syrupus de mentha, de absinthio, de calamintha. Electuariũ, aromatitiũ rosatum, diambri, diamoschon.

Aëris, cuius inspiratio semper necessaria est, maxima habenda cura, ut sit purus, nõ occlusus, nõ eximie uel calens uel frigens. Et si quãdo calefaciẽdus erit, lignis potius siccis & odoratis: idq; nostro potius more fiat, quàm (per fornaces quas stubas uocatis) uestro. Debet etiã ab omni malo odore esse penitus immunis: quod per suffumigiũ agallochi, uel bẽzoi uocati, cõgrue fiet. Et hæc quidẽ de sumẽdis dicta sint.

Facienda, motu, somno, Venere, studijs, cõprehenduntur. Motus sub se cõtinet ambulationem, cursum, equitationẽ, aurigationem, nauigationem, & id genus reliqua. Sed & exercitiũ proprie acceptum, quod supra dictos motus addit spirationis mutationem. Nullus enim motus uerè exercitiũ dici potest, nisi adeò uehemens sit, ut anhelare quodammodo cogat. Quod ut summæ utilitatis est, si cibum præcedat, ita maxime noxiũ si sequatur. A cibo igitur uel quiescendum penitus est, uel leniter corpus mouẽdum. Et quod de exercitio dictum est, de frictione etiã intelligendum, quãdo & ipsa motus quidam est. Quemadmodũ uero motũ cibus, ita hunc somnus sequi debet, ita tamen ut inter utrunq; quies mediet. Somnusq; nocturnus sit, nõ diurnus, nisi aliqua causa interceserit, quæ noctem insomnem ducere coëgerit. Sit autem somnus horarũ ad summũ octo, nec corpore supino, sed primo supra dextrũ, secundo supra sinistrũ latus fiat. Ad agẽda quoq; uenerea pertinẽt: à quibus abstinere Christiana religio iubet eum, qui uxorem non habet: cui potius obediendum, quàm Galeno, modicũ eorum usum & per interualla, in tuẽda ualetudine cõmendanti. Ad peragẽda quoq; referũtur studia, quæ non alia ad te pertinere puto, quàm literarũ, in quibus laborãdum non est, nisi ubi cibus iam descenderit. Quo tẽpore nec assidue tibi cõgruit uel legere uel scribere, sed utrũq; crebrò interrumpendum. Ita enim & minus lædêris, & alacrior ad illa reuertêris. Sed de agendis hæc dicta sint: ad tertium, hoc est, ad euacuanda ueniendum.

Ventris igitur excremẽta singulo quoque die procurãda, & lotiũ ciendũ. Quod si spõte, uel nequaq;, uel ægre eunt, illa uel clysteríb. uel uini fece, uel sena, uel polypodio, uel siliquæ Aegyptiæ carne educẽda: hoc uel adianti, uel elij, asparagi, uel pãpinellæ uocatæ, uel asplenij decocto ducendum. Euocãdus præterea modicus sudor, & ea quæ obtutũ effugit euacuatio adiuuãda: quæ si per frictionẽ & motus suprà recitatos, quantũ uidebit opus esse, fieri nõ uideatur, per ea quæ extrorsum occurrent erit adiuuãda: de quibus paulò post mentio futura est. Antea enim docere oportet, quo pacto redundãtes humores uacuãdi sint, si qui fortè aderũt, quod uix uitari poterit. Purgandũ igitur bis in anno corpus uniuersum, hiq; humores præcipue, ex quibus omnes tuos malos affectus diximus prouenire. Veris purgatio per potiones molienda, quæ recipiunt: Senæ ʒ. 6. epithymi ʒ. 1. myrobalanorum chebularum pulpæ ʒ. 1. s. sampsuci ʒ. 2. Bullient hæc omnia in sex uncijs aquæ, tantisper donec media pars aquæ supersit, cui addendæ syrupi de stœchade ʒ. binæ.

Sumenda autem hæc potio, diebus ut minimũ decẽ, ex qua nisi cõgrua euacuatio fieri uideatur, tertio quoque die una ex his pilulis ante eam deglutienda ueniet:

Agarici

Agarici ℈. 2. pilularum ex Cianeo lapide, quem Lazuli uocant, ℈. 1. nucis moschatæ grana 6. cum aqua sampsuci formẽtur tres. Vbi satis mundum corpus fore uidebitur, roborãda nobilia membra per hanc antidotũ, mane & uesperi uacuo uentriculo deglutiendam: Sacchari rosacei ʒ. 3. aromatici rosacei ʒ. 1. misce. Autũno purgatio per hæc facienda: Fumariæ, senæ, polypodij ana ʒ. s. pulpæ myrobal. citrinarum, seminis intybi ana ʒ. 1. foliorum mollium boraginis manip. 1. Bulliant in libra media aquæ, ad mediæ partis consumptionẽ, abiectisq; speciebus quæ bullierunt, addatur decocto, Syrupi de fumo terræ, & syrupi facti ex aqua in qua rosæ quinquies mutatæ maduerint, ana ʒ. 1. Post has potiones decies plus minus ebibitas, hac confectura utendum: Sacchari rosacei, boraginacei ana ʒ. 1. s. maceris ʒ. 2. seminis intybi ʒ. 1. cum iulebo rosaceo ad congruam formam reducantur, eiusq; misce llæ semuncia, cœna bene concocta, mane deglutiatur. Atque in hunc modum educenda quæ redundant, cauendumq; ne similia deinceps aggregentur.

Superest demum ut ad ea quæ extrinsecus admouenda sunt, accedamus: quæ his ce generibus continentur: aëre, aqua, balneo, oleo, unguento. Aërem inhabiter quantum potest, tum calore, tum etiam crassitie mediocrem: seneſtraq; cubiculi ubi moratur, inter occasum & meridiem spectent: solaresq; radios quantum uaiet, lunares semper deuitet. Balneo totius corporis utatur ex aqua, in qua saluia, origanum, pulegiumq; bullierint. Caput crebro abluat lixiuio ex sublimi cadente, in quo chamæmelum & lauri folia bullierint. Post balneum, uniuersum corpus bene perfricetur: & post frictiones, oleo oliuæ dulci inungatur, præter capitis futuras, quæ ex oleo per chymicã artem ex uera terebinthina & nuce moschata extracto, erunt inungendæ. Oleum tepidum auribus instilletur, in quo ruta, sampsucus, & lauri baccæ bullierint. Mane naribus per digitum uel pennã, molle ceratum infundet, quod sit hoc modo paratum: Olei nardini ʒ. 1. pulueris piperis albi ʒ. s. elebori albi ℈. 1. cum pauca cera fiat molle unguentum. Puluerem crebrò naribus admoueat huiusmodi: Nucis moschatæ ℈. 3. gariophyllorum ℈. 2. benzoi ℈. 1. ambræ ℈. s. moschi grana 5. Potest ex eisdem pulueribus cum laudano in aqua rosacea resoluto in eundem usum pila parari. Dextrum hypochondrium unguento inungatur, quod habeat: Olei de absinthio ʒ. 1. s. pulueris sandalorum citrinorum ʒ. 1. cinamomi ʒ. s. ceræ & aceti rosati parum. Gingiuæ & dentes cum melle rosaceo perfricentur, cui puluis corallorum alborum sit adiunctus, ut sint ipsius mellis rosacei partes 8. & corallorum 1. Ventriculi os fouẽdum uino, in quo menta & calamus aromaticus & mastiche decocta sint. Lienis regio ex oleo de capparibus, cui adiectus sit succus asplenij, uel ipsius herbæ puluis, & exiguũ acetum, inũgatur.

His præsidijs spero te, mi Iacobe, Deo optimo maximo iuuante, ualetudinẽ prio rem recuperaturum: qua instaurata, si in Italiam reuersus me adhuc superstitem inueneris, dabis operam ut me reuisas: sin minus, quod magis credo, pro salute animæ meæ ad Deum preces fundes. Interim tamen celebriores aliquas herbas, ex his quæ apud uos nascuntur, ad nos mittes: atq; si tibi occurrerit succini frustum, in quo uel muscæ, uel formicæ, uel insecti lium id genus aliquod occlusum sit.

Ex Ferraria, IIII. Idus Martias. Anno â reparato per CHRISTI natiuitatem mundo, M. D. XXXIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. III. ad Alphonsum Guarinum, de uini temperatura.

CVm ex ueterum autorum lectione, longoq; usu didicissem, quàm arduum sit inter doctos utros inuicem dissidentes, se ueluti mediatorem & arbitrum interponere: onus à te mihi iniunctum, quantum salua amicitia ualebam, detrectaui. Verum tibi iterum atq; iterum roganti, reluctari diutius non ualui: cui antequam in hanc lucem prodires, me ex asse debere cognoscebam, qui patrem tuum Baptistam, morum integritate, incomparabili grauitate, bonarumq; literarū peritia, nemini secūdum, præceptorem habuerim: & Alexandrum fratrem ceu paternarum uirtutum hæredem, semper coluerim, & admiratus sim: Vt auum Guarinū prætermittam, cui uniuersa Europa, quicquid elegātiæ, quicquid peritiæ & nitoris in utraq; lingua habet, totum debet, & ueluti bonarum literarū parentem ueneratur, & adorat: Te etiam ab ineūte usq; ætate maiorū uestigia sequentem semper amauerim, & in magna habuerim & habeam expectatione. Accipe igitur meam de uinorū temperatura sententiam, itaq; accipe, ut neutri parti ne præiudicij quidem, sed nec maioris cuiusdam testimonij loco censendam. Vale mi charissime Alphonse, &, quod facis, in dies magis magisq; fratris, patris & aui uirtutes æmulare.

Ex ædibus nostris, X. Calend. Maias, M. D. XXXIIII.

IN uniuersa naturæ historia haud temere rem inuenias, in qua tot agnoscantur stigia, quot in uinorū genere. Nam ut consistentias, colores, odores, uiresq; præteream, nonnulla aquea, aliqua acida, alia austera, alia dulcia, alia amara, alia acria, quædam diuersis mixtisq; saporibus sunt affecta. Saporis autem hæc multiplicitas non tantum in alijs atque alijs generibus, sed & in uno eodemq; genere, pro soli natura & cultu, pro diuerso uitis ad solem aspectu, pro arborū quibus maritatur conditione, pro uuæ maturitate, atq; pro ipsius ætatis etiam uarietate contingit. Iuxta quorum saporum discrimina, temperaturas quoq; uariari necesse est: nec in qualitatibus passiuis solum, de quibus est inter excellentes hosce medicos controuersia, sed in ipsis quoq; actiuis, in calore uidelicet & frigore. Alba enim & tenuia, aquosa uocata, sicuti aquæ consimilem nacta sunt formam, ita & uiribus ab ea non magnopere remouentur: quare non solum humida, sed uel frigida, uel certe parum calida dicenda sunt. Austera uero, & stryphna à Græcis, à nobis acerba uocata, ut in qualitatibus actiuis non multum ab aqueis recedunt, ita in passiuis non parum discrepare credenda sunt. Quemadmodum & acida, quæ si exacte acida sint, frigida potius quàm calida putanda uidentur. A tribus autem iam dictis generibus, dulcia, amara & acria, plus minus ue abesse credendum est. Nam quæ exacte dulcia sunt, calida modicè esse nemo dubitarit: sicuti amara quāto dulcibus calidiora, tanto acribus esse minus calida. At quæ cōmixta ex uarijs hisce saporibus sunt, pro mixtionis uarietate mixtam quoque temperaturam habere necessarium est: sicuti quæ nullum ex iam dictis saporē præ se ferunt, sed ueluti sine alia quàm uini ipsius propria qualitate se gustui repræsentant, medium locum inter omnia enumerata tenere uidentur, ut scilicet intelligamus totam uinorū latitudinem, duobus extremis claudi: uno quidem uel simpliciter frigido, uel certe aquæ frigiditati ualde proximo: altero, ut acerrimo, ita ad quartum proxime calidorum ordinem accedente. Quorum extremorum unicum quidem sit exacte medium, æquali uidelicet interstitio ab utrouis extremo semotū: quod diuersa utrinq; derelinquat media, calidiora uidelicet & minus calida, prout huic uel illi extremo sunt propinqua magis: quæ tot sunt, ut uix ualeant numerari. Nobilibus enim, quæ Plinij tempore ferè 80. erant, pleraq; nobilia

post Plinij tempora sunt addita: totq; ignobilia, ut nulla sit patria in qua peculiaria multa non sint reperta.

Est præterea in uinis sicuti & in multis rebus alia habenda cōtemplatio, quod scilicet & cibi & medicinæ subire rationem possunt. Cibi quidem, quatenus à calore naturali uicta, in substantiam transeunt membrorum: medicinæ uero, quatenus in ipsum corpus agentia eius immutant temperaturam. Primum si in uinis consideremus, plus minus ue, calida tamen & humida omnia esse dicemus, iuxta uidelicet maiorem minorem ue ad hoc ut in sanguinem cōuertantur aptitudinem. Si secundum, præter illa quæ aquea penitus sunt, uel exiguo quodam interuallo ab eis remouetur, reliqua calida & sicca dicemus. Sed & illud nō prætereūdum, uina quantumuis sicca uiribus sint, actu tamen fluida humentiaq; dici posse. Nemo igitur qui hæc considerauerit, uitio uertere debet, uel inscitia alterum horum duorum mediorū damnare: quando habet uterq;, & autores medicinæ primarios suæ sententiæ fauentes, & rationes & res ipsas suffragantes. Hippoc. enim libro 2. de uictu, prius (quod sciamus) cum uinum calidum & siccum simpliciter esse dixisset, paulò post ait: Ex uinis nigra & austera sicciora, dulcia nigra humidiora. Et paulò post subdit: Humiditatem facientia. de eisdem dulcibus, ut ego arbitror, loquens, quatenus cibi rationem subeunt. Quod ex illis ostenditur quæ de defruto paulò post scribens ait: Ideo humectat, quia nutrit. Sequutus Hippocratem Galenus, ubi de medicamentis loquitur, uinum calidum & siccum esse, absolute & simpliciter affirmat: ad ea uina respiciens, quæ uerè uina dici merentur. Hæc enim siue intra, siue extrà corpori temperato admoueantur, & calefaciunt & exiccant. Nisi enim sicca essent, ulceribus humidis non conferrent: nisi simul calorem haberent, pituitosos non iuuarent: sed neque crassiorem sanguinem in uenulis oculorum abundantem, diffunderent & euacuarent: uerum nec immodicam & inexhaustam appetentiam, quam canam uocant, sanarent. Vbi uero idem Galenus uina sub alimenti uel fluidæ quam in se habent naturæ ratione considerat, ea humida esse non abnegat: ut & in expositione illius aphorismi, Facilius est impleri potu quàm cibo. Et in 7. Methodi, in qua parte docet siccas intemperies per cibos sanare. Nam quæ in lib. de tuenda sanitate traduntur, nemo dubitauerit ad cibos pertinere. Sicuti & quæ in expositione libri introductorij de pulsibus, quum dicat eam quæ ab ipso adiectionē sit celerem esse, afferatq; ipsius Hippocratis uerba, in lib. de humoribus scribentis: Qui celeri egent appositione, his res humida remedio est. Humidā rem uocans eam quæ substantiā fluentem habet, non solidam. Quod etiam lib. 1. de uictu morb. acut. scribit, uinum & melicraton magis humectare quàm aquā, non de simplici, &, ut ita dixerim, qualitatis humectatione intelligi potest: quoniam quantumcunq; humidum uinum intelligatur, non tantū habere humidæ qualitatis potest, ut aquam quæ humidissima est, superet. Quatuor elementa suas qualitates summas habent, Galeno teste. Humiditas ergo qua uinum aquam præcellit, in hoc intelligenda, quod post utriusq; potum substantia membrorū eius qui uinum prisanæ præbibit, magis humida remanet. Secundo autem lib. uinum non aquosum his dari præcipit, qui ex cœna præter consuetudinem demissa exinanitas uenas habent, non humectationis maioris gratia, sed ut robur imbecilli iam facto ob inediam uentriculo submini-
strēt, quemadmodum in eius loci expositione docet Galenus. Quod certe uinum non facit, nisi quatenus cibi rationem habet: quam aliam esse ab ea quam ut medicamentum sortitur, ex eodem Galeno apertissime monstratur in expositione illius aphorismi libri quinti, cuius principium est, Si inebriatus quispiam repente inuocalis fiat. Ait enim de uino loquens: Substantiæ igitur copia neruis affert conuulsionem: rursus autem qualitate, sanat eam quam fecit affectionem, neruos calefaciens & exiccans. In quibus uerbis, si uspiam alibi, aperte uini etiā nobilis & uinosi,

Vina cibi & medicinæ rationē subire.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alioqui non inferret ebrietatem, uim duplicem demõstrauit, humectandi uidelicet, dum conuulsionem facit: atq; exiccandi, dum iam factam remouet conuulsionem. Quare nec culpãdus Gaionus, qui calidum & humidum: nec Fumanellus, qui calidum dixit & siccum: sed & hic, & ille, non uitula, ut Maro inquit, sed lauro dignus & auro: si modo bonas has lites nõ cõtendendi cupiditate, sed ueritatis studio prosequuntur. Congratulandum autem nostro seculo, in quo non, ut olim, de medicinæ subiecto, non de primo ultimo ue sanitatis aut morbi momento, atque cæteris id genus sophisticis nugamentis, sed de ipsissima (ut ita dixerim) medicina, hoc est, de his quæ ad opus ipsum & artis finem spectant, disputatur.

EPIST. IIII. pro Reuerendiss. Cracouiensi Episcopo, imbecillitate uentriculi & omnium principaliorum membrorum laborante.

PLurimis & quidem pessimis, ac naturæ admodum rebellibus affectionibus, tribus iam annis afflictus est summè Reuerendus Cracouiensis Præsul, dignusq; ob innumerabiles singulares q; animi dotes, & Nestoris annis, & Crotonis salubritate. Quum enim tres sint principes humani corporis partes, caput, thorax, & aluus, nulla harum in eo fuit non ualentissime affecta. Quare nemo admirari debet, si Cracouiensis medicorum academia in eo recurando tanto tempore frustra laborauit, nec adhuc in pristinam eum reducere ualuit sanitatem, accedente præsertim grandiore iam ætate, uitaq; curarum & cogitationum plena, imbecillitate etiam totius corporis, ex reliquijs iuboli & atrocis morbi Gallici uocati, & hydrargyro, per quod sanari uisus est, derelicta. Huius enim pharmaci uulgato modo extremis mẽbris admoti, tanta est & tam pertinax uis atq; malignitas, ut qui eo semel curati sunt, si (ut ferè omnibus contingit) in eundem morbum recidant, nullam aliam curationem admittant: sed reliqua præsidia etiã alioqui ualde efficacia, penitus respuere morbus uideatur. Quam rem cum ego annos iam supra triginta obseruauerim, non nisi inuitus eorum curationem accipio, qui tali auxilio in uulgato modo sunt usi. Vulgato modo dico, quoniã alium ego modum excogitaui, & longe tutiorem, & qui non adeò male affectum corpus relinquit. Verum quum modus quo rarissimus hic antistes usus est mihi sit penitus ignotus, enitar ut quocunq; id modo factum sit, qualitas illa maligna ab hydrargyro facta submoueatur. Quod ut commodius atq; cum ordine quodam fiat, & desiderio excellentissimorũ Cracouiensium medicorum, pro exiguis nostris uiribus satisfiat, curatiuæ prius intentiones ex indicationibus acceptæ, sunt à nobis, quantum ex literis ad nos datis colligi potest, inuestigandæ.

Hydrargyri malignitas.

Est igitur, ut à naturalibus rebus exordiar, clarissimus hic dominus calida & humida totius corporis temperatura, subdominante tamen bile: in iuuenta quidem, in qua ego Reuerendam suam Dominationem Viennæ & Pisonij uidi, rufa: demum immẽsis prouectiori ætati adiectis curis, atra: medio inter crassitiem & tenuitatem habitu, & ueluti quadrato corpore. Quod ad partes uero attinet, frigidiore uẽtriculo, calidiore iecore, corde & capite, ita ut ex his quidem humiditas. Iecori autem si (ut scribitis) siccitas naturalis iuncta, omnino fuit exigua: copioso enim mihi usus est abundare sanguine, nec crassiore, nec uenis esse duris, aut habitu sicciore. Creuit autem bilis, ut superius dixi, primo rufa, dehinc atra, nõ tam iecoris naturali siccitate, quàm uictus ratione, Gallicaq; lue, argenti uiui inunctione, corporisq; atque animi laboribus: quare aduentitia potius & præter naturam reputanda mihi uidetur, quàm naturalis. Nec hãc solam superuenisse iecori præternaturalem qualitatem

litatem putauerim, sed etiam calorẽ: quare calidam & siccam in iecore innaturalem intemperiem & prius uiguisse, & nunc quoq; uigere non dubito: à qua bilis uitellina & atra, aliàs quidem maiore copia, nunc minore gignatur. Et ex uitellinæ abundantia, febris illa tertiana facta sit, & bilioſus uomitus, & oris siccitas: quæ adeò exigua erat, quia à pituita (quæ & ipsa propter causas infrà dicendas redundabat) aliquantisper obtundebatur. Et præter hæc, aliqua ex parte uẽtriculi incendium. Aliqua ex parte dico, quoniam in hoc magis contulisse puto atram bilem, & longiore tempore quàm rufam id effecisse. Siquidem scribũt excellentes medici Cracouienses, cogitationes, silentium, mœstitiam, mortis timorem, & omnium rerum tædium hoc incendium præcessisse, & antequam contingeret, ueluti anteambulones præsignasse: quæ omnia fuerunt illius maligni humoris genimina. Quem certe humorem non solum in uentriculo, sed in liene, & in peritoneo, & in præcordijs (Græci ὑποχόνδρια uocant) & in mesenterio abundasse non dubito. Et quia per ani uenas, ut antea consueuerat, non expurgabatur: fumosq; ab eo exurgentes, & suspiria, & cordis ueluti adstrictionem, & intersectos pulsus, & somni carentiam, & aurium sibilum effecisse, & nonnihil etiam ad capitis grauitatem contulisse: licet maioris in hoc momenti pituitam esse putem, quæ frigiditate & humiditate uentriculi genita, ipsum quidem ad uomitum commouet, & appetentiam cibi & potus tollit: sursum uero sublata, & capitis grauitatem, & lachrymarũ abundantiam, & palpebrarum genarumq; tumorem: & per uniuersum corporis habitum delata, rigorem gignit, atq; in musculis tensiuam fatigationem. Quod uero caleant lachrymæ, non ex calida materia pituitæ admixta fieri, sed ex motus uelocitate, calore etiam natiuo capitis concoquente, qui ad sustollendam quoque materiam confert: quam quum discutere non ualeat, ad aliquem modum concoctum & supercalefactum, ad oculos, mala iandiu qualitate affectos, transmittit. Quod uero oculus dexter magis quàm siniſter lachrymas emittat, ex maiore eius imbecillitate puto contingere. Ferè enim in cunctis hominibus dexter oculus siniſtro solet esse debilior: cuius causam in Problematis scripsit Aristoteles, nec operæprecium est hoc loco referre.

Oculus dexter siniſtro debilior.

Ex diutino demum hoc & uaporum & humorum ad caput ascensu factum est, ut non solum per consensum, sed & proprio affectu laboret, cõcurrente etiam mala qualitate, tum à morbo Gallico, tum ab argento uiuo in eo relicta: luem enim illam caput petere, indicio sunt pustulæ, quæ statim à pudendorum infectione in capite solent oriri. Quantum uero argentum uiuum obsit cerebro, præter antiquorum medicorum autoritatem, quotidiana monstrant experimenta. Qui enim braccas aureas, argenteis uasculis superinducunt, quoniã id sine eo facere nequeunt, tremorem totius corporis sæpe incurrunt, & quandoque paralysin: & qui eo extrema membra inungunt, statim mala ulcera, quæ Græci uocant ἄφθας, in ore sentiunt. Qualisnam uero sit cerebri lapsus, quo ad qualitates quidem actiuas, proculdubio est ad frigidum: quo ad passiuas uero, sunt utriusque contrariorum indicia. Lachrymæ quidem & palpebrarum crassities, humiditatis: sibilus & mœror, siccitatis. Verum quum lachrymæ & palpebrarum crassities assiduæ sint, mœror fiat per interualla, uictoria mihi uidetur humiditati tribuẽda. Sibilus enim licet assiduus sit, obstructionẽ potius uidetur sequi, & fumos sursum assidue sublatos, quàm atram bilem in cerebro consistentem, præsertim quum noctu crescat, & somni hora, quo tempore solent uapores magis cerebrũ petere, & minus dissipari. Vincit igitur, meo iudicio, etiam in cerebro præternaturalis humiditas: sed à primis hisce qualitatibus, frigiditate scilicet & humiditate, non tanta læsio fit, quanta ab occulta & uenenosa illa ex argento uiuo derelicta malignitate.

Iam igitur, ni fallor, & morbi & causæ inuentæ sunt, ex quibus longa illa symptomatum catena ueluti annexa depẽdebat, & pauci qui adhuc supersunt eius annuli,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dependent. Sunt autem qui affligũt affectus, ſeptem numero: inappetentia, lachrymæ, palpebrarum cum rubore craſſities, aurium ſibilus, capitis grauitas, mœſtitia, uirium imbecillitas: quorum quatuor in primis enumerata perpetua ſunt, tria poſtrema non perpetua. Grauitas enim capitis interdum, mœſtitia multoties, & uirũ imbecillitas reuertuntur: tolerabiliora tamen ſunt, & minore quàm antea tempore perdurãtia. Horum primum, hoc eſt inappetentia, ſub genere actionis ablatæ contentum, ſymptoma eſt malæ uẽtriculi temperaturæ: cuius cauſa eſt (ut ſuperius diximus) craſſa pituita in uentriculo contenta, concurrente etiam quandoq; atra bile, & maiore copia quàm par eſſet, ad eum fluente. Igitur hæc inappetentia tolli nõ poteſt, cum adhuc fiat, niſi morbus eam faciens amoueatur. Sed quia adhuc & ipſe fit, cauſa ante omnia eſt auferẽda: materia uidelicet pituitoſa, & ſi qua adhuc redundat plus æquo bilis atra. Erit igitur hæc, ſicuti ultima per reſolutionem ſymptomatis in ſuas cauſas inuenta, ita prima opere exequenda, materiæ uidelicet in uentriculo contentæ euacuatio: niſi forte tam benignæ naturæ eſſet, ut ueram concoctionem admitteret. Quod tamen ego uix crediderim, in tam longo morbo, cui etiam latens malignitas (ut ſæpe diximus) ſit coniuncta: præſertim quum Reuerend. hic præſul ſit in cibo & potu moderatiſſimus: quæ moderatio (accedente fotu uentriculi, quo excellentes medici uſi ſunt) ad ueram concoctionem maxime conducit. Perſeuerans igitur adhuc ſymptoma, materiam in uentriculo contentam non eius generis eſſe, quod ueram concoctionem poſſit ſuſcipere, hoc eſt, ita alterari ut nutriat, oſtendit: quare per abuſiue uocatam cõcoctionem cõcoquenda erit, hoc eſt, euacuationi paranda, ſi eius ſubſtantiæ ſit, qualis erat quando in morbo maiore per uomitum & per ſeceſſum euacuabatur, craſſa uidelicet uitri liquefacti inſtar, & tenax. Parabitur autem primo, dehinc uacuabitur. Quibus uero præſidijs hæc agenda, inferius oſtendemus: nunc enim intentiones inueſtigandæ. Vacuata materia, hoc eſt, cauſa amota, ad iam factam ægritudinem deueniendum. Quæ cauſa ſi frigida & humida, per calida & ſicca erit amouenda: non ualde tamen talia: tum quia lapſus eſt naturali temperaturæ ſimilis, tum ob admiſtam atram bilem. Et hæ quidem duæ intentiones ad curationẽ primi ſymptomatis ſufficient. Præcauendum tamen erit, ne rurſus ſimilis materia cõgregetur: quare roborandus erit uẽtriculus, atq; uictus ratio ita inſtituenda, ut amplius ſimilis materia congregari minime poſſit.

Secundus affectus ſub eo ſymptomatis genere continetur, quod exiens mutatum nuncupatur. Lachrymæ enim quæ non niſi uoluntariè exire deberent, exeũt præter uoluntatem. Sequitur hic exitus morbũ in uia, angulis uidelicet, meatibuſq; alijs eos circunſtantibus, oppletis: qui quidem ab initio ſolum ex materia à cerebro tranſmiſſa replebantur: nunc uero ueriſimile eſt, ex nutrimento oculorum, quod ob eorum imbecillitatem bene concoqui non poteſt, aliquam etiam materiam in illis locis congregari. Morbus igitur in quo immediate dependet hoc ſymptoma, eſt morbus in uia, cuius cauſa eſt materia pituitoſa, in uijs illis contenta, quæ partim ibi generatur, partim à cerebro ad ea loca tranſmittitur. Curatiua ergo intentio eſt, materiæ eos meatus opplentis euacuatio. Vbi enim illa non adſit, nec ipſæ aderunt lachrymæ: ſicq; & morbus & ſymptoma amouebũtur. Verum quum morbus non in totum factus ſit, ſed continuè fiat, prouidendum ne amplius fiat. Quod agemus, ſi & materiam quæ in cerebro redundat, euacuemus: nec in futurum amplius congregari permittimus, & oculos etiam ipſos ita roboremus, ut proprium nutrimentum probè poſſint cõcoquere. Euacuandum ergo primo totum corpus, dehinc caput. Et quia difficile, imò impoſſibile, ut caput (quod & extrinſecis cauſis maxime obnoxiũ eſt, & totius corporis uapores & fumos excipit, poſt longas præcipue imbecillitates) mundum penitus perſeueraret, ideo duæ aliæ inſurgunt intentiones. Vna, ut excrementum quod per hanc uiam conſueuerat expurgari, aliò diſtrahatur.

tur. Secũda, ut uiæ tranſitus occludantur. Et de lachrymis hactenus dixiſſe nunc ſufficiat. Ad tertium affectum uenientes dicimus, craſſitiẽm illam palpebrarum, non ſymptoma, ſed morbum eſſe, & fortaſſe in totum factum. Fortaſſe dico, quoniã neſcio, an uel ſemper, uel per interualla creſcat, an in eodem ſtatu permaneat: hoc enim modo erit omnino factus, nec aliam intentionem, quàm curationem deſiderabit: quæ eo ablato perfecta erit, ſimulq; eius ſymptoma, rubor uidelicet abolebitur: quem ruborem ex ſanguine quodam bilioſo fieri puto, qui præ ſui tenuitate ad exteriora eleuatur. Neſcio tamen an durities adſit, cum pilorũ caſu: quæ ubi adſint, uel impoſſibilis, uel ualde difficilis erit curatio.

Iam ad aurium ſibilum ueniamus, qui & ipſe ſub ſymptomatis genere continetur: eſt enim operatio auditus corrupta. Fit autẽ ex alio ſymptomate, hoc eſt, à motu inordinato, fumorum in meatibus ad inſtrumentum proprium auditus pertingentibus, occluſis, atq; ut ſequens eſt, à morbo in eis exiſtente. Cum autem cõtinua ſint illa ſymptomata, continuum quoq; eſſe oportet morbum à quo fiunt, adeſſeq; fumos illos ſemper, & moueri: ceſſante enim materia à qua fumus exhalat, ipſum quoq; fumũ ceſſare neceſſe eſt, ut in fumo ab alijs rebus exurgente manifeſte uidemus: quare adeſſe materiã oportet, à qua ſubleuatur. Cuiuſmodi uero ea ſit, grauitas oſtendit, præterea lachrymæ atq; mœſtitia: illæ enim pituitam, hæc atram bilem oſtendit. Curatiuæ igitur intentiones erunt, euacuatio materiæ, & fumi diſſolutio.

Ab eiſdem autẽ materijs fiunt reliqua duo ſymptomata, grauitas ſcilicet quæ ad ſenſum tactus pertinet: & mœſtitia, quæ ad principales facultates: quorũ altera ab utroq; humore fit, mediante ægritudine in quãtitate: altera ab atra tantum bile, nobiliſſimum cerebri uentriculum, uel per ſeipſam, uel per fumũ ab ea eleuatum obſidente: à qua fit morbus in temperatura, & ab eo mœſtitia. Quare per euacuationẽ auferetur id quod utriuſq; factum eſt, & ne amplius fiat, per roborationẽ & reuulſionem cauebitur. Verum quũ hæc perpetua nõ ſint, uidentur per cõmunicationẽ quandam potius fieri, cẽ; per propriũ cerebri affectum. Sicuti & uirũ imbecillitas, quæ ad deminutũ motum uidetur pertinere, & à iam dictis morbis, & præſertim à melancholia dependere: quare nullam de ſe indicationẽ præbet, quia alijs recedentibus ipſa quoq; recedet: & niſi receſſerit, poterit per aliqua diſcutientia & roborantia extirpari. Quonam uero modo cuncta pellenda ſint, ex his quæ hactenus dicta ſunt, facile colligi poteſt. Omnes enim, ni fallor, intẽtiones ueſtigauimus, quæ in curando & præcauendo ſunt neceſſariæ. Quæ licet multiplices ſint, ſub tribus tantũ generib. cõtinentur, euacuationis uidelicet, alterationis, & diſtractionis. Inter quas euacuatio, quũ omnes hi affectus à repletione fiant, principatũ tenet, & propterea ab ipſa inchoãdum eſt. Dupliciq; ea exiſtente, uniuerſali uidelicet & particulari, ab uniuerſali inchoãdum. Quæ quũ etiã multiplex ſit, ab ea quæ proprie uniuerſalis, ſumendum (ut mihi uidetur) initiũ: hoc eſt, ab euacuatione ſanguinis per uenæ ſectionem. Per hanc enim & totũ corpus, & omnes corporis humores uacuabũtur, malignitasq; ſi qua adhuc ſupereſt, diſſlabitur: humores etiã à nobiliorib. ad ignobiliora retrahentur: quare tres ſimul intentiones ad aliquem modum explebit, euacuationis ſcilicet, diſtractionis, & alterationis. Ineunte igitur Vere, roborato prius per interiora exterioraq; uentriculo, media cubiti uena ſecanda eſt: eaq; ſanguinis quãtitas extrahenda, quæ prudentiæ præſentiũ medicorũ uidebitur ſufficere: attento præcipue, præter ea quæ ante apertionẽ uenæ cõſideranda ſunt, ſanguinis colore. Vbi enim ater fluxerit, tutius fluere permittet. Nec nos abſterrere debet ab hac uenæ ſectione humorũ cruditas: quoniã ſi tanta eſſet, ut eam impedire deberet, colorem liuidũ faceret, nõ uiuidũ & purpurantẽ, qualem huic illuſtriſs. domino effloreſcere medici ſcribũt. Roboratio aũt uentriculi non ideo præmittit uenæ ſectioni, quia propoſitũ mihi ſit alterationẽ prius quàm euacuationẽ facere: ſed ut tutius &

Universidad de Deusto
Biblioteca

quantū fieri poteſt abſq; noxa ſanguis euacuetur. Imponet quidē robur uentriculo cotoneorū & malorum punicorū uinum (adiecta aquæ roſaceæ partiūcula) ante ſectionē potū. Exterius uero eorūdem cotoneorū oleum, aceto & aqua roſaceis adie ctis illitū. Facta uenæ ſectione, mea quidem ſentētia, prius euacuationi materiæ in naturalibus membris cōtentæ intendendū eſt: ab ea enim omnes alij affectus alio quo pacto, ut oſtendimus, depēdent. Alterationi igitur eius primo intendendum, deinde euacuationi. Alterationiq; dupliciter, cōcoquendo uidelicet ſi quid eius eſt cōcoctionis capax, hoc eſt, quod ſubſtantiā non adeò malignā aut uſtam habet, ut cōuerti in nutrimentū non poſſit: & parādo expulſioni, id quod ueram concoctio nem non ualet accipere. Vtraq; autē alteratio cōmode fiet, ſi ex abſinthij, fumariæ, & roſarū decocto, adiecta congrua aceti & mellis portione, oxymeli ea forma pare tur, ut bibi ualeat, abſq; alterius liquoris admixtione: præbíbaturq; quotidie bis, an te prandium uidelicet & ante cœnā, modo cibus qui antea ſumptus eſt, bene cōco ctus ſit. Tantum ſpatium inter potum eius & ſubſecuturū cibum intercedat, ut ex uentriculo deſcēderit: quod duarum horarū morula ſolet cōtingere. Præter oxy melitis potionē, aliis etiam rebus concoctio iuuanda, & craſſities humorum præci denda, capparib. uidelicet eodem oxymelite conditis, iuribus gallinarū, in quibus uera bugloſſus, ea ſcilicet quæ uulgò dicitur borago, cum radicibus aſparagorū, aut oxymirſine, quam ruſcum Latini, & uulgares bruſcum uocant, decocta ſit. Iu ſculum etiā quod apud nos in uſu eſt, ex branchia urſina, quam ego puto à Galeno bunion & arction uocari, non erit inutile, modo non ſit ſpeciebus ualde calidis aut multis cōditum. Proderit & hordei, & chondri, & auenæ ptiſana cum porris & ane thi coma parata. Sed & radix quam Pannones tormā uocant, cōtrita, cum amyg dalarum lacte mitior facta, aceto ad intinctus formam redacta. Caro etiam cum ce pis more ueſtro condita. Primus potus ſit uinum abſinthites, in reliquis mulſam aquam (medonem uocāt) non damnauerim. Vbi uero triduo hoc uictu humorum craſſities attenuata fuerit, catapotijs purgatio facienda eſt, quæ recipiunt: Specierū picræ Galeni modo, non Meſues, paratæ ʒ. 1. pilularū aggregatiuarum ʒ. s. uel pi lularum aſſaiereth drachma, cum ſemidrachma aggreg. tribus à purgatione dieb. lo co oxymelitis, ante prandium & cœnam, cochleare huius miſcellæ deglutiendum: Chebularum myrob. conditarum p. 1. mellis roſacei cum folijs p. 2. cinamomi uul gò uocati, tenuiſſimi & odoratiſſimi pars quarta unius partis. Vulgò dixi uocati, quia uero nunc caremus. Demum ad oxymelitis potionem reuertēdum, eodem quidem modo præparatam, ſed quæ odorem acceperit cinamomi & maceris. Quæ ubi tribus quoq; diebus bibita fuerit, rurſum purgatio repetenda: ita tamen ut par modus pilularum aggreg. uel picræ, uel pilulis de aſſaiereth uocatis miſceatur. Se quētiq; purgatione triduo miſcella prius deſcripta utendum, adiecto piperis longi puluiſculo, qui ſit cinamomi pars media. Fouendusq; uentriculus lana in oleo coto neorū & maſtichino madefacta, in quibus in duplici uaſe bullierint, maſtiche, abſin thij coma, macer, roſæ, ſandali citrini uocati, æquis portionib. Tertio demū ad oxy melitē reuertēdū, adiecto his quę odoris gratia miſcebanť lōgi piperis puluere. Re petēda quoq; poſt triduū purgatio, uincētibus aggreg. pilulis, ita ut ſint earū p. 2. & picræ uel aſſaiareth p. 1. Toto aūt hoc purgationū tēpore, nō eſt iecur negligēdū: ſed fouēdū ſucco intybi, roſarū & abſinthij, uariata proportione ad præſentiū medi corū iudiciū, adiectoq; tāto aceto roſaceo quantū iudicauerint opportunū. Nō ab re quoq; fuerit, lienis curā habere, ut quantū fieri poteſt & tumore careat & obſtru ctione. Quod optime cōſequemur unguēto ex oleo capparorū, ſucco altheæ, adi pe anatis, & puluere aſplenij cōfecto. Eſt aūt aſpleniū herba locis humectis in ſaxis orta, foliis ſcolopēdræ uermi ſimilis, quæ à noſtris Citrac, ab aliis herba argētina uo cať. Cōpleta hac purgationū ſerie, quieti & lætitiæ ad mediū uſq; Veris incūben dum,

Aſplenium.

dum, tuncq; uenis ani duæ admoueātur hirudines: ſedeatq; ſuper ſellam bene undiq; opertā, quæ ad excremēta alui cōmode emittēda parari ſolet, pelui ænea aqua bulliente plena, ita ſuppoſita, ut fumus quidē anū attingat, aqua autē ipſa nequaq;. Supernatet aūt aquæ, uaſculum é directo ani, quod manantē ſanguinē colligat, ut proſpici poſtea à medicis poſſit. Repletis enim hirudinib. atq; à uenis cadentibus, tandiu fluet ſanguis, quādiu medici uoluerint: tantū autē fluere ſinent, quantū prodeſſe & minime obeſſe cōiecerint. Reſumptis poſt hanc euacuationē uiribus, & ſanguine ueluti renouato, niſi & corpus totū, & uentriculus, & caput, leuata à ſym ptomatib. malis uiſa & domino & medicis fuerint, maiora remedia tentāda. Quo tidie igitur bibenda erit hæc potio: In ſeri caprini lib. 1. unico feruore bulliant res in frā ſcribēdæ, atq; per totā noctem ſub diuo in ſero eo maneāt: mane ſerū ab alijs re bus bene expreſſis excolatū, bibatur tepidum. Polypodij, ſtœcados, foliorū ſenæ, ſi ue lignis & uocatis foliculis, ana ʒ. 4. ſem. intybi, roſarū recentium ana ʒ. 2. myrob. cheb. rhei ueſtri, hoc eſt, uerſus pontū nati, ana ʒ. 1. Cōtinuus aūt ſit huius potionis uſus, per dies ad minus 15. ex quo ſi nō cōgrua ſequeť purgatio, poterit tertio quo que die pilularū ex gra. 15. aurearum uocatarū, ſimul uel antè deglutiri. Si fortè ma gna adeò, ut imbecillitas timeri poſſit, interpoliatione utendum. Finita hac purga tione, appoſito emplaſtro uentriculo, ad curationē capitis accedendū. Emplaſtrū ſit huiuſcemod: Maſtiches elect. puluer. maceris ʒ. 3. ſandalorū citrin. roſarū rub. ga riophyllorū, nucis myriſticæ quam moſchatā uocant, cinamomi, ana ʒ. 1. reſinæ pu riſſimæ bene ablutæ cum uino Cretenſi, & aqua roſacea quantū ſat ſit. Confice ſe cundū artē emplaſtrū, ad modū eorū quæ nūc cerota uocātur, quod ad formā ſcuti, ſupra molle coriū extentū, regioni uētriculi hæreat, prius tamē hoc thymiamate ſuf fumigatū: Agallochi, quod lignū aloēs uocāt, ſandalorū ana ʒ. 1. benzoi, quod laſe rem odoratū quidā uocāt, ʒ. 1. moſchi ʒ. s. miſce, & ſupra ardētes prunas urens, fac fumū ab emplaſtro accipi. Hoc hypochondrijs hærente, ad particularē capitis to tius curā ueniētes, binas primo cucurbitulas infra os latū ſpatularū admouebimus: unoq; iterū interpoſito die, duas auríb. hirudines: iterūq; uno die intercalato, ad ca pitis purgationē per nares peruenіemus, à leuiorib. etiā hic inchoātes. Succū amara ci, maioranā uulgò uocāt, ſucco radicū betæ miſcebimus, & puluere gariophyllorū addito, per pēnā quāto intimius fieri poterit adigemus. Sequētib. dieb. oleū coſtinū iungeť, & aliquot ellebori albi grana, uel ſtruthij, uel caſtorij, uel tādem euphorbij.

Qua purgatione cū biduo triduo ue uſi fuerimus, ad particulares capitis affectus ueniētes, cōſiderabimus in ipſis lachrymis, an earū materia per interiora, an per ex teriora fluat. Dignoſciť hoc extēſiōe plenitudineq; uaſculorū in tēporib. & frōte ap parētiū. Hæc igiť ſi intumeſcere & tēdi uidebunť, anacollematibus utēdū: inter quę hoc facile parabile eſt & utile: Gyreos, hoc eſt, tenuioris & ueluti uolatilis farinæ in moletrinis reptæ, mirrhæ, mannæ thuris, æquales partes cū albo oui miſce, & ſupra linteolū extēde, frōtiq; & tēporib. adnecte. Si uero ualētius exiccare & adſtringere uolueris, adde his quæ dicta ſunt, gallas omphacias, malorū punicorū cortices, aca ciā, alumē uſtū. Nullo uero tumore, nulla ue tēſiōe in uaſculis apparēte, quia mate ria per interiores partes defluat, oberis potius per talia q; proderis. Vndecūq; uero materia fluat, facies oxycrato, poſca latine uocať, hoc eſt, aceto cū aqua mixto abluē da, & ſpōgia noua in eo madefacta oculis ſupponēda. Proderit & malobathri fo liū uino inferuefactū, uel loco eius nardi ſpica oculis admota. Item, cotoneorū flo res & folia illita, crocus ſuffitus, caſeus caprinus mollis ſupra oculos tētus, rheon ue ſtrate illitū ex paſſo. In abſinthio cū melle magnā fiduciā habeo, pariterq; in ſucco ſo liorū oleæ. Multū uero excellit hic puluis: Cornu cerui uſti, & cū aqua roſacea bis abluti, ebeni uel cōmunis uel Indici, quod lignū ſanctū Hiſpani uocant: corticū thu ris, corallorū rub. ſtibi, id eſt, antimonij, ana p. 1. moſchi partis unius quartā partē.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fiat tenuissimus puluisculus, quo & sicuti est, uti possumus, & cum uino collyria ad cõmunem formam conficere: quibus postea supra cotem cum uino dissoluis utatur. Vinum autem adstringentis saporis sit. Maior autem istorum auxiliorũ pars, ad tumores palpebrarum conducet, quare non alia eius scribemus auxilia.

Proderit quoq; & oculis & auriũ sibilo, si quotidie in ieiunio aures perfricentur. Particulariter uero sibilo confert succus cepæ instillatus, lauri lignũ in uino antiquo bullitum. Summè demũ prodest hæc cõpositio: Maioranæ folia in uino Cretico bene coquãtur, abiectisq; foliis pars olei rutacei uino addatur, & adiectis nouis maioranæ foliis, tandiu hæc in duplici uase bulliant, donec uinum penitus sit consumptum. Oleoq;, si efficacius id reddere uolueris, octauam euphorbij partem superaddito, & tantundem ellebori. Et lachrymarum quidem & sibili hæc sint præsidia.

Mœstitiæ obuiandum per aspectũ rerum pulchrarũ, ut auri, argenti, gemmarũ, picturarũ, floreſcentis prati, atq; id genus cæterorũ. Item per auditũ instrumentorum musicalium, carminũ, facetiarũ, rerum nouarũ, quæ afferre lætitiã queãt, præcipue uero per societatẽ & cõmerciũ dilectorum hominũ, aspectu pulchrorũ, sermonisq; lepôre omnia exhilarantiũ. Olfaciendæ etiam res quæ delectationẽ quidem afferant, caput uero minime replentes: quod experimẽto potius quàm arte dignoscẽdum. Gustanda quæ delectent, modo nõ sint ualde mala: inter quæ principatũ obtinet uinũ, præcipueq; mulsum, hoc est, tertia parte optimi mellis, cinamomo, gariophyllis, & modico moschi cõditum. Tangẽdæ molles pelles, quales sublimes illæ Gebellinæ uocatæ & Armellinæ. Vsus quoq; huius cõpositi mirũ in modũ exhilarabit, necnon robur mẽbris omnibus adder: Sem. cucurbitæ, melonũ, cucumeris, pistaciorũ, nucleorũ pineæ, amygdalarũ dulciũ, ana ʒ. 2. aquæ rosaceæ ℔. 1. zucch. albissimi ℔. 4. Cõfice ad formã electuarij liquidioris, & in fine cõcoctionis adde hũc puluerẽ: Cinamomi elect. sandalorũ citrin. ana ʒ. 1. gariophyllorũ ʒ. 2. ambræ ʒ. 1. moschi gra. 15. foliorũ auri & margaritarũ ad libitũ. Fiat puluis tenuissimus. Potes, si ualentius facere ad recuperãdas uires uolueris, addere pulpas capi uel phasiani ad libitum. In præseruatione etiã & tutela capitis summè laudarẽ, ut noctu ante cubitũ deglutiret cochleare huius puluer is: Sem. fœniculi & coriandrorũ quæ per integrã diem in aceto maduerint, ana ʒ. 2. maceris ʒ. 1. nucis moschatæ, gariophyllorum ana ʒ. 1. agallochi, hoc est, ligni aloës uocati ʒ. s. sacchari optimi ℔. s. Fiat puluis non admodũ tenuis. Ad idem quoq; maxime cõducent frictiones, uincula, cucurbitulæ, extremis mẽbris, præcordijs, supremo & imo uentri admotæ. Proderit & exercitiũ quo eædem extremæ partes uehementius moueãtur, capite quantũ fieri poterit quiescente. Retractio enim ex his à capite fiet, post quam deriuationis gratia cucurbitulæ posteriori ceruicis parti admouẽdæ. Caputq; cum eburneo pectine pectendum. Atq; hic puluis uertici capitis infricãdus: Trium piperum, sinapis, ana ʒ. 1. Et si uehementiori indigebit, sinapis augeatur ad parẽ cum piperibus portionẽ. Et si adhuc uehementiori, quarta pars cantharidarũ superaddatur: cum quibus etiã cantharidib. si ulcus in inio uel in brachio excitetur, efficacissima per hoc retractio, per illud deriuatio fiet. Nec obliuiscenda acria clysmata, balaniq;, nisi uenter bene sponte ierit. Inter reliqua demum præsidia, balneum uel uniuersale, uel (quando hoc fieri satis cõmode nõ poterit) extremorũ mẽbrorũ multũ excellit. Præter enim reuulsionẽ, quam potẽter facit, totũ quoq; corpus humectat, lassitudinẽ tollit, & lætitiam inducit. Cui si aliquæ herbæ addantur ad amouendam malam qualitatem, ab argento uiuo relictam, uehementer conducet. Herbæ autem in aqua fontis pro balneo coquẽdæ hæ sunt: arthemisia, ruta, betonica, calamentũ. Post balneũ uniuersum corpus, uẽtre excepto, inungendũ oleo chamæmelino, in uase duplici cum uino Cretensi decocto, addita cera alba, cum aqua rosacea moschata abluta. Ad eandẽ malignitatẽ à cerebro amouendã, facit nux moschata, assidue in ore retẽta & masticata.

masticata. Facit & oleum in hunc modum ex ea paratum: Amygdalarum mundarum p. 2. nucum moschatarum p. 1. simul contusæ, in uase bene occluso per integram diem teneantur: post hoc in sacculo lineo cum torculari bene exprimantur, oleumq; manans colligatur. Potest & preciosius oleum ex ipsis nucibus solis, per descensorium, ut uocãt chymici, parari. Ex hoc autem oleo, alæ narium, aures, tempora, uertex, & medullæ spinalis initia perungantur. Verum si omnibus huiusce modi præsidijs malè affectus non leuentur, ad lignum Indicum sanctum uocatum, ueluti ad sacram anchorã eundum. Inter uarios uero huius ligni usus, ego eum magis probo, in quo eius decoctum, instar medicatarum aquarum, imò ferè à Dioscoride scripti, bibitur. Ab eo enim modus bibendi aquas medicatas uenit, qui in communi usu apud Italos est: heminis uidelicet quinis per interualla epotis. Siue uero hoc ligno usus fuerit, siue non, laudo, ut præcauendi gratia, & euacuatio sanguinis per ora uenarum ani, & purgatio per serum autumno repetatur, & alia distrahentia & alterantia non dimittantur. Et hæc quidem plusquam satis puto, peritis præsertim Cracouiensibus medicis, quorum iudicio quæcunq; scripta sunt permitto: ex eorum enim moderamine & diligẽti cura, Deo optimo maximo aspirante, spero hunc clarissimum dominum pristinam ualetudinem, quantũ patitur ætas, recuperaturum. Ferrariæ, VII. Idus Febr. M. D. XXXII.

EPIST. V. pro Luca Remo mercatore Augustano, articulorum doloribus, & laxo totius corporis tumore uexato.

PRæclarus hic uir annum agens tertium supra quinquagesimum, temperaturæ quidem, ut mihi significatũ est, totius corporis frigidæ & humidæ, cerebro tamen & uentriculo, in utraq; illarum qualitatum, reliqua membra superante: post multos animi & corporis labores, longasq; ac uarias peregrinationes, trigesimo ætatis anno articulorum doloribus uexari cœpit, qui singulo quoque anno, uel autumno, uel hyeme, cum horrida febre inchoantes, ter quaterue post mentientem mitigationẽ, quasi resumptis uiribus, eum denuò aggrediuntur. Hos ut effugere posset dolores, præter uenæ sectionem, Vereq; & autumno factas purgationes, catapotia quoq; nõnulla in hac re ualde commendata, bis quolibet mense deuorauit. Ex quibus licet maximam haberit tenacis & bilioſæ materiæ purgationem, intercipi tamen nunquã potuit annuus ille circuitus: sed quod magis quispiam miretur, quo plus materiæ, præsertim dolorum tempore, per medicamenta educitur, eo maiore copia uidetur abundare: adeò ut cum hoc anno intra duos menses, medicamentorũ ui, centies pituitosa excrementa deiecerit, repletio tamen potius creuisse, quàm decreuisse uisa sit: corpore quidem mirum in modum macrefacto, sed uiribus in suo robore permanẽtibus. Quæ tamẽ corporis tenuitas ubi dolores leuati sunt, facile & citò ablata est, & crassitiem pristinam membra acquisierunt: quæ tamen ueluti extumida malum potius quàm bonum habitum præ se ferre uidetur, grauitate etiam assidua in ceruice uel spinali medulla relicta. Huius igitur saluti, quantũ per me fieri potest consulturus, intendentiq; pro eo Magnifico domino Catareno Zeno Patritio Veneto obtemperaturus, quem ob innumeras animi & corporis dotes mirum in modum uereneror & obseruo: primo affectus de quibus queritur, in suas causas redigere conabor: secundo intentiones uel curatiuas, uel præseruatiuas ex illis elicere: tertio, quibus explendæ præsidijs mihi uideantur, explicare.

Sunt igitur affectus quos uel patitur, uel formidat, numero septem: Articulorũ dolores, febris, totius corporis laxus quidam tumor, pituitæ immodica copia, grauitas ceruicis & spinalis medullæ assidua, profundi & longi somni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vt igitur à primo, & de quo magis quæritur, initium capiamus, articulorum dolores sub symptomatis genere continentur, quod corrupta operatio dicitur. Sentit enim tactus id quod naturaliter sentire non deberet. Sequitur autem hoc symptoma tria morborū genera, malam uidelicet temperaturam, continuitatis solutiones, & malam compositionem, magnitudinem uidelicet membri, si (ut intelligo) ad tantam molem artus extumescant, ut ipsa quoq; per se magnitudo operationes membrorum ualeat impedire. Horum morborū causa, ut conijcio, est sanguis, cui rufa bilis simul cum pituita cōmiscetur. Quis uero trium horum humorum in his tumoribus magis dominetur, ex his quæ mihi scripta & narrata sunt, non possum certò cognoscere. Vehementia tamen & acuties doloris, qui à tribus ad sex usq; dies solet ipsum acrius cruciare, simul cum loci rubore, bilioſi sanguinis sunt indicia, ab initio quidem dominantis, & post sextum ad summū diem ferè resoluti, dimissa quasi sola pituita, quæ ad uigesimum usq; diem remissiores dolores facit. Quod uero ter quater ue, postquam declinare cœperūt, ad priorem acerbitatem reuertantur, non alia ex causa puto cōtingere, nisi quod humores ab aliqua fortè exteriore causa, ira uidelicet, cibo, potu, medicamine ue calidiore, concubituq;, alia ue simili exagitati, uel ad priora, uel ad noua defluūt loca. Et hæc quidem de primo affectu dicta sint.

Febrem non solum generali omnium febrium ratione, sed ita uerè in hoc uitro morbum esse puto, ut nec symptoma, nec accidens dici possit: si, ut scribitur, simul cum doloribus & cum rigore inuadat. Sub eo enim genere cōtineri uidetur, quod in putrescentibus humoribus accenditur. Fieri uel ex bile, uel ex sanguine. Ex hoc quidem, si in primo solum insultu cum rigore accedat, ipso sanguine ex uenis supra sensilia mēbra exiliente, repentinoq; suo motu rigorem cōmouente. At si non semel tantum, sed pluries rigor succedentibus diebus aduenerit, in bilem erit referenda, præsertim si tertio magis die inualescere uideatur.

Laxum illum tumorem, qui post dolorum remissionem nasci solet, ut morbum malæ compositionis esse non dubito, ita ab alio morbo oriri credo, hoc est, à mala iecoris frigida & humida tēperatura, ex diuturno morbo, crebrioribusq; fortè purgationibus orta. A qua etiam distemperantiam non solum in iecore, sed in uentriculo quoq; reperta, quartum affectum, hoc est, immodicā pituitam gigni arbitror. Quæ si in uentriculo ita redunder, ut sua corpulentia operationes eius impediat, morbus malæ cōpositionis in cauitate uidelicet nūcupabitur. Si uero per solam malam temperaturā operationibus officiat, causa morbi, hoc est, malæ tēperaturæ erit.

Ceruicis & spinalis medullæ grauitas, dolor quidem nō uehemens mihi esse uidetur, solutionē continuitatis cum mala locorū illorum temperatura sequens: quorum causam ueri simile est esse pituitam, à posteriore cerebro per spinalis medullæ neruos descendentem: cuius etiam aliqua portio in cerebri uentriculis manens, ultimi symptomatis, hoc est, longi illius ac profundi somni sit causa: qui nihil aliud est, quàm sensionis priuatio, talem sequens intemperiem.

Hæc igitur sunt huius uiri & symptomata, & morbi, & eorū causæ. Ex quorum numero duo tantum, si recte mihi omnia & scripta & narrata sunt, in præsentia affligunt: obtusus scilicet ille ceruicis cū grauitate dolor, & pituitæ copia. Tertiū uero, id uidelicet quod ultimo loco recitatū est, quia non ualde à modo recedit, nec solitas impedit operationes, negligi & à patiēte & à medico uideā, pro indicioq; aliorū magis, q̄ quod propriā per se considerationē desiderare uideat, reliquis cōnumeratū.

Ab hisce igitur duobus simul, quod magnā inuicem affinitatē habent, ideo orsi, curatiuas eorū intentiones inuestigātes dicimus, dolorem illum amoueri non posse, morbo quem sequitur, permanente: sicuti nec hunc, nisi causa tollatur. Euacuanda igitur ea quæ spinalem medullam obsidet pituitā. Verū quia morbus nō in totū factus est, sed trāsmissā à cerebro noua pituita, ex mala tēperatura eiusdem cerebri aggregata

aggregata continuè fit, ideo hæc prius auferenda. Sed quum nec ipsa auferri possit, pituita in eo permanente, hæc antea demenda. Quod quum fieri non possit eius copia in toto corpore perseuerante, primo totū corpus, secundo caput euacuandum: tertio cerebrum, ne nouam iterum uel gignat uel recipiat, roborandum: quarto ea quæ ad ipsam spinalem medullam fluxerat, discutienda: quinto ipsa quoque spinalis medulla roboranda.

Vt igitur iam tertium simul cum secundo, quantum ad hunc affectum spectat, propositum exequamur, cuius causa hactenus hunc laborem subiuimus, pituitam primo ex toto corpore euacuabimus, leui tamen purgatorio, & quod robur potius in membris relinquat, quàm auferat. Id erit huiusmodi: Aloës cum succo sampsuci bene lotæ ℈. s. agarici ℈. 2. masticheſ, cinamomi, nucis moschatæ ana gra. 15. cū uino odorato. Fiant pilulæ 9. quarū tres primo in aurora deglutiātur: tres alias, tertia post primas uesperi per horā ante cœnā: reliquæ tertia à secundis uesperi, sed duabus à cœna horis. At si fortè uel præsenti medico, uel ipsi ægroto leuiores hæ pilulæ uidebuntur, quàm ut congruam possint facere euacuationem, tribus quibusque tria plus minus diagridij grana adijciātur. Eas tamē ex industria leuiores descripsi, tum quod uentrem habere eum facilem ad uacuandum intellexi, tum quia uereor ne medicamentorum immodico ante hunc diem usu membra sint facta imbecilliora. Vesperi illius diei, quo primum pilulas accipiet, per horam ante cœnam semunciam huius miscellæ deglutiat: Chebularum conditarum ℥. 2. corticum citri conditorum ℥. 1. puluerīs nucis moschatæ ℈. 2. masticheſ ℈. 1. mellis rosacei ℥. 1. s. Alijs autem diebus ante prandium per horam eiusdem miscellæ tantundem accipiet.

Consumptis omnibus pilulis, ad secundam iam intentionē accedendo, hoc est capitis euacuationē, mane ieiuno stomacho semidrachma sequentis puluerīs per pennam uel canalem naribus insuffletur: Nucis moschatæ ℈. 4. piperis longi ℈. 2. elebori albi ℈. 1. euphorbij ℈. s. Omnia in tenuissimum puluisculum redigentur.

Post hanc capitis ter quater ue, uel quoties opportunū usum fuerit, reiteratam purgationem, cerebrum, quod tertia fuit intentio, per sequentia auxilia roborandum. Nares hoc unguento illinendæ: Olei de spica odorati ℥. 1. gariophyllorum ℈. 1. ambræ ℈. s. moschi grana 5. ceræ albæ ablutæ ex aqua rosacea p. s. cuius etiam gutta auribus instillata ad idem conducet. Caput lixiuio ex alto stillante abluendum, in quo hæc integram horam bullierint: Sampsuci, saluiæ, stœchados, chamæpityos, ana manip. s. sulphuris ignem non experti ℥. 2. Quod lixiuium si supra cer uicem & uniuersam quoque spinam ceciderit, ad quartam simul intentionem conducet. Ad quam unà cum quinta explendam, summè faciet oleum quod sequitur: Rhesinæ terebinthinæ, si haberi potuerit, uel eius loco laricēæ ℔. 1. laterū antiquorum, post ignitionem in oleo oliuarum extinctorum, masticheſ ana ℥. 1. Terantur lateres, & cum rhesina bene commixti, modo chymicis noto in uase uitreo optime incrustato, igni clibani admoueantur, liquoresq; qui manabunt seorsum colligantur. Tres enim uario colore defluent, quorum primus bonus, secundus melior, tertius optimus erit ad discutiēdum quicquid illis locis inhæserit, & robur præterea relinquendum. Et hæc quidem de postremis tribus affectibus dicta sint. Nam ijsdem præsidijs profunditas quoq; illa somni, bona ex parte remouebitur. Et si quid fortè deesse uideatur, id per ea quæ de articulorum doloribus dicenda statim sunt, poterit suppleri.

Intentiones ad hos uitādos cōducentes, ut nō est difficile, ex his quæ de ipsis superius diximus elicere, ita difficillimū & penè impossibile eas ita opere exequi, ut optatus inde sequaē effectus. Duo enim in hoc difficili negocio essent necessaria, corpus scilicet omni uacare superfluentiū humorū quātitate & qualitate: alterum, loca ipsa ad ea quæ redundarint suscipiēda nō esse idonea. Secūdum plerūq; in nostra nō est

Universidad de Deusto
Biblioteca

constitutum potestate, sed auita quadam & gentili proprietate nobis contingit, ut ad hanc in certa ætate patiendam luem, nascamur parati: quæ res apud Italos prouerbio locum dedit, ut nobilium, quos nos Gentiles uocamus, malum dicatur. Primum, corpus scilicet penitus mundum custodire, uix inuenias qui facere uel possit, uel uelit: ita uoluptatibus trahimur, & genio indulgemus. Adde etiam quod multa uolentibus occurrunt, quæ nos ab orbita declinare cogunt. A quibus hi maxime læduntur, qui cum hisce doloribus senuerunt. Quare nobis satis esse debet, si tam belle cum nostro hoc domino conueniamus, ut mitius nobiscum agat. Quod ut consequi hic uir possit, præter congruũ uictum, quem partim per seipsum in 20. annis, partim à medicis didicit, uenæ sectione, & multiplicibus purgationibus corpus nitidum & purum reddere conatus est. Ex quibus cum nihil profecerit, tentanda noua præsidia, uictusq; frugalior instituendus. Quare uinum uel penitus dimittendum, uel melicrato diluẽdum: in quo dum coquitur, aliquid cinamomi unà bulliat: ubi iam coctum fuerit, panis per torrefactionem madefactus immergatur.

Cibum omnem ʒ. 2. huius puluer is præcedant: Calamenti sicci ʒ. 1. piperis longi ʒ. 2. gariophyllorum, maceris ana ʒ. 1. sacchari quantũ omnium aliorum. Omnem uero cibum & potum, huius confecturæ bolus ueluti tegat: Granorum pini ʒ. 2. puluer is coriandrorum præparatorum ʒ. 1. maceros ʒ. s. sacchari resoluti in aqua rosacea ʒ. 10. Coque simul, & fac bolos põdere ʒ. s. In cibo à patria consuetudine paulatim recedat, ita ut uni tantum opsonio assuescat, atq; eo etiam citra satietatem: post quem duabus horis corpore & animo quiescat. Somnũ ita moderet, ut nunquam octauam horam transcendat. A magnis piscibus, caseo, ouis duris, leguminibus abstineat. Concubitu non nisi per magna interualla utatur: quæ etiam non certo tempore metiatur, sed naturali potius concupiscentia præcedente, & alacritate ac leuitate consequente. Accidentia animi uehementia, præcipue uerorem, deuitet. Leniter & rarò ambulet, & rarius stet. Curru potius quàm equo uehatur, nec unquã nisi cibo bene concocto. Pistacijs, auellanis, amygdalis, pini nucleis, passulis, uesci potest. Reliquos fructus dimittat. Et hæc quidem de uictus ratione dicta sint.

Quod ad euacuationes uero attinet, uenæ sectio sanitatis tẽpore penitus interdicatur. In ipso insultu, si tumores cum febre & obscuro rubore se ostenderint, faciendа. In quo casu ea membri uena secanda, quod nec tunc dolebit, nec anteactis temporibus dolere cõsueuit. At si nullum in corpore extremo membrum inueniatur, quod expers doloris semper fuerit, per hirudines ani uenis admotas cõmodior erit sanguinis detractio: quæ tamẽ undecũq; facta fuerit, selibrã sanguinis non transcendat. Omnis præterea uehemens purgatio dimittẽda, sed post uernale æquinoctiũ purgatorij medicaminis uice, eclegmatis quatuor uel ad summũ sex drachmæ, singulo mane deglutiãtur, quod recipit chamæpityos, eupatorij, quod uulgò agrimoniã uocãt, cẽtaurij ana ʒ. 1. agarici, sennæ, polypodij ana ʒ. 2. zingiberis ʒ. 1. s. mellis rosati ex succo rosarũ parati ℔. s. Medicamentis in tenuissimũ puluerem redactis, eclegma paretur, cuius usus sit, donec maiores ingruant calores, in quibus ab omni cessandum medicamẽto, quousq; autumnale transierit æquinoctium. Quo transacto aliud eclegma accipiẽdum, quod habet: Sennæ, rhei barbarici, myrobalanorum citrinarum ana ʒ. 2. seminis melonis & intybi ana ʒ. 1. s. maceros ʒ. 1. diaprunon non solutiui ℔. s. syrupi ex succo uel infusione rosarum compositi, quantum sufficiat ad reliqua ita cõponenda, ut congruam formam accipiant. Hoc pari modo quo prius sumendum, quoad frigora fiant uehementiora, uel fortè, quod Deus auertat, anniuersarij insultus incipiant. Et hæc quidem sufficere uidentur ad primã intentionem, hoc est, corporis emundationem peragendam. Quæ cum aliquo etiam pacto membra roborent, ad secundam quoq; conducunt: quæ tamen extrorsum admotis locupletius hoc modo cõplenda est. Extrema membra crebrò muria abluantur, in qua rosarum folia, saluia, & cupressi nuces paribus portionibus decocta sint: & post ablutionem oliuo salito sunt inungenda. Et hæc quidem sanitatis tempore facienda. Quibus si fortè accessio in totum auferri nequiuerit, leuibus etiam medicamentis tunc agendum, ita ut in mitigando dolore narcotica, in repellendo uehementer uel frigida uel sicca, in discutiendo magnopere calida deuitentur. Mitigant sine periculo tepidum calorem habẽtia, ueluti oua, chamæmelon, medulla panis in lacte decocta, lini, altheæ & maluæ semina. Modicè repellunt rosæ, lentes, lactuca, intybi, myrti fructus & semina. Faciliter discutiunt amygdalinũ, liliaceum, sesamum, anethinum & absinthite oleum. Mitigandus proprijs medicamentis dolor non est, nisi uehementior sit: nam plerunq; ipsa per se repellentia utrunq; agunt: inter quæ munus utrunq; simul explet rosaceum, ex oleo omphacio & incompletis rosis paratum. Sed & ipsum solum omphacinum oliuarum oleum. quibus si uitelli ouorum addantur, & croci parum, & intolerabili existente dolore papaueris semina, uel demum cortices, tum sedando dolorem, tum repellendo, mirum in modum iuuabitur. Nullum tamen horum localium admouendum corpore repleto. Quare primo uel secanda, ut diximus superius, uena, uel sanguis per uenarum anfora euacuandus. Et de articulorum doloribus hæc dicta sint.

Febris, præsentiã medici desiderat, qui diligenter considerato eius genere & modo, congrua adhibebit auxilia, alterantiaq; potius quàm uehementius purgantia: atq; cum sola ptisana, uel abluto pane eum nutriet, donec febris & uehementes dolores in suo feruore perdurauerint, quod ferè intra quartum diem solet cõtingere. Post quos sensim ad crassiusculum uictum eum reducet, ita tamen ut uinum & carnes ad plenam usq; sanitatem deuitet. In qua si fortè subtumida facies, uel malus in toto corpore habitus relictus fuerit, singulo, uel saltem tertio quoque die, rhei barbarici grana 30. masticata deglutiat: absinthite uino decocto agrimonij diluto, utatur. Cinamomo suas escas condiat, oleo absinthite naturalia membra foueat, paciusq; & edat & bibat, donec pristinus habitus redintegretur: quod ita plenè ei præstet Deus, ut ope ulterius medici non indigeat, cui sit laus & gloria.

Ex Ferraria, XV. Ianuarij, M. D. XXXIIII.

IOANNIS MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER DECIMVSQVINTVS.

EPIST. I. Ioannes Manardus Virgilio Gerardo Bononiensi, de naturali spiritu, & urinæ pingui nubecula, uoluptate, sanguinis & bilis calore, cerebro, sudore, & prægnãtibus.



CONCILIAVERANT te mihi pridem cõmunia studia, in quibus intelligebã te non sine magna fruge noctesq; diesq; enixissime insudare. Auxit meam in te beneuolentiam humanissimus ille tuus congressus, & plena omnis officij salutatio. Tanta uero ex tuis cultissimis literis accessio facta est, ut iam in eo albo adamãtinis literis te exculpserim, potius quàm scripserim, in quo eos reponere soleo, qui candidissimos mores cum selectissimis disciplinis (quod ut rarius infelicissimo hoc nostro seculo, ita preciosius) coniunxere. Quare uelim ita existimes, te habere Ferrariæ senem, de quo possis tibi non secus ac de parente cuncta polliceri. Illud tantum cauere debes, ne supra ui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

res meas quicquam à me petas: quod satis uereor te in aliquo ex septem illis nodis, quos dissoluendos mihi proponis, fecisse. Eos tamen utcunq; enodare aggredior, sperans, si quid à me forte effluxerit, quod eruditas tuas aures offenderit, apud te ueniam haud difficile consequuturū, quod non sponte, sed ut tibi obtemperarem, ad hæc dissoluenda accesserim.

Quæris primo, quare Galenus spiritum naturalem modo sub dubio ponit, modo aperte negare uideatur. Ad quod respondeo, consueuisse Galenum, ubi non ex proposito de aliqua re disputat, ex aliorum quandoq; sententia magis quàm ex propria loqui: ut in medicinæ definitione, in morbo definiēdo & diuidendo, in neutro, in causa continente, atq; in plerisq; alijs eum fecisse conspicimus. Quare mirandum non est, si de hoc quoq; spiritu ambigue quandoq; loquutum reperimus. Sicuti nec admirari quispiam debet, si aliquando Stoicos sequutus, uim nutritiuam, non animam, sed naturam uocauit. Nam ubi seriò atq; ex proposito de his loquitur, in totum ceu nequaquam consistente naturalem spiritum præterit: & uim in iecore residentem, concupiscibilem uel phyticen, id est, uel generatiuam, uel nutritiuam, uel naturalem uocatā, & cuius sedes iecur est, ita ueram animæ speciem uel potestatē esse dicit, sicuti rationalem quam in capite, & irascibilem quam in corde, domicilium habere putauit. Quare non propterea dicendum, spiritum naturalem ab eo negari, quod hæc uis non sit in numero animarum. Sicuti nec quia eandem cum uitali putauerit, ut Drusianus opinatus est: quoniam, ut dictum est, tres diuersas animas agnoscit, rationalem, irascibilem, & cōcupiscibilem: quas licet in homine copulari uideamus, seorsum tamen in plantis quidem sola adest nutritiua: sicuti in dijs, hoc est, supramundanis substantijs, sola rationalis. Irascibilis uero licet in nullo animali sola reperiatur, sicuti tantum loco, ita & re ab alijs differt, quemadmodum Galen. in commentarijs de Hippocratis & Platonis dogmatibus demonstrauit: in quibus animalium quidem & uitalium spirituum sæpe, naturalium nunquā mentionem facit. Sed ideo iecur inter principalia membra reponit, quia sanguinem gignit, qui per uenas ab iecore ortas, in uniuersas corporis particulas distribuitur, nutrimēti potius gratia, quàm ut ad ipsas uim, qua se nutriant, deportet. Eam quippe membris cognatam putat, ut magneti uim qua ferrum trahit: quemadmodum tu recte ex Galeno in fine primi libri de locis affectis collegisti: & ex eo Auicennæ literam in 1. lib. castigasti, simulq; interpretum insciti am & frustratorij laborem detexisti. Quod & ego abhinc supra uiginti annos feceram, dum eum locum meis discipulis enarrarem. Ex quibus locis bene intellectis colligi potest alia ratio: Cur ad hoc ut membra nutriātur, non est naturalis spiritus necessarius: modo enim eis suppetat nutrimentū, quod per uenas mittitur, absq; alio uel facultatis uel spiritus naturalis influxu nutriri possunt. Quæ quidem ratio, ni fallor, locum non habet in uitali spiritu, quum eo non minus egeant membra, si in eis uitalis uigor debet conseruari, quàm sanguine si nutriri. Cum igitur ad conseruanda membra naturalia sufficiant sanguis & uitalis spiritus, naturalis propter hæc nō est necessarius: & cum nihil aliud occurrat cuius gratia fieri debuerit, meritò à Galeno negatur. Et hæc quidē ratio à fine sumpta sit. Alia ex materia sumi potest: quæ proculdubio sicuti animali, ita & naturali uitalis spiritus esse debet: cuius cum prima generatio in corde sit, & ab eo per arterias in totū corpus diffundatur, necessariū esset magnas arterias ad iecur tendere, spiritus uitalis tantam copiam portantes, quæ ad eius refrigeriū, & pro naturalis materia sufficeret. Per dissectiones autem didicimus, ad simas tantū iecoris partes, arterias, & eas quidem ualde paruas mitti, atq; exiguos, ut cōsequens est, spiritus adportātes: quos tamē multos esse oportuisset, si ex his naturales gigni deberent, cum multo plures sint partes quæ ui egent naturali, cā quæ animali. Quæcunq; enim uoluntarie mouentur & sentiunt, eadem necessariò nutriūtur, non tamen

Iecur sanguinē gignit.

men econtrario: multa nanq; nutriuntur, quæ animali motu carent. Deesse igitur uidetur iecori materia, ex qua naturalem spiritum possit generare. Sed deest & locus: nulla enim est in eo cauitas, in qua huiusmodi credi debeat fieri generatio. Cauitas dico, qualem in corde & cerebro manifeste cernimus. Sed nec uiæ suppetunt, per quas ubi genitus iam fuerit, ualeat ad membra deferri: nisi quispiam dixerit per easdem uenas unà cum sanguine spiritum ipsum transire: quod tamen nec corpus ipsum uenarū patitur, unica tantum tunica contentum: nec motus indicat, qui uenæ non secus ac arteriæ deberet adesse. Sed nec aëri uia patet, quo sicuti animalis & uitalis nutriri possit. Nec iecoris sanguis, ceu turbulentus & crassus, atq; nondum ab alijs humoribus emundatus, idoneus uidetur ad spiritus generationē. Cum igitur nec finis adsit ob quem eum gigni oporteat, nec materia ex qua uel generari uel conseruari possit, nec locus idoneus in quo gignatur, nec uia per quam ad membra mittatur: probabilius est, ut eo careamus, quàm ut ipsum inueniri ex nostra imaginatione potius quàm euidentia aliqua dicamus, præcipue cum absq; eius famulitio adhuc suum principatum iecur tueri possit, distributa annona non solum toti membrorum reipublicæ, sed ipsis quoque duobus reliquis principibus, in eoq; residente concupiscibili siue anima, siue ui, quæ suo plerunq; impetu sociorum principum regnum interturbat. Hæc quidem de primo tuo quæsito dicta sint.

Quæris secundo, quid sibi uoluerit Galen. lib. 4. de tuenda ualetudine, nubecu las quasdam urinæ superstātes, similes rebus quæ in summo lacte colligūtur, græce χραῦς dictæ, & rei quæ in summo refrigerati iusculi concreuit. Quas nubeculas Hippoc. 2. Prognost. & ipsemet Galenus in commentario de atra bile, ceu colliquationis tabisq; indicia, uituperat. Pro cuius dubij solutione, in primis mihi aduertēdum uidetur, Galenum in lib. de tuenda ualetudine, de sanis loquutum: Hippoc. de his qui acuto morbo laborant. Nec prætereundum, aliqua uerba adiecta esse ab interprete, ita ad literam scribente Galeno: Quando exacte cōcoctus fuerit sanguis, tenuis & aquosa est urina, neq; subsidentiam, neq; suspensionem habens. Concocto & hæc apparēt, & quædā superstant tenues nubes, ueluti uocata χραῦς, & id quod concretum est supra infrigidata iura. Quicquid uero nomine illo significetur (latenim patet ea uox apud Græcos) non necessariò est res eadem, uel similis illi quæ in colliquantibus febribus, soluta ab igneo nimioq; calore adiposa parte, urinis supernatat: nemo enim pingue id, recte nubē uocarit. Sed ut demus pingue aliquid à Galeno intelligi, non erit tamen necessarium cōuertibileq; colliquationis indiciū. Scribit enim Galen. lib. 3. in tertiam Hippoc. epidimiam, se uidisse multoties urinā colore & substantia oleo similem, citra tamen ullum laborantis incommodum: sed quandoq; totum contrariū, cum ipsius morbi concoctione. Causa uero quia adeps possit esse cōcoctionis indiciū, ex Aristot. facile cognoscitur, dicente, adipem & pinguedinem esse sanguinē concoctum. Et alio loco, quod ex sanguine per concoctionem gignitur adeps. Sanguis ergo cōcocti aliqua portio urinæ innatans, rem potest ostendere illi similem, quæ supra infrigidata iura concrescit: esseq; ideo bonum indicium, quia caloris naturalis uictoriam ostendit. Sicuti alia de qua in Prognostico est sermo, mala est, quia à febrili calore adiposa membra resolui demōstrat, in his uidelicet febribus, quæ ob hoc ipsum colliquantes uocantur. Nulla ergo hic est inter Galeni dicta repugnantia:

Adeps & pinguedo ex sanguine cōcocto.

Sicuti neque in quæstione tertio loco circa uoluptates proposita, quas libro primo de causis symptomatum, in subitaneo & simul toto ad naturalem habitum reditū ideo consistere dicit, quoniam id quod sensim paulatimq; fit, sensu non percipitur. In duodecimo uero Methodi libro contrarium scribit, asserens talem reditum, qui ad naturalem habitum fit, si delicioſius esse debet, paulatim fieri oportere: quoniam si affatim & subitò fiat, dolorem excitat. Quod argumēto eorum probat, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum uehementius refrixere, si se subitò calefacere properent, uehementi dolore afficiuntur. Videntur certe hæ duæ series inuicem pugnare, si seorsum singula, nec coniuncta his quæ præcedunt & sequuntur, considerentur: quod & in multis sententijs quæ ex autoribus præcisæ & quodammodo mutilæ afferri à disputatoribus consueuere, solet plerunque contingere. Quare non ab re dictum à prudentibus est, iudicãdum de huiusmodi, non ex sensu quem sic mutilata habere uidentur, sed ex eo quod significare is uoluit, qui ea scripsit: qui certe non perfecte elici potest, nisi ad ipsum unde decerptæ sunt autorem recurramus. Videndum ergo quid in utroque loco Galenus uoluerit. In libro igitur de causis symptomatum, causas doloris redditurus, simul ex Platonis sententia uoluptatis, ueluti dolori contrariæ, rationem reddidit: quoniam mutuò contraria se inuicem declarant. Verba Platonis
» ex Timæo à Galeno recitata, mihi latine sonant: Passio quæ præter naturam &
» uiolenter in nobis ἀθρόως fit, dolorosa est. Quæ uero ad naturam rursus ἀθρόως re-
» ducit, suauis. At quæ sensim & paulatim fit, insensibilis. Quid uero per aduerbium
» ἀθρόως intelligendum sit, ipsemet Galenus paulò inferius declarat, dicens: Voco
ἀθρόως. » autem ἀθρόως, quod per magna simul & celeriter fit. Hoc autem alicubi Plato uo-
» luit, dicens id quod cõpositum est ex uiolenta simul & athroa passione, dum fit in
» sensibilibus corporibus, tristem sensum facere. Nihil enim differt aut tristem aut do
» lorosum, &c. Et paulò inferius concludens ea quæ ex Platone & Hippocrate col-
» legerat, subdit: Sic igitur omnis tristis passio in omnibus sensibus fit: contraria ue-
» ro illi suauis, ob contrariam causam. Regressus enim athroos, ad id quod secũdum
» naturam, eius rei quæ in periculo erat ne diuelleretur, uoluptatem operatur. Sed
» rationem reddens, cur cyaneus color delectabilissimus sit: quia, inquit, sine uiolen-
» tia congregat.

Est igitur Galeni sententia ex Hippocrate & Platone collecta, dolorem fieri in omnibus sensibus, sed præcipue in tactu, à re præter naturam uiolenter & magno cum impetu, simultaneé in eos irruente. Voluptatem uero, ex reditu ad naturalem habitum, simultaneo quidem, sed absque uiolentia facto. Quare dolor & uoluptas in hoc quidem conueniunt, quod athroos fiunt: differunt uero, quod dolor uiolentiam infert, uoluptas absque uiolentia contingit. Ab utroq; uero remouentur, quæ paulatim fiunt: quia præ exiguitate sensus effugientia, nec dolorem, nec uoluptatem inferunt. Quare si ualidus ignis frigido & ueluti cõgelato corpori magna cum uiolentia occurrat, intolerabilem dolorem facit. Nec moueat nos aduerbium, *paulatim*, quo in utroque loco utitur. In Methodo quidem, dicens, reditum in naturalem habitum oportere fieri paulatim, si debet absque dolore esse. In libro uero de symptomatibus, ea dicens non paulatim fieri, quæ dolorem uel uoluptatem inferunt. Videntur enim hæc duo aduersari, Reditus in naturalem habitum est dolorosus, nisi paulatim fiat. & hoc, Quod paulatim fit, sensu non percipitur. Quod enim sensu nõ percipitur, ut suprà etiam dictum est, nec doloro sum esse potest, nec uoluptuosum. Sed ut mittam, quod Galenus ipse non eisdem uocibus in utroque loco utitur: In libro siquidem de symptomatibus, id quod πρέμαι καὶ νῦν μικρὸν, dicit absque sensu esse: In Methodo autem, reditum in naturalem habitum faciendum νῦν βραχὺ: scimus paruum & breue relatiue dici; & propterea diuersarum rerum comparatione, idem posse modo magnum, modo paruum esse, sicuti & breue & longum. Id igitur quod quietè & adeò per breues portiones ac particulas fit, ut sensum penitus effugiat, neque dolorem, neque uoluptatem præstare potest: at id quod breuiter quidem, sed non usqueadeò tamen ut sub sensum non cadat, fit, potest & dolorem & uoluptatem afferre. Calor igitur qui cum uoluptate debet frigido corpori occurrere, ei comparatus qui dolorem infert, exiguus: ei uero qui non sentitur, magnus dici meretur.

Dolor & uoluptas quatenus conueniant differantq;.

Nulla

Nulla ergo est inter Galeni dicta, in hac re controuersia: sicuti nec in sanguinis & bilis calore, de quo quarto loco dubitasti. Nam diuersarum & hac rerum comparatione, sanguis calidissimus & non calidissimus dicitur: calidissimus quidem, alijs rebus potestate (sicuti ipse est) humidis comparatus, & præcipue pituitæ: non calidissimus, si etiam siccis comparetur, præcipue bili: quam non solum in libro de inæquali intemperie, sed & in secũdo eiusdem libro de temperaturis, ubi ex proposito pertractat partium omnium corporis humani temperaturas, multo calidiorem dicit esse sanguine. De ea enim sermonem non habuerat in fine primi libri, sicuti neque de atra, quia non ex proposito in eo loco, temperaturas partium corporis numerabat. Sed cum uellet demonstrare cutem esse medium quoddam, regulam & iudicatorium, cuius comparatione intemperiem aliarum partium cognosceremus: omnes intemperies discurrens, aliquas corporis partes nominatim transegit, quæ per singulam octo intemperierum à cute recedunt: inter quas primo meminit pituitæ & sanguinis, quæ per humiditatem à cute remouentur: inter quas, quum humiditate uincat pituita, sanguis calore, sicuti pituitam frigidissimam, ita sanguinem calidissimum dixit, alijs uidelicet humidis facta cõparatione. Si quis uero stare huic nostræ expositioni noluerit, habet & alium modum quo respõdeat: si uidelicet inhærens Arabicæ atque iandiu inuulgatæ æditioni, non calidissimum legat, sed calidiorem. quod nemo damnabit, qui sciat antiquas illas & barbaras æditiones Græcis codicibus, alioqui ualde negligenter & oscitanter excusis, nonnunquam præstare. Nam ut in prouerbio est, Sæpe etiam est olitor ualde opportuna loquutus: uel, ut alij legunt, stultus. Quocunque autem modo legamus, satis fuit Galeno eo loco pro exemplo eorum quæ per calidum & humidum à cute recedunt, sanguinis meminisse: sicuti & cerebri meminit, pro exemplo eorũ quæ frigiditate ab eadem cutis recedunt temperie. Cerebri enim caro seorsum & per se considerata, proculdubio frigida est. Verum quia uenis atque arterijs tenuis meningos ita undiquaque obuoluta est, ut nulla eius inueniri particula possit, quæ illis careat, tantam calidita-
tem inde nanciscitur, ut aëre etiam æstatis tempore sit calidior. Quod agnoscentes chirurgi, dum caluæ fracturas curantes, cerebri meningas detegere cogũtur, etiam
b æstate media testam excalefactam, uel uas carbonibus accensis oppletum, suspendi supra uulnus per ministros faciũt, ne cerebrum attactu frigidioris aëris oblædatur. Propriæ ergo temperaturæ consideratione, Galenus in libro de temperaturis cerebrum inter frigida membra computauit. Ratione uero arteriarum & uenarũ, quæ minimæ cuique eius particulæ commiscentur, in libro de usu partium, calidum dixit. Ipsæ enim uenæ & arteriæ, licet natura sua frigidæ sint, uicinia tamen sanguinis & spirituum coalescũt, & membranæ tenui, imò & ipsi substantiæ cerebri, calorem impartiuntur. Incalescit & cerebrum spirituũ animalium copia, qui tametsi remissius caleant quàm uitales, calidi tamen sunt, alioqui celeritate carerent, quam & in
b uoluntario motu, in sensibus, præcipue autem uisu, aperte cognoscimus: cuius instrumentum, oculi uidelicet adeò calent, ut gelu non sentiant, & uehementius agitati ueluti scintillas & fulgorem quendam emittunt. Et sic soluta est, ni fallor, quinta dubitatio.

Sudorem uero, de quo sexto loco quæritur, in sano corpore, secundum Galenum & ueritatem, ego puto naturalem esse euacuationem, non secus ac alui & uesicæ excrementorum, atq; crassioris illius quod partim in materiam cedit pilorum, partim in sordes. His enim nec temperatissimus quidem & frugalissimus homo caret, cum & frictione, & unctione, & exercitio, & balneo egeat: per quæ excrementa hæc & per occultam difflationem, & per sensui apertam uacuationem expurgantur. Quod uero Galenus hoc senserit, præter loca abs te adducta, ex secundo libro de tuenda ualetudine aperte colligitur. Nec contrarium, si quis bene conside-

galen. l. de symptom. differ. cauſa. 8. l. de symptom. cauſ. c. 2. infra de hoc agit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, asserit in expositione illius decimiquinti aphorismi primi libri: sed quia locus ille non erat, in quo tractari disputatio illa deberet, An sudores essent naturales, uel præter naturam, ideo opinionem recitauit Dioclis, tanquam suo proposito inseruientem, quod erat, ostendere uim coloris innati. Propterea ait: Quanto robustior fuerit connatus calor, tanto magis effugit sensum transpiratio. Et propter hoc Diocles dixit, sudores esse præter naturam: quoniam omnibus circa corpus recte administratis, & nutrimento à natura bene superato, nunquam per cutem sensilis humiditas excernatur. Sententiam igitur Dioclis affert Galenus, atque rationem qua ad id sentiendum mouebatur: non eam tamen uel probat, uel reprobat: quoniam, ut superius dictum est, ubi tractandum ex proposito rem non suscipit, solet plerunque aliorum sententiam sequi, uel non confutare. At in libro de symptomatum differentijs, ubi ex proposito docendum susceperat, quomodo symptomata ab animalis operibus distinguantur: quam quidem discretionem non esse unicuiq; obuiam dicit, sed indigere exacto iudicio, quoniam opera plerunque ita symptomatibus sunt similia, ut symptoma opus, & econtrario opus symptoma putetur, ut in excrementorum uacuatione præcipue contingit: in qua discernenda, an scilicet symptoma sit uel opus, non ad qualitatem, quantitatem, substantiam ue respiciendum: quum fieri possit, ut maior longe quantitas in ægroto uacuetur, quàm in sano euacuari consueuerit: nec tamen symptomatis ratione hoc contingat, sed ui & prouidentia naturæ. Et quod de quantitate dixit, idem de qualitate & substantia intelligendum est. Imò, quod magis quispiam miretur, sunt quædam à toto genere præter naturã, quæ tamẽ ubi opportune fiant, hoc est, ubi id euacuetur quod molestiam inferebat, non sint præter naturam dicenda, sicuti sanguinis per nares, uel per ani uenas, uel per uentrem inferiorem: & profluuium, uomitúsque, uel id genus aliud. Singulum enim horum quia utiliter fit, nocumentum operationis duci non potest: quare neque symptoma, manente eo quod (in confesso omnibus existens) suppositum est, Symptomata læsiones esse operationum. Sed fortè aliquis hæc alteri symptomatum generi subijciet, affectui uidelicet præter naturam: dirumpi enim uenã in quauis corporis particula, uel hactenus referari, donec ea quæ prius detenta erant, effundantur, non est naturalis affectus, uerum uentris profluuium, aut urinæ multitudinem. Non poterunt, qui sic dicunt, ostendere, sequi aliquos præternaturales affectus: excretio enim per uentrem, uel per uesicam, uel per uterum facta, non est ex toto genere præter naturam, sicuti uidelicet uenæ diruptio, & meatus qui clausus esse solet reseratio. Dehinc ne dubia res remaneret circa sudorem, quem aliquando naturaliter fieri superius dixerat, ideo mentionem facere coactus est opinionis Dioclis, qui conatus est suadere, sudorem omnem esse præter naturam: dicens dogma eius uideri durius & actioni non consentiens. Propriam tamen sententiam neque hoc in loco plenè aperuit, sed de talibus, inquit, fortè quandoque rursus sermo nobis fiet. Quem quidem sermonem (ni fallor) fecit libro sexto, in hunc ferè modum: Pertransire igitur iam tẽpus est ad sudores, de quibus alibi dictũ est, quod resoluto interdum habitu fiunt, & passio hæc uocatur syncope. Huic uero contraria ea constitutio est, quæ in crisimis sudoribus contingit, robustam mõstrantibus, non dissolutam naturam. Tales quippe sudores corpus expurgant. Similes autẽ eis sunt, qui in moderatis exercitijs, & balneis, & æstiuo euenium calore: nam in immoderatis exercitijs, iam utile quid simul recedit. Hæc Galenus. Ex quibus uerbis, quid de sudore senserit, manifeste deprehenditur: aliquem uidelicet naturalem esse, eum qui iudicialiter fit, & à balneis moderatis, & aëris nos circundantis calore. Aliquem præter naturam, qui per syncopen, uel alium modum affectum, non iudicialiter fit, & ob immodicũ exercitium, diuturnioreḿq; in balneis moram, uel aëris uehementiorem calorem, non solum superflua, sed alia qua

qua etiam utilia excernit. Ex hac autem Galeni sententia rationes Dioclis solui facillime possunt. Omnibus enim quæ ad corpus pertinent, quantumuis recte administratis, alimentoq; à natura optime uicto, aliqua tamen in corpore relinquuntur, quæ cum per fugientem sensum diffiationem euacuari non possint, per sudorem euacuantur. Nec propter hoc imbecillis natura putanda est, sicuti nec si non usquequaq; adeò ualida est, ut corpulentiora excrementa in uapores sensum effugientes ualeat expurgare: sed abunde est, si pro cuiusq; modo euacuat quæ redundant: aërea quidem insensibiliter, aquea per sudorem. Quod cum uel sola, ut in iudicijs, uel adiuta à balneo, exercitio, aërisq; calore, modum non excedentibus facit, non uiolenter facere dicenda est: sicuti nec quando adiuta à moderato calore, concoctionem ciborum in uentriculo melius complet. Et de sexta dubitatione hæc satis sunt.

Superest septima, quam, boni imperatoris more, ceu magis strenuam, in ultima acie collocasti. Vix enim potest Galenus ab oscitatione defendi, 3. lib. expositionis in primam Epidem. tertium ab imprægnatione mensem, simul cum quarto, minus obnoxium esse aborsui scribens: in eisq; prægnantes magis sanari à morbis acutis, quàm in aliquo aliorum. Atque ad id adstruendum, aphorismum primum quartæ particulæ adducens, in quo tamen nulla tertij facta mentione, quartus, quintus & sextus cæteris præponuntur. Quare uidetur in Aphorismo tertius non recte prætermissus, aut in Epidemia temerè, tacitis quinto & sexto, laudatus.

Ego cum Hippoc. Aphorismos ante multos annos publicè enarrarẽ, de hac dissonantia cogitans, non aliam inueni uiam qua Hippocratẽ excusarem, nisi dicerem eum in aphorismo rationẽ potius quàm experientiã, obseruationem ue sequutum: totum tẽpus gestationis uteri, in tres æquas partes diuisisse, in duas uidelicet extremas, & unam mediam: ex duabusq; illis extremis, primã quidem ob redundantem in connexibus, quibus fœtus utero alligatur, humorem: & tertiam, ob eorundem nexuum nimiam siccitatem, ineptas omnino putasse ad motum, qui in purgatione necessariò contingit, tolerandum. Mediam uero solam, ceu ab utroq; extremo pariter semotam, ad purgationis impetum perferendum iudicauit idoneam. In libro uero Epidem. in quo non rationi, sed obseruationi innititur, tertij mensis uim agnouisse, seruata in eo simul cum fœtu muliere, non solum uehemẽtissima febre, quam solet ignem appellare, sed delirio, conuulsione, multisq; alijs pessimis, & (ut Galenus ait) fortibus & fallacibus symptomatibus afflicta. Cui obseruationi Galenus quoq; innixus, hunc simul cum quarto difficillimum esse dixit ad patiendum. Adduxitq; aphorismũ, non ad approbandum tertium, (de eo enim nulla ibi mentio) sed ad ostendendum quarti ualorem, qui sit tertio non solum ordine, sed uirtute proximus. Addidit autem Galenus rationi quam in expositione aphorismi reddiderat (quæ ex nexibus sumpta erat, quibus fœtus utero colligatur) aliam ex ipso fœtu acceptam, cuius corpus sit in primis mensibus mollius, atque ob mollitiem ad patiendum magis obnoxium: in postremis, qui prope partum sunt, cum magnus sit, multa eget esca, qua deficiente, plerunque in acutis morbis corrumpitur. Et paulò post infert: Propter hæc igitur, trimestria & quadrimestria magis alijs seruantur: quoniam uidelicet utrunque discrimen effugiunt, quum nec adeò mollia sint, ut bimestria, nec tanta indigeant esca, quãta ea quæ septem, octo, uel nouem sunt mensium. Quod fortè intellexit Hippoc. in ultima aphoris. parte, dicens: Νηπίοις καὶ τοῖς πρωτοτόκοις θυλακίοισι δεῖ. nõ matres, sed minores maiores ue fœtus intelligens. Dubitaui enim ego quãdoq; an possent hæc ad mulieres ipsas prægnantes referri, quũ eas in prima aphor. parte fœmínino genere, κυόσας dixerit, & hic neutro genere utatur: sed nec mihi quadrabat, ut mulieres quæ paulò ante conceperant, si grandioris ætatis essent, puellas uocaret: sicuti nec ut eas quæ prope tẽpus pariendi, seniores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed siue matres, siue fœtus intelligas, eadem omnino sententia: similiter enim, ut docet Hippocrates, & ualent, & non ualent. Nisi fortè non ad imprægnationis tempus, sed, ut ego quandoque suspicatus sum, ad ætatem prægnantis hæc ultima aphorismi pars referatur, quasi docente Hippocrate ut cautè adulescentulas seniorésque prægnantes etiam illis mediis mensibus purgaremus.

Sed relicta noua expositione, illud potius quod maioris momēti est, uestigemus, Quot dierum menses sint, qui ab Hippocrate utrobique nominantur: siquidem ipsemet Hippocrates in tertio libro Prognosticorum docet, neque menses, neque annos posse integris diebus numerari. Et eum locum enarrans Galenus, mensem omnem minorem esse ait triginta dierum, maiorem uero nouem & uiginti: mensémque apud antiquos Græcos uocatum, tempus medium duorum solis & lunæ congressuum. Sed & Hippocrates ipse in libro de septimestri partu, duos menses ait in nouem & quinquaginta ferè diebus absolui: & decem, septem dierum quadragenis. Quæ uera non essent, si singulo mensi triginta dies daremus. Vbi etiam aduertendum, Hippocratem multum in prægnante muliere quadragenis tribuisse: ut hinc etiam fortasse accipi possit ratio, quare tertius quoque mensis inter bonos sit computandus. Inchoat enim die ferè decimasexta post primam quadragenam, quam pessimam esse dicit Hippocrates, & præcipuam ad aborsus faciendos. In quo tempore, sexdecim uidelicet dierum, si quid imbecillitatis ex prima illa quadragena fœtui contractum est, potuit emendari: quod præcipue in fœmella contingit, cuius formatio in quadragesimosecundo die completur. Serius enim quàm mas & formatur & mouetur: nam magna ex parte ante quartum puella non mouetur, quum mas moueatur in tertio. Vt hinc etiam pateat uia, per quam quis nostram dubitationem effugiat, si uidelicet dixerit, prægnantem ex mare, mense tertio fieri ualidiorem: ex fœmella, in quarto: déque hoc in Aphorismis, de illa in Epidemijs Hippocratem loquutum. Sed & tertia quoque occurrit fugiendi uia, si dixerimus, in aphorismo de tolerantia purgationis per pharmacum agitatorium loquutum: de potētia uero resistendi morbis & symptomatibus, in Epidemijs. Quæ responsiones in clamorosis quidem disputationibus, quæ captandæ potius popularis auræ, quàm ueritatis indagandæ gratia fiunt, uideri possunt probabiles: re autem ipsa non plenè intellectum quiescunt. Quare, mea quidem sententia, primæ quis tutius inhærebit. Tuum tamen erit, acri tuo ingenio & exacto iudicio tam hæc quàm alia quæ à me scripta sunt, diligenter examinare, calculumq; uel album uel nigrum singulis porrigere: utrunque enim æqui bonique consulam, modo me ames: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Vale uir eruditissime, meique obseruantissime.

Mensis significatum apud antiquos Græcos.

Ex Ferraria, v. Calend. Octob. M. D. XXXIII.

EPIST. II. pro domino Iacobo Hephtho Boëmo, interdiu imbecilliter, uesperi parum, noctu nihil cernente, nisi lumen lucernæ geminatum.

ADuersa ualetudo, quæ paulò post tuum à nobis discessum, quadraginta ferè dies me lecto iacere coëgit, profitendíq; publicū munus, cuius tempus antequam plenè conualuissem aduenit, fecerunt ut desiderio tuo satisfacere nondum potuerim. Nunc tandem occasione horum trium dierum captata, quibus cessare à publicis lectionibus nobis concessum est, arrepto statim calamo, impellente Sinapio, rem ipsam aggrediar.

Questus

Questus apud me es, quod interdiu imbecilliter, uesperi parum, noctu præter lucernæ geminatum lumen, uix aliud cernas. Horum symptomatum duo prima ad deminutam, tertium ad corruptam pertinent uisus operationem: fiuntq; omnia ab ægritudine, tum in ipso primo uisus primario instrumento, crystalloīde uocato: tum in oculi humoribus & tunicis illi seruientibus consistente. Quæ quidem ægritudo ad genus malæ compositionis spectat. Est enim obstructio duplicis uiæ, illius nempe per quam uisibilium species ad crystalloīdem deferuntur, & eius quoque quæ crystalloīde ad neruos uisuales. Fit autem hæc obstructio à crassis humoribus meatus occupantibus: qui, ut ego per exiguam illam consuetudinem, quam tecum eo tempore habui, quo in nostro hoc collegio doctorum insignia suscepisti, potui conijcere, pituitosi potius sunt, quàm atrabilarij: hæc enim præ sua crassitie & lentore ægre interdiu, uesperi ægrius, transitum specierum admittunt. Addita uero noctis obscuritate, exiguum illud lumen, quod solis radijs aliquantisper fouebatur, ita extinguitur, ut ne lucernæ quidem integrum lumen admittat: quare per duas ueluti fenestras ingrediens, rem unam duas uideri facit, non secus quàm in ebrijs, uini uapores solent efficere: cuspide uisualis coni non ualente in uno puncto tantam crassitiem penetrare.

Vt ergo iam ad curationem ueniamus, humana manu amoueri hæc symptomata non ualent, nisi crassi illi humores è sede quam occuparunt, dimoueātur. Quod quum fieri aliter nequeat, quàm per medicamina, quæ ualidam uim habeant & attenuandi & exiccandi, neque hæc tutò adhiberi possint capite oppleto: sicuti neq; caput quoque ipsum euacuari, toto prius corpore non euacuato: primo erit corpus uniuersum, secundo caput, tertio oculus euacuandus. Totius corporis euacuatio à sectione uenæ incipienda est, illius præcipue quæ in cubiti exteriori parte demonstratur: per eam enim & reuulsio fiet & euacuatio, nonnihilq; fortè materiæ in capite contentæ euacuabitur.

Corporis euacuationem à uenæ sectione aspicandam.

Secta uena non ab re fuerit purgatorio medicamento pituitam educere. Quod ut commodius fieri ualeat, eius primo crassities & tenacitas erunt potu submouenda, qui recipit: Aquæ in qua fœniculi uel semen uel radix decocta sit, tres uncias, oxymelitis binas: quo potu ter per horam ante cibum hausto, in aurora hæc catapotia deuorentur: Agarici grana triginta sex, Tralandal uocatorum grana duodecim, nucis myristicæ tantūdem, diagridij grana tria, cum absinthij succo, ciceris magnitudine catapotia adformentur.

Pituitæ purgandæ ratio.

Vniuerso corpore per hæc duo euacuato, ad capitis euacuationē accedendum: quam & ipsam primo per earum uenarum sectionem faciemus, quæ prope maiores, hoc est, interiores angulos ostenduntur. Quæ si fortè uel lateant, uel imperitus sector eas secare non ausus fuerit, uicem earum suppleat uena frontis media, uel hirudines eisdem locis admotæ. Post hanc sanguinis euacuationem, bidui intercedente quiete, mane cœna bene cōcocta, penna in sequēti oleo intincta, in utranq; narem intime adigatur. In nobilis meri uncijs duabus tādiu bulliant res quæ statim scribentur, ut uinū ad unicam unciā redactū sit: Sampsuci sicci, rutæ siccæ ana ʒ. 1. piperis albi ϑ. 2. ellebori albi ϑ. 1. Hæc omnia in crassum puluerē redacta, ubi in uino, ut dictū est, bullierint, abijciātur: uinoq; superstiti à puluere excolato, binæ unciæ olei laurini adijciātur, simulq; in duplici uase ad uini cōsumptionē ebulliant. Sed & eiusdem olei calidi gutta, citriq; auri instilletur, mearusq; auriū post instillationē gosapio moschato obturētur. Fiat autē hoc duabus à cœna horis, simulq; auellanæ magnitudine, sequens antidotū deglutiatur: Myrob. cheb. conditarum ℥. 2. pulueris seminis fœniculi & rutæ ana ʒ. 1. zingiberis ϑ. 2. mellis rosacei ℥. 1. Quarto tamen uel quinto quoque die, antidoti loco una ex catapotijs deglutiatur, quæ recipiunt: Pilularum cocchiarum ϑ. 2. lucis ϑ. 1. diagridij, gariophyllorum ana grana

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſex,cum aqua berbenæ. fiant pilulæ tres. Vbi uero per hæc auxilia caput leue factum uideatur,oculi cum hac aqua,poſt narium expurgationem abluantur: Berbenæ,rutæ ſylueſtris (ſi haberi poteſt: uel domeſticæ,ſi ſylueſtris non inueniatur) criſtæ gallinaceæ,quam ſclaream uocant,ana ʒ. 1. chelidonij ʒ. s. ſeminis fœniculi ʒ. 1. s. in libris duabus uini,uaſe æneo uigintiquatuor horas madefacta, per æneū etiam uas,conſueto apud chymicos modo,ſimul cum ipſo uino deſtillentur, in æneoq; uaſe bene obturato,aqua quæ manauerit adſeruetur. Ex cuius lotione per quindecim dies facta,niſi ſymptomata uel in totum leuata ſint,uel manifeſte mitigata,uni illius aquæ parti, media hircini fellis portione addita,collyriū paretur, quod diductis palpebris ſupra oculi pupillam,ſupino capite immittatur. Accedere autē omnibus his debet congruus uictus,ita ut crapula,ebrietas, Venus,fumus,puluis, meditatio,& lectio à cibo, labor,curſus, meridianus, longiorq; ſomnus, immodica uigilia,æſtas,frigus,uentus,præcipue auſtrinus,ira,rixa,clamor, merum,turbidior fortisq; ceruiſia, legumina,magni piſces,antiquæ carnes, creber braſſicarum & lactucarum uſus, & demum quæcunque replere turbulentis uaporibus caput poſſunt,euitentur. At ſi forte ſeruatis quæcunque ſcripta ſunt, parum te profeciſſe cognoueris,ineunte Vere reiteratis quæ ſcripſimus euacuationibus,ad fortiora auxilia ueniendum. Inter quæ præcipuū eſt,ut laqueus ex equinis ſetis obtortis contextus,perforata duobus foraminibus ceruicis cute,inſeratur,in ea parte quæ occipiti eſt proxima: ex eo enim ſingulo die moto,fit,ut ad patentia illa uulnera,materia deriuetur,quæ defluere ad oculos cōſueuerat: quo præſidio niſi res ex uoto ſucceſſerit,ante æſtatis initium, ad uſtionem uerticis ueniendum,quæ ad os uſq; perueniat,ulcusq; poſt caſum cruſtæ remanens, per quadraginta dies,cicere,alia ue ſimili re intromiſſa,apertum conſeruandum. His præſidijs,luce prima, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum,adiuuante,ſpero te oculorum tuorum lucem & conſeruaturum & aucturum.

Ex Ferraria, M. D. XXXIII.

EPIST. III. Ioannes Manardus Symphoriano Campegio,Equiti aurato,Lotharingorumq; archiatro,de Cyanei lapidis uſu,Ocymo,Partheno,ac Limonio.

CVm anno ante hunc uigeſimo, Pannoniā petiturus eſſem, Ticinenſis quidā,meus in medicina diſcipulus,libellum mihi dono dedit, in quo nonnulla in philoſophiæ,medicinæ & theologiæ ſcientijs, partim per te commentata,partim ex præclariſſimis autoribus collecta,legebantur. Quem ego librum mecum in itinere indiuiduum comitem habui, & quotieſcunq; præſtabatur occaſio,magna cum animi uoluptate perlegi. Ex qua lectione factum eſt,ut poſthac te ſemper magnopere & dilexerim, & obſeruauerim,& quæcunq; abs te ædita commentaria intelligebam,diligenter inquirerem,& inuenta magna cum auiditate perlegerem. Volui autem ſæpenumero meam hanc in te obſeruantiam, apud te per literas teſtatam facere: ſed deſiderium hoc meum in Pannonia primum retardauit,quod inter illam gentem & Gallicam rara admodum erant commercia: in Italiam uero reuerſo, atque in eodem deſiderio perſeueranti,tandem neſcio quo fato,Ioannes Campegius tibi ex fratre nepos, & tanto patruo digniſſimus,tuo me nomine humaniſſime ſalutauit: quem certe non permiſiſſem,ut ad te ſine meis literis rediret,ſi promiſſis ſtetiſſet: hoc eſt,ſi,ut ſpoponderat, hâc iter in Galliam feciſſet; quod tamen non ſua culpa, ſed domini imperio factum puto. Tu uero,qua es benignitate præditus,officium meum non literis modo,ſed muneribus quoq;,quæ bonus quiſq; orientalibus gemmis prætulerit,cogitatum meum tam diuturnum anteuertiſti. Libros enim miſiſti,uel potius theſauros,quos in literarium ærarium poſt penè infinitos,nuperrime contuliſti. Quibus nominibus me tibi tantum debere ſentio, quantum nec ſi Neſtoreos annos mihi Deus optimus donarit,unquam poſſim perſoluere. Ne tamen ingratitudinis nomine (quod ſemper abhorrui) à te penitus grauarer, cœpi per hortum tuum Gallicum lento gradu expatiari, floresq;,quibus paſſim uernat, ſuſpenſa manu colligere,cauens ne aliqua latitans fortè ſpina me incautum cōpungeret. Nihil autem inueni quod me tantum pungeret, ſed nonnulla quæ me ſimul cum alijs attingerent: plura tamen præ illis fuerunt,quæ mihi adblanditrētur. Verum dum ſpinas caueo,imprudens lapidem offendo, inter molles herbas deliteſcentem: criſtas enim iam erexeram: doctiſſimum me uocari audiens: quum tamen (tanti nomen illud conſtat) nec dignum me putem,qui inter doctos numerer: contentus inter eos haberi,qui doctos ita & ſequuntur & admirantur,ut tamen ueritati ſemper plus tribuant,quàm cuiuſcunque autoritati. Fecit autem hic ueritatis amor,non contradicendi,ut ais,ſtudium,quod ſemper à me alienum fuit,ut à Leoniceno,homine certe cui honorem maximū debet noſtra ætas,homine tamen,aliquando diſſentirem: ut in hoc ipſo lapide Cyaneo,de quo, tacito tamen ob reuerentiam nomine,ita ad uerbum ſcripſi: Ego his non acceſſerim,qui non ſecus ac perniciosiſſimum uenenum hunc formidant: experientia enim certa ſcio,quod ſi bene abluatur, multum iuuat, & uel nihil,uel parum lædit. Contra quæ uerba,tu quaſi cum bile inſurgis, dicens: Sed ego certe ſcio,quod qualitercunque abluatur, ſi ſumatur à Chriſticola, multum nocebit, ac tandem lædet plurimum. Scias autem & hoc uelim,mi Symphoriane,me neque hoc, neque aliud ceu expertum laudaſſe, de quo non certam habuerim experientiam: alioqui neque eſt apud nos adeò inexpertus pigmentarius, ne dicam medicus, qui huius lapidis incolumitatem non habeat exploratam. Nuſpiam uero legi, ueros Chriſtianos magis quàm Iudæos & gentes debere hunc lapidem formidare. Sed lapide hoc in ſuo loco relicto, reliquum horti tui,ſine aliqua tamen bile peragrantes, nullibi mentionem Manardi præterquam honorificam inueni, cognouiq; in pleriſque locis mea tibi non diſplicuiſſe: quare ut tua quoq; uiciſſim à me probentur,neceſſe eſt,niſi uoluero penitus ruſticus uideri. Amplector igitur ſtudium,laudo diligentiam,ingenuitatem exoſculor. Inter multa tamen quæ placent,non eo inficias,quædam mihi occurriſſe, quæ niſi aliter intelligantur quàm ſonant,non mihi uſquequaque probanda uideantur: quæ,quoniā id à me efflagitas,non uerebor adnotare: non quidem ut tecum talionis agam,cuius tot in me ſunt beneficia,ut leuem illam calumniam, imò etiam longe maiorem debeant obnubilare: ſed potius ut tibi de me bene merito,& cui uſque ad aras debeo,morem geram.

In primis itaque mihi non placet,quod omnia purgatoria medicamenta fortia, dicantur pernecantia,& penitus abijcienda. Neque uſquam hoc dixit Galen. alioqui ſecum aperte pugnaret,quum & ſcammonio,& elleboro,& colocynthide crebrò utatur,ut per totum ferè librum de compoſ. medic. ſecundum loca, manifeſte demonſtratur. Neque ſecundo libro de uictu morb. acut. id ſcripſit, quod tu,malum interpretem ſequutus, ad tuam ſententiam affers roborandam, ſed contrarium potius. Verba enim Galeni utcunq; (fideliter tamen) interpretata,hæc ſunt: Vna eſt cautela, ne lædant purgantia pharmaca, ut non ſolum ſit purgans pharmacum,intemperatum ſcilicet & impermixtum alijs quæ obſcurare apta ſint eius malignitatem. Contraria enim eſt natura omnium purgantium pharmacorum, naturis corporum quæ purgātur,& ut quiſpiam dixerit perniciosa,& ipſorum ue-

Lapidem Cyaneum bene abluto non lædere.

» nenum. Quemadmodum autem papaueris lachrymæ, mandragoræ, hyoſcyami,
» atq; aliorum multorum talium pharmacorum, quæ contraria noſtris ſubſtantijs &
» utribus ſunt, & apta corpora corrumpere, exiguã partem aliquam accipientes, ma-
» gnis eorum fruimur emolumentis: ita & cum purgatoria contrariam naturam ha-
» beant noſtrorum corporũ naturæ, exiguam quandam eorum ſubſtantiæ partem
» abſcindentes, ad noſtrum utimur emolumentum. Hæc ſunt Galeni uerba, laudan
tis potius quàm damnantis, ut conſtat, horum medicamentorum uſum. Qui nec
etiam (ut tu reris) minoris malitiæ eſſe elleborum quàm ſcammonium, in eadem
ſcripſit commentatione. Sed in fine quidem præcedentis commentationis, non elle
borum ſcãmonio, ſed eius hieræ quæ per colocynthiden uario modo paratur, eam
quæ elleborũ recipit, ei in dolore lateris prætulit, quæ recipit ſcammonium. Quod
etiam eodem capite ſcribitur, drachmas duas ellebori interimere, bonis autoribus,
Plinio uidelicet, Oribaſio, ut Arabes omittam, aduerſatur.

Ea præterea quæ ex antiqua libri tertij de ſimplicibus medicamentis traductio-
» ne afferuntur, non ſatis fideliter uerſa ſunt. Sic enim latine ſonant: Omnino qui-
» dem ſimilitudinem quandam habet purgans pharmacum, uni ex humoribus qui
» in nobis ſunt: non tamen in uniuerſum miſcetur ei aliqua uenenoſa poteſtas: qua-
» re neq; in uniuerſum lædet non purgans, ſed cõcoquetur, & talem gignet humo-
» rem, qualem trahere aptum erat. Hæc Galenus: afferens omne quidem purgato-
rium pharmacum ſimilitudinem habere cum aliquo noſtrorum humorum, non ta
men habere ſemper ſecum commixtam uenenoſam uim.

Capite quoque de ocymo, ex Dioſcoridis ſententia res ei adſcribitur, cui ipſemet
Dioſcorides & alij boni autores aduerſantur, eius uſum damnantes tanquam mali
ſucci, difficilis concoctu, redundantis humoris, & uiſum obſcurantis. Putauerim ta
men librarij potius, quàm tuo uitio contigiſſe, ut oculorum claritatem facere dica-
tur. Male uero ſibi conſuluiſſe Gallos, qui eo pro cibo, ut ſcribis, uti cœperunt.

In Parthenij nomine aperta proculdubio eſt æquiuocatio, ſicuti & in amaraco.
Amaracus enim quæ nomen amaracino unguento dedit, herba eſt ſuauiſſimũ ſpi-
rans odorem, de qua Dioſcorides ſub nomine ſampſuci ſcribit lib. 3. A qua omni-
no diuerſa eſt ea de qua eod. lib. ſcribit ſub Parthenij nomine, quæ, ut ipſemet ait,
odore uiroſo eſt. Vtraq; harum notiſſima eſt: prima quidem ſub nomine maiora-
næ, ſecunda ſub nomine matricariæ, uel ut noſtris mulierib. magis placet, marellæ.

Non contemnenda quoq; æquiuocatio facta eſt in Limonij nomine: de fructi-
bus enim qui nunc limones dicũtur, & ad lautitiem menſis petuntur, uel non me-
minerunt antiqui, uel ſub nomine citri. Limonium uero de qua ſcribit Galen. lib. 7.
herba eſt, nomen habens, ut inquit Dioſcorides, quia in pratis naſcitur, & paluſtri-
bus locis. Neq; quenquam mouere debet fructus nomen, ſiquidem & ea uoce, hoc
eſt, καρπὸς, etiam in herbis Græci utuntur. Mitto differentiã inter cytinon & ba-
lauſtion, quod in ea falli quiſpiam poſſit citra uitæ humanæ præiudicium.

Hæc ſunt, mi Symphoriane, quæ perambulanti tuos amœniſſimos hortos, im-
becillibus alioqui meis pedibus occurrentia, greſſus meos aliquantiſper retardarũt:
quæ ideo ad te ſcripſi, quod & tu petieras, & ut etiã agnoſceres reliqua omnia à me
albo calculo eſſe ſignata, totumq; hortum eſſe me diligẽtiſſime perſcrutatũ. Quam
diligentiam ſi tu quoq; in examinãdis meis nugis adhibueris, non dubito, quæ tua
eſt perſpicacia, ne multa inuenias, quæ maiore cenſura, quàm id quod de Cyaneo
lapide ſcripſeram, digna ſint: quod tantum abeſt ut ægre laturus ſim, ut magis tibi
uel hoc nomine debiturus ſim, quàm ex alijs in me collatis beneficijs. Campos
quoq; tuos Elyſios, ſed cum feſtinatione, luſtraui, qui mirum in modum mihi arriſe
runt. Legam, Deo uolente, poſthac cunctatius, & quid de his ſentiam, quod magnũ
omnino erit, ad te ſcribam. Hoc tacere non poſſum, plus tibi uel ex hoc commen-
tariolo

tariolo debere tuam Galliam, quàm olim ſuis Druidis. Vale Galliæ ornamen-
tum, &, quod facis, perge bonas mentes iuuare, tibiq; immortale decus & patriæ,
imò toti Chriſtiano orbi maximum emolumentum parere.

Ex Ferraria, III. nonas Quintiles, M. D. XXXIII.

EPIST. IIII. Ioan. Manard. Gaſparo Marcello philoſopho excellentiſsimo, obſtructione uiſualium neruorum laborante.

VEllem celeriorem fuiſſe tabellarium, qui tuas ad me literas attulit: de-
cimoquarto enim Calend. Martias datæ, ipſis mihi Calendis ſunt red-
ditæ, eo uidelicet die, quo poſt Laruales ferias, publicũ profitendi mu-
nus mihi erat redintegrandum. Nam ſi congruo tempore fuiſſent red
ditæ, dum alij genio indulgebant, ego ſaluti tuæ omnem operam & di
ligẽtiam nauaſſem. Quod ad hanc diem facere cum nequiuerim, tuum erit meam
hanc moram boni conſulere, celeritatiq; & anguſtiæ temporis ac imbecillitati meæ,
(chiragra enim, podagra & febre per hæc tempora laboraui) cõdonare, ſi mea hæc
minus expectationi tuæ, quam de me maiorem longe quàm merear habere præ te
fers, reſpondebunt. Tantum enim ea attingam, quæ ad ſalutem tuam conſequen-
dam magis uidebuntur opportuna: multa ſciens uolensq; prætermittens, quæ ad
artis potius oſtentationem, quàm uſum eſſent accommoda. Ratio enim per ocium
copioſius reddẽda eſſet, cur imagines illæ modo cõminus, modo eminus, modo ma
iores, modo minores, & albæ uel nigræ aſſidentes uel tremulæ ſe repræſententent. Ve
rum longiore circa hæc diſputatione in tẽpus locumq; reiecta, rem ipſam, curandi
ſcilicet præſeruandiq; methodos aggrediamur: illud tantum præfati, ſine quo nec
curatio, nec præſeruatio, cautela ue inueſtigari nedum fieri recte poteſt, affectionis
uidelicet ipſius, de qua quereris, eſſentia.

Vidiſſe te ais, iam agitur quintus annus, in oculo dextro duas imagines, unam
quidem albam & tremulam, alteram nigram, muſcam repræſentantem. In ſiniſtro
plures, in longum porrectas, ferè continuas: primo tamen autumni tempore, men
ſe uidelicet Nouembri, unicam in ſiniſtro oculo comparuiſſe. Sequenti anno in fi-
ne Veris menſe Maio, in dextro albam tremulam, quæ per decem cubitos diſtare
uidebatur. Facta uero purgatione, adhibitoq; collyrio, non multum tamen uehe-
menti, uiſum eſſe tibi tunicas oculorum diſrumpi: quare collyrio dimiſſo, menſtrua
per pilulas purgatione, præeuntibus nonnullis ſyrupis, ad menſem uſq; Maij anni
M. D. XXX. uſus, cum nocumentum potius quàm iuuamen perſenſiſſes, in ſini
ſtro præcipue oculo, quo magis uales, ad commune medicorum & ægrotorum au-
xilium, medicatas uidelicet aquas, cõfugiſti. Aponi igitur fontis aquas non ſolum,
ut moris eſt, bibiſti, ſed & cadentis ex alto ictum in capite pertuliſti, ex quibus plus
læſus quàm adiutus es. Imago enim illa alba quæ lõgius uidebatur, uiſa eſt propior
fieri, additæq; ſunt binæ, altera muſcæ ſimilis, altera longe minor. Quæ uero ſiniſtro
oculo obuerſabantur, ad maiorẽ molem deuenere, licet non adeò diſtare uideãtur.

Addis præterea annum te agere XXXV. biliоſa eſſe temperatura, graciliore
corporis habitu, exiguis uenis, optima memoria, ingenio mediocri, oculos habere
humidos, & ad tactum calidos, cum manifeſtis uenis. Omnibus his diligẽter con
ſideratis, addita etiam mea aliqua coniectura, neq; enim omnia particularia ſcripta
ſunt, præſertim unum quod multum ad rem facit, an uidelicet diligenter conſide-
ranti tuas pupillas, perturbatio aliqua demonſtretur, iudico certe te paſſum ſym-
ptoma, quod Græci ἀθόρασιν, hoc eſt, obuiſionem, libri ex Arabica in linguam lati-
nam uerſi, imaginationem uocant, atq; id quidem oculos primario affectu, non per

Universidad de Deusto
Biblioteca

purum conſenſum laborantes: quod quidem ſymptoma ad actionem corruptam, ueluti ad genus ſpectat: uides enim quæ uideri ab oculo ſano non debent, nec ab alijs uiſuntur. Pendet autem ſymptoma hoc à morbo in uia, obſtructione uidelicet inter corneam membranam & cryſtalloidem uocatam conſiſtente: quæ licet à uaporibus de uētriculo eleuatis interdum fieri poſſit, conijciendum tamen factam ibi potius eſſe, quàm fieri: alioqui nec imagines illæ tandiu perduraſſent, nec aſſiduæ eſſent, ſed & purgationibus toties factis, aquiſq; ebibitis, uel penitus amotæ, uel diminutæ potius fuiſſent quàm exhauſtæ. Putauerim igitur humorem ad eam regionem deſcēdiſſe, qui tenuem inibi naturaliter conſiſtentem, plus minus ue, uarijſq; in locis diſſecet: neq; omnino uniformis ſimilariſq; ſit, ſed ex diuerſis partibus conſtet, craſſioribus, tenuioribus ue, continuis etiam & diuulſis: & ubi tenuior, ibi imagines magis ad album uergunt: ubi craſſior, magis ad nigrum: ubi in plures particulas diuulſus, plures ueluti culices uel muſcas muſciones ue repræſentet: ubi continuus & oblongus, ueluti filamenta quædam demonſtret. Moueri autem huiuſmodi imagines, ex ſpiritus uiſualis ad ea loca accedentis mutatione, concurrente etiam ea quæ fit ab exteriore lumine agitatione. Scimus enim oculos nedum imbecilles ac languidos, ſed robuſtos & fortes, ex uehementiore, uel etiam mediocri luce repente ingruente ualde commoueri, & ueluti radios quoſdam intra ſe gignere. Fieri præterea hunc præternaturalem humorem, modo cryſtalloidi, modo corneæ uiciniorem: priuſq; fuiſſe huic, poſt aquarum uero uſum illi magis propinquum: atq; ex hoc fieri ut quæ prius diſtantiora, poſthac uiſa ſint propinquiora. Diſtant porro iſtæ imagines inter ſe plus minus ue, iuxta facientium eas humoris partium, maiorem minorem ue diſtantiam. Videntur q;, ut iam dictum, ibi albiores, ubi humor eſt tenuior: ibi nigriores, ubi magis craſſus. Nondum tamen ad tantam craſſitiem deuenerunt, ut uiſum in totum in aliqua oculi parte poſſint auferre: quod ſi fieret, ubi muſcæ apparent, res quæ extrinſecus uiſendæ occurrūt, feneſtratæ apparerent: & ubi lineæ uiſuntur, res quantumuis integræ in plures partes diſſectæ demonſtrarentur: & ſi demum coirent ſuffuſione iam completa, incepiſſe enim eam puto, uiſus in totum perderetur: quod ne fortè cōtingat, Deo optimo auſpice, pro uiribus doceamus. Ad hoc enim prohibendum, parte artis indigemus quæ præſeruatiua nuncupatur: ſicuti ad delendum quod iam factum eſt, curatiua. Duæ autem hæ artis partes adeò in noſtro caſu inuicem cōnectuntur, ut curatio magna pars ſit præſeruationis. Si enim id quod iam factum eſt, ſuſtulerimus, bona pars præſeruationis ſimul abſoluetur, ſublata uidelicet ab oculo ea materia, quæ ſi denſior fieret, plenam gigneret ſuffuſionē. Prima igitur nobis occurret intentio euacuandi ab oculo eam materiam, quæ obſtructionem in uiſualibus uijs faciens, idoneum prohibet oculorum uſum. Verum quia hæc uacuatio fieri non poteſt, niſi per medicamenta quæ magnam uim habeant diſcutiendi: quæ utiq; ſi repleto capite adhiberentur, plus eſſet id quod traherent, quàm id quod diſſiparent: propterea altera nobis occurrit intentio, capitis uidelicet euacuatio. Verum quū caput euacuari non debeat, nec bene poſſit, toto corpore oppleto: ideo tertia præſtò nobis eſt intētio, totius uidelicet corporis euacuatio. Demum, quia accedente etiā, quod utx fieri poteſt, congruo in omnibus rebus uictu, uapores ſemper ceu leues ſuperiora petentes, caput & cōſequenter oculos, iam ex longo morbo imbecilles, oblæderent, quarta erit intentio, ut omni ingenio retrahantur & deriuentur. Sic igitur iam quatuor, uel ſi uis quinq; intentiones inueſtigauimus, quæ ad præſeruationem & curam ſunt neceſſariæ: quas ordine quodam exequi nos oportet, ut ſcilicet illæ primo exequutioni mandentur, quæ in reſolutiuo noſtro progreſſu ultimo loco ſunt inuētæ, totius nempe corporis euacuatio, & materiæ ad oculos fluentis auerſio.

Ab his igitur inchoantes, magnitudine affectus nobilitateq; patientis mēbri conſiderata, necnon oculorum calore cum rubore & uenarum apparentia, ubi uis conſtet, de quo minime ambigo, ſecandam exteriorem cubiti uenam iudico, eam uidelicet quæ humeraria appellatur: extrahendū tamen non multū ſanguinis, quoniā, ut ſcribis, exiles tibi ſunt uenæ. Satis igitur fuerit à quatuor ad octo uſq; uncias hauſiſſe. Id uero latus eligendum quod è directo ſe habet oculi magis læſi. Seruiet enim nobis huius uenæ ſectio ad euacuandum totum corpus, & ad materiam ad ſuperiora fluentem retrahendam. Poſt hoc, quia materia, ut diximus, craſſitiem quandam habet, quo purgatio melius fieri ualeat, ipſam per hanc potionem tribus diebus mane ebibitam ſecabimus. Betonicæ nobilis & ueræ manip. ʒ. bulliant in ℔. 1. s. aquæ fœniculi tandiu, donec tertia pars ſit conſumpta: eáque aqua quæ ſupererit in tres partes æquas diuiſa, ſingulæ parti oxymelitis ſimplicis ℥. 1. ſuperaddatur, quæ concocta præcedenti cœna, mane bibatur. Interim quoq; ad eundem finem, comæ fœniculi in iure quo pro cibo uſurus es, decoquantur, pariterq; in uino quem potabis eædem comæ per integram ante potum horam madeſcant. Attenuata iam aliquantiſper per tres dies materia, ſummo mane pilulæ deglutiantur, quæ habent: Pilularum lucis ϑ. 2. cocchiarum ϑ. 1. quæ mixtæ horas decem in fœniculi ſucco maduerint. Veſperi eiuſdem diei duæ drachmæ huius miſcellæ hora ſomni accipiātur: Seminum fœniculi, ſeſeleos, nucis myriſticæ ana ʒ. 1. ſucci fœniculi ℥. s. mellis roſacei quantum ſatis ad conficiendum electuarium uocatum. Altero die mane ſemuncia eiuſdem electuarij, cōcocta bene cœna accipiatur, quam trium horarum ieiunium ſubſequatur: per tres deinde ſequentes dies mane potio bibatur, quæ recipit: Seminis fœniculi orientalis, ſi haberi poteſt, uel noſtratis in mōtibus nati ʒ. ʒ. bulliant in ℔. 1. s. aquæ, donec tertia pars deſit, diuiſoq; toto decocto in tres partes, ſingulæ parti uncia oxymelitis cōpoſiti ſuperaddatur. Completa uero triduana hac potione, catapotia mane accipiantur, quæ habeant pilularū lucis ϑ. 1. cocchiarum duos, & per octo horas in ſucco berbenæ maduerint: & ſequenti die in aurora media uncia electuarij ſuperius deſcripti, cui drachma una puluerís gariophyllorum ſit adiecta. Quo etiam electuario placet ut ueſperi hora (ut diximus) accubitus ſemper utaris: primo quidem eo modo, quo deſcriptum antea fuerat: poſt hanc uero ſecundam purgationem adiecta ſemper puluerís gariophyllorum ſemidrachma. Accedendum deinde ad tertium potionum ordinem, quæ conſtent ex decocto chelidonij herbæ, adiecta cuilibet potioni ſcillitici oxymelitis uncia: qua potione (ut in alijs diximus) ter ſumpta, ſequenti aurora hæc ſumantur catapotia: Pilularum cocchiarum ϑ. 2. Sine quibus ϑ. 1. madeſcant in ſucco chelidonij horas decem, inſperſaq; aceti ſcillitici gutta conformentur. Eiſdem quoq; intentionibus non inutilis erit uomitus, modo abſq; magna uí ac uehementiore capitis commotione prouocari poſſit. Peractis uero hiſce nota dignis præſidijs, per quæ non ſolum totius corporis euacuatio, ſed materiæ etiam retractio fieret, ad alia properandum, per quæ & deriuatio compleatur, & caput quoq; ipſum uacuetur. Fiet primum per cucurbitulas, diſſecta cute, primo quidem inter ſcapulas, deinde occipitio admotas. Secundo per ſectionem, ſi apparuerint, earum uenarum quæ prope interiores oculi canthos ſunt: uel ſi illæ ſecari non ualeant, hirudinibus primo poſt aures, deinde temporibus appoſitis. Tertio per ea quæ uel naribus infuſa, uel manſa, uel gargarizata materiam euacuant: quæ tamen prudenter adminiſtranda ſunt, ne caput nimium exagitantia, plus obſint quàm proſint. Sint igitur & natura ſua mitia, & quantum fieri poteſt, blande adhibeantur. Satis itaque fuerit, betæ ſucco butyro commixto, narium alas penna interius inungere, paſſulaſq; cum thure & nuce myriſtica, quam moſchatam uocāt, mandere, & oxycratum parum acidum, in quo fœniculi ſemina & roris marini coma bullierint, gargarizare. Verum licet deriuent hæc omnia, atque aliquo pacto materiam ab oculo retrahant, non tamen perpetua poteſt eſſe eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

operatio, ſicuti neque aſſiduus uſus: ideo aliud machinandum, per quod continuò materia deriuetur: quod optime fiet, ſi duobus foraminibus unico iniectu in coniunctione occipitij & poſterioris colli factis, chordula ex ſerico uel ſetis contexta ita inſuatur, ut ora uulnerum diu conſeruet aperta, per quæ continuò deſtillantes humores ab oculis deriuentur. Non omittendæ etiam quotidianæ extremorum membrorum frictiones, atque poſt eas eorundem cum aqua calida in qua fœniculi herba decocta ſit, ablutiones. Sed & ex cucurbitulis integra cute uarijs locis admotis, non mediocre ſequetur emolumentum: ſicuti & exercitio: quo quantum fieri poteſt capite quieſcente manus & pedes moueantur, & capitis crebra lotione ex lixiuio in quo ſaluia & chamæmelon bullierint, proderit: & per interualla ſcrupulus unicus uel duo earum pilularum quas ultimo loco deſcripſimus, duabus uel tribus à leui cœna horis deglutitus. Et per hæc quidem tres primæ intentiones explebuntur, quæ ſientem potius morbum quàm factum reſpiciunt: atque ut ſequens eſt, ad cauendum potius quàm ad curandum cõducunt. Supereſt igitur quarta, quæ morbo iam facto debetur, quæ ut primo nobis proponitur, ita non niſi poſt alias executioni mandari perfecte poteſt. Perfecte dico, quoniam nihil uetat, quo minus eam, prima completa purgatione, à leuioribus quibuſdam collyrijs orſi, aggrediamur.

Leuiſſimum eſt, ut in aqua ubi decocta ſit berbena, purum aurum ignitũ quinquies extinguatur. Fortiuſculum erit, ſi decoctio in uino fiat, & præter aurũ, ignitum quoque æs in eo extinguatur: quantoq; uinum potentius fuerit, tanto redditur efficacius. Augebitur amplius uis, adiecto teſtudinis felle uel perdicis, fœniculoq; & berbena. Completa uero ſecunda purgatione, chelidonio poteris uti: & peracta tertia, ſuperaddito ſagapenum. Vbi uero deriuationes quoque & particulares capitis euacuationes finem habuerint, nec aliqua ſuperſit in oculo inflammatio, parum quoq; euphorbij poterit adiungi. Incipiendum uero eſt à granis quinque pro ſingula uncia: per gradusq; creſcendum, ita tamen ut nunquam duodecima pars tranſcendatur: pro duodecim uidelicet drachmis reliquorum euphorbij drachma. Quod ſi ex hoc uel alio collyrio ingẽs ardor ſuboriatur, ſero caprino oculi ſubluantur. Inter efficacia quoq;, ſuccus cepæ cum melle numerari poteſt, & ſuccus cyclaminis cum eodem, & gallinæ rubrum ſtercus. Poteſt & id inter potentia numerari quod recipit: Succi fœniculi & taurini fellis partes æquales, cum duplo melle. Caput quoq; hirundinis in æneo uaſe uſtum, & in tenuiſſimum puluerem redactum, phyſica quadam ui mirabiliter iuuat, ſi uel per ſe, uel cum melle illinatur. Plura addi poſſent, à recentioribus & antiquis medicis in hoc caſu cõmendata: ſed hæc puto ſufficient, Deo optimo adiuuante: niſi adeò ſuffuſio hæſerit, ut ſola paracenteſi curari poſſit: accedente ſemper congruo uictu, quo craſſiora & ad caput uapores mittentia, maliq; ſucci & humidiora cibaria caueantur. Venti quoque, ſoles, fumus, uina generoſa, concubitus, corporis & animi labores, quantũ fieri poteſt euitentur.

XV. Calend. Maias, M. D. XXXIII.

Epiſt.

EPIST. V. Ioannes Manardus P. Nicolao Caſtellano, de falſitate iudiciariæ aſtrologiæ, de bona ſexti climatis temperatura, de ſaccharo, & ligno Indico Gyarcha.

DVplici nomine mihi gratiſſimæ fuerunt literæ tuæ: uno quidem, quod graui admodum oneri (quod dudum imbecillibus humeris meis aſſumpſeram) uindicandæ uidelicet à barbarorũ ineptijs medicinæ, atq; inueteratis malignisq; ulceribus in ea relictis ſplenium ſi nõ cicatricẽ afferre, te quoq; ualidiſſimam manum admouiſſe conſpicio. Altero, quod in his quæ à me antea æditæ ſunt medicinales Epiſtolæ, paucula quædã obeliſco perfodiſti, cum ego multo plura eſſe in eis putarem, emũctæ naris hominibus, qualem te eſſe ſemper cognoui, non placitura, imò pauca in illis ſcribi, quæ nõ mererẽtur à tui ſimilibus uel negligi, uel nec legi. Feciſti igitur me, ut uerum ingenue fatear, ex tuis literis audaciorem, & meas mihi epiſtolas plauſibiliores ita reddidiſti, ut tentare non ſim ueritus, an quæ à re taxantur, poſſim ad aliquem modum defendere. Ea ſi bene numeraui, in tria capita rediguntur. Diſplicet enim tibi in primis, quod aſtronomiam non admittam, à Platone, Hippocrate, Ariſtotele, Galeno, Auguſtino, Auerroë probatam. Secundo loco non probas, quod ſextum clima, quarto quintoq; prætulerim. Tertio non uideris tibi credendum, ſaccharum quod nũc in uſu eſt, fuiſſe Galeno incognitum, cum eius Varro & poëtæ, ante illum permultos annos meminerint. Vt igitur primum aggrediar, ſi aſtronomiam intelligimus ſuperſtitioſam illam ſyderum obſeruationem, per quam futuri euentus ex horoſcopo & uocatis annorum reuolutionibus prænunciantur: & quæ cuique negocio peragendo, etiam (ſi Deo placet) ueſti uel incidendæ uel induendæ certas præ alijs horas præſcribit: ut cuicunque de re ſibi ignota interroganti, ex ſyderibus hora interrogationis uel orientibus uel occidentibus, uel ſupra uel infra terrã in ſtictitijs quibuſdam ſedibus, quas domos uocant, imaginarie potius quàm uere exiſtentibus, certa ueluti oracula depromat: eam tantum abeſt ut admittam, ut ab omni republica cum ſuis autoribus expellendam ueluti inutilem, deceptoriam, & omni penitus ueritate carentem, putem. Longior autem fuerim, ſuperfluoq; laborauerim, ſi præſtigioſa eorum dogmata pergam ſigillatim confutare, alioqui ab Ioanne Pico Mirandula, ſanudum duodecim libris exploſa: ad quos illi remittẽdi ſunt, qui ueritatem in hac controuerſia perfecte ſcire deſiderant. Satis autem in præſentia mihi fuerit tuis reſpondiſſe rationibus: quod certe, ni fallor, unico iacto fundamento non erit difficile. Fundamentum tale erit, ut quotquot à te afferũtur teſtes, non de ſuperſtitioſa illa diuinandi arte loquutos dicamus, ſed de ea quæ motus, ortus, occaſuſq; cœleſtium metitur: atque ex his non hominum fortunas, ſed defectus lunæ uarios, ſolis labores, atque aëreas mutationes uaticinantur.

Vt enim ab Hippocrate incipiam, nihil in eo inuenio quod iudiciariæ illi adſtipuletur. In libro quidem de Aëre, locis & aquis, qui maxime aſtrologiæ fauere uidetur, quidnam legimus, niſi conſideranda medico anni tempora, uentos, loca, & regiones? Non enim alia de cauſa caniculæ, arcturi, uergiliarum exortus uel occaſus, ſolſtitiaq; & æquinoctia conſideranda medico dicit, quàm ut per ea temporum mutationes agnoſcat, cum quibus hominũ uentres dixit permutari. Cum igitur hanc tantum ob cauſam aſſerat aſtronomiam non parum conducere ad medicinam, eui dentiſſime conſtat, eum de motrice tantum, non de iudicatoria intellexiſſe. Quod & apertius cognoſcetur totum illum libellum lectitanti: ſiquidem morum, rituum, ingeniorum, ſtudiorum, corporumq; uarietates, non in erroneas fixasq; ſtellas, fortunata infortunata ue cœli uel partium eius loca, ſed in temporum, uentorum, aë-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris, aquarum, terrarum, ciborum & potuum refert qualitates. In Epidemijs quoque si quãdo Arcturi, Pleiadum, solstitij, æquinoctij, caniculæ meminit, ad circunscriptionem anni fecit, ut Galenus eum librum exponens apertissime testatur. Sic & in Aphorismis purgationes molestas esse dixit sub Cane & ante Canem: non quia sydus illud purgationibus per se aduersetur, sed quia, ut idem Galenus ait, exusta eo tempore nostra natura, purgatorij uim nõ sustinet. Exuritur autem eo tempore natura, non quod stella Canis uocata adurendi uim aliquam habeat, sed ex accidenti id nostro aëri contingit: quia dum illa oritur, sol & uertici nostro magis propinquat, & in nostro hemisphærio longiorem moram trahit. Si enim propria id Syrij ui fieret, his qui ad antarcticum polum eadem qua nos ad arcticum uergũt inclinatione, eosdem quos nobis calores iacularetur: quum tamen eodem tempore maxime algeant, quo nos maxime æstuamus. Quod certe argumentum uel unicum, totam ferè astronomicam diuinationem tollit, signorum uiribus inhærentem, quas in nostra regione ex solis ad ea accessu demonstrat. Sed quo pacto potest Hippocrates diuinatoriæ nostratium astronomiæ mentionem fecisse, quum supra quadringentos annos ante Ptolemæum fuerit, à quo ferè qua recentiores usi sunt, emanauit, in totum diuersa à Necepsi & Petosiris astronomia: quæ tamen solo nomine cum motrice conuenit, re tantum discrepat, quantum mendacium à ueritate, & figmentum à uera re.

Purgatiões sub Cane eut molestæ.

Non est igitur ut præstigiosi isti diuinatores sua commenta Hippocratis autoritate tueantur: sicuti neque Platonis aut Aristotelis: nam & hi nihilo plus astris attribuunt, quàm quod Hippocrates, indicari scilicet per eorum ortum temporum mutationes. Anni enim partes per ortus & occasus stellarum antiqui distinguebant, ceu per rem quæ ad oculos patebat, & sensibilior firmiórque apud omnes gentes erat, quàm digestio earum per menses, quorum nec nomina nec numerus eadem erant apud omnes. Numam enim nouimus duos anno superaddidisse menses: & dierum mensium numerum sicuti & nomina scimus apud diuersos fuisse diuersa. Quæ uero in Timæo à Platone scribuntur, non de corporibus ipsis cœlestibus intelligenda sunt, sed de ea mouentibus animabus, quas & deorum dignatus est nomine, & idearum (quas in se habent) ratione esse dixit fati conscias.

Apud Aristotelem quoque nihil lego, quod me ad credendum istis uaticinatoribus cogat. Explosa enim iandudum est illorum cõmentitia expositio, qui id quod in Meteoris, de pluuijs, grandine, uentis, terræ motibus, atque id genus cæteris dixerat, ad omnia quæ in terra quomodolibet aguntur, transferebant. Sicuti & quod de accessu & recessu solis, in obliquo circulo, in libro de Cœlo & mundo est proditum. Vt enim negari non potest, corpora cœlestia, & præcipue solem suo accessu & aspectu, calorem per se in nos influere, & suo recessu ex accidenti frigus: ita concedi non debet, ut peculiari alia ui, uel nocua nobis sint, uel salutaria. Quare quod Thaleti ab Aristotele attribuitur, & Democrito à Plinio, præuidisse scilicet eum per astronomiam olei penuriam, si ex aëris intemperie coniecturam fecisse credatur, ut ex Plinio colligitur, hoc non inuiti concedimus: si de Martis, Saturni, uel alterius syderis maligno afflatu, factum ipsum negamus: nec Aristotelis aut Plinij testimonia nobis aduersantur, si recte uerba eorum perpendantur. Attribuunt hoc Thaleti, ait Aristoteles, & de eo dici. Et Plinius, Ferunt, inquit, Democritum &c. Quæ uerba non credidisse ei famæ Aristotelem aut Plinium demonstrant, sed eam historiam ueluti ab alijs proditam enarrasse. Nec ut ostendat philosophiam utilem esse ad comparandas diuitias, Thaletis exemplum affert Aristoteles, sed potius ut ostenderet μονοπώλιον ad cumulandam pecuniam multum conducere. Verum quidnam potuit Thales ex cœlestibus potestatibus cognoscere, quum eorum substantiam ignorauerit, astra enim terrestria, & cœlum sectum putauit. Quid per motus explo

explorare, qui nondum exacte agnoscebantur? Quid uero (quisquis ille fuit qui philosophorum historiam texuit, Galenum enim non fuisse satis constat) de uaticinio illo Thaletis senserit, non ualde mihi curæ est, scienti magnam hominum partem desiderio noscẽdi futura tractos, non solum astronomiæ, sed uanioribus etiam diuinationibus fidem mancipasse: quanquam, ut uerum ingenue fatear, id in eo libro non memini me legisse. Maioris autem momenti apud me est Galeni ipsius autoritas, qui in libro de diebus decretorijs, qui proculdubio eius est, astrologorũ delyrijs manum dedisse aperte cognoscitur. Nam Augustinus & Auerrois tam aperto Marte aduersus astrologos ubique pugnant, ut ambigi non possit, eos si quid uideantur quandoque cœlo adscribere, id non plus esse, quàm quod nec cæci ignorant, caloris uidelicet & frigoris influxum. Quod uero ad maiorem machinam, hoc est ad Galenum attinet, non adeò ei adstricti sumus, ut non ueritati magis. Ab eo siquidem didicimus, nulli quantumuis summo plus credendum esse, quàm quantum rationi & experientiæ est consonum. Age igitur uideamus quantum rationes quas in libro de iudicialibus diebus affert, roboris & momenti habeant in reddenda earum dierum ratione, quas Hippocrates præ cæteris commendauit.

Sunt igitur quæ axiomatis loco ab eo subijciuntur ueluti experientia nota, septem numero:

1 Non omnes dies sunt æque iudiciarij.
2 Fortissimi sunt septenarij.
3 Secundum locum obtinent quaternarij.
4 Quidam inter hoc cadunt.
5 Non omnes septimanæ, nec omnes quartanæ disiunguntur, Sed nõnullæ coniunctæ, aliæ uero disiunctæ sunt.
6 7 Acuti morbi diebus imparibus magna ex parte iudicantur, & diuturni paribus.

Horũ rationẽ redditurus multa subijcit quæ à nobis sigillatim sunt examinanda.

Duo in primis esse dicit omnium quæ fiunt prima principia: unum, quod ex inferiori materia exordium capit: aliud, quod ex cœlestibus.

Nos autem duobus hisce principijs, alia duo superaddenda à bonis philosophis didicimus: in inferioribus quidem humanam mentem: in superioribus, cunctis & cœlestibus & terrestribus imperantem, diuinam potestatem, & inseruientem illi supernarum mentium innumerabilem cateruam.

Addit Galenus, absque ordine esse quæcunq; ab inferiori hoc principio: cum ordine uero quodam & ornatu semper progredi, quæ à cœlestibus proficiscuntur.

Nos scimus tam cœlestia q̃ terrestria, imò & quæ supramũdana appellantur, cũ certo ordine esse à summo opifice cõstituta: multaq; hic & esse & fieri cum ordine, quæ ordinẽ suũ uel à propria natura, uel à potestatibus cœlo potẽtioribus nanciscũtur. Nam ut mittã ea quæ supra omnẽ & cœlorũ potestatẽ & ordinẽ solius dei gloriosi munere in nobis fiunt, elemẽta, quocunq; modo cœlestia corpora uoluta sint, nunquã ex proprio ordine recesserũt. Plantæ, radices deorsum, ramos sursum semper miserũt, atq; in omnẽ dimensum auctæ iamq; perfectæ, semina quibus species seruaretur, produxerũt. Pisces aquas, aues aërem, metalla terræ uiscera, quocunq; uersa sint sydera, nunq; deseruerunt. Demũ, ut Aristot. docuit 8. naturalis auscultationis, ea sola ordine carere dicimus, quæ præter naturã sunt. Sed & Gal. ipse in doctrinis ordines quosdã agnouit, quos in cœlũ nec retulit, nec referre uel debuit uel potuit. In agricolationũ quoq; disciplina, in domo uel repub. gubernanda, in re militari, & in quauis denicq; arte, siue speculatiua, siue factiua, multa ex ordine fieri uidentur, quæ in cœlestes causas nequaq̃ sunt referẽda, neq; ab illis, ut Gal. putauit, ad ordinẽ sunt redacta. Quare nõ erat ut pro reddenda crisimorũ dierũ ratiõe ad solẽ uel lunã confugeret. Nam ut demus illi nos uirtute omniũ astrorũ, solisq; præcipue

Universidad de Deusto
Biblioteca

frui, quatuor anni tempora ab eo fieri, ex terrestri limo animalia gigni, fructus ad maturitatem duci, ad concubitumq; & generis permanentiam animalia quæque, homine excepto, prouocari: non propterea tamen concedendum est, morbos eius peculiari ui ad salutem uel mortem iudicari. Agit quidem sol morborum curationes, sicut & reliqua quæ diximus, calore suo uiuifico, quē plus minus ue uario motu & lumine nobis impartitur. Hinc enim fit ut ægritudines æstate inchoantes, in qua ex solis ad nos accessu maxime incalescimus, hyeme ob frigus, recessu eius nobis contingentes, resoluantur: atque econtrario quæ hyeme cœperunt (ut Hippocrates docuit) calore æstatis euanescant. Verum non hoc perpetuum est, neque eundem ordinem semper seruat, sicuti contingere deberet, si inferiora hæc à cœlo (ut Galenus dicit) in certum ordinem redigerentur. Plerunque enim contingit, ut æstiui morbi ante hyemem, & hyemales ante æstatem, finem uel bonum uel malum sortiantur. Quandoque etiam, licet non tam crebrò, euenit, ut ad longius quàm sex mensium tempus, nullo uel ægrotantis, uel medici, uel assidentium errore interueniente, prorogetur. Quod si ea quæ à sole in morbis fiunt (qui etiam, ipsomet Galeno teste, princeps summus est inter cœlestia sydera) non sunt firma & rata: quid de luna dicendum, quæ eius ueluti uicaria, mutuatum tantum lumen nobis impartitur, atque id quidem non eodem semper ordine? Et licet mense uno tantum itineris perageret quantum sol in duodecim, exiguos tamen præ illo in nos parit influxus, atque non adeò manifestos. Quare nescio an recte eius operatio in quatuordecim diebus, operationi solis in sex mensibus, in soluendis morbis, à Galeno comparetur. Sol quippe, præter id quod summam habet inter sydera potestatem, ex maximo ad nos accessu ad minimum, uel econtrario, in sex mensium spatio necessariò permutatur: Luna uero cum exiliter semper in nos agat, in semimenstruo illo circuitu, prout uel ad septentrionem uel ad austrum magis uergit, modo plus modo minus uertici nostro fit proxima, & tardius uel citius mouetur, secundū quod uel in superiori sui parui circuli parte, uel inferiori reperitur. Quare quantum ad hæc, minus stata & certa longe est eius, quàm solis in nos alteratio.

At si quispiam Galenum sequutus dixerit, operationes lunæ in nos ex absessu eius à sole, uariáque ex eo configuratione, non ex maiore minore ue ad nos directione, aut motus uelocitate contingere: fortiores enim mutationes fieri in congressibus, atque dum πανσέλην plena ue est: minores, dum δίχομον, seu diuidua: exiles, dum ἀμφίκυρτον μηνοειδῆ, hoc est, utrinque curua, & cornicularis: hoc certe dictum ad tuendum dogma aliquid faceret, si omnes ægroti labi in morbos luna silente inciperent. Ita enim in septimo diuidua, magnam: in decimotertio plena, maximam alterandi habens uim, acutos morbos iudicaret. Verum hoc rarissime contingit: & propterea Hippocraticam crisimorum dierum doctrinam destruit potius quàm adstruat. Nam quum indeterminata sint morborum initia, sicuti quouis lunæ die potest morbus incipere, ita potest quælibet ad solem configuratio in singulo morbi die contingere. Atq; hoc pacto nulla dies magis quàm quæuis alia dici merebitur iudicatoria: morbo enim inuadente secundo lunæ die, sexto nō septimo tetragonus, & decimotertio nō decimoquarto oppositos cōtinet aspectus. Quare si iudicium configurationes huiusce modi sequi dicatur, nec septima potius quàm sexta, nec decimaquarta potius quàm decimatertia, nec dies una magis quàm alia iudicandi potestatem habebit: totáque Galeni machina, supra obseruatos ab Hippocrate dies fabricata, cum ipso corruet fundamento, uniuersusq; eorum ordo interrumpetur: alioqui ob aliud Galeni dictum nutabundus: nihil enim manifestum ob ea fieri dicit, dum luce caret, quod magna ex parte tribus diebus à coitu ait contingere: in quibus ea quæ apud nos sunt, alterare non sufficit. Quocunque igitur morbi die nouilunium euenerit, ut nulla alteratio perpetuo tri duo

duo in hæc inferiora à luna fiet, ita nullum eo tempore poterit eius uirtute in morbis iudicium fieri. Quare mensis ille Galeni, quem ex tempore quo luna totum signiferum circulum peragrat, & ex tēpore quo nobis uisibilis est, fabricauit, triduo illo quo lucem ad nos non mittit, necessariò cadet, ueluti altera cadente columna qua sustinetur. An uero alijs etiam ex causis nuter, age exactius examinemus: quod ut probius fiat, prius Galeni mens bene elucidanda. Cum ex tribus lunæ uenis mensibus nullus suppeteret in quem crisimorum dierum rationem commode posset referre, quartum quendam machinatus est, imaginariè potius quàm re ipsa ex duobus compositum. Tres dico, adiecto his duobus quos nuper recensuimus, alio, qui apud Græcos, ut dicit Galen. tertio Prognosticorum, proprie mensis nuncupatur, tempore uidelicet medio duorum congressuum solis & lunæ. Addit autem supra eum quo luna signiferum circuit, duos semis ferè dies quibus solem attingit, à loco in quo antea secum coniuncta fuerat, triginta iam partibus summotum: in quem certe mensem, si in lunam referendi essent crisimi dies, potius quàm in utrumuis iam dictorum referri deberent, cum configurationes eius ad solem, in quibus magnam uim esse Galenus fatetur, per hunc maxime & fiunt & agnoscūtur. Verum cum hic uigintinouem dies semis capiat, tres eius septimanæ supra uiginti duos atque octauam alterius diei partem superadderent: quod ab Hippocratis doctrina multum abhorret. Hoc igitur reiecto mense, ueluti non modo Hippocrati, sed nec Archigeni conueniente, ad mensem peragrationis accessit: quem cum uigintiseptem dierum & tertiæ partis alterius diei esse putaret, uideretq; tres eius septimanas compleri, in diebus uiginti & media alterius diei parte, atque ut sequens est, non plus ad uigesimam quàm ad primam & uigesimam pertinere, isto quoque reiecto, ad mensem apparitionis confugit: quem cum indeterminatum ideo reperisset, quod luna non semper æquali tempore post coitum cum sole delitesceret, ex proprio potius arbitrio, quàm re ipsa tempus, quo lateret, trium, & id quo luceret, uiginti sex dierū spatio, tertia alterius diei parte superaddita, definiuit. Quod etiam cum in totum suo desiderio non satisfaceret, tres enim eius septimanæ octaua diei unius parte, à uiginti diebus deficiebant, quare ad decimumnonū potius quàm ad uigesimum uidebantur pertinere: alium ex duorum compositione commentus est, qui minor esset quàm is qui circuitum signiferi describit, maior eo qui illuminationē metitur. Coniuncto igitur utriusq; tempore simul, atq; eo numero qui ex commixtione nascebatur, in duas æquas partes resecto, id quod remanebit, quasi in eo utriusq; uires complecterentur, idoneum putauit, in quod crisimi dies referrentur. Restabunt autem ut supputanti manifestum fiet, dies integri sex & uiginti, & præterea alterius diei media & tertia & duodecima pars: quæ partes si ad nostrum horologium reducantur, æquinoctiales horas duas supra uiginti constituunt. Media enim diei pars horas duodecim capit, tertia octo, duodecima duas: quæ simul iunctæ duas & uiginti cōplent: ut sit hic factitius mensis, duodecima diei parte, hoc est, horis duabus minor uigintiseptem diebus. Quod tempus si in quatuor secuerimus partes, cuilibet septimanæ dabimus dies sex, addita alterius diei media sexta, uigesimaquarta & quadragesimaoctaua parte: quæ utiq; partes simul iunctæ horas quot diximus complebunt. Medietas quippe diei horarum est duodecim, sexta pars quatuor, uigesimaquarta unius, quadragesimaoctaua semi hora perficitur. Iunctæ autem hæ simul, horas quas diximus, septemdecim uidelicet semis efficiunt. Et quoniam hæc eadem septimæ diei fragmēta, alio modo signans Galenus dicit esse media & quintam partem, adiecta sexagesima, centesima & uigesima & ducentesima quadragesima diei particulis, uideamus quomodo hæc in idem recidant cum prioribus, hoc est, quomodo horas septemdecim semis conficiant. Media pars diei est horarum duodecim: quinta pars est horarum quatuor, & quatuor ex quinque

Universidad de Deusto
Biblioteca

partibus alterius horæ: quæ clarioris supputationis gratia sunt iuxta recentiores, minuta horæ octo & quadraginta, dando uniculque horæ sexaginta talia minuta. Sexagesima porrò diei pars, quatuor & uiginti ex eisdem minutis comprehendit: centesima & uigesima duodecim: ducentesima & quadragesima sex: quæ omnia minuta simul iuncta numerũ complent nonaginta, quæ horam semis constituunt. Quare horis his omnibus simul iunctis, redeunt horæ priores, decem septem uidelicet semis, quibus ad complendam septimam, desunt horæ sex semis: quas Galenus dicit esse quartam diei partem, additis sexagesima & ducentesimaquadragesima diei unius portiunculis. Licet in impresso græco codice mendose addatur portio centesimauigesima: tũc enim redundarent minuta horæ duodecim. Nam sexagesima, ut diximus, diei portio, quatuor & uiginti horæ minuta constituit: & ducentesimaquadragesima sex: quæ iuncta uigintiquatuor, trigínta partes (medietatem uidelicet horæ) complent. Quare delendum ρκ' in græco codice, atque in hac parte barbara æditio non solum nouam interpretationem, sed & græcam ipsam lectionem uincit. Alioqui neque solum in hac parte erratum est in noua interpretatione, sed & eo loco ubi mensis à Galeno dearticulatur. Referendæ enim illæ tres portiones, scilicet medietas, tertia & duodecima, ad integram diem: non, ut interpres putasse uidetur, tertia & duodecima pars medietatis intelligenda. Nec uelim uel te uel alium forte qui hæc legerit, arbitrari me detrahẽdi studio in hæc diuertisse. Tantum enim ab hoc absum, ut summa laude & præconio dignum eum interpretem ducam: culpandosq; potius, si qui culpandi sunt, librorum excusores, qui dum celeritati nimis student, castigationes recognitionesq; plerunque præuertunt, & præcipitari æditiones cogunt: quod de hac ipsa interpretatione interpres ipse queritur. In hæc autem diuerti, ut Galeni sensum, qui præ literæ corruptela excerpi non poterat, aperirem. Galenus præterea, ut ad id redeamus unde discessimus, ostensurus uigesimam potius quàm uigesimamprimam iudicatoriam esse, ait: Quod cum hæc
» ita se habeãt, ternæ septimanæ uiginti erunt dierum, & præterea alterius diei sextæ
» partis. In quo loco etiam menda est, tam in græco quàm in barbaro codice: maior tamen in græco, in quo nihil præter sextam illam partem legitur: quum in barbara æditione legatur, sexagesimaquinta pars, ex centesima quinquagesimaoctaua. Re-
» stituendus ergo locus in hunc modum: His ita se habentibus, tres dierum septima-
» næ uiginti dies, & præterea unius diei sextam & sexagesimam, & ducentesimam
» quadragesimam partem continebunt. Atque ad hunc modum exactè ratiocinantibus, parum excellit uiginti dies, trium septimanarum numerus: & huius magis quàm uigesimusprimus est proprius: quanquam & hic quoque erratum est in græco codice, pro uigesimo enim die legitur octauus. Demum quasi epilogum faciens, subdit Galenus: Mihi quidem demonstratum est iuxta ueritatem, & Hippo
» cratis sententiam, quod nullum horum totis diebus uerè numerari potest, hoc est,
» exacte & perfecte, neque septimana, neque quartana, necq; mensis, neque annus.
In quibus uerbis aliquantisper sistendum, considerandumq; an ad intelligendam Hippocratis de decretorijs diebus sententiam, eorumq; rationem reddendam, necessarium sit ad lunam recurrere, & per eius aliquem motum eos numerare. Percurrenda igitur in primis loca, in quibus de his diebus mentionem facit. In aphorismis
» legimus, in quatuordecim diebus acutos morbos iudicari: quartum diem esse
» indicem septimi: alterius septimanæ octauam esse principium: undecimũ esse con
» templabilem ceu quartam alterius septimanæ: & pariter decimumseptimũ. Sudo-
» res bonos & qui iudicãt morbos incipere die tertio, quinto, septimo, nono, undeci-
» mo, quartodecimo, septimodecimo, uigesimo, uigesimoseptimo, trigesimoquarto.
» Et alio loco: Febrem quæ diebus parib. relinquit, solere reciduare. Morbum regiũ
» bonum esse, qui septimo, nono, undecimo, quartodecimo febris die superuenerit.

Loeus Galeni emendatur.

Suppu

Suppuratos à pleuritide nisi in quadraginta diebus purgentur, tabidos fieri. Podagricos tumores, sedata inflammatione, in quadraginta diebus finiri. Destillationes
» in uentrem superiorẽ intra uiginti dies suppurari. In quibus dictis nihil ego uideo
» quod currere ad lunam nos cogat: uideo potius quod auertat. Vt enim argumentum quo ab initio tertij libri utitur Galenus, in argumentantẽ retorqueatur, si dierum Hippocratis ordo status est & determinatus, quo pacto potest in lunam referri, in qua nihil ratum & stabile inuenitur? Nam ut à mense coniunctionis incipiamus, non semper idem spatium primã & sequentem coniunctionẽ interiacet: alioqui una scita, perfacile esset absque ullo labore futuras omnes cognoscere, quod in medijs ut uocãt coniunctionibus docent astrologi: quanquã nec ipsæ id præcise habent interuallum, quod Galen. putauit, sed supra uigesimumnonũ diem semis, partes quatuordecim superaddunt. Minus quoq; stabile est peragrationis sub signifero circulo tẽpus, ipsa uidelicet luna modo uelocius, modo tardius lata: quãdo enim celerrime mouetur, supra 15. gradus quotidie perambulat: quãdo tardissime, duodecimũ non attingit. Ex quo fit, ut instabilissimũ sit illuminationis tempus: cuius inconstantiã quum agnouisse Galenus uideatur, mirũ est, quod eo ueluti stabili utatur. Quod etiam tẽpus si præfinitũ certumq; esset, nihilominus ordinẽ & numerũ dierũ Hippocratis peruerteret, quum eo quo latet tẽpore, nihil huc influat, ut superius quoq; dictum est. Sed & quomodo possunt hi dies certi quidpiam habere, si uerum est aliud quod experientia obseruatũ dicit Galen. luna beneuolos planetas respiciente, bonos & sanis & ægrotis dies cõtingere: si ad maleficos respiciat, malos & cõtristantes? Ex hoc enim plerunq; euenit, ut laudati ab Hippoc. dies, maligni sint: & quos ipse uituperat, boni. Sicuti etiã ex alio astrologorũ dicto, à Galeno non minus recepto. Asserunt quippe ijdem Aegyptij astrologi, quoties id signum, in quo boni planetæ fuerint, natiuitatis alicuius hominis tẽpore luna insederit, bonos dies illi homini futuros: atq; è diuerso malos, quoties in eo signo fuerit, in quo mali planetæ errant, dum homo nasceretur. Idem iudicãtes ex signis quæ de quadrato uel aduerso primordia illa signa respiciũt: ut si Arietem boni planetæ tenuerint hora natiuitatis, & mali Taurũ: quando luna in Ariete, Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, bene cum homine illo agetur: quãdo in Tauro, Leone, Scorpio uel Aquario, male. Quid igitur certi relinquetur diebus Hippoc. si in uno lunæ circuitu uix decem supererũt dies, qui ex cœlesti causa nõ impediantur? Sed quũ duo sint secũdum astrologos beneuoli planetæ, Iupiter & Venus: duo maleuoli, Saturnus & Mars: fingamus aliquẽ nasci planetis his quatuor diuersa signa tenẽtibus, ut me hæc scribente cõtingebat: Iupiter enim in Scorpione, Venus in libra, Saturnus in Cãcro, & Mars erat in Virgine: nullus ei nato, quocũq; ægrotauerit tẽpore, ex notatis ab Hippoc. diebus relinquetur, qui à proprio significato nõ detorqueatur. At dixerit forte quispiam, per bonos hosce influxus iuuari bonos Hippoc. dies: per malos malorũ malitiam augeri. Sed dicat mihi, quidnam fiet, si cum bono influxu malus dies, uel cum malo bonus cõiungatur? Mixta, inquiet, ex bono & malo proueniet operatio. Verum nónne hoc est Hippocraticas obseruationes peruertere, & ordinem omnẽ ab eis auferre; atq; medicũ à propria professione ad supputandos cœlestes motus euocare, & in hanc necessitatẽ adducere, ut cuiuscunq; ægroti curationem accepturus est, natalem horã cognoscat, & planetarũ loca cum stylo & abaco in eadẽ hora supputãdo perueſtiget? Verũ & morborũ initia nõ minore diligẽtia erunt obseruãda, quum iuxta astrologorum & Galeni sententiam, bona futura sint, his orientibus signis in quibus boni planetæ fuerunt, tempore natiuitatis: & mala illis orientibus, in quibus mali fuerunt collocati. Idemq; iudicandum de signis quæ uel ex aduerso uel ex quadrato respiciunt. Tanti autem momenti esse Galenus putat principia, ut ab his ferè depẽdere dicat uniuersam ex crisimis diebus prognosticationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Magnas enim quæ in quadratis uel in aduersis locis fiunt mutationes, in bonis principijs bonas, in malis malas esse arbitratur: ut & hic illud dici possit, quale fuerit principium, talem & exitum. Quare principij hora erit cum astrolabio à medico accuratissime cognoscenda, & quod signum in ea oriatur solertissime inuestigandum: hoc enim perdito, simul omnis dierum iudicialium ars deperibit: alioqui eo etiam habito ruitura, si horæ principij magis standum sit, quàm diebus ab Hippocrate scriptis. Longior fuerim, si quæcunq; recentioribus astrologis circa morborum præsagia conscripta, uel potius conficta sunt, crisimis Hippocratis diebus aduersantia, hic afferre uoluero. Extant peculiaria duo cōmentariola, unum Hippocrati, alterum Galeno adscriptū: in quibus quicquid ferè legitur, Hippocrati in hac doctrina aduersatur: ad ea relegentur, qui huius rei pernoscendæ sunt auidi: satis mihi nunc fuerit ea afferre, quæ à Ptolemæo astrologorum principe de his diebus scribuntur, ut uel ex hoc cognoscatur astrologorū dicta cum medicis non consentire. Is enunciato quodam inter centum, sexagesimum, in hunc modum scribit: Super ægrotis criticos dies inspice, ac lunæ peragrationem in angulis figuræ sexdecim laterū. Vbi enim eos angulos bene affectos inueneris, bene erit languenti: contrà male, si affli ctos inueneris. Quodlibet huius figuræ latus uigintiduos gradus capit, & præterea alterius gradus medietatem. Erunt igitur in lunari mense dies sexdecim obseruandi, qui nec stati erunt, nec Hippocraticis, præterquam rarò, consentientes: quoniã luna uelocius mota, paucioribus diebus unum latus absoluet: ubi tardior fuerit, pluribus in uno pertranseundo immorabitur. Verum nec ex ipsa secundum seipsam die, sed anguli bona maligna ue affectione, bonum uel malum iudicium dependebit. Quo magis igitur ad astrologos conuertimur, eo magis ab Hippocrate diuertimur. Sed hæc quidem ad omnes pertinent, qui in reddenda crisimorum dierum ratione, ad astrologos cōfugiunt. Illud uero ad Galenū peculiariter pertinet, quod de intermittentibus febribus 4. Aphorismorum lib. Galenus, & 3. Prognost. idem Galenus & Hippoc. scribunt, numerandos uidelicet in his non continuos dies, sed ipsas accessiones. Quæ certe accessionum numeratio in lunam referri non potest continuè motam, nec quãdoq; suam motionem interrumpentem: & si in eam referatur, neq; ijdem dies, neque eædem configurationes remanebunt. Quarta enim quartanæ accessio, ad nonam diem, & septima ad octauamdecimam pertinebit, atque deinceps quoq; in reliquis uniuersus & dierum & configurationum ordo perturbabitur. Sed & in tertianis quarta accessio ad sextum, septima ad tertiumdecimum spectabit. Quare hi dies, sextus uidelicet & tertiusdecimus, iudiciales potius in his erunt, quàm septimus & decimustertius. Mitto argumentū quo præcipue Aponensis in Galenum utitur, licet non minus cōtra ipsummet argumentantem, quàmcontra Galen. cōcludat: sequi uidelicet ex Galeni numeratione, quadragesimamprimam diem magis quàm quadragesimam esse iudicialem, superfluentibus secundo uicenario duodecim horis, sicuti primo, quæ prioribus duodecim iunctæ diem integram constituent: quare iudicium ad quadragesimamprimã, non ad quadragesimam pertinebit. Neque est ut ad numerum parem recurrant qui sit diuturnis morbis congruentior, per eum potius quàm per imparem motis. Nam quum in his natura ceu minus exagitata segnius aduersus morbum moueatur, si paritati hoc dandum, ad quadragesimamsecundam potius quàm ad quadragesimam iudicium pertinebit.

Hæc & alia permulta faciũt, ut à Galeno in hac parte recedam: nec solum ab eo, sed ab omnibus quotquot astrologica superstitione præclarissimam & castissimam medicinæ artem fœdare & adulterare contendunt. Nec est ut Galen. uel alius quicunque hanc crisimorum ex cœlo rationem in Hippocratem referat, in tertio Prognostico, ubi crisimos dies per sex quaternarios ad uigesimum usq; digessit, in hunc modum

modum scribentem: Nullum autem horum totis diebus uerè numerari potest: neque enim annus, neque menses totis diebus apti sunt numerari. Quartanos enim & septimanos insultus (de his enim loquitur Hippocrates) non esse integris diebus numerandos, ex eo probat, quod nec mensis neq; annus integris diebus sunt numerandi. quod certe argumentum, ut pro argumento ab eo affertur, non uidetur concludere, nisi quartanorum & septimanorum supputatio ex anni supputatione dependeat. Quod si tanquam uerum recipiamus, ad agnoscendam dierũ certam quãtitatem necessarium erit anni circuitum exacte cognoscere, ut hoc in duodecim partes diuiso, menstruum tempus habeamus: quo in quatuor partes dissecto prodeat septimana. Est autem uerus anni circuitus, iuxta Alphonsi supputationẽ, quæ cæteris exactior reputatur, dierum trecentorũ sexagintaquinq;, horarũ quinque, & quadragintanouem sexagesimarum alterius horæ, & præterea partium secundæ sexagesimæ sexdecim. Hunc numerum si per duodecim diuiserimus, occurrent primo integri dies triginta, supererunt q; quinq;: quos si clarioris supputationis gratia ad horas reduxerimus, fient horæ centum & uiginti: quibus per singulos menses distributis, decem cuiq; obtingent. Erit igitur quilibet mensis dierum triginta, horarum decem. Et si quis exactius rem supputare uolens, quinq; horas quæ remanserunt, in minutias secuerit, & cuilibet horæ, ut astrologi faciunt, sexaginta tribuerit, resultabit summa trecentorum. Quibus si adijciantur nouem & quadraginta primæ minutiæ, erunt in totum CCCXLIX. Quæ rursus in menses duodecim distributæ, addent cuilibet minutias nouem supra uiginti, unica superstite minutia: quæ cum sexaginta ualeat secundas minutias, ex his etiam secundis quinque erunt superaddendæ. Sed ex sexdecim huiusce modi minutijs, quas diximus in exacto anno contineri, singula singulo mensi data, adhuc quatuor reliquæ erunt: quæ ad tertias redactæ, & summa earum per duodecim diuisa, singulo mensi uiginti tertias minutias superaddent. Conflabitur q; præcisa mensis quantitas ex diebus triginta, horis decem, minutijs primis uigintinouem, secundis sex, tertijs uiginti. Quare uerus hic mensis Galeni mensem longo interuallo superabit: & si integritas à die tollitur, quia nec mensibus, nec anno adest, per auctionem potius quàm per diminutionẽ auferetur, tresq; septimanæ ultra primum & uigesimũ diem extendentur, nedum quod uigesimo finiantur. Quanquam si astrologis standum, incertior longe est dierum mensura, ipsis quidem plus minus ue modo auctis modo minutis, iuxta inæqualitatem tum motus solis in obliquo circulo, tum obliquarum & rectarum ascensionum, semper tamen uigintiquatuor horas excedentibus, ut Ptolemæus lib. 2. & 3. magnæ compositionis demonstrauit. Si igitur Hippocratis autoritati, quæ certe non maxima apud quemlibet non esse debet, dandum est, ut diebus non integris & quartanos & septimanos circuitus ita numeremus, ut sex quartani tres ue septimani, quod idem est, in uigesimo die finiãtur: non hoc ad dies æquales uel inæquales astrologorum acceptum est referẽdum, sed ad id potius quod Hippocrates expressit, quod scilicet aliqui quartani, sicuti & aliqui septimani circuitus, cõiunctim, aliqui disiunctim sunt supputandi. Nec id quod de anno & mense ab eo dicitur, pro efficaci argumento, sed pro exemplo est recipiendum, ut quemadmodum nec anni nec menses, ita nec quartani nec septimani circuitus, completis & solidis diebus sunt metiendi: alioqui & sex quartani & tres septimani uigesimam diem transcendent. Nihil igitur ego in doctrina Hippocratis de iudicialibus diebus uideo, quod in astrologorum dogmata referri uel debeat uel possit: uideo potius per Hippocraticas obseruationes illorũ decreta circa morbos funditus tolli. Laudandum igitur in hac parte Galeni ingeniũ, quod subtili artificio Hippoc. dicta in cœlum redigere conatus sit. Non propterea tamen eius autoritati tantũ est tribuẽdum, ut ueritas deseratur: quæ sola amica magis esse cuilibet bono uiro debet, quàm myrias Galenorũ.

Anni circuitus iuxta Alphonsi supputationẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum quod in meis Epistolis non probas, est, quod clima nostrum sextum magis temperatū esse dico, quàm quartum, quod Galenus: & quintū, quod Auerrois putauit temperatissimum. Tibi enim uideri ais iustitiali temperamento quartum & quintum excellere, quoniam calor amicior est naturæ quàm frigus: qualem temperiem potius debet spectare atq; optare medicus. In quibus uerbis, quinq; uideris innuere: primo, temperatissimum hominem non uerè æqualem habere primarum qualitatum mixtionem, sed iustitialem: secundo, iustitialem hanc temperiem ad calidum magis quàm frigidū uergere: tertio, hanc in quarto & quinto magis quàm in sexto climate reperiri: quarto, calorē magis amicum esse naturæ quàm frigus, & in temperata regione calorem potius quàm frigus desiderandum. Ego uero, ut à primo incipiam, dum eam medicinæ partē, quam theoricen uocant, profiterer, quicquid recentiores putent, tenebam temperatissimum hominem, si modo quis talis inueniatur, temperaturam habere inter utranq; primarū qualitatum contrarietatē exacte mediam, humanumq; in uniuersum genus inter reliqua quæ cœli ambitu continentur, huic certe æqualitati esse maxime propinquum: nobilissimæ quippe formæ, qualis proculdubio est anima humana, nobilissimā deberi temperaturam, & quantū fieri in hac fluxa & fragili materia potest, cœlo, quod omni prorsus contrarietate caret, simillimam. Cæteris quidem animalibus eam temperaturam à summo opifice condonatam, quæ ad sua cuique exercenda munia esset idonea: quam iustitiæ Galenus comparauit. Homini uero ceu in interliminio superiorum & inferiorum existenti, ea dari debuit, quæ simpliciter & absolute esset perfectissima, & ab utraq; extremarum qualitatum contrarietate æqualiter & ad amussim remota: quæ propterea exacte & maxime temperata est à Galeno, ponderisq; & mensura æqualis uocata, ut primo libro de Temperaturis, & primo ac quinto Salubrium ita aperte declarauit, ut Auerrois secundo libro sui Colliget, licet in totum non probauerit, esse tamen Galeni opinionem non negauerit. Hac autem pro uera sententia recepta, secundum tuum dictum non potest bene consistere: id enim quod ueram habet mediocritatem, non magis ad calidum inclinat, quàm ad frigus, sed quatuor primas qualitates omnino æquales habet. Sicubi uero Galenus uidetur cōtrarium afferere, hominemq; à prædominio calidum dicere, de eo quatenus animal est & uiuit, intellexit: quandoquidem non solum exangues quosque uermiculos, uerum & hyoscyamum atque mandragoram quatenus uiuentia exuperantem habere dixit qualitatem: quibus tamen iustitiale, ut nunc loquimur, temperamentum non secus ac homini adscripsit. Quare nec ex iustitiali temperamento, nec ex calore, quem temperatissimus homo præ se fert, quod recentiores nonnulli contendunt, argumentari licet, humanam temperaturam ad calidum potius quàm ad frigidum uergere. Viuit siquidem & actu calet hominis cutis, quam tamen exactissime inter omnia quæ in mundo hoc sunt, mediam statuit Galenus. Cuius comparatione cum climatis æqualitas maxime sit attendenda, sequens est, id clima magis æquale esse, quod certe cutis æqualitati magis est propinquum: quam propinquitatem non habere quartum clima, ex cutis earum hominum qui in eo degunt colore, crassitie & duritie, liquidò potest agnosci, quæ in Mauritanis, Aegyptijs, Siculis, hominibus sexti comparatis, reperiūtur. Quinto uero, si qua temperies adest, in ea maxime parte adest, quæ ad sextum declinat. Media autem eius pars quæ ad quartum uergit, sicuti & totum ipsum quartum, cum impensius caleant, innatum calorem (cuius bene temperata est, ut Galenus ait, substantia) reddunt imbecilliorem: quare eorum caliditas inimica magis est naturæ, quàm sexti modicum frigus: quod, Hippocrate teste, hyemis tēpore uentres reddit calidiores, & uniuersum corpus magis robustum facit, quàm æstatis caliditas. Si à temperamento igitur recedere debet habitatio, ad modicum frigus potius uergere deberet, quàm ad calorem.

Probas

Probas præterea ex Lusitanorum nauigatione clima nostrum non esse medium, secundum graduum numerationē, quia trans æquinoctialem uersus meridiem latior quàm ego scribo sit habitatio. Sed, mi Nicolaē, cum Hippocrates, Galenus, cæteriq; in climata terram diuidunt, non de uniuerso orbe, sed de una tantum terræ portione considerant, in eaq; duas partes omnino inhabitabiles statuunt: unam, quæ ad æquinoctialem, ob immensos calores: aliam, quæ ad polum arcticum uergeret, ob frigus immodicum: in mediaq; tantum parte septem climata distinguūt: inter quæ quoniam nostrum, utpote cuius medietas quadragintaquinq; gradibus ab utroque distat extremo, uerè medium existit. Quod si in alijs quoque tribus quartis terræ portionibus, uel Lusitani, uel alij quiuis climata distinguere uoluerint, sub quadragintaquinq; pariter eius quartæ partibus, medietatem suæ habitationis comperient: quæ licet à polo nostro arctico per centum & trigintaquinq; remouebitur, ab æquinoctiali tamen & polo antarctico non plus quàm per quadragintaquinq;, sicuti nostrum clima, distabit. Quocunq; autem modo suas inibi habitationes secernant, nostram climatum diuisionem non perturbabunt. Illud potius Galenum & Auerroën turbare potest, quod priore epistola scripseram, inuenta scilicet esse in nostra hac habitatione noua utrinque loca, in quibus possint alia climata intelligi: quæ res maxime Aristotelem tangit, dicentem, prius deesse habitationes, quàm umbræ cessent uel flectantur: quum post uersas ad arcticum uerticem umbras, multa nunc inuenta sint loca, in quibus difficilis quidem, sed tamen possibilis sit habitatio: nōnulla etiam in quibus satis commodè habitatur. Vnde & illud coruit, quod antiqui de zonis tradiderunt, ex quinq; uidelicet duas tantum habitari. Nam torridam coli iam est omnibus notissimū, sicuti & gelidæ bonam partem: cuius habitationem ita extendit Iacobus Ziglerius noster, ut probabilibus argumentis probet prope polum habitari, & sub ipso polo etiam posse habitari. Corruunt igitur antiquorum dogmata ex nouis hisce nauigationibus: nostra uero firma remanent & inconcussa.

Tertium quod in meis Epistolis non probas, est, quod sacchar apud Galenū puto esse rorem Indum, & mannæ uocatæ speciem, non cannæ succum. Tibi autem non uidetur fieri potuisse, ut Galenus curiosissimus medicus, qui Antonini Cæsaris tempore fuit, rem Domitiani, imò Varronis ætate notissimam, ignorauerit. Ego, licet ea quæ bis ter'ue in hac re scriptis mādaui, mihi adeò aperte sententiam meam probare uideantur, ut non relinquatur amplius dubitandi locus: ut tamen tibi, qui unus pro populo à me haberis, satisfaciam, breuibus repetā quæ de saccharo & scripsi, & adhuc sentiam: addamq; nonnulla quæ meam opinionē magis confirment. Dico igitur uulgare hoc saccharum non modo Galeno, sed & omnibus medicis eo uetustioribus, & nonnullis qui per multos annos eum sequuti sunt, penitus fuisse incognitū, ipsum minime silentio præterituris dum medicamenta & alimenta pertractant, si in eius notitiā peruenissent. Verum nonnulli nec nominis quidem mentionem habent. Alij nominant quidem, non tamen uulgare hoc intelligunt, quod plantæ succus est: sed melleum rorem supra arundinis folia conglobatum, à manna uocata parum differentem: utrunque enim sub rosido melle uel aërio (quod & syluestre nonnulli uocant) contineri. Nam ut à uetustissimo exordiar, Hippocrates nostræ medicinæ parens, mellis sæpe, sacchari nunquam meminit. Idem alij minores Hippocrate fecerunt, & Polybus & Archigenes. Arundineum mel etiam nominasse dicitur. Sed cum Indicum salem uocauerit, nihil aliud intellexisse uidetur, quàm id quod Dioscorides mellis genus dixit, in India & Felici Arabia, salis similitudine, in arundinibus concretum. Et Plinius, mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile. Quibus cum Galenus in capite de melle, in hunc modum subscribat: Sacchar autem uocatum, quod ex India Felicique

Arabia fertur, προπήγνυται, id est, addensatur quidem, ut aiunt, calamis. Est autem & ipsum mellis quædam species. Quis ambigere possit, de eadem re loquutum de qua & Dioscorides, nec cannæ uel plantæ alicuius succum, sed melleum rorem putasse in arundinibus concretum? Neque propterea negligentiæ uel inscitiæ accusandus, quod rem Varronis tempore, ut scribis, cognitam, uel nescierit uel neglexerit. Res enim de qua scripsit Varro, non inter mella, quanquam ei dulcedine similis, sed inter plantas potius reponenda. Quam tamen nec penitus fuisse Galeno incognitam constabit, si ad memoriam reuocauerimus, id quod quarto libro de simplicibus medicamentis, scriptis mandauit, radices scilicet calamorũ, præcipue Aegypti, dulces esse. Verum cum succum per earum pressionẽ elicitum, neq; ipse, neq; Varro, sed neque Solinus, qui earum quoque cannarum mentionem facit, saccharuocari, uel esse scripserint: minime mirãdum, si de saccharo scribens, hoc præterierit, re scilicet nullum cum eo de quo scribebat, præter dulcedinis consortium habente. Nisi fortè putemus eum de omnibus dulcibus scribere, eodem de melle capite debuisse. Illud potius quispiam haud immeritò admirabitur, quod Serapion Arabs, qui annos supra ferè sexcentos Galenum sequutus, quæ ab Arabibus & Græcis de simplicibus medicamentis scripta fuerant, in unum congessit, inter quatuor quinque ue zucchari (ut ipse uocat) genera, uulgare hoc penitus præterierit: cuius tamen dicta, quasi de eo scripserit, recentiores accipiunt, à uocis, ut ego puto, similitudine decepti, additis dulcedine ac etiam colore, quæ elaborato illi suo & multipliciter excocto, cum antiquo erant communia. Adiuuit eorum errorem, quod utrũq; licet diuersa ratione, mel cannæ dicebatur: antiquũ quidem, quod supra ueras cannas colligeretur: nouum, quod ex cannis expressis conficeretur: quæ tamen non ueræ cannæ sunt, sed exteriore tantũ facie cannas repræsentant. Græci medici Galeni uestigijs in hac re sicut in alijs inhærentes, non aliud saccharnouisse uidentur, quàm id de quo prisci medici scripserant. Non negauerim tamen recentiores etiam quosdam Græcos, ut qui ex Arabibus quoque multa accepere, de alio quandoque meminisse. Quo tempore uero in communem usum uenerit medicorum, haud satis mihi constat. Plinius saccharum de quo ipse loquitur, ad medicinæ tantum usum fuisse scribit: nullas tamen ei peculiares uires adscribit, nec quod medicinæ potionibus, ut nunc fit, misceretur. Primus inter Arabes, apud quem ego hunc saccharusum legerim, fuit Serapion: quanquam nec sciri certò possit, de utro duorum generum intellexerit: prõbabile tamen alicui uideri potest, eum de hoc uulgari loquutum: quoniam, ut superius diximus in libro de simplicibus medicamentis, eius proprio capite nullam mentionem fecerit. Sed quodcunq; intellexerit, nihil ad me pertinet: quoniam, ut diximus, multis seculis eum Galenus præcessit, cuius tempore dicimus uulgare hoc zuccharum non fuisse cognitum. Nec detergendi deobstruendiq; uis, quam (ut ais) in curatiua methodo saccharo adscribit, cogit nos fateri, de uulgari zuccharo ipsum loquutum, non de antiquorum saccharo: quod cum sit mannæ species, non uideatur posse uires illas habere. Ego enim non dixi saccharum speciem esse mannæ, sed sub melle ueluti sub genere, utrunque, mannam uidelicet & saccharum, contineri. Quare si quid à manna remouetur, non necessariò remouetur à saccharo. Ex dialectica enim didicimus, multa uni speciei inesse, quæ alteri non insunt, sub eodem genere contentæ. Esto igitur quod manna uires illas non habeat, potest nihilominus eas habere saccharum. Quanquã si Arabibus credendum, nec ipsa manna uocata detergendi ui caret. Hanc enim libro suo secundo et adscribit Auicenna, sub nomine Tereniabin: & ultimo capite eiusdem sub nomine zucchari: alioqui si uim accipit ab his super quæ cadit, quemadmodum ipsi fatentur, quæ supra herbas eas uires habentes ceciderint, easdem ut acquirant necesse est. Sed & si mellis est species, quod utraq; ui pollet, cur non est & utriusque particeps?

ticeps? Quæcunque enim generi conueniunt, eadem speciebus conuenire, ijdem probant dialectici. Nihil igitur ego uideo quod nostram de saccharo sententiam tollat. Et hæc de his dicta sint, quæ circa meas Epistolas dubitasti: nunc ad ea uenien dum quæ à me petis.

Primum quæris, an quicquam olfecerim apud Græcos de ligno Indo, quo nunc multi medici utũtur ad morbi Gallici uocati curationem: te enim de eo nescio quid apud Auicennam legisse. Ego hac in re uelim tecum mutua opera uti: ero autem primus, ingenueq; aperiam, quid apud Græcos uel inuenerim, uel inuenisse me suspicatus sim. Primum illud lignum quod à Lusitanis ad nos allatũ est, Hebeni Indi genus puto: præter duritiem enim, pondus & spissitudinem, ἀλαφύσσοντά τε albicantes & subsuluas, gustus quoq; consentit, quem acrem ostendit & subadstringentem.

Quæris secundo, quo nomine uocari putem herbam, quam uos glaream, nos gyarcham, quasi terræ principem: alij galbegam, fortè à gale, id est mustela, quæ quãdo cum uipera pugnat, uisa est ad hanc gustandam crebrò, ueluti ad quoddam alexipharmacum confugere: uoce autem gallica deflexa, quod rutæ gallicæ uocatæ sit non absimilis, & propterea fortè à quibusdam ruta capraria dicatur. Mihi sæpius de ea cogitanti, uisa est ad polemoniam à Dioscoride uocatam, referri posse: folia enim habet rutæ maiora atque longiora. Consentiunt uires, quas habere eam dicit Dioscorides: feras & scorpionum ictus non abhorret: & Cappadocũ nomen, à uirium multitudine chilodynamin uocantium. Scio tamen non omnia quadrare, sed scio etiam hoc illi esse commune cum multis, quas tamen habemus pro compertis. Habes quid de duabus his rebus suspicer, potius quàm sciam. Tuum erit mihi quoq; significare quid de eisdem putes.

Demum petis modum diuersum ab eo qui passim in usu est, ad succum aqueum ex herbis eliciendum. Ego cum iandudum considerassem patrum nostrorum hac in re, sicuti & in multis hallucinationẽ, putantium eandem uim adesse aquis illis, sic per ignem ab herbis extractis, quæ toti herbæ: cum tamen neq; idem odor, neque idem sapor, in aqua qui in herba erat, seruaretur, sed plerunq; contrarius. Aquam enim ab absinthio dulcem, à menta & ocymo mali potius quàm boni odoris exire uidebam: quod certam mihi fidem faciebat, quod nõ eisdem uiribus aqua sola, quibus tota herba polleret: cœpi anxie cogitare, consultis etiam his qui ab huiuscemodi fusionibus chymici uulgò dicuntur, quonam ingenio ualeret idem odor & sapor in aquis hisce custodiri, qui in tota planta reperiretur. Longum autem esset scribere modos omnes, quos ad hæc consequenda attentauerim. Sed unum tantum attingam, qui melior mihi simul usus est & facilior. Is autem est, ut in duplici uase, eo modo quo Galenus iussit omnia unguenta confici, hæc fiat operatio, ita tamen ut eius uasculi fundum in quo herba cõtinetur, aquam in maiore bullientem non attingat, sed solo uaporifero humore ab ea eleuato incalescat: à calore enim illo miti, ex totius herbæ substantia, uapores exhalant, qui in aquam uertuntur, omniũ herbæ partium uires adseruantem, quæ ex odore & sapore aperte cognoscuntur.

Succi aquei ex herbis eliciendi modus excellens.

Habes igitur, mi Nicolaë, feram quidem, nec qualem tuæ dubitationes exigerent, sed ingenuam responsionem, quam ita accipias uelim, ut ab eo qui te diligit sine aliquo fuco, proficiscentem. Vale.

Ex Ferraria, III. Calend. Octobres, M. D. XXXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LARVM MEDICINALIVM LIBER
DECIMVSSEXTVS.

EPIST. I. Io. Manard. Ioanni Iacobo Sauio S. P. D.
Declarantur quædam Hippocratis dicta.

QVOD mea qualiscunque est doctrina familiarissime uteris, facis quidem rem mihi admodum gratam: ex hoc enim facile cognosco quantū me diligas. Quod uero difficillima loca, & tot uerborum inuolucris adeò impedita, ut Sybillæ foliis obscuriora meritò dici possint, à me aperiri petis, uideris maius aliquod de me cogitare, quàm quod pusillæ meæ uires possint sustinere. Addit tamen amor audaciam, & quod per meipsum non auderem, facit ut aggredi tentem, boni æquiq; te consulturum confidens, quic quid non mea sponte, sed tibi morem gesturus, in rebus tam arduis scripsero.

Quæris quidnam sibi uoluerit Hippocrates in libro de alimento, in uerbis quorum initium est: Quorum omnium naturæ doctrina scientia ue non capiuntur. Sanguis proprius & alienus utilis. Sanguis proprius & alienus non utilis. & quæ sequuntur. Vnum autem antequam expositionem illorum uerborum aggrediar, aduertendū est: uerba illa, siue Thessali, siue Herophili fuerint, (non esse enim magni Hippocratis multi putant, quum tamē eum libellum quasi Hippocraticum Galenus in Aphorismo, & in libro de optima secta citet) non recte, atq; ex fide esse à Caluo translata. Ego enim in rebus tam seriis transferendis Horatij præceptum minime seruandum puto, admonentis, ne uerbum uerbo reddatur, fidi interpretis uitio: quum uideam eos qui ab autorum uerbis recedunt, à sensu quoq; plerunq; recedere, & dum elegantiæ student, à ueritate deuiare. Neq;, ut Galenus sæpe monet, orationis elegantiam quærendam in medicina uel alia scientia puto, sed ut ea quæ scribimus aperta & clara sint. Quod non aduertentes ferè omnes, quotquot nostra ætate libros in latinam linguam transferunt, ita à sensu autorum plerunque recedunt, ut omnia potius dicant, quàm quæ ipse autor. Quod præ cæteris Caluus peccauit, alioqui medicinæ, ut cum eius honore dixerim, penitus ignarus. Sic igitur legendum erat: Naturæ omniū doceri non possunt. Sanguis alienus utilis, sanguis proprius utilis: sanguis alienus nocuus, sanguis proprius nocuus: humores proprij nocui, humores alieni nocui: humores alieni conferentes, humores proprij conferentes. Consonans dissonans, dissonans consonans. Lac alienum gratiosum, lac proprium nocuum, lac propriū utile. Omnia hæc ab autore scripta uidentur, ut id declararet quod ab initio proposuerat, naturas uidelicet hominū doceri non posse: cuius rei argumentum efficacissimum est, quod nonnulli similibus, nonnulli alienis iuuantur. Quibus enim sanguis proprius malus ualde est, his alienus, ille scilicet qui contraria qualitate ei qua proprius afficitur, utilis est: ut, cui sanguis supra modum est calidus, illi is qui tantum frigore à mediocritate recessit, quantum proprius calore, utilis & proficuus erit. Quibus uero sanguis uel non magnopere, uel nequaquam à modo recedit, his sanguis proprius utilis. Quare & escæ quæ talem gignunt, sunt utiles: & hæ quæ contrarium aptæ sunt gignere, sunt inutiles. Quod ipse per hæc uerba insinuauit, Sanguis alienus nocuus. At qui sanguine male affecto sunt, his sanguis proprius, atque quæ eum gignunt escæ, sunt nocuæ.

Idem de alijs humoribus à sanguine intelligendum. In his quippe corporibus in quibus pituita præter modum redundat, illæ escæ nocuæ, quæ pituitam aptæ sunt gignere. Quibus uero modicè habet, cibi congruunt qui eam gignunt. Et ad hunc modum reliqua intelligenda: atque id etiam quod quasi ex his omnibus concludit,

consonans

consonans scilicet tum esse dissonans, cum concinit male: tum uero dissonans consonare, cum contrariam aufert dissonantiam: dissonans quippe malo, concinit bono. Idem demum ostendit in lactentibus infantibus, quibus tum lac alienum profi cuum, cum & maternum male affectum, ipsos quoque male afficit. Quod quidem maternum proprium uocat, & esse ait quandoque nocuum. Sicuti dum bene affectum ipsos quoque bene afficit, proficuum est: & econtrario alienum, tunc est nocuum. Tollitur autem quæcunque in his uerbis apparet repugnantia, ex his quæ ipsemet prope finem addit, quare scilicet omnia & bona & mala ad aliquid dicūtur.

Petis præterea aliorum uerborum, quæ in eodem libello postea in hunc modum leguntur, declarationem: Pueri cibum putrefaciunt: adolescētes nihil mutant: senes penitus mutant. Quibus uerbis licet menda etiam subsit, ea tamen ex græco codice utcunque castigata, remanent adhuc densa obscuritate obducta. Ita enim ego nunc uerterim: Cibus iuuenibus parum maceratus, senibus ad finem maceratus, his qui in consistendi uigore sunt omni maceratione carens. In quibus uerbis, ut Galenus quoque putat in libro de optima secta, uoluit autor cibi qualitatem docere. Ait ergo, pueris cibum deberi bene maceratum, qui facile concoqui & mutari possit, humidum uidelicet: quoniam (ut inferius in eodem cōmentario scribit) humida esca facilius mutabilis est quàm sicca. Senibus summè maceratum & concoqui aptissimum, quia ob caloris imbecillitatem, impotentes sunt ad difficilem concoctu immutandum. His uero qui in consistendi uigore sunt, eum qui omni prius maceratione careat, solidiorem scilicet: nam humidiora his concoctu facilia cibaria, ob caloris immensitatem & acumen facile corrūpuntur, solidiora uero bene mutātur.

Rursus ambigis circa alia uerba quæ in hunc modum legis: Alij ad discretionem quadraginta, ad transmutationes octoginta, ad excisionem quadragínta & ducenti, non est & est. Quæ certe uerba non difficile est intelligere, intellectis his quæ paulò ante scripsit, ubi ait, Quinque & trigínta soles, & reliq. Quatuor enim opiniones recitat de tempore, quo fœtus in utero completur: quas ubi recitauit, addit, est & non: uolens uidelicet ostendere, dies formationis, motus & partus, non esse certos & præscriptos, sed uarietatem tantam recipere, ut quæuis opinionum quandoque uera esse possit: cui sententiæ non solum philosophi & medici, sed iureconsulti quoque subscribunt. Habes, mi Saule, si non qualem optabas, qualem potuit Manardus tuus senex, uerborum senis declarationem: quam ita uelim à te recipi, ut ab homine qui te magnopere diligit, proficiscētem.

Vale.

Ex Ferraria, pridie Calend. Iulias, M. D. XXXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. II. Ioan. Manard. Petro Carnicer S. P. D. Curatio deminutæ & ferè ablatæ uisionis.

NOster utriusq; genius eodem fermè tempore utrunq; ad scribendum excitauit: eadem enim septimana ego ad te, & tu ad me literas dedimus: atq; utriq; idem scopus, nempe ut sciret uterq; quid alter ageret: pariterq; amici saluti consuleremus, ego quidem animi, tu partis corporis, quæ inter reliquas menti magis est similis, hoc est oculorum imbecillitati. A qua re ut prius ordiar, satis uereor, si (ut ais) penuria & tenuitate spirituum fit, ut amicus tuus male uideat, ne ue (ut Pauli Aegineræ uerbo utar) ἀλίαται sit hæc affectio. Quod enim exigui & tenues spiritus uisuales ad oculos ferātur, uel uitio cerebri fit, multos gignere & sanè crassos non ualentis: uel uisualium neruorum obstructione aut adstrictione, crassiusculos ferri non permittente. Vtrum autem horum sit, si non impossibilis, certe difficilis ualde est curatio. Antiqua enim, atque ex ipsa antiquitate ueluti habitualis facta cerebri imbecillitas, uix amoueri potest. Obstructio uero, & fortè ex ictu facta obstipatio neruorum, atq; eorum præcipue qui in uentribus cerebri latitant, Aesculapium curatorem uidetur desiderare. Debilia nanque præsidia in penitas adeò partes non adigentur: & fortia alias oculi partes, alioqui diuturnitate temporis & defectu spirituum ueluti obsoletas, offendent. Relinquendus ergo præclarus hic uir, & summa tibi, ut scribis, necessitudine coniunctus, sine ullo penitus præsidio: non certe. Satius enim est aliquod experiri, quàm nullum: & naufrago amico uel tabellam porrigere, si manum non uale-mus. Verum cum duas causas posse hanc spirituum & carentiam & tenuitatem facere dixerimus, cerebri uidelicet imbecillitatem, & neruorum adstrictionem: discutiendum antequam ad auxilia ueniamus, quænam earum in hac noxa præualeat. Mihi autem proculdubio uidetur culpa in secundam potius quàm in primam referenda. Si enim uitio cerebri hoc contingeret, non uideo quo pacto & alij quoq; sensus, & ipsa motrix potestas, imò & principes pariter facultates hanc labem effugerent, quum omnes hæ facultates ad sua peragenda munia spirituum copiam requirant. Quare cum de solis oculis, & non de alijs uel sensorijs uel particulis præstans hic uir queratur, hæc spirituum carentia in neruos potius quàm in cerebrum uidetur referenda. Conandum igitur præcipue, ut uisuales nerui ad portandos spiritus reddantur idonei, ita tamen ut nec cerebrum ipsum, ueluti omnium sensuum principium, penitus deseratur.

Spiritus uisualis tenuis & imbecillis duæ causæ

Vt igitur uniuersum corpus bene fuerit expurgatū, atq; post hoc cerebrum pernares probè emundatum, factaq; ad ignobiliora loca & reuulsione & deriuatione, quemadmodum aliàs me scripsisse memini: conandum erit, si qua materia neruos obstruit, discutiatur: demumq; & cerebrum & nerui & omnes oculi partes quantum fieri potest, & roborentur, & detergantur, & limpidi reddantur. Quibus uero præsidijs hæc molienda, morosus fuerim, ne dicam temerarius, si uos docere tentem, illudq; in me meritò dicetur, Noctuas Athenas. Tantummodo igitur aliqua signabo, quæ ad id quod præcipue à me petis conducere uidebuntur, hoc est, ad uisuales spiritus in oculis multiplicandos: nam eos reddere crassiores, nec tutum uidetur, nec necessariū: nam uia patente, spiritus (qui ea obstructa transire nequeāt) & maiore copia, & crassiores ad oculum peruenient.

Visuales spiritus in oculis multiplicantur.

Præbibat igitur uinum flauū & limpidum, in quo hysopus & ruta decocta sint, eiusdemq; bullientis fumum apertis oculis ieiunus excipiat.

Oua recentia, superiecto hoc puluere, assidue sorbeat: Nucis myristicæ, quæ & moschata dicitur, partem unam, gariophyllorum p. semis, satureiæ par. 2. Acetum scilliticū in ore teneatur. Sanguis palumbi recens, collyrij modo instilletur. Et si

Et si aliquo potētiore collyrio utendum erit, prius oculus aquoso melicrato abluendus. Aquosum dico, in quo tam exigua portio mellis sit, ut exilis & uix perceptibilis gustui sit eius dulcedo. Præstat autem ut non per spongiam ablutio fiat, sed per ampullam uitream, arctissimū habentem rostri osculum, sensim instilletur. Inter omnia uero collyria hoc in casu nostro magis uiderur eligēdum: Pompholygos partes sex, opobalsami partem unam, mellis partes duas, uini Cretensis uel alterius potentis antiqui & albi quantum satis sit. Hoc autem pacto conficito: Pompholygi tenuissime cōtritæ opobalsamum primo adijce, dehinc mel, postremo uinum. Vbi cuncta miscueris, perpetuo triduo hanc miscellam accurate conterito: exacto triduo in uitreum uasculum conijcito: ubi uti uolueris, uasculum exagitando omnia bene confundito, sicq; utitor. At si fortè uerum opobalsamum inuenire nequeueris, eius uice oleum antiquissimum apponito, in quo balsami lignum bene fuerit incoctum. Et hæc quidem sunt quæ mihi sese obtulerunt, pro uisu amici tui reparando: quæ ita faxit Deus optimus maximus esse proficua, sicuti summo cum desiderio à me sunt quæsita & scripta.

Melicratum aquosum.

De me autem sic habeto. Satis belle pro ætate & ualeo, & per totam hyemem ita ualui, ut scholas & adire ualuerim, & Galeni sensa in libro de febrium differentijs, auditoribus aperire: & præterea nonnullas etiam epistolas, duasq; præcipuas, quæ esse usui iuuenibus possint, uel ad excitanda eorum ingenia: quarū una materiam iterum retractat de uenæ sectione in pleuritide: altera, uacuandam per purgatoria medicamenta materiam antequam sit concocta, etiam si non turgeat, ostendit.

Addam & aliud: quoniam de expositione mea in proœmium artis medicinalis à me ædita mentionem habes, esse apud me similem expositionē in totum librum primum, & partem secundi: quam si librarius quispiam Phaëllo, qui primum meas excudit epistolas, fidelior, uelit formis excudere, ad te propediem mittam. Gratum mihi erit intelligere, quod & alia scripsi epistola, an Bononiæ mansurus sis: forte enim de ueniendo istuc, cogitarem. De Melguizo quod scribis, antea mihi ab eo fuerat significatum. Vale, &, quod facis, me ama.

Ex Ferraria, VIII. Calend. Febr. M. D. XXXII.

EPIST. III. pro Reuerendissimo & summo honore dignissimo Cardinali Campegio, ex articularibus doloribus uix ambulare potente.

REuerēdissimus hic dominus ob diuturnos mentis & corporis labores, longaq; & incommoda itinera, quæ pro pace Christianæ religioni restituenda multos annos pertulit, podagra primum, dehinc nephritide uexatus, nec propter hosce morbos ingraescentem ue ætatem, eosdem & maiores etiam labores detrectans, crurum tandem & pedum usum ita perdidit, ut non ambulare modo, sed nec stare ualeat, œdematode quodam tumore crus utrunque, sed potissime dextrum aggrauante, articulisq; ipsis ueluti relaxatis. Cuius noxæ nec manus ipsæ sunt penitus immunes: altera enim non bene flecti potest, nullo tamen in ea apparēte tumore. Et hæc quidem assidue. Per interualla uero quædam, materiā sentit à capite per spinalem præcipue medullam ad inferiora membra descendentem, & in omnibus ferè articulis dolorem excitantem. Quandoq; præterea calculo affligitur. Huic, Deo Opt. Max. fauente, opem laturi, primo affectus & causas eorū indagabimus: secūdo intētiones curatiuas ex his eliciemus: tertio, quibus instrumentis explendæ hæ sint, docere pro uiribus nostris conabimur. Primā rem aggrediētes, tribus ad præsens D. eius R. affligi affectibus intelligimus, crurum uidelicet tumore, uetita ambulatione, & alterius manus imbe

cilli motione. Totidemq; uereri à capite: in subiectas scilicet partes destillationem, articulorum dolorem, & calculi in renibus generationem. Primus, id est crurum tumor, morbus est iam factus, aucta uidelicet magnitudo, sub genere morbi malæ compositionis cõprehensus. Hunc facit cruda pituita, ob iecoris imbecillitatem supra modum aucta, & ad crura ceu ignobiliora mẽbra transmissa, concurrente ipsorum crurum etiam imbecillitate, ob quam proprium alimentum in sui substantiam non ualent conuertere, & sibi unire. Ex his fit, ut pituitosa crassiorq; caro gignatur, & præter modum crura intumescant. Morbus ergo hic auctæ quãtitatis à duobus malæ temperaturæ morbis fit, crurum uidelicet & iecoris, quæ proculdubio frigida & humida in utroque est. Augent autem sese & mutuò adiuuant hi crurum affectus: magnitudo siquidem à pituita facta malam temperaturam in crure facit: quæ econtrario causa est, ut nutrimentũ crudum permanens, tumorem & molem crurís adaugeat.

Ex eiusdem quoque pituitæ tenuiore parte, neruos, coniunctiones & tendones madefaciente, secundus affectus, id est imbecillitas pedum, nascitur, musculis oblæsis, quibus ad standum & ambulandum uis utitur animalis.

Ad eandem etiam tenuiorem pituitam tertius affectus, manus scilicet oblæsio, referendus est, qua coniunctiones madidæ, non satis suo munere funguntur. Et hæc quidem de his affectibus dicta sunt qui ad præsens molestia afficiunt.

Inter eos uero qui nunc non adsunt, sed timor est ne superueniant, fluctio quidem ad id symptoma referenda est, quod excrementorum mutatio dicitur. Exit enim à cerebro, & in inferiora prorumpit res quæ exire non deberet: pituitosa uidelicet humiditas, quæ in uaria repente loca destillans, dolores, & in quibusdam etiam tumores facit: qui admixta quandoque bile, ex usu rerum calidarum uinicq; genero si potu genita, tandiu sunt acriores, donec bile discussa sola remaneat circa articulos pituita. Ex uno ergo symptomate, hoc est destillatione, & aliud symptoma, dolor scilicet sequitur & tumor, qui morbus compositus est, & quandoque continuitatis solutio. Ipsum uero primum symptoma, hoc est destillatio, morbum malæ temperaturæ frigidæ & humidæ cerebri sequitur. Sed & morbum instrumentalem, ex copia pituitæ uentres cerebri opplente, & cerebrum ipsum madefaciente, quæ, accedente potissimũ extranea aliqua causa, ceu res grauis deorsum ruit. Ad tertium uero affectum formidatũ, hoc est calculum generandum, ultra eandem materiam, hoc est pituitam, concurrit calor renum, cum eorum imbecillitate. Est autem calculus ipse morbus in numero, & ut sequens est, ad instrumentales pertinet. Hi igitur sunt affectus præter naturam, quibus uel affligitur uel affligi solet hic Reuerendissimus Dominus: quorum curatiuæ præseruatiuæq; intentiones ex ordine inuestigandæ sunt.

A primo ergo & ordine & dignitate inchoantes, hoc est crurum tumore, dicimus, primam intentionẽ esse, magnitudinis præternaturalis amotionem: quæ cum tolli non possit, pituitosa materia in ea remanente, hanc euacuare opus est. Euacuabitur per discutientia: tanta enim & ram crassa pituita, repelli nec debet nec potest.

At si eam discutere uoluerimus, uehementer calidis & siccis egebimus: quibus si corpore toto repleto utamur, plus certe attrahemus, quàm erit id quod uacuabitur. Demenda igitur in primis totius corporis, deinde crurum ipsorum plenitudo: atque his duobus curatio complebitur. Verum quia hic morbus, ut diximus, non in totum factus est, sed quotidie ob imbecillitatem tum iecoris tum crurum fit, propterea duæ aliæ insurgunt intentiones, iocinoris uidelicet & crurum roboratio: quæ fieri non potest, nisi prius frigida & humida temperatura ab utrisque remoueatur. Curandæ ergo hæ per contraria, calida uidelicet & sicca, & demũ robur utrisque est addendum. Duæ igitur & ad præcauendum intentiones occurrent,

occurrent, alteratio uidelicet & roboratio: eruntq; in totum quatuor intentiones, hoc ordine exequendæ, ut primo totum corpus purgemus, secundo pituitã in crutibus contentam discutiamus, tertio malam temperaturam iecoris & crurum remoueamus, quarto ipsis robur addamus: quibus peractis, sperandum secũdum ac tertium affectum uel in totum desituros, uel magna ex parte minuendos. Si qua tamẽ in articulis supererit mala temperies, quæ fungi eos proprio officio non permittat, ea per cõtraria tollenda, medicaminibusq; quibusdam peculiaribus neruosa membra, quæ uoluntarij motus sunt instrumenta, erunt roboranda. Et hæc quidem sunt præsentium affectuum curatiuæ intentiones.

Eorum uero quorum formidamus aduentũ, præcipuum, ut diximus, destillatio, tolli non potest, nisi morbi à quibus fit, amoueãtur. Mala igitur tẽperies cerebri frigida & humida per sua cõtraria est auferẽda: quæ cum auferri nõ possit causa permaniente, materia uidelicet pituitosa, quæ non solum sua qualitate cerebrũ ut similare membrũ est, lædit, sed & sua substantia quatenus instrumentale, primum igitur erit pituita à capite euacuanda, ubi tamen antea fuerit à toto corpore educta. Euacuabitur à cerebro, tum per meatus à natura expurgationi excrementorũ eius ordinatos, tum per ea quæ illam aliò uel retrahunt uel deriuant. Erunt ergo hi in curatione destillationis scopi, euacuatio primo totius corporis, secundo cerebri: & hæc quidem duplex, per propria uidelicet expurgatoria, & per retractionem & deriuationem. Vniuersa uero hæc ad proprie dictam spectant curationem. Sed prouidendum præterea erit, ne denuò similis pituita in cerebro coaceruetur: quare & bonæ concoctioni prouidendum, & cerebrum roborandum, ut & probè alimentũ proprium in sui substantiam conuertat, & ascendentem ad eam materiam uel non recipiat, uel citò consumat. Quæ ubi bene cauerimus, simul etiam articulorum dolores uel sustollemus, uel ut leniores cõtingant, efficiemus. Fieri enim uel nequaquam, uel difficillime potest, ut assueti articulorum affectibus eos penitus effugiant: cum æque fieri non possit ut corpus, præcipue senile, absque redundantia humorũ diutius adseruetur. Erunt igitur hi ubi acciderint, primo mitigandi, deinde curatione aliorum tumorum amouendi.

Supereſt calculus: qui quum ægritudo sit in numero, facilem quidem dictu curationem habet, eius uidelicet amotionem: factu uero non adeò facilem. Quare cauendum potius ne gignatur, quàm sinendum ut iam genitus expellatur. Cauetur eius generatio, si operam dederimus primo, ne eius gignatur materia: secundo, ut si qua genita fuerit, antè excernatur, quàm in calculum sit conuersa: in quem uertì non potest, nisi calor ipsam ueluti exaſſans renibus præstò sit. Cauenda igitur quæcunque calorem ipsum possunt augere: & si quis adest calor, per frigefacientia removendus est. Et hæc de scopis intentionibus ue dicta sint.

Supereſt demum ut tertium quod spopondimus exequamur, quibus uidelicet auxilijs scopi à nobis inuenti explendi sint, edocentes.

A primo igitur affectu instante orsi, hunc primũ exequutioni mandandum scopum diximus esse, totius corporis euacuationem: hanc tali moderatione exequemur, ut uẽtriculo & iecori nullam noxam inferamus, sed quantum fieri potest eorum potius uim augeamus: quod subscripta facient catapotia:

Puluerís hieræ Galeni modo parati, rhei barbarici, agarici, ana partem unam, myrobalani chebulæ partem semis. Terantur, & in eupatorij (quam agrimoniam uulgò uocant) succo, diem integram madeant, atque ubi exiccata modicè fuerint, cum uino Cretico componantur, & ex una quum opus fuerit huius commixtionis drachma, uel scrupulis quinque, catapotia formentur, quæ ieiuno una ante cœnam uel prandium hora tertio uel quarto quoque die deglutiantur. Quibus uero diebus catapotijs non utetur, potum ieiunus bibat, qui recipit: Eupatorij,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod agrimonium dicitur,& Aiugæ (quam chamæpityn & Iuam) decoctam cum oxymelite. Sint autem decocti quatuor,oxymelitis unica uncia.

Catapotijs per interualla,ut dictum est,toties acceptis, ut congrua per ea uideatur facta totius corporis expurgatio,secunda iam intentio prosequenda,quam esse diximus materiæ pituitosæ in cruribus contentæ discussionem. Hanc per gradus quosdam moliemur,ut scilicet à facilioribus inchoantes,ad potentiora sensim progrediamur. Primo itaq; à posca ex multa aqua & pauco aceto composita incipiemus,nouas spongias ea madentes cruribus arctè colligantes,initio ab imis partibus facto. Paulatim uero aceti & portionem & uim augebimus,non maiore tamen copia,quàm ut ipsam poscam possit quispiam citra offensam bibere. Decoques deinde in eadem posca anethum,primo quidem uiride, deinde siccum: & post hoc rutam,primo quoq; & ipsam uiridem,pòst siccam: atq; demũ alumen. Quod si cum his non penitus profecerimus,ad lixiuiam quoq; ueniendum,à leuioribus & hic initium capientes: uaria enim eius uis,pro cinerum & modo & uitribus. Ex pluribus quippe cineribus potentioribusq;,quales siculnei,& pluribus etiam iteratis excolationibus,potentius,ex cõtrarijs debilius redditur. Quod si fortissimum desideraueramus,calcis quoq; portiuncula addi poterit. Portiuncula dico,quoniam si nota digna calx adderetur,urendi uim nanciscereturQuibus auxilijs nisi malum cesserit, ad lutum ueniendum,cui uel natura uel arte alumen,sulphur & nitrum admixta sint. Post cuius adhæsum crura aqua uel naturaliter uel per artem salsa abluantur.

Pituitosam materiam in cruribus discutiẽtia.

Iecur roborantia.

Dum uero hæc explebitur intentio,non obfuerit tertiam aggredi, iecur uidelicet & per epota & per extrorsum admota roborantes. Inter ea quæ bibuntur excellit eupatorium,de quo superius quoq; mẽtio habita: asarum,agallochon (quod xyloaloën,seu,quod idem est,lignum aloë uocant)amygdala amara,cinamomum, pistacia,zingiber,& citri cortices conditi,iecur lupi siccum & in tenuissimum puluerem redactum,cum uino dulci propinatum. Inter ea quæ extrorsum sunt admouenda, laudo ut præcordia foueantur uino nobili, in quo absinthium,menta, schœnianthos,pari mensura bullierint,adiectis rosis ad reliquorum omnium pondus. Sequatur autem trinum quinum ue fotum,sequens inunctio: Ceræ,ammoniaci thymiamatos,hoc est,ammoniaci opi,nõ eius fumi, ut quidam alioqui magni nominis medicus putat,ana partes 4. mannæ thuris,id est,tenuioris eius pului sculi,resinæ terminthinæ,ex terebintho uidelicet,non ex larice(ut hactenus putatũ est) collectæ,ana partes 3. Misce cum irino,atque ubi super linteolum extenderis, agallocho suffumigatum hypochondrijs admoueto.

Roborato iecore,crura quoq; ipsa erunt roboranda,atq; cum his etiam articuli, ut simul etiam aliud symptoma,standi uidelicet & ambulandi impotẽtia,qui est inter præsentes tertius,tollatur: nam his quæ superius scripsimus peractis, acta ferè erunt quæcunq; hanc roborationem debent anteire. Incipiemus autem hic pariter à leuioribus,ut sic per quosdam gradus ad fortiora conscendamus. Ex leuioribus ad hanc rem conducentibus præcipua sunt quæcunq; cum modico calore & siccitate modicam etiam uim habent adstringendi: potentiora,quæ in his magis excellunt. Leuiora: Stœchas,absinthium,althea,saluia,lens,melilotũ uerum in Campania inuentum,non uulgare hoc. Mediocria: Anethum uiride,fœnogræcum, artemisia,nux cypressi, elenium,melissophyllon, id est melissa,uel apiaria,chamæpitys,arction,id est personatia,uulgò sparpanatium. Fortiora: Origanum,calamintha,amaracus,sabina,urtica,laurus,ruta,& præcipue syluestris. Ex his fient balnea,fomenta,cataplasmata,& oleo coctis,addita resina,acopa. Inter quæ summè mihi placet id quod ex semine abietis in hunc modum conficitur: Olei antiqui ℔. 1. uini Cretensis ʒ. 3. fructuum abietis ʒ. 2. resinæ abiegnæ, quæ oleum uulgò dicitur,terebinthinæ ana ʒ. 8. ceræ ʒ. 1. ammoniaci ʒ. 3. piperis albi ʒ. 2. euphorbij ʒ. 1.

Bulliant

Bulliant fructus cum uino & oleo in duplici uase donec uinum consumptũ sit: expressisq; & abiectis fructibus,quæ liquari possunt,liquata oleo addantur, & quæ conteri,contrita. At si per hæc ambulatio redintegrata non fuerit,erit & aliud certe efficacissimum experiendum,quod recipit: Nucis myristicæ quam moschatam uocant, ʒ. 2. thuris,terminthinæ ana ʒ. 3. chamæpityos,centaurij,florum luperici, ana manip. 1. Madescant omnia horas uigintiquatuor in tanto uino Cretensi uel alio generosiore,quãto bene tegantur:assidueq; misceantur:deinde in uase uitreo, igni primo leniori, dehinc fortiori,consueto chymicis more admoueantur. Tres enim diuersi liquores manabunt,sicut colore,ita & uiribus differẽtes: ex quibus seorsum collectis artus illinentur,inchoando & hic ab eo qui primus exierit,ceu minus potente. Tertius quippe qui olei substantiam habebit,preciosissimus & ualentissimus adeò erit,ut uel exigua eius gutta primo admixta,eum longe præstantiorẽ reddat. Medius, mediis pariter uiribus constabit. Hos ego liquores in discutiendis pituitosæ materiæ reliquijs,artubusq; roborandis,supra omnem medicatã aquam, & lutum ex earum fontibus acceptum efficaciores iudico. Verum quia difficile est inueteratas opiniones & ab omnibus receptas è mentibus hominum extrudere,si luto uel balneo naturalibus utendum est,inter luta Aquense, inter balnea Porretanum prælegerim. Conducibilius tamen putauerim,si sulphur,alumen, sal,nitrũ, ferrum,& id genus alia,uaria proportione, pro medici cõiectura,quæ experimento quotidiano probaretur,cõmuni aquæ uel pinguis terræ luto misceantur. Vsum tamen luti quodcunq; sit,optarem alium ab eo qui consuetus est: uellem enim ut sex minimum horas particulis hæreret,ita ad solem porrectis,ut reliquum corpus in umbra esset,tandiu uidelicet donec planè aresceret,& tum demum aqua uel modo quo diximus parata,uel naturali ablueretur.

Et hactenus de his affectibus dictum sit, qui ad præsens affligunt. Inter eos uero quos formidamus,destillationi quidem obuiandum primo diximus per totius corporis euacuationem. Hanc igitur procurandam putamus per medicamenta quæ non uehementer corpus exagitent, & præterea uim aliquam habeant roborandi, & ante id tempus (si statum & determinatum est) quo solet aduentare: sin incertũ, quoties per aliqua indicia eum de proximo futurum timemus. Inter omnia autem purgatoria id maxime mihi uidetur idoneũ,quod ex manna,rheo,& rosaceo syrupo constat,ut sint mannæ & rosacei syrupi unciæ singulæ,rhei drachma. Eum autẽ syrup. accipi uelim,in quo conficiendo quinquies rosæ recẽtes fuerint permutatæ.

Toto corpore euacuato,secundum scopum,hoc est capitis particularem euacuationem,ieiuno per nares commodè faciemus,inspirata per cannulam utrinque patentem,uel per scriptorium calamum pẽnam ue, huius pulueris exigua portione: Nucis moschatæ ʒ. 1. piperis albi ʒ. 2. ellebori albi ʒ. 1. ambræ grana 4. moschi grana 2. Quæ insufflatio si fortè molesta fuerit,poterit idem puluis cum succo sampsuci misceri,& per pennam succo madidam intrò adigi.

Retractio uero,quam etiam ad hunc scopum diximus pertinere,per cucurbitulas non incommode fiet,inter scapulas admotas,præcisa uel non præcisa cute,iuxta sanguinis maiorem minorem ue abundantiam: quæ tanta esse posset,ut etiam per hirudines uenisani applicitas,euacuationem simul & retractionem congrue posse fieri demonstraret: quæ certe euacuatio,& calculo & podagræ cauendæ esset ualde accõmoda. Retrahunt quidem hæc,sed non assidua est eorum operatio: quare aliquo ingenio ut perpetua sit hæc procurandum,sicuti continua & perseuerans est destillationis suspicio. Id fiet si aliquo loco ulcus excitetur, per quod sanies manans materiam à capite continuò detrahat. Locus idoneus esset inter cubitũ & humeros, nisi chiragræ adesset suspicio: quare eligendus uidetur locus qui spinam humerosq; interiacet. Nec ab re fuerit, singulum ex utraque parte, dextra uidelicet &

Hh

Universidad de Deusto
Biblioteca

siniſtra, uleus excitare. Et his quidem materia quæ deſtillare poterat, à capite aliquo pacto auferetur. Sed præter hæc (ut diximus) danda etiam opera erit ne noua iterum aggregetur: quod præter congruam uictus rationem (quæ ut cuiuis facile innoteſcit, ita difficillime ſeruatur) fiet capitis corroboratione: ad quam ſummè faciet ſi caput abraſum, lixiuio ex alto ſupra futuræ præſertim loca cadente crebrò perfundatur. Sit autem lixiuium ex pluuiali aqua, in qua multoties candens ferrum extinctum ſit, præparatum: quæ aqua per ſacculum excoletur pyramidali forma conſutum, præter modicos uitium cineres, aſaro, ſaluia, chamæmelo & ladano ſemiplenum. Poſt quam perfuſionem uertex ex oleo inungatur, ex nuce moſchata, macere, & lauri baccis confecto, omnibus prius in aqua roſacea moſchata bene maceratis. Demumq; tegatur panno ſerico, grano tinctorio bis tincto, & gallia bene moſchata ſuffumigato. Et his quidem, accedente (ut dixi) congruo uictu, cauebitur deſtillatio, atq; ut ſequens eſt, articulares dolores, qui magna ex parte ex ea contingunt, non adeò affligent: non uſquequaq; tamen prohibebuntur, ſiquidem non tantum ex deſtillatione à capite cõtingunt, ſed & ab humorum ſuperfluitatibus in toto corpore redundantibus. Quærendum ergo & aliud præſidium, per quod & reliquiæ, ſi quæ ſupererunt, penitus abſumantur, & de reliquo affectus & præſentes & formidati extrudantur. Inter præcipua uero auxilia lignum quod nõ multos ante annos Hiſpani ex India (ut aiunt) apportarunt, plurimorum iudicio excellentiſſimum reputatur. Et propterea quæſitum à nobis eſt, an eius decocti potum putemus huic Reuerendiſs. domino cõuenire. Cui quæſito ingenue reſpondentes, dicimus, nos in nullo, qui morbo uerè articulari laboraret, eo unquam uſos: ſed in doloribus tantum qui membranam potius eam tegentes, quæ oſſa complectitur aut muſculos, quàm articulos ipſos affligunt. Necnon in ulceribus quæ quandoq; hoſce dolores comitantur: eiuſq; uſum inueniſſe præcipuum. Scio tamen aliquos eo in ueris podagricis chiragricisq; doloribus uſos, qui uel peius poſthac, uel non melius ſe habuerunt. Quare ſi ſua Celſitudo mihi crediderit, tantam tamq; diuturnam inediam (ut alia mittam tædia) quantam hi ſuſtinere coguntur, qui leges hac in re Ibericas ſequũtur, effugiet. Sed ſi hoc auxilium omnino uoluerit experiri, erit contenta quotidie mane bibere uncias octo aquæ, in qua binæ unciæ ramentorum ulmi ligni tandiu bullierint, donec tantundem aquæ conſumptum ſit: ut ſcilicet ſuerint ab initio ℥. iſ. quibus etiam ℥. una mellis roſacei, quo potus ipſe & minus abominabilis ſit, & nec minus utilis, addi poteſt. Ego tamen huic ligno in his caſibus ea medicamẽta prætulerim, quæ ab hac ipſa ui podagrica ab antiquis ſunt dicta: inter quæ D. S. Reuerendiſſimæ maxime accommodatum putauerim ad Proclum relatum, quod Phu unam, agarici duas, meu tres, ſeminis petroſelini Macedonici, quod Alexandrinũ corrupte, ni fallor, ab oluſatio uocant, quatuor, hyperici quinque, gentianæ ſex, ariſtolochiæ ſeptem, centaurij octo, chamædrios nouem partes recipit, & mellis quantum ſat ſit ad eclegma cõcinnandum. Huius quóque die ieiunus accipiet drachmam, initio ab autumnali æquinoctio facto: nec deſiſtendum, donec quinquageſies acceptum ſit. Victus autem ratio non adeò tenuis erit neceſſaria, ſicuti his qui ligno Indico utũtur: nec plena tamen, ut ſanorũ, ſed media quodammodo inter utranq;. Veſci enim parcè poterit carnibus bonarũ auium, ouis forbilibus, petrinis piſcibus, lactucis elixis: atque in ſecunda menſa piſtacijs & auellanis, uel ut ſunt, uel ſaccharo opertis. Vinumq; bibere tenue, limpidum, modicè dilutum: exercitijq; gratia quotidie ambulare, uel uehi, nõ in cubili marceſcere. His diligenter cuſtoditis, cauebitur etiam calculus. Ad cuius tamen ampliorẽ cautelam non ab re fuerit, renes per cerotum roſaceum, adiecto etiam ſi opus uidebitur, ſolani ſucco, refrigerare. Hæc ſunt quæ pro ſalute Reuerendiſs. huius Domini, noſtri huius infelicis ſeculi ſplendore & gloria, mihi enixiſſime laboranti occurrerunt: quibus

quibus Deum Opt. Max. ita uelim aſpirare, ut perpetuam inde conſequatur ſanitatem, labantemq; iamiam CHRISTI eccleſiam ſuſtinere.

Ex Ferraria, IIII. Calend. Iulias, M. D. XXXIII.

EPIST. IIII. de ligni Indici decocto, pro Reuerendiſs. Cardinali Campegio.

Lignum Indicum ſicco pede tranſiueram, quod putabam eius potum Reuerendiſs. D. iam ſeni, & uarijs magnisq; negocijs impedito, non multo uſui futurũ, præcipue quia tenuiorem uictum expoſcere uidebatur, quàm ſua Reuerendiſs. D. uel ferre poſſet, uel uellet. Verum quum intelligam & uires ei maiores quàm putabam adeſſe, & maximam in eo fiduciam, dicam breuiter quid de his ſentiam quæ per excellentiſſimum quendam medicum ſcripta de eo ligno ſunt.

In primis, ego quoque Sanctum illud uocatum magis quàm primũ efficax eſſe puto, & propterea conſueui prius per dies circiter decẽ, primo illo ceu faciliore uti, ut natura aſſuefacta, ſecundum, quod potentius eſt, melius ferat. Soleo autem octo aquæ partibus unam ligni addere, contentus quod tantum bulliat, ut media pars aquæ ſit conſumpta.

In ſecunda quoq; illa aqua, quæ potus loco in prandio & cœna bibitur, non omnino cum eo ſentio. Magis enim mihi placet ut ex nouo & crudo ligno conficiatur, quàm ex eo qui primæ decoctioni ſeruiuit: ita tamen ut quarta ſolum pars in coctione decreſcat, tres ſuperſint. Nec mihi diſplicet, ſi ad reddendum potum magis placidum, portio aliqua mellis roſacei ad guſtum domini adijciatur.

Vellem etiam ut decocti quod mane ſyrupi loco bibitur, maior eſſet modus, hoc eſt, ſex minimum unciarum.

Laudo præterea & modũ & uſum ſpumæ ſupra dolentia loca. Efficacius tamen eſſe puto oleum ex eodem ligno (modo quem chymiſtæ per deſcenſorium uocãt) deſtillatum, inunctis uidelicet ex eo locis dolentibus & tumidis.

Soleo etiam ex ramentis ligni crudi, in nobiliq; aliquo uino decoctis, addito antiquo oleo, linimentum parare, quod dolentibus locis utiliter illinitur. Ante uero quàm tempus commodum uſui ligni ueniat, quod ego poſt æquinoctium nouiluniumq; proximũ, maxime cõgruum puto, purgatio totius corporis facienda. Quibus uero medicamentis, arbitrio præſentium medicorũ permitto, qui uiſis his quæ ab alijs excellentioribus medicis, & à me ſcripta ſunt, ea eligẽt quæ magis iudicauerint idonea. Nam ut uerum ingenue fatear, multiplices illæ ſiue ſyruporum ſiue pilularum commixtiones à me non probantur.

Rationem uictus pariter arbitrio eorũdem præſentium medicorum permittendum puto, ita tamen ut eorum ſententiã probem, qui tenuius primo reficiunt, deinde paulatim augent, donec ad uictum ſanorũ uentum ſit. Vnum tamen addiderim, quod quo parcior erit uictus, modo eum uires ferant, erit utilior. Quare laudarem ut prima ſaltem ſeptimana ſolo pane, & uel amygdalis, (neq; enim has renuo) uel piſtacijs, uel pini nucleis etiã ſaccharo opertis, uel paſſulis eſſet cõtentus. Quem uictum ſi bene & ſuo & medicorum iudicio toleraret, laudarem ut ad tertiam uſq; ſeptimanam ſeruaret: qua completa, iam auiculas guſtare poſſet: quem lautiorem uictum citius inchoabit, ſi uires tenuem illum non poſſe commode ferre uideãtur. Quam tamen uictus permutationẽ uelim non repente fieri, ſed per gradus quoſdam, ita ut primo uel parui ualde pulli uel auiculæ, & exigua quantitate exhiberentur, ſicq; fieret ad phaſianos uſque paulatim acceſſus.

An uero durante hoc potu, uenter, ſi ſponte non ierit, ſit aliquo medicamẽto iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uandus,dicam quid consueuerim,& quid agendum putem. Si penitus uenter reti
netur,uel singulo uel tertio quoque die decoctum eiusdem ligni per clysterem in=
fundo,adiecto melle rosaceo,& aliquo oleo quod uideatur cõgruere. Sed & præ
terea singula quoque septimana semel potioni quam in aurora bibunt, uel mannã
uel syrupum rosaceũ solum uel casiam adijcio,uel polypodium,uel senam, quibus
fiat qualiscunque euacuatio humorum: non tanta tamen ut sudorem possit auser=
re, sed potius euacuatis crassioribus quibusdam humoribus,tenuiores partes me=
lius per sudorem,urinam,ac sensu non perceptam diffiationem,ualeant euacuari.

In potu quoq; uesperi sumendo (quem minorem esse uolo quàm matutinum)
non tantum ad sequuturam cœnam respiciendum puto, quantum ad prandium
quod præcessit. Sed hoc potissimum in utroq; considerandum,ut bona cibi conco=
ctio facta iam sit,& ut quantum fieri potest uacuo uẽtriculo potio accipiatur. Qua=
re si in aurora non uideatur cõpleta cœnæ cõcoctio,tandiu differatur potus,quan=
diu perfecta concoctio uideatur. Quod & in uespertino potu seruandum duco,ut
scilicet non antea sumatur quàm prandium sit plenè concoctum. Mora uero inter
potum & cibum tanta mihi sufficere uidetur,ut fastidium desierit,quod ex potu for
tè fuerit excitatum. Satis autem mihi uidebitur si dimidia pars uesperi detur eius
quod mane bibitum est,quatuor uidelicet unciarum. Quo uero tẽpore tenuio=
re illo uictu utetur,rarò ex lecto,nunquam è cubiculo exeat. Sitq; cubiculum luci=
dum,bene à uento tutum. Ast ubi cœperit locupletius refici, completo & absterso
sudore,è thalamo sereno aëre & tranquillo exire poterit,& per domũ uehi: & post
quartam septimanã ad amœna loca solatij gratia extra domum uel lectica uel cur=
ru deferri.

Hæc circa ligni usum mihi notatu digna uisa sunt: quæ tamen non ideo scripsi,
quod sententiam priorem mutauerim,sed ut morem gererem Domino Reueren=
dissimo,quem intelligo magnam incolumitatis suæ spem in hoc ligno collocasse:
quæ species non parum uidetur ad salutem conferre. Deus autem Opt. Max. tan=
tum huic præsidio & reliquis aspiret,ut optata inde sequatur sanitas,uniuersæ Chri
stianæ Reipub. profutura.

Ex Ferraria, IIII. Nonas Augusti, M. D. XXXIII.

EPIST. V. Ioannes Manardus Iacobo Pharusio medico in=signi,de Melancholia phlegmatica,sero,& aquis medi catis,demum de curatione hemicra neæ antiquæ.

MIhi ex tuis humanissimis literis illud Poëtæ contigit,ut dum cupio seda
re sitim,sitis altera creuerit. Tenebar quidem maximo tuarum litera=
rum desiderio: uerum dum eas lego,maius mihi desideriũ excitarunt,
cognoscendi scilicet quænam illa sint,in quibus adhuc dubitas,circa à
tot ingenijs agitatam de sectione uenæ in pleuritide quæstionem: tam
impatiensq; moræ sum,ut aduentum ad nos tuum ut maxime desideratum,ita ma
xime suspectum nõ possim expectare. Quare si me amas,& si te à me amari putas,
uel moras rumpe,uel desideriũ hoc meum per literas exple. Non enim est ut apo=
logiam Turini expectes,quam iam triennium parturiens nũquam peperit. Qua=
re uerendum ne mola sit, non uerus fœtus,quod tandiu utero clausum tulit: cum
nec desint qui obstetricentur,& qui ad pariendum irritent. Quicquid tamen tan=
dem in lucem ædiderit,boni æquiq; consulam,& Curtio alijs ue uel lactandum uel
exponendum permittam. Quanquam nisi melius hac in re suas partes tutatus fue=
rit,quàm in prandio & cœna fecerit,non erit ut uel Curtius uel alius quicunque in
confutando

confutando uel reluendo multum laboret. Sed quicquid in hac scena egerint,ego
spectator esse uolo, non poëta uel actor. Si quid uero mihi deinceps scribendum
erit,amicè & cum amicis fiet: inter quos cum nõ postremus sis,imò (si uera dicenda
sunt) inter primos à me te haberi cogunt & eruditio non uulgaris, & munificentia
qua singulo quóque anno in me uteris,hominem minime officiosum,& qui gratias
nedum referam,sed nec agam, iamiam tuis literis respondebo,ab antiquioribus ini
tium faciens. In his aduersus meam de atra bile sententiam multa affers & subtilia
quidem argumẽta,fieri eam ex pituita sicuti & ex bile & sanguine superassata con=
tendens. Primo quidem ex mutatione crassæ pituitæ ad nigri fabuli ariditatẽ,priusq;
quam in renibus uel uesica calculus generetur: quæ fieri non præuijs alijs minori=
bus mutationibus quum nõ possit, necessarium tibi uideri,ut prius in atram bilem
quàm in fabulosum illum & nigerrimum cinerem crassa & pituitosa materia con=
uertatur. Quod argumentum haud difficulter dilui posse uidetur,si aduerterimus
nigra illa admodum sedimẽta rarò in urinis eorum subsidere, qui calculo sunt ob=
noxij. Maiori enim ex parte album esse id quod subsidet: quandoque uero plus
minus ue ab albedine recedere,iuxta sanguinis admixti maiorem minorem ue por
tionem: eiusdemq; colorem modo ad flauum,modo ad rufum,modo ad nigrũ ten
dentem,accedente etiam renum & colore & calore excoquente & ad fuscum con=
uertente. Non esse enim eundem cuilibet sanguini colorem, & ratio dictat,& ex=
perientia in sanguine ex uenæ sectione collecto manifestat. Nec minus etiam no=
tum est quidpiam sanguinis à renibus unà cum serosa substantia trahi. Nigrum er=
go illud quod urinæ quandoque subsidet,non ab alterata pituita deciditur, sed ab
alia re urinæ commixta.

Ex dominatu præterea atræ bilis in senili ætate,idem conaris ostẽdere,quem tan
tum esse dicis,ut attonitus morbus qui alioqui à pituita magis fieri cõsueuit,ab atra
solum bile in senibus fiat. Quod cõtingere non alia ex causa uidetur, quàm ex ipsa
pituita in atram bilem conuersa. Attonitum uero morbum in senibus à sola atra bi=
le fieri,ex aphorismo sexti libri 57. probas: in quo dicente Hippocrate,apoplexias
maxime fieri à quadragesimo anno ad sexagesimũ, Galenus aphor. enarrans,apo=
plexiam ex atra bile factam intellexit. Aphorismi tamen literã esse corruptam suspi
caris,& pro aduerbio maxime,legendum,maximæ: ut sit sensus,maximas apople
xias ea ætate fieri,quia quæ ab atra fiunt bile maiores sint illis, quæ fiunt à pituita.
Me,ut ab aphorismo incipiam,præter græcorum exemplariũ fidem,in quibus legi
tur μάλιστα græcum aduerbium,cui latine respondet maxime uel præcipue, quod
nomen non legã,mouet & ratio,quæ apoplexiæ uim non ex materiæ facientis ge=
nere,sed ex respirationis impedimento cognoscendam dictat,quæ dum penitus au
fertur,maximã facit apoplexiam. Legendum ergo maxime,uel præcipue: atq; hic
aphorismus præcedenti ita est coniungendus,ut intelligamus ex morbis enumera
tis,qui cum periculo melancholicos sequantur,apoplexiam præcipue accidere his,
qui ætatem agunt à quadragesimo anno ad sexagesimũ. Reddidit autem Leonice=
nus hunc aphorismum obscuriorem,pro apoplexia in præcedenti aphoris. scribens
sluporem. Nec Hippocrates igitur nec Galenus apoplexiam asserũt uel in illa uel
in alia ætate,ab atra potius bile quàm à pituita fieri: sed inter quatuor illos morbos,
in quos cum periculo cadunt qui melancholicis morbis afficiũtur, apoplexiam ma=
xime in ætate senili contingere, quãdo & ea ætas maxime apoplexiæ est obnoxia,
& atra abundat bile,non ex pituita,sed ex ipsa senili ætate frigida & sicca,atque au=
tumno simili genita.

Addis præterea argumentum ex febre quartana sumptum, quæ proculdubio
ab atra bile fit,& tamen sæpe sequitur febrem ex miscella bilis rufæ & pituitæ geni=
tam: quod aliter non uidetur posse contingere,nisi quia resoluta tenuiore parte,

Universidad de Deusto
Biblioteca

crassa permaneat. Quare cum in ea mixtione bilis tenuior & pituita crassior sit, sola pituita superat, quæ in atram bilem uersa quartanam facit. Mihi autem in hac dubitatione dicẽdum uidetur, quartanã, quæ tales nothas spurias ue tertianas sequitur, pariter quoq; esse spuriam. Fieri enim ab atra bile uera, per assationem rufæ genita, atq; pituita, assatione quidem & ipsa reddita crassiore: uerum non adeò ut pituitæ naturam in totum amiserit, repugnante uidelicet ingenita eius humiditate, ne melancholiæ siccitatem acquirat. Totius itaque miscellæ, siue in unicam formam redactæ, siue sua cuique adseruata forma, tenuioribus consumptis partibus, crassiores post assationem supersunt, uincentibus tamen (sicuti & ante assationem) biliosis partibus, & propterea quartanum circuitum facientibus, sicuti antea tertianum faciebant, rufa uidelicet bile in atram transmutata. Si enim, ut scribis, sola supersite pituita, bilis in totum euanesceret, non quartanus circuitus, sed quotidianus nasceretur, qualem uidemus ex salsa fieri pituita. Atque de prima tua dubitatione hæc dicta sint.

Dubitas secundo circa serí temperaturam, quoniam in ea non solum alij autores & inter se & à Galeno discordare uidentur, sed & ipse quoque Galenus secum pugnare, in libro de simplicibus medicamentis quarto, frigidum, & in libro decimo calidum faciens, sicuti & libro tertio Alimentorum.

In hac controuersia cum aliàs Galeni dicta diligenter considerarem, atque cum re ipsa quotidiano usu cognita conferrem, serum frigidæ & humidæ temperaturæ esse & credidi, & scriptis mãdaui. Cum enim ex tribus diuersis partibus lac componatur, atque ex his butyrum quidem temperatum, caseosa pars à temperamento parum ad frigoris latus deuergit, si serum calidum esset, uniuersa lactis substantia calida potius quàm frigida redderetur: cuius contrarium & tota sentit medicinæ schola, & communis idiotarum opinio, ab ipso usu edocta. Hoc exigua dulcedo ostendit, quam adeò habet imbecillem, ut acidum potius quàm amarum ex mora fiat, contrà quàm mel, quod dulcissimum quum sit, per se temporis diuturnitate amarescit potius quàm acescit. Rursus si serum calidum esset, quo serosius lac esset, eo esset calidius: quum tamen asininum, quod maxime serosum est, multum sit frigidum: alioqui præ cæteris in hectica febre non eligeretur. Frigidum itaque simpliciter serum esse puto, sicuti & lac, atque alia non parum multa, quæ ex uarijs constant partibus, quæ iuxta qualitatem cæteris prævalentem frigida dicuntur, non quod caliditatis penitus sint expertia, sed quod eam præ frigiditate habeant perexiguam. A qua tamen tametsi pauxilla admodum in sero sit, & latitans quædam acredo, & attenuandi, detergendi, ac uentrem subducendi uis oritur. Quas uires quoniam lactis tota substantia à serosis potissimum partibus nanciscitur, minime mirandum est, si illis deperditis, simul & uires illæ à lacte in totum submoueantur. Quare lac cui serum ademptum est, uentrem potius abstinet, quàm subducit: & in quantumuis calido uentriculo ad nidorem non amplius conuertitur, resolutis scilicet non solum serosis partibus, in quibus calor aliquis supra temperamentum inueniebatur, sed & pinguibus, quæ temperatam, ut diximus, habent caliditatem, non autem tantam ut (quemadmodum tu putare uideris) butyrum reddant absolute calidum. Facilis quippe inflammatio ita in hoc sicuti in oleo, modum substantiæ potius quàm caloris copiam demõstrat. Ex tepido etiam modicoq; eius calore fit, ut in mollibus corporibus inflammationes concoquat, & quandoq; discutiat. Quod serum licet partes aliquas, ut inquit Dioscorides, habeat calidiores, facere idcirco nequit, quia hæ ab aqueis ceu amplioribus obtũduntur, ob hocq; fit ut absque acredine purget. Quare uero in medicatis aquis idem non contingat, in quibus cum aqua cunctas alias quæ in eis miscentur, uel res, uel potestates tam longe superet, ut nihil aliud quàm pura aqua inspicientibus uideatur: potestate tamen quadam

Lactis tres partes.

Serũ frigidum.

quadam in omnibus siccitas, & in pluribus etiã calfactio simul cum ea quam ui obtinet, euidentissime persentitur: non alia, ni fallor, ratione contingit, quàm quod metallicæ res, quarum uires in eis relinquuntur, in exiccando calefaciendoq; adeò potentes sunt, ut aquam alioqui substantia sua liquidam, & ad recipiendam cuiusque rei secum conuersantis potestatem idoneam, in propriam quodammodo naturam conuertant, & quas nactæ sunt uires in eam transfundant, accedente & longa mora, & loco ferè ab omni spiratu semoto. Negari tamen non potest, quandoq; aliunde tantam aquæ frigidæ copiam ad horum fontes effluere posse. Quod de Magnesijs testatur Aristoteles, ut calorem quem actu habebant, deperdant, & uim calefaciendi nostra corpora in totum amittant. Vidi ego in medio Danubij alueo calidas aquas scaturientes, quæ ipsius fluminis aquis commixtæ, ad aliquod quidem usque spatium eas ualde calidas reddunt: in matore uero distantia paulatim calor remittitur, donec ad aliarum Danubij aquarum saporem & frigus reuertantur. Scimus econtrario aquas magnorum fluminum mare ingredientes suum dulcorem tandiu seruare, donec à maritima salsugine superentur. Quis igitur ambigere possit, ex alienarum aquarum miscella, medicatarum aquarum uim & remitti posse & penitus auferri? Ex quo fit, ut maximo errore teneantur medici, qui commentarijs credentes, particulatim de his medicatis aquis à nonnullis conscriptis, omnem uim eis adesse semper putant, quam scriptam in illis inueniunt. Si enim uernæ pluuiæ, ut in libro de Antidotis Galenus testatur, ab herbis in Italia natis uires auferunt, quanto magis aquæ aquis cõmixtæ idem præstabunt? Quis etiam negauerit, uino quantumcunque potenti tantum aquæ miscerí posse, ut uinositas omnis penitus euanescat? Notum illud Græcorum Symposiorum adagium, ἢ οἶνος πίναι ἢ τρία ἢ μὴ πίνειν. monens miscerí ita aquam uino, ut tres aquæ partes duabus uini, uel duæ uni: non ita tamen ut tres aquæ, unicæ uini misceantur: ex tanta quippe aqua uinum usquequaq; iugulari. Non igitur ambigendum, medicatas hasce aquas, quantumcunque calidæ sint, posse ex dulcis aquæ mixtione, & actu & ui refrigerari. An uero aliquæ sint quæ sponte & ex sui natura frigidæ sint (ut de uilla in Lucensi, & calidariæ in Veronensi agro nuncupatæ) affirmare uel negare non ausim, de illis non multam habens experientiam, ut qui non magnopere uel his uel alijs uti consueuerim, permittere magis earum usum solitus, quàm imperare. Quãtum autem per qualemcunque experientiam cognoscere ualui, Lucenses illæ frigidam potius quàm calidam mihi temperaturam ostenderunt: quam & ratio, si ferreæ, ut dicuntur, sunt, demonstrat, & gustus non magnopere à communis & potabilis aquæ diuersus. Ferrũ enim frigidæ esse temperaturæ sicuti & siccæ non dubito. Nec, quod tu scribis, sulphur eius, etiam secundum chymicos in eo superans, contrarium demonstrat. Nosti enim medicum non naturam ipsam medicaminum in se considerare, sed iuxta id quod in corpus humanum, atque id præcipue quod temperatissimum est, agũt, ipsa uel calida, uel frigida, uel humida, uel sicca, decernere. Alioqui si sulphuris & argenti uiui naturam, ex quibus singula metalla constare aiunt, sequuti fuerimus, omnia proculdubio erunt calida statuenda, quum tamen stybion, plumbum, stannum, argentum, frigida ab omnibus reputentur. Licet autem natura ferrum frigidum sit, non propterea tamen existimauerim, aquam in qua ardens extinctum fuerit, in omni homine qui febrem patitur ex humorum putredine dependentem, congruere: quoniam cum frigore nota dignam siccitatem, atque adstringendi uim coniunctam habet. Febris uero qua febris est, humida: qua à putrida materia fiens, aperientia potius desiderat, quàm adstringentia. Et hæc quidem de aquis Sacris uocatis dicta sint. Nunc ad ea reuertamur quæ tu adhuc circa lac & serum dubitas. Circa lac quidem, an asininum sit omni alio tenuius: quoniam Galenus secum etiam in hoc pugnare uidetur sexto Salubrium,

Lucenses aquæ.

inter omnia lactis genera tenuissimum dicens. Escarum uero tertio, camelinum & equinum ei in tenuitate præferens, Aristotelem 3. de animalium historia sequutus. Verum quantum ad Galenum attinet, si eius in utroq; loco uerba considerentur, nullo modo inuicem pugnare uidebuntur. Sexto enim de tuenda ualetudine lib. asininum λεπτομοριστάτων, id est, maxime tenuium partium, affirmat: in tertio uero de Escis, camelinum asinino non in tenuitate, sed in humiditate præfert: ὑγροτάτων enim dicit. Quare nisi fateri uoluerimus Aristotelem aliud sensisse quàm Galenũ, dicere oportebit, quod per tenuissimum non intellexerit tenuissimarum partium, sed maxime humidarum.

Circa serum præterea dubitas, quare caprinum cæteris à Ioanne Mesue præfera 10
tur: hoc enim non alia ratione factum putas, nisi quia ut calidioris animalis est, ita sit etiam calidius. Quare quum medici ipsum præ cæteris eligant, uidentur in sero calorem potius quàm frigus desiderare. In qua dubitatione, ut dem tibi quod petis, idcirco uidelicet eligi caprinum, quia sit calidius: non tamen id sequitur quod contendis, esse scilicet uel caprinũ uel aliud serum absolute calidum dicendum: sed ex hoc solummodo sequitur, quod in calore reliqua superet caprinum. Sicuti enim cerebrum aliquod dicimus aliorum cerebrorum comparatione calidum esse, quum tamen omnia cerebra absolute sint frigida: ita licet omne serum sit frigidum, caprinum tamen inter reliqua dicimus esse calidius.

Petis præterea per easdem literas, ut meum ex euphorbio medicamen (de quo 20
in annotationibus in Ioannis Mesue simplicia medicamenta mentionẽ feci) clarius aperiam. Rem autem sic habeto: Euphorbio, mastiches & tragacanthæ æquas partes ita misceto, ut tantum unius euphorbij sit quantũ illorum: in medio crudi panis occludito, panem more quo alij coquũtur bene in furno coquito, coctum ubi refrixerit perfringito: quicquid intus inueneris, à pane bene separatũ in catapotia conformato, & ad drachmæ põdus, etiam mulierculæ tutò dato, robustiori modum duplicato. Ad leporinas demũ carnes reuersus, eas ideo calidas esse probas, quod ab Auicenna in comitiali morbo qui à pituita plerunq; fit, cõmendantur. A qua dubitatione possum me facile extricare, si dixero, leporem in eum locum inuocatum irruisse: habebóque mei dicti Bellunensem testem, qui leporem ab illo loco in suis in 30
Auicẽnam castigationibus abegit. Verum quia Galenus suo puero hoc morbo laboranti, leporinas quandoq; carnes concedit, ideo alia mihi uia inuenienda est, per quam fugiam, si non propterea admitti leporem dixero quia caleat, sed siccitatis potius ratione, quam modicã tamen in cibis epilepticorum desiderat ipsemet Auic. licet etiam in uulgatis codicibus, pro siccitate legatur humiditas.

Addis præterea, quod maioris ponderis esse putas, Galenum 3. lib. de causis symptomatũ dicentem, Si pituitosus sanguis sit, pituitosam etiam carnem reddit: quod etiam 11. lib. de simplic. medic. cap. 2. uiperarum exemplo declarat: quasi ex his dictis unum colligens, quod ego in mea epistola negauerã, talem scilicet temperaturam habere carnem, qualem habet sanguis. Ego, mi Iacobe, nec negaui, nec negare possum, ex male affecto sanguine carnẽ quoq; male affectã gigni: præsertim ubi imbecillis sit carnis uis, quæ nutrimentũ in sui naturam debet cõuertere: sed negaui & adhuc nego, talem esse necessariò carnis naturalem tẽperaturã, qualis eam nutrituri sanguinis: nec necessariò qualis est animalis sanguis, aliorũ animalium sanguini cõparatus, talem esse carnem, carni aliorũ animalium cõparatam: præsertim si eo modo de his rebus loquamur, quo medici, non quo philosophi loquũtur, non in se ipsa uidelicet re considerata, sed hominis præcipue bene temperati cõparatione: alioqui sequeretur, eorum animalium sanguinem esse boni succi & facilis concoctionis, quorũ caro ab homine temperato facile concoquitur, & in bonum succũ conuertitur: quum tamen contrariũ & medici doceant & experimẽta confirment.

Quis

Quis enim ignorat gallinarum & uitulorũ carnes multo usui esse hominibus: sanguinem uero ita despici ut penitus abijciatur?

Habes igitur serum quidem, sed festinatam tamen, ad tuas epistolas responsionem: quam ita uelim à te recipi, ut à sene negocioso, adeoq; imbecilli, ut quandoq; ei libros quærere & aperire graue sit, ne dicam legere & scribere. Aliud tamen adhuc addam quod pluries me facturum sum pollicitus, aliqua uidelicet præsidia, quibus pudicissima non minus quàm nobilissima matrona Lucretia Pratoneria, à dolore capitis antiquo sanari possit.

Cum dolor hic (siue hemicranea, siue cephalea dicatur) ab atra præcipue fiat bi- *Hemicraneæ*
le: danda opera ut humor ille pessimus, qui nunc adest, à toto primum, dehinc à ca- *medela.*
pite euacuetur, ac in reliquum alius similis non gignatur. A toto corpore amouebitur per medicamina, cerebro quidem exhibita, sed leuiter purgãtia: inter quæ præcipuum erit serum, in quo sena, polypodium, & epithymũ, cum exigua gariophyllorum portione, per integrã noctem maduerint. Esto autem seri libra, senæ semuncia, epithymi drachma, polypodij drachmæ binæ, & gariophyllorum obolus: cuius potionis usus sit tertio quoque die. Per hunc enim non solum atra bilis, à qua, ut dixi, præcipue dolor fit, purgatur, sed & bilis ac pituita, quæ secum quandoque coniunguntur. Quibus uero diebus non bibetur, serum dabitur cum unica uncia syrupi Saporis uocati, & eodem gariophyllorum puluere. Vbi per aliquot dies his pobus usa fuerit, ad retrahendam simul & uacuandam hanc bilem atram (quæ proculdubio sanguini miscetur) multum conducer, si hirudinibus circa sedem admotis, sanguinis selibra per ani uenas extrahatur. Dehinc quibusdam interpositis diebus, quibus quieti uacet, deriuationis gratia duæ etiam hirudines post aures admoueantur, quæ binas sanguinis uncias inde exugant. Sed per nares quoque deriuatio facienda, instillato anagallidis succo. His peractis, laudauerim ut singulo quoque mane hypochondrio dextro cucurbitula per horam hæreat, atque ubi amota fuerit, locus ubi hæsit, rosaceo & absinthite oleo pariter commixtis inungatur: capitis uero dolens pars, unguento quod discutiendi uim habeat & roborandi: quale erit id quod sic parabitur: Rosarum siccarum, calamenti montani, ana ʒ. 3. maceros, nucis myristicæ, ana ʒ. 1. aspergantur uino odorato, & per integram diem tegantur olei rosati & chamæmelini æquis partibus: dehinc per balneum Mariæ uocatum, cum duplici uidelicet uase trium colorũ liquorem consueto à chymicis more eliciant: magnarum quidem uirium omnes, sed qui postremo exierit, longe alijs præstabit. Ordine igitur quodam his utendum, ut scilicet à primo inchoantes, eo tri duo utamur: deinde tribus alijs diebus secundo: quibus si dolor amotus non fuerit, portiuncula tertij utrisque prioribus misceatur. Modus usus erit, ut linamentum illis madidum triplicatum supra dolentem locum, strictim colligetur. Adieci hæc, non ut te monerem, alioqui ingenio, studio, & exercitatione ad difficiliores morbos curandos idoneum, sed ut præclaræ huic Dominæ eiusq; affinibus morem gererem.

Vale, & me, ut facis, ama.

Ex Ferraria, XI. Iunij, M. D. XXXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LARVM MEDICINALIVM LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

EPIST. I. pro Magnifico Equestris ordinis uiro, Mantuanoq; Patritio, D. Aurelio Recordato, hypochondriaca atra bile, uentriculi imbecillitate, uertigine, & totius corporis macie laborante.

Mantuanis medicis eius curationi inuigilantibus.

BREVIS ero, cum quod mihi cum uiris sermo futurus est qui docere potius quàm doceri debent, tum quod chiragra uix mihi continere calamū permittit. Rem igitur ipsam ut absq; alia præfatione aggrediar, Clarissimus hic uir post longū morbū, quatuor, ut Excell. uestræ scribunt, malis affectionib. uexatur, hypochondriaca uidelicet melancholia, stomachi præcipue in cōcoquendo imbecillitate, (ex qua eructuationes, rugitus, inflationes, tēliones q; sequūtur:) uertigine, cum cerebri imbecillitate, quæ potissime in naturalibus eius operationibus demōstratur: macie quæ tabem minatur. Quatuor hisce ab Excell. uestris quasi colligēdo enumeratis, addenda uidentur nōnulla ab eisdē alijs in locis recitata, & præterea etiā quædā quæ ipsemet nobilis ægrotans significauit. Addūt quidē uestræ Excell. auris sinistræ ferè cōtinuū tinnitū: frigiditatem nota dignā in uētriculo sensu perceptā: saltū infra uentriculum in sinistro latere, uersus umbilicū: bilis exustæ copiā, quæ tertio quoque die periodū faciens, uertiginē promouet, cum manifesto faciei rubore, siti quandoq; nota digna, leuiq; totius corporis calore. Ipse uero Dominus ægrotans addit, frontis quendā obtusum dolorem ac si digito locus premeretur: pulsum nō continuū, tum modo cū frigore, modo cum calore, in loco ubi futuræ caluariæ anterioris cōiunguntur: oculorū imbecillitatē, cutis pallorē ad auri colorē uergētem. Hi sunt affectus, quibus post diutinū morbū Magnific. hic dominus ad præsens affligit: qui licet uarij sint, in unū tamē ordinē redigi posse uidentur, quia aliqui symptomata, aliqui morbi sunt. & in aliū, quod nonnulli ad totum, nōnulli ad mēbra naturalia uocata, nōnulli ad caput pertinent.

Secūdum igitur ordinē sequētes, nō obliti tamē interim prioris, ab his qui aliquo pacto ad totum corpus spectāt, initiū capiamus. Tria nobis in hoc genere occurrūt, macies uidelicet, tertianarius circuitus, & cutis pallor. Quorum primū proculdubio sub morbo cōpositionis cōtinetur: est enim quātitas deminuta, cuius (ni fallor) causa ex tertiæ nō minus quàm ex primæ uel secūdæ cōcoctionis pēdet impedimēto: mēbra quippe diutinis morbis, multisq; & ualidis euacuationibus facta imbecillia, atq; ex toties reiteratis calidis & siccis balneis ultra modum exiccata, propriū nutrimentū cōuertere in sui substantiā nō ualentia, in dies macrescūt & quasi cōtabescūt. Tertianarius uero ille caloris circuitus sub morbo malæ tēperaturæ calidæ necessariò cōtinetur, quæ cū per totū corpus, ut scribūt Excel. uestræ, extēdatur, cum siti ac faciei rubore, febris dicēda uidetur, & tertiana, nō exacta tamē, quoniā bilis feruor à redundante magna copia pituitæ obtūditur & ueluti suffocatur. Pallor uero, seu (ut cōmuniter loquimur) citrinitas cutis, sub symptomate collocāda, quod qualitas mutata nuncupatur, & sequens morbum malæ temperaturæ, & fortè etiam morbum in uijs, qui obstructio dicitur. Et hæc quidem de affectibus dicta sint.

Inter capitales antiquior & maioris momēti est uertigo, quæ græce δῖνος & σκοτόδινος dicit̄: inter quæ licet quādoq; hāc differentiā agnoscat Gal. quod δῖνος sit cū caput circūferri uidetur, σκοτόδινος quando simul cum hoc tenebrosa uisio apparet: aliquando

aliquando tamen sub scotomatico affectu utrunque comprehendit, etiam si interdum casus illis duobus coniungatur: sicuti quandoque huic præclarissimo uiro accidisset, nisi præstò fuissent qui eum adiuuarent. Quodlibet autem horum trium, ut mihi quidem uidetur, sub eo symptomatis genere continetur, quod actio læsa dicitur. Vbi enim caput obuolui uidetur, & exteriora illa quæ quiescunt, sensus adest corruptio, cum illud sentiatur quod sentiri non deberet. Vbi præter id adsit obtenebratio, si totalis sit, ad actionem ablatam pertinet: si non in totum usus aufertur, ad deminutā. At ubi præter hæc casus sequitur, potestatis motiuæ operatio aufertur, quæ motu tonotico uocato corpus tenere rectum solet. Omnia autem hæc symptomata morbos compositionis consequūtur, qui in uia uel in caustate consistunt: quorum causa sunt uaporosi spiritus, inordinato motu exagitati: qui si uisuales neruos uel crystallo similem humorem, uel alios ad uisum pertinentes meatus obstruant, uisum obtenebrant: si ad posterius cerebrū uergant, motum impediunt: quorum tanta interdum copia esse potest, ut utrunq; impedimentum simul fiat: quod nobili huic Domino quandoque contingit, principalibus tamen uiribus in suo uigore permanentibus. Nec enim necessarium mihi uidetur, quemadmodum aliqui putant, ut in his affectibus imaginatio lædatur: quandiu enim homo cognoscit non esse uerum id quod uidetur, hoc est, nec caput suum nec exteriora moueri, licet ita appareant, tandiu imaginatiuæ operatio remanet incolumis. A morbo igitur in cōpositione cuncta hæc symptomata præcipue progrediuntur. Licet enim quandoque ex inæquali cerebri temperatura hæc fieri contingat, continens tamen semper causa est illa uaporosa spiritus agitatio, ab inæquali illa temperie, uel ab alia causa facta. An uero inæqualis hæc intemperatura cerebri in casu nostro reperiatur, & ut sequens est, primario affectu cerebrum patiatur, non usquequaque mihi exploratum. Crediderim tamen sicuti ab initio ex uentriculo tota res pendebat, ita nunc bonam partem cerebrum ipsum in se habere, quod ex tinnitu, uisus imbecillitate, capitis dolore, futurarum pulsu, assiduaq; uertiginis suspicione conijci potest. Maiorem tamen partem à uentriculo adhuc nasci puto, quum ultimi etiam insultus per uomitum cessarint. A qua uero materia hi uaporosi spiritus & sustollantur, & in capite gignantur, ut credere nos cogit pituitosus uomitus & frigus, tum in uentriculo, tum in capitis futuris quandoque perceptus, pituitam in hoc uincere: tamen non negandum mihi uidetur, bilem etiam concurrere, actione sua in pituitam ueluti ebullitionem facientem: quod uel ex tertianis illis quos Excellentiæ uestræ obseruarunt, uertiginosis circuitibus cognosci potest, sicuti & ex calore quandoque in futuris caluæ percepto. Et hæc quidem de capitis affectibus dicta sint. Nam auris tinnitus in eundem uaporosum spiritum, uersus auditus instrumentū delatum, referendus est: sicuti pulsatio in locis futurarum in tenaciorem eius partem, diffluri & exire appetentem. Dolor uero frontis in crassiorem, circumossali membrana occlusam.

Inter naturalium membrorū affectus ab Excell. uestris enumeratos primas partes teneret hypochondriaca melancholia, nomen quidē habens à causa, actionē tamen læsam denotans principalium potentiarū, si huic Domino adesset: quod certe (saluo sic sentientiū honore) ego nequaquā credere possum. Notum enim ex dialectica est, de nulla re definitum dici, de qua non dicatur definitio. Notum & illud, de quo remouetur genus in definitione positū, ab eodem etiam remoueri definitionē. Sed & hoc quoq; notum est, quod sub genere non continetur, nec sub aliqua generis specie cōtineri. Cum igitur omnes tam Græci quàm Arabes melancholiam desinunt desipientiam absque febre, cumq; sic definitam in tres secent species, in eam scilicet quæ ob proprium cerebri affectum, & eam quæ ex totius corporis communicatione, & tertiam hanc quæ ex hypochondriorum communicatione contingit:

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec præclarus hic uir unquam desipuerit, nec uel uobis ipsis testibus desipiat, qui sensus eius interiores seruari post uertiginem dicitis incolumes: sequitur illum nec laborare, nec unquam laborasse melancholia, atq; propterea nec hypochondriaca melancholia. Timor enim & mœstitia si huic uiro adsunt, melancholiam nedum sciunt, sed neq; præsagiunt, cum à causa certa ac manifesta fiant. Quis enim non paueat, considerans post tot tamq; excellentia præsidia amputari penitus uertiginem nequiuisse, affectum tam formidabilem & pessimorum morborū antesignanum? Minus quoq; me mouent rugitus & eructuationes, atq; alia id genus, quum chara ctêre melancholiam præsagientem careant, timore scilicet ac mœstitia, sine causa, quæ hunc affectum solent præcedere: necnon desipientia, sine qua non potest consistere: ut mittam æstum, ructus acidos, iuuamentum à frigidis cibis, odium hominū & uitæ, quæ nec Excellentiæ uestræ, nec ipsemet ægrotās, sibi uel adesse, uel aliquãdo adfuisse scripsistis. Quare quum adduci non possim, ut ab hypochondriaca uel flatuosa melancholia fieri hæc membrorum naturalium symptomata putem, alius mihi morbus quærendus est, in quem referantur. Nullus autem mihi occurrit, in quem potius referenda uideantur, quàm frigida & humida uentriculi intemperies, quæ ipsum imbecillem reddit, cõcoctionem probè fieri uetat, inflationem parit, ructus cõmouentem & præcordia, hoc est, hypochondria extendentem: & dum uel suapte spõte uel à calore iecoris excitata de loco ad locum mouetur, rugitus saltusq; & quas dicitis iectigatiões facit, quæ magis in sinistro quàm in dextro latere demon stratur, ob arteriarum copiam inibi existentem, cõcurrente fortè etiam ipsius lienis aliquali obstructione. Fit autem mala hæc temperatura à pituita, partim in cauitate uẽtriculi coaceruata, partim parietibus hærente. Et hi quidem sunt huius magnifici domini affectus, in suas causas, quantũ imbecilles meæ uires ualuuerũt, redacti.

Superest igitur ut ex his curatiuæ prẽseruatiuæq; intẽtiones eliciantur. Quod ut luculentius expediamus, ordinemq; quendã seruemus, prius inquirẽdum, à quonam affectu incipiẽdum sit. Magnitudo enim morbi, quæ ex nobilitate læsarũ operationũ agnoscitur, exigeret, ut à uertigine inchoaremus. Verũ quia hæc tam inueterata affectio nõ nisi ualidissimis præsidijs elidi potest, quæ adhiberi cum tanta corporis totius tenuitate nõ ualent, ideo danda opera ut prius hæc amoueat, ita tamen ut interim alij affectus nõ usquequaq; negligãtur. Vnica hoc in negocio, & quidẽ inuẽtu facilis, licet exequutiõe difficilis, est intẽtio, ut corpus scilicet alatur & augeat: quæ licet exteriorib. auxilijs adiuuari aliquo pacto possit, præcipue tamẽ boni succi cibis & cõcoctu facilib. procurãda est, quæ uim quoq; habeãt substãtificè, ut aiũt, humefaciẽdi. Inter quos præcipuũ, & experientia ab ipso Domino patiẽte cõprobatũ esset lac, nisi senex noster nos deterreret, dari illud uetans his quibus caput dolet, & quibus præcordia suspensa sunt & murmurãtia: &, si Plinio & Auic. credimus, cũ peculiariter uertiginẽ facit, nostro proposito est penitus alienũ. Lacte igitr dimisso, eius loco utendũ ptisanæ succo, modico longo pipere adiecto: uel si aut ęgrotãti aut medicis piper nõ placeat, eius uice cinamomũ uocatũ adijciat: quod etiã iurulentis & alijs cibis addere nõ erit inutile. Inter quæ mihi placeret, ut in iure pulli bulliente duo uitelli ouorũ bene agitati ita bene coquerentur, ut exacta fieret cõmixtio, parũ à iuris cõsistentia differens: cui puluis ducis uocatus, cũ exiguo aquæ rosaceæ, moschatæ, uinicp odorati adijceretur. Eclegma etiam laudo quod pulpas phasiani recipiat, amygdalaq; & cucurbitæ semina, necnon olei amygdalarũ dulciũ parum, & cum saccharo aqua rosacea dissoluto cõponatur, adiecto ubi ab igne leuatũ sit, cinamomi & sandalorũ citrinorũ puluisculo, proportione sub sextupla, uel alia quæ Excell. uestris uideatur opportunior. Eadem quoq; cucurbitæ semina, amygdalis & pistacijs additis solidiore forma cum saccharo cõfici nõ inutiliter possunt: quod etiã sacharũ sit aqua rosacea moschata resolutũ & cinamomo, ad patientis delectationẽ.

Ad remo

Ad remouendam etiam membrorũ siccitatẽ, nutrimentumq; ad ea trahendum, multum meo iudicio confert mollis frictio, & aquæ tepidę dulcis balneum, completa secunda cõcoctione facta: in neutro tamen diutius immorandũ. Confert etiã omnium membrorũ inunctio, ex mixtione olei rosacei, chamęmelini, & nenupharini. Nec inutile putauerim, si tres hi flores in aqua balnei prius maderẽt. Vbi uero hisce uel alijs Excell. uestræ præsidijs hic clarissimus dominus tantum pristini uigoris & carnis recuperasse uideatur, ut iam curationem aliorum affectuum ferre possit, tunc ad eorum curationẽ erit accedendum. Sed quia, ut dictum est, aliqui caput, alii naturalia membra molestia afficiũt, ab illis ceu maioris momenti esset inchoandum, si in totum facti essent, nec adhuc ab his fierent. Verum cum sicuti ab initio, ita hoc quoq; tempore, caput à naturalibus membris noxam contrahat, ideo ab his exordiendum est. Quæ ubi sana reddiderimus, ad alios affectus, quæ scilicet in capite uel fiunt uel facti sunt, securius accedemus.

Ex naturalibus membris duo sunt, quæ manifeste patiunt̃, iecur & uentriculus: unum de quo ambigi possit, lien. Inter quæ licet iecur nobilitate præcellat, tamen quia uidemus ex pituitę in uentriculo cõtentę uomitu cessare uertiginẽ antequam alia leniri symptomata, ideo à uentriculo incipiendũ, præcipue si febricula illa, quæ de tertia intentione affligere cõsueuerat, penitus (ut spero) antea cessauerit. Ventriculo curatio debetur & præseruatio. Curatio fiet amota mala temperatura: quæ amoueri non potest, causa, à qua fit, permanẽte: hoc est, pituita in ea existente. Hæc igitur ante omnia est euacuanda. Frustra autem hæc euacuaretur, si statim alia noua gigneretur. Præcauendũ itaq; ne alia loco eius quæ uacuabitur, succedat. Quod fiet, si præter congruam uictus rationem, uentriculus roboretur. Quibus uero duę hæ intentiones cõplendę, superuacaneũ uidetur pręscribere Excell. uestris, in cunctis quæ ad artem pertinent, & scientia & experientia probatissimis. Sed quia, ut dici solet, quot sunt capita tot sunt sententiæ: dicam quibus ego remedijs utranq; intentionẽ executioni mandarẽ, iudicio tamen Excell. uestrarũ hæc sicuti & alia cuncta permittens. Cum igitur experientia comprobatum sit, magnum atq; præsentaneum semper ex uomitu secutum esse iuuamentũ, ab hoc ego inchoarem, uomitoria aliqua, leuia tamẽ cum oxymelite exhibens. Inter quæ potissimũ agaricũ eligerem, decoctiõe eius, cum thymo & radicibus betonicæ parata. Ex hoc enim potu attenuaretur præcidereturq; pituita atq; pariter educeretur, rõburq; potius cp imbecillitas in uentriculo relinqueretur. Verum quoniam, ni mea me fallit coniectura, non omnis pituita in uentriculo huius domini contenta, apta est per uomitũ educi, ideo catapotijs etiam leuibus illam per secessum euacuare conarer, quæ recipiunt, puluerem picræ Galeni, non Mesues modo compositũ: agaricum, rheu barbaricũ æquis portionibus: & cum absinthij succo conficiuntur. Attenuationem uero atq; incisionem non per syrupos uocatos, quos puto iam huic domino esse fastidio, sed per cappares oxymelite conditos, thymumq; uel pulegium in iure decoctum procurarẽ. Vterer uero his catapotijs tertio uel quarto quoque die, atq; per horã ante cibum. Quibus uero diebus ea non sumeret, mediocri clysmate aluum subluerem, ne quid fortè à leuioribus hisce purgatorijs motũ in intestinis remaneret. Licet autem his præsidijs non solũ materiæ præparatio & euacuatio, sed & male temperaturæ ablatio, & uentriculi roboratio fieri posse uideatur, ad hęc tamẽ uberius perficienda, ad localia tandem auxilia deuenirem, inter quæ mihi præcipuũ uidetur ut tota naturaliũ membrorũ regio, solo uitato iocinore, oleo inũgatur, quod in hunc modum paretur: Chiæ, masticches p. 4. maceros p. 2. gariophyllorũ p. 1. per integram diem in uino odorato madeãt: dehinc separata à uino, in uitreo uase cum igne claro & primo quidem leniore, donec aquosior pars exierit, dehinc fortiore destillentur. Tres enim exibunt liquores, magnarũ quidem uirium omnes, sed is qui postremus

exierit, longe alijs erit excellentior, atq; ad tollendã uentriculi imbecillitatẽ, simulq; quæcunq; eam sequebantur symptomata, efficacior. Vt uero lienica, si qua adesse uidebitur, infirmitas auferatur, puluis radicum capparũ, cum aceti scillitici gutta, oleo uel antequã fiat, uel iam facto superaddatur.

Ad amouendam uero malam iecoris temperaturã, eiusq; uenas deobstruendas, palloremq; & calorẽ ex his consequẽtes mouendũ, utile mihi uidetur decoctũ eupatorij & intybi (hanc endiuiam, illam agrimoniã uocant) bibere, earundemq; succis, adiuncto etiã absinthij oleo, extrinsecus fouere. Atq; per hæc præsidia & totius corporis & naturalium membrorum affectus, Deo adiuuante, auferendos puto.

Superest ut ad caput conuertamur. Huius tametsi uarios numerauimus affectus, in unicã tamen ueluti continentẽ causam, uapores uidelicet crassos obstruentes, & exagitantes animalem spiritũ, uniuersos retulimus: quare nobis intentio esse debet ad spirituũ quietem. Quiescere uero his non ualentibus quandiu manserint uapores crassiores obstructionẽ & exagitationem cõmouentes, ideo altera ad eos resoluendos uertitur intentio. Rursus quia hi discuti non ualent, humoribus à quibus surgunt perseuerantibus, prius erunt hi submouendi. Pituita igitur, ex qua fiunt, & bilis quæ eam exagitat, erunt ex capite euacuanda. Nisi forte totum corpus non plenè uideretur purgatũ, tunc enim reiterãdę essent priores pilulæ, loco picræ subijciendo lusti hieram, ne uidelicet noua materia ad caput traheretur. Qua peracta euacatione, caput ipsum per caput purgia & gargarismos uacuabimus: mediocria tamen, ne nimis exagitando plus obsint quàm prosint. An uero sanguis quoq; ex capite uacuãdus sit, arbitrio Excell. uestrarũ relinquendũ, quæ sciunt quantũ ab autoribus sectio uenarum post aures, & cucurbitulæ cum scarificatione posteriori parte capitis admotæ, in hoc casu cõmendantur. Ex alia quoq; parte norunt, ex uenæ sectione paulò antea facta, nocumentũ potius secutum esse quàm iuuamentũ. Vtraq; ergo parte prudentia uestra ueluti ad æquilibriũ põderata, utra interuergat arbitrabunt. Quod si iudicauerint agendũ, iubebũt etiam (quæ eorum est eruditio) ut prius sanguis auferatur, q̃ uel per nares uel per os fiat quam diximus euacuatio.

His omnibus peractis, prẽter cõmunes retrahendi modos, ad cõtinuã faciendam retractionẽ, excitandum mihi uidetur cum aliquo medicamine adurendi uim habente ulcus, loco congruo inter sinistrum humerũ & cubiti flexuram, longoq; tempore consuetis ingenijs conseruandum. A quo ubi crusta fuerit eleuata, tempus erit ut ad ea ueniatur quæ uapores ipsos in cerebro cõtentos discutiant, uel aliò trahant, imbecillitatemq; ab eo tollant. Quod & per ea quæ sumuntur, & per ea quæ foris admouentur, sicuti & per ea quę geruntur, complendum est. Sumunt cibi & medicinæ, & quæ utriusq; sapiunt naturam.

Inter cibos ego oua laudo sorbilia, albo semoto, & etus loco apposito puluere ex partibus æqualibus gariophyllorũ, nucis myristicæ, margaritarũ, & quadruplo sachari. Laudo etiã ius pulli in quo sampsucus & pulegiũ bullierint: & præ cęteris carnibus turtures, et post eas phasianos, perdices, auiculas, cũ his quę diximus cõditas.

Potui quarta pars aquæ addatur, quę ex floribus saluiæ, roris marini & summitatibus pulegij, in uasculo uitreo, in duplici uase (balneo uidelicet Mariæ à chymicis uocato) destillauerit: dando operã ut in uase (recipiente uocato) ijdem flores ita resideant, ut super eos stillę cadant: itaq; rostra utriusq; uasis inuicem coniungantur, ut nulli uapores exire ualeãt. Vinũ uero sit albũ, tenue, austeriq; aliquid habens, nec caput tentans. Quodam demũ ueluti tectorio cibus & potus tegantur, ne ad caput uapores mittant: quod per gelu cotoneorũ, cui coriandrorũ puluis admisceatur, commode fiet. Et hæc de cibis satis superq; dicta sint: nam & ipse dominus ægrotans cum acerrimi ingenij uideatur, nec minus memoria polleat, longo usu didicit, non solum qui cibi potus ue ei prosint uel obsint, sed & idem puto in alijs obseruauit quæ

uit quæ extrinsecus occurrunt, ut aëre, uentis, & id genus cęteris. Quare his prẽter missis, ad medicamenta accedendum est.

Ex simplicibus ergo nux myristica, moschata uocata: agallochon, quod lignum aloës dicunt: & balsami fructus, mirifice conducunt. Inter composita uero quæ in communi usu sunt, Diamoschũ prẽcipuum mihi uidetur: cuius calor si forte uideatur obfuturus, rosacei sacchari admixtione retundi potest. Potest & hoc non inuti liter componi: Florum saluiæ & roris marini ana p. 4. nucis moschatæ, carpobalsami ana p. 1. cum syrupo in quo condita sunt citra. Cõponuntur adiecta aqua rosacea moschata ad ægrotantis & medicorũ iudicium. Et hæc quidem medicamento rum locum tenent. Media uero inter cibum & medicinã sunt myrobalanus & citri cortices & zingiber cõdita, quæ uel sigillatim uel simul mixta possunt exhiberi. Cuncta autem hæc non solum uacuo uentre, sed etiam post cœnam iamiam dormiturо dari debent. Et hæc quidem de sumendis dicta sint.

Foris admoueri diuersa possunt à medicis cõmendata. Horũ ego putauerim excellentissimũ, Olei oliuarũ antiqui, uini Cretici ana ib. s. ligni & fructus balsami ana ʒ. 1. florũ sclareæ quã nonnulli Alectorolophon dicunt, saluiæ & roris marini etiam florum ana manip. 1. misceantur bene omnia, & per triduũ in uitreato uase bene oblurato, sub equino fimo permaneant, postea modo, quomodo superius docuimus, igni applicentur: tres enim uarij liquores exibunt magnę quilibet uirtutis, & tertius maximæ. Ex primo debet totum caput, optime tamen ut dictum est purgatũ, quotidie perfricari: ex secundo cum exigua parte tertij, futurarũ loca inungenda, tertio uel quarto quoque die. Vnaq; gutta sinistræ auri est instillãda. Ad hanc quoq; partem, hoc est ad ea quæ extrorsum afferuntur, aquæ medicamentosæ spectare uidentur, sicuti & ad epota sibibuntur. De quibus nõ ab re dubitant Excell. uestræ, an huic præclaro uiro cõueniant: afferuntq; in utranq; partem rationes. Ego, ut libere dicam quod sentio, nullo modo horũ usum nunc laudo, siccandi enim omnes uim habent, & nonnullę meatus adstringunt. Verendũ ergo ne substantialem quidem humiditatẽ plus nimio consumentes, ad tabem hominem deducant: extraneam uero, hoc est pituitã, reddant ad euacuandũ longe q̃ sit ineptiorem: præterea meatus occludant per quos diffari uapores solent. Sed & urinæ morsus, nephritis, ictericia, febris, quibus plerũq; uexatus est, magnopere me ab eorũ usu deterrent.

Balneis igitur prętermissis ad ea agenda conuertamur, quæ efficaciora licet sint, quia tamẽ citò absoluunt sunt minus periculosa. Primũ est, ut quatuor crustę, duæ quidem retro aures in inio (hoc est, posteriore capitis parte quæ ceruici copulat) uel igne uel aliquo q̃d eandẽ uim cũ igne habeat, excitentẽ. Si uero nec hæc iuuerint, ad ustionem uerticis ceu ultimũ & excellentiss. præsidiũ ueniendũ. Nam, ut in quibusdam libris in fine aphorismorũ legitur, quę nõ sanant pharmaca, ferrũ sanat: & quæ ferrum non sanat, sanat ignis. Deo tamen optimo maxime fauente spero non opus fore, ut ad ultima hæc deueniat, accedẽte Excell. uestrarũ diligentia, quibus cuncta quæ scripsimus, ut etiam superius dixi, & moderanda & castiganda permittimus.

Ex Ferraria, VI. Calend. Maias, M. D. XXXIII

EPIST. II. Io. Manardus Petro Canicer sereniſſimi Ro. regis physico S. D. De sibilo auriũ, & deminuto auditu, atq; puerorũ morbo lactumen uocato.

Tibi an Cæsari magis gratuler, nondum satis cõstitui: utriq; tamen gratulandũ duco. Cæsari quidem, quod talem nactus sit medicũ, cuius integritati & eruditioni possit & liberorũ, & uxoris, & propriam uitam tutò cõmittere: quum plerique hoc tempore, medicorũ sibi nomine usur-

pent, qui carnifices potius quàm medici dici merẽtur. Tibi uero talem dominũ, ul
tro & nihil tale (ut audio) cogitanti occurrisse, qualem summus quantũuis medicus
debeat apud nuper inuentos antipodas, omni studio, labore & diligentia perquire
re. Perge igit̃, &, quod facere te nõ dubito, nocturno diurnoq; studio, tãto te prin
cipe in dies digniorem redde. Multum quidem profecisti, sed tam profundũ est me
dicinæ pelagus, ut in eo qui se elephantes putant, quãdoq; demergi uideamus. Sed
quur equo uelocissime currenti calcaria addere laboro? operæ precium magis factu
rus, si duobus quæ à me petis respondero. Petis igitur primo præsidium aliquod à
me longo usu probatum, ad sibilum obtusumq; auditum ab aure dextra remouen
dum. Horum symptomatũ alterum ad corruptam actionẽ, alterum ad deminutam
pertinet: quod tanto deterius est primo, quanto est ablationi totali surditati uidelicet
propinquius, quæ & pessima est, & cum difficultate magna remouetur. Sequũtur
ambo hæc symptomata necessariò morbum in uia, obstructionem uidelicet, par
tim à spiritu flatuoso uentoue, in itinere aures ingresso, exitum quærendo absq; or
dine exagitato: partim à pituita, ex cerebro, præter consuetudinẽ piscium esu, & ex
cerebri imbecillitate, proprium alimentum non probe mutante, genita: adiuuante
omnia hæc, cutis etiam capitis adstrictione, ex aquilonari uento insuetoq; frigore
contracta, difflari uapores non permittente. Erit ergo curatiua intentio prima no
bis occurrens, flatuosi illius spiritus resolutio. Sed quia hic non solum factus est, sed
assidue etiam à pituita introclusa fit, ipsam quoq; oportet tum euacuare, tum pro
hibere ne de nouo in capite generetur. Verum quia caput euacuari non potest, ple
no existente toto corpore, alia insurgit intentio, ipsius uidelicet totius corporis eua
cuatio, quæ licet à nobis ultimo inuenta sit, prius tamen executioni est demandan
da. Primo igitur totum corpus uacuandum, secundo caput, tertio resoluendi ua
pores, quarto mala temperatura cerebri, quæ ipsum imbecille reddit, amouenda,
meatusq; aperiendi per quos difflari excrementa possint. Licet autem sciam me fru
stra laboraturũ, si quibus hæc complenda sint te docere uoluerim: tamen ut tibi mo
rem geram, dicam quæ in singulis explendis ego putem magis idonea.

Totius igitur corporis purgationẽ, per aliquã ex magnis hieris facerem, præcipue
per eam quæ Iusti dicitur, quã Paulus lib. 7. describit. Sumi aũt debet cum melicrato
& sale, & non semel, sed toties per interualla, donec corpus bene mundũ uideatur.

Caput, insufflato in nares hoc puluere, expurgabitur: Piperis longi ℈ 4. sinapis
℈ 2. Euphorbij ℈ 1. Acetũ quoq; scilliticũ gargarissatũ optime ad hoc cõducetũ. Ad
quod etiã faciet, si materia ad alia loca trahat̃, q̃d hirudines uenis ani admotæ præci
pue prestabũt. Itẽ balneũ spõtanearũ aquarũ, quę prope Viennã scaturiũt: uel aquę
tantũ salitæ, ut mari sint similes. Sed & cucurbitulę dorso, spinæ, natibusq; admotæ.

Inter multa uero quæ auribus immitti in hunc usum possunt, magnã fiduciam
habeo in aceto in quo absinthium, quod istic optimum passim nascitur, excoctũ sit.
Item in succo cæpę, uel in oleo rutaceo, quod in ipsa excauata cæpa bullierit. Quod
si per hæc non in totum symptoma auferat̃, ad nigrum elleborum cum melle co
ctum accedendum est, & demum ad laterinum oleum.

Ad roborandum dehinc cerebrũ, & meatus cutis aperiendos, oleum maxime
conducit in hunc modum paratum: Olei antiqui, uini odorati ana ℔. mediam, nu
cis moschatæ, thuris, maceros ana ℥ 3. arida mediocriter trita cum humidis bene mi
sceantur, & crebro tribus diebus exagitentur, quarto die in uase uitreo rostrato ad
hoc munus idoneo inclusa, supra leuem ignem tandiu detineantur, donec exeun
tis per rostrũ liquoris color mutetur: quo mutari incipiente, aucto igne, uas quoq;
in quo liquor stillatim manabat permutetur, ut seorsim secũdus liquor colligatur,
qui longe primo erit efficacior. Ex primo cutis caluæ, & præcipue in locis futurarũ
ieiuno perfricabitur: secundi uero gutta naribus & auribus instillabitur. Et his qui
dem

dem præsidijs, Deo opitulante, spero te longe melius auditurũ.

Morbũ, quo regius ille puer laborat, ut ex his quæ scripsisti conijcio, putat præcla
rus ille medicus esse, quẽ apud nos uulgò mulierculæ lactumẽ uocãt, de quo in fine
meæ de exterioribus morbis epistolæ, mentionẽ feci: docuiq; ad achores, ceria, psy
dracia, exanthemata ue pertinere: uaria enim specie in diuersis uisit̃. De hoc morbo
primus (ut ego puto) inter recentiores particulatim scripsit Gulielmus de Salicetto,
sub nomine crustæ uel lacticij. Crustæ quidẽ (ut arbitror) quoniã eminẽt in cute pa
tientiũ puerorũ ueluti quædã crustulę: Lacticij uero, q̃d ex lactis acredine, falsam pi
tuitã & tenacẽ in puero subnutrientis, generatur. Hunc morbũ nec ego in lactenti
bus magnopere pellere nitor, præsertim quãdo faciem nõ admodũ dehonestat, nec
periclitatur ut oculos oblædat, quod nõnullis accidisse scio. Gulielmus tamen ipse,
non contemnẽdus medicus, curã docet, qua se multos sanasse ait absq; aliquo peri
culo uel timore. quod ego quoq; sine mendacio possum affirmare: nõ eisdẽ tamen
præsidijs semper usus, sed pro materiæ morbũ facientis, reliquarũq; rerum à quibus
indicationes curatiuę sumendæ sunt, uarietate, remedia mutaui: unũ tamen semper
cauendo, ne scilicet rebus nimis adstringentibus, frigidisue, materiam introrsum
repellerẽ. Verũ suspicio talis morbi, in regio hoc puero mihi habenda nõ uidetur,
iam septimũ annum agente: nisi fortè quispiã dixerit, à lacte primo contractũ mor
bum, ita loca infecisse, ut bonũ quantumuis nutrimentũ, bene immutare nõ ualen
tia, simílem priori infectionẽ gignant. Quod si ultro dederimus, longe maior nobis
incumbet curationis necessitas, ne uidelicet longiore mora, quotidie difficilior red
datur, peiore in dies habitu, in ipsis mẽbris patientibus derelicto, præcipue si iam 7.
ætatis annũ agit, in quo solent infantiũ morbi, unà cum ipsa infantia recedere. Pur
gandum igitur ducerẽ primo, nec semel corpus, leui aliquo medicamine, ex rheo ui
delicet, rosaceo uocato syrupo, quem Bononienses Mucarũ uocãt, senę, polypodio
mannáue, aut simili aliquo cõcinnato. Abluẽda deinde patiẽtia loca, ex aqua in qua
lapathũ, fumaria, absinthiũ decocta sint, & post balneum, rheo præcipue pontico,
quod nunc è Polonia defertur, in aceto resoluto perfricanda: deinde illinenda un
guento ex oleo amygdalarũ amararũ, succo radicũ uitis albæ, & modico lithargyri
parato. Adere possem multa, sed hæc satis superq; fore cõfido, ad fœditatẽ illam po
tius q̃ morbũ, à nobilissimo illo puero depellendã: cui deus opt. max. Nestoreos an
nos incolumes cõcedere dignetur: sperandũ enim ex tam splendidis rarisq; parenti
bus ortum, in summũ, & omnibus numeris laudandũ principẽ euasurũ. Tu uero
dabis operam, ut serenissimi eius parentes seniores, senẽ uideant filium, in quo uir
tutes eorum eximiæ reflorescant. Vale, tui Manardi memor.

Ex Ferraria, Calend. Octob. M. D. XXXIII.

EPIST. III. De Ebeni Indici electione & usu.

ETsi Deus optimus maximus summe iustus sit & summe benignus,
pro imperscrutabili tamen cõsilio suo & uniuersali prouidẽtia, modo
unum modo aliud, nec ita unum, quin & aliud simul, nobis manife
stat. Quũ igitur anno ante hunc duodequadragesimo, ad coercenda
humani generis delicta, luem pessimã Gallicam uocatã, ueluti multi
cipitem hydram, in nos grassari permisisset: nõ paulò post quasi alexipharmacũ, ex
incognito antiquis orbe, ad incogniti morbi curationẽ, lignum quoddam iussit affer
ri, quod sanctũ haud immeritò ab his nuncupatũ est, qui eius beneficio à tam per
nitioso morbo, atq; alijs qui ferè incurabiles uidebantur, sunt pristinæ ualetudini
restituti, & de lacu miseriæ in portũ reducti salutis. Huius usum uarij uario modo
docuere: omnes tamen in uno hoc peccãt, quod omnes uno calceo (ut aiunt) calce
andos existimarũt: eum tamẽ ita in hoc, sicuti & in alijs medicinæ præsidijs pro natu

Universidad de Deusto
Biblioteca

ralibus,non naturalibus, & præternaturalibus rebus oporteat & uictus ratione & ipsius ligni modum,atq; usum uariare. Quæ licet non ad amussim præcipi possint, patiente non continue uiso, ut tamen Reuerendiss. domino & mihi summe obseruato morem geram, attentis his quę alias per Excell. Cracouienses medicos mihi de illius affectibus significata sunt, quantum mea poterit imbecillitas conabor ostendere, quænam agenda mihi uideantur,ut desideratus finis ex huius ligni decocto consequatur.

Vt igitur ordine quodā incedamus, quatuor præcipue cōsiderabimus,uidelicet ligni electionē,eiusdē preparationē,usum,uictus rationē. Tria ad nos hactenus huius ligni genera peruenere. Primū, quod guaiacū uocant,densius,grauius,crassius, interiore parte nigricātius,exteriore subpallida,& ueluti lineis quibusdā ad fuscū inclinantibus, in æque distantibus per longū intersecta. Alterius ad albius magis uergit exterior pars,neq; est tam manifestis lineis distincta:nigrum tamen & ipsum colorem intrinsecus ostendit,sed minore orbe q̄ præcedens. Tertiū,quod sanctū præcipue uocatur, tam intrinsecus quàm extrinsecus albicantē colorem præ se fert, exilibusq; ualde lineis eius distinguitur longitudo. Ex tribus hisce generibus ego in casu nostro primum prætulerim, quod proculdubio hebenum esse Indicum puto, nec ab eo secundū, nisi forte natalibus, differre. Tertium ualentius esse non dubito, quoniam & acrius est, & odoratius. Quia tamen eius decoctū & aspectu turpius, & gustu est insuauius,ueritus ne ita displiceat,ut uentriculū prosternat,nec cōtinuari eius potus possit,idcirco primum potius eligendū ab initio puto. Vbi tamen eius potus per 20. dies sumptus,non plene profuisse uisus fuerit,poterit D. sua Reuerend. per quinq; uel decem dies hoc tertio uti, uel pluribus etiā,si opus esse præsentes medici iudicauerint. Et hæc quidem de ligni electione dicta sint.

Præparatio haud difficilis est: atteritur enim uel lima uel torno uel scobina uel alio instrumento,& in tenuissimū quantum fieri potest puluerem redigitur,in decu plaq; electissima aqua, uitreo uel uitreato uase, tandiu claro igne,nec admodū uehementi,bullit,donec tertia pars excoquatur. Semper aūt dum bullit spuma auferatur, & per se ad usum,quem inferius docebo, reseruetur. Et hæc quidem aqua erit pro medicata potione,sicuti inferius docebimus,mane & uesperi bibenda.

Alia uero aqua ex eodem quidem ligno,sed in crassiusculas partes dissecto, hoc modo paretur:Sunto ligni pars una,aquæ uigecupla, mūdoq; uase,uehemētioreq; claro tamen igne bulliant, donec quarta tantū aquæ pars consumpta sit: qua aqua inter prandendū cœnandumq;,non alio potu,sicuti inferius monstrabitur,utetur.

Vsus primæ aquæ talis sit. Præcedat purgatio, per tres sequentes potiones:Sennæ,polypodij,passularū ana ʒ.ɔ.bulliant in sex uncijs aquæ fœniculi ad tertiæ partis consumptionem,& in decocto madeant horas decem:rhei barbarici,agarici ana ʒ s. dulcoretur cum melle rosaceo ad gustum domini. Sumpta ter hac potione, mane sequenti in aurora bibat decocti primo modo parati ʒ.4. quantum ferre poterit calidi, atq; per horam dormiat: dehinc iterum quatuor alias uncias bibat, iaceatq; per aliam horam, sed non dormiat: post quam tertio eandem quantitatem aquæ bibat,sed tepidam,statimq; à potu surgat, & loco calido leuiter tandiu inambulet,donec aqua è uētriculo descendisse uideatur, tuncq; eo modo prandeat quo inferius iubebimus. Vesperi ubi iam cōcoctum prandium erit,quinq; uncias eiusdem aquæ bibat,non ualde calidæ,& post horam unam cœnet: eundemq; præcise ordinem per continuos dies quinq; seruet. Die sexto ex præscriptis purgatorijs potionibus unam accipiat,nec eo die primam illam aquam bibat:sequenti, hoc est septimo, penitus quiescat, nihilq; aliud medicinale accipiat,præterquam unum cochleare sequentis mixturæ: Ramentorum tenuissimorum illius tertij ligni quod sanctum uocant. p.1. macéris, quem florem moschatum uocatis p.s. mellis rosacei

cei p.4. Octauo die ad potum primi decocti reuertatur, eoq; decem diebus quo superius diximus modo utatur: nisi forte augenda quantitas præsentibus medicis uideatur,ad uncias usq; quinque pro singula potione. Vndecima die,quę erit à primo potu decimaoctaua,eandem purgatoriam potionem accipiat,post quā duobus diebus quiescat,eadē qua diximus mellis rosacei mixtura utens.Sequētib.diebus, post uidelicet uiginti,semel tantū aquā ex ligno sancto factam,mane ad quantitatem quinq; unciarū bibat:quem potū per alios decem dies cōtinuare poterit,& diebus trāquillis ac serenis domo exire: quibus nisi aluus sponte ierit, clysmatibus ex eadem aqua factis,adiecto melle rosaceo & oleo chæmęmelino,mollienda erit, quod etiam prioribus diebus agendum, si opportunū uidebitur. Vidi enim nonnullos, qui ex decocti primi ligni octonis uncijs, solutam satis aluum nacti sunt. Completis his decem diebus, uel eadem purgatoria potio, uel alia consimilis,uel etiam ualidior,si præsentibus medicis uidebit, erit exhibenda,atq; post hanc mixtura utendum quæ habeat,ligni sancti, nucis myristicę, seminis fœniculi ana partem unam,ambræ p. s, moschi partis unius quartā partem,mellis,chebularum quadruplum aliorū. Spuma,quā diximus ex primo decocto seruandā,frons & tempora assidue perficanda, & si qua pars corporis alia male uidetur affecta.Et hic quidē horum lignorū usus mihi uidetur Reuerendiss. huic domino cōducturus. Quod faxit dominus Deus noster.

Supereſt uictus ratio,quæ ui cōstante, primis quinq; diebus satis tenuis sit,ut uidelicet quotidie sex tantum unciæ panis edantur.Sit autem nō semidalites,purissima ue farina cōfectus,sed ex ea cui aliquid crassiorū tritici partiū sit cōmixtū,beneq; fermentatus & coctus,ac modicè salitus.Opsonij aūt loco nihil accipiatur,nisi pinei uel amygdalarū nuclei uel pistaciorū,aut nudi,aut saccharo obducti. Addere potest & oriētales passulas maiores minores ue, sed ita modicas,ut omniū horū etiam pondus selibrā nō excedat.Panis aūt & alia quæ opsonij uice accipiūtur,inter prandium & cœnā ita dispartiantur,ut cōsuetudo seruetur. Tutius tamē uidetur,ut cœna minor sit prandio,quo mane dum aqua bibenda erit sit plenè cōcocta.Sexto die quo purgatiōe utetur,addet ius paruæ pullę gallinaceæ.Decem sequētibus diebus si ferre eundem uictum poterit,nihil plus adijciat:si minus, tres carnis eiusdem pulli parui unciæ iuri superaddantur. Post uiginti dies,phasiani uel perdicis pulpæ concedantur,quæ tamen selibram per diem non excedant. Tranſactis in totum triginta diebus paulatim annonæ adijciatur, ita ut exactis quadraginta diebus, ad consuetum uictum,qui tamen parcus semper est,ut audio,reuertatur.

Quod ad potum uero attinet, secūda aqua à me superius descripta,primis quinque diebus simplici utetur.Sequentibus decem diebus mel uel saccharum adijciet. Post uiginti,tribus uini cyathis contentus erit, hoc est,uncijs in totum sex. Hæc sunt quæ mihi alioqui occupatissimo, uisa sunt de potu horum lignorum scribenda. Quæ tamen omnia arbitrio præsentium clarissimorum medicorum & correctioni permitto, quibus me etiam atq; etiam commendo,Reuerendissimoq; domino cum humilitate me trado.

Ex Ferraria,in uigilia sancti Matthæi, M. D. XXXII.

EPIST. IIII. Consilium pro nobili quadam matrona, sputo sanguinis, febre, hulcere palati, tussi,laborante.

Affectus prēter naturā,quibus honesta hęc matrona laborat,sunt,sputum sanguinis,febris,destillatio,ulcus palati,tussis. Naturalia: Caput humidum,calidū,latorū pororū,imbecille. Iecur calidū & siccū. Vētriculus fri

gidus,humidus. Victus,ocium,cruditas,cibi pituitam gignentes. Ex his creuit pituita in uentriculo: ex iecore in toto sanguine bilis. Eleuantur uapores ab utroq; humore ad caput, qui ob eius imbecillitatem non discussi, crassescũt, & occurrente causa exteriore destillant: ex qua destillatione omnes mali affectus & fiunt & facti sunt, qui sunt enumerati.

Sputum quidem sanguinis, symptoma est, exiens scilicet mutatũ. Morbus à quo prouenit, est solutio continui uenæ. Causa eius est pituita, aliqualiter à bile secum mista exusta, & ad salsedinẽ conuersa. Dubia, quæ uena, quomodo aperta. Solutio primi, uena asperæ arteriæ. Probatur, quia exit sanguis sine tussi, uel cum parua, cum quodamq; potius screatu. Sentitur in gutture uel parũ infra sensus ueluti loci ulcerati: & licet aliquando emittatur sanguis cum tussi, est sanguis, qui exiens ex loco læso, descendit ad pectus, qui postea cum tussi ejcitur. Non obstat quod spumosus, quia, ut dicit Auicenna, & ratio dictat, quandoq; spumosus est ex canna pulmonis, & est ueniens cum screatu & tussi exigua, & est id quod egreditur parum, & est ibi sensus cum dolore. Solutio secundi, aperta per ulcerationem. Et si dicitur, deberet esse pus: dic, quod nondum erat genitum.

Febris morbus est, ut constat. Et si quis quærat, quænam sit: dico esse febrem in putridis humoribus accensam, continuam, ex materia salsa, id est, phlegmate salso, putrescente in concauitate pectoris. Et si quis obijciat, quod deberet esse intermittens, quia materia putrescit extra uenas: dic, quod est continua, ratione propinquitatis ad cor. Destillatio symptoma sub eodem genere contentũ, scilicet sub exeunte mutato. Sicut Tussis sub malo motu. Vlcus uero palati solutæ cõtinuitatis morbus est: ambo autem ex destillatione sequuntur.

Prognosticum: Periculũ est empyematis, hoc est suppurationis, ex materia fluxa & fluente ad pectus: & demum phthisis. Periculũ etiam est rupturę uenæ in pulmone uel pectore, ob tussim, suffocationisq; demum ex multa materia.

CVRATIO.

Harum affectionum quædam sunt factæ, scilicet solutio continuitatis uenæ, & ulcus palati, quæ curatione proprie dicta indigent, quæ in exiccatione & unione consistit. Quædã fiunt, ut destillatio & tussis. Quædã partim factæ, partim fientes, ut febris. Operatio igitur medici aduersus eas, partim præseruatiua, partim curatiua esse debet. Ad quam recte agendam uariæ occurrunt intentiones: quo scilicet ad sputum sanguinis, uenæ cõsolidatio: quo ad tussim, uacuatio materiæ cõtentæ in pectore: quo ad febrem, curatio factæ per frigida, fientis per causæ remotionẽ: quo ad destillationem, ut sistatur: quo ad palati ulcus, consolidatio.

Dubitari igitur non ab re potest, unde incipiendũ. Dic, quod à destillatione: tum quia inde omnia alia pendent, ueluti ab ea uel facta uel fientia: tum quia magis suspecta, siquidem nunc sputum sanguinis exile est. Incipientes ergo à cura destillationis, eliciamus intentiones eius curatiuas, non negligentes tamen cætera.

Destillatio, quantum ad ipsam fluctionem attinet, est exiens mutatum: quantum ad affectionẽ, quę ipsum facit, dicit malam temperaturam cum materia in capite contentam, quæ eget euacuatione, quæ tum extrahendo ipsam materiam, tum ad alia loca distrahendo, est agenda. Primum potest fieri uel phlebotomia, uel pharmacia purgante.

Dubitari igitur potest, an conueniat phlebotomia: & si conuenit, an sola sufficiat. Dic, quod conuenit: quia destillatio est ulcera faciens & suffocationis formidinem. Conuenit autem non tota simul, sed per interualla facta, ex iecoris uena, & modo dextri modo sinistri cubiti. Ad aliud dic, quod non sola, quia materia in uentriculis cerebri contenta substantiam madefaciens, per eam non euacuabitur.

Circa purgationẽ etiam dubitari potest, an sola sufficiat pharmacia, quæ per inferiora

riora materiã educat. Dic, quod nõ: sed uacuare etiam caput particulariter oportet. Nec etiam hæc sola sufficit, sed uacuandum quoq; est tum ad longinqua retrahendo, tum ad propinqua deriuando.

Dubium etiã contingit, unde cõputandi dies iudiciales, an scilicet à destillatione, an à uenæ apertura. Ego teneo quod à destillatiõe: iuxta quam supputationẽ, uena aperta esse uidetur in uigesimaseptima die à morbi initio.

Ad opus tandem accedendo, Victus sit ualde tenuis, prohibeaturq; caro, uinum, oua. Vtatur auena, uel ordeo, uel amygdalarum succo, quibus ob fracturam uenæ, superponatur puluis aliquis adstringens, ut nucleorum mali punici acidi, uel rhoi Syriaci, uel fructuũ myrti, qui præ alijs mihi magis placent, etiam si per se edantur. Potus sit aqua calybeata uel aurata cum iuleb rosato. Omnes escæ uergant ad frigidum. Potest uti coriandris, & manuchristi uocato, cum margaritarum puluere & coralli parato. Aër uergat ad siccum & frigidum, quare non conuenit ignis.

Retractio fiat per frictiões, per extremorũ membrorũ uincula, quibus quãdoq; admoueanẽ cucurbitulæ, quæ etiam supra iecoris regionẽ nõ inutiliter apponentẽ.

Purgatio cum pilulis quidem cochijs, nisi uehementia febris prohibeat: alioqui cum polypodio & siliquæ Aegyptiæ liquore est faciunda. Caput purgetur butyro intra nares dato, cui octaua pars elaterij sit adiecta.

Deriuatio per sinapismum abraso capiti cum columbino stercore factũ. Necessitate cogẽte aliquod narcoticũ detur, uel philoniũ persicũ, uel theriaca noua, quã laudat Galenus. Syrupus myrtinus cum iulebo rosato, & tussi, & febri, & sanguinis sputo cõducet. Vnguentũ aliquod adstringẽs, circa gutturis & pectoris superiora etiam conducet, ut quod ex oleo myrtino & pastillis per electrum uocatis componitur. Palati ulcera per gargarisma curabũtur, ex plantaginis decocto & succo nucum, modo Galeni adseruatum.

EPIST. V. Io. Manard. Academiæ medicorum Cracouiensium. Examinantur quædam à medicis nonnullis scripta pro Reuerendiss. D. Cracouiensi Episcopo.

Vm iam scriptis mãdassem ea quę ad salutẽ Reuerendiss. domini Cracouiensis episcopi conducere mihi uidebantur, placuit ne frustra mihi missa uiderentẽ ea perlegere, quæ à nõnullis medicis sub Italorũ medicorũ nomine, eandẽ ob causam fuerãt scripta. Inter legendũ aũt multa occurrerũt in quibus ego aliter & sentiebã & scripserã, q̃j, quicũq; nam fuerint, excellentes illi medici scripsissent. Operæpreciũ aũt me facturũ putaui, si hæc sigillatim explicarẽ, atq; enucleanda Cracouiensi medicorũ academiæ proponerẽ, adiectis rationibus quæ me cogerent in priore sententia perstare, nec ab alijs quæ scripseram recedere. Vestrũ autem erit, Cracouienses medici, ad æquilibriũ rationis utraq; dicta referre, & quæ lanx interuergat solerter pensitare.

Primum dissidiũ inter nos est, quod illi laborasse in nostro Reuerendiss. domino cogitationẽ putãt: ego potius imaginationẽ. Ad cogitationes si spectat ratiocinatio, rationis ue discursus, quã labefactã ex his quæ scripta sunt minime colligo, scribitis enim adfuisse silentiũ, mœstitiã, fastidiũ, mortis expectationẽ. Ex hoc enim, quod proculdubio corruptã imaginationẽ faciebat, per rectum ratociniũ reliqua sequebantur. Quis enim nõ mœreat mortem expectans? quis nõ sileat, & mundana cuncta in summo fastidio non habeat? Incolumi igitur permanente ratiocinio, ex sola mortis imaginatione, reliqua meo iudicio sequebantur. Quæ etiam imaginatio non penitus absq; ratione contingebat, cum consideraret secum tot præsidijs, tantaq; medicorum diligentia, continue ad deterius labi, nec uel tantillum subleuari,

faciunt hæc ut imaginationem in eo potius laborasse putem, quàm intellectum, quem Galenus cogitationē uocat. Verum apud eundem Galenū, disputatio hæc dialectica potius est quàm medicinalis, cum eodem in uentriculo principes omnes uires secundum eius sententiam reponantur.

Aliud uero maioris momēti dissidiū est, quod tremore cordis cōtinuò affligi eum dicūt: quod nec uos scribitis, nec ego putarim uos alioqui oculatissimos in tanti momēti re hallucinatos. Nec est ut se Auic. clypeo tueanť, dicentis, non posse cōmunicari cordi à capite uel uentriculo (Sic enim legendū puto: licet in exemplari ad me misso pro uentriculo legatur cor) aliam noxā, q̄ tremoris. Nam neq; Auicen. inuenio hoc dixisse: nec si dixisset, esset illi plus quàm rationi, Galeno & experientię credendū, quæ ostendūt alios quoq; affectus, præter tremorē, posse cordi ab alijs membris cōmunicari, ut dolorem, syncopā, seu animi defectū: hæc enim fieri ab ore uentriculi præter experientiā & rationes quas facile quisq; considerare potest, Galenus quoq; testatur lib. primo de causis symptomatum, quinto de locis affectis, & primo Artis curatiuę ad Glauc. Vnum uero est, quod maxima me afficit admiratione: me dicos uidelicet illos Patauos, qui certe ex tot locis Galeni adductis uidentur in eius lectione assidui, cum tremorem cordis per consensum fieri, in secundo suo consilio scripsisse, quem in primo continuū esse affirmauerant: docente Galeno in secundo libro de locis affectis, tunc affectum proprium putandum, cum permanere in parte quapiam conspicitur.

Addunt & aliud, quod ego non probo, certum scilicet esse, humorē melancholicum non ferri in Reuerendis. hoc domino ad uentriculū. Hoc probant quadam coniectura. Coniectamus, inquiunt, in splene esse ingentē obstructionē, ergo certum talem humorem nō posse ad os uentriculi deferri. Quod uero adsit obstructio in liene, non aliter probant quàm ex suppressione fluxus sanguinis per uenas ani, per quem sanguis melancholicus consueuerat expurgari. Sequelam probantes ex Galeno, libro de atra bile dicēte, sanguinem illum retentū facere obstructiones, & corpus inficere. Cui sentētię addunt aliud testimoniū Galeni 5. de locis affectis. Innituntur igitur duabus sequelis, secundum hunc ordinem: Fluxus sanguinis melancholici per ani uenas consuetas est retentus, ergo ab illo sanguine non expurgato fit lienis obstructio & corporis infectio. Secunda sequela est: Obstructus est lien ingenti obstructiōe, ergo humor melancholicus nō potest ad os uentriculi ferri. Ego uero tantum absum ut cum eis sentiam, ut credam totum contrarium: tantam uidelicet quantitatē atrę bilis ad uentriculum ferri, ut appetitum tollat, non faciat: hoc enim quandoq; cōtingere & Galenus lib. 6. de locis affectis, & Auicen. primo cap. de ægritudinibus splenis affirmant. Delatam autem magnam atræ bilis copiam ad uentriculum, ex his quę à uobis scripta in uarijs locis sunt, colligo. Et primo ubi enumeratis symptomata multa, quæ ardorem uentriculi præibant, Mœstitiam scilicet, silentium, tædium, mortis expectationē, quæ certe sunt (ut nec ipsi diffitentur) atræ bilis genimina: ad quę cum (ut scribitis) sequeretur oris uentriculi ardor, negari non potest quin ab atra bile ad uentriculū delata, ardor ille excitaretur: ad quem tantum defluxum nō sequeretur appetētia, quia & maiore copia quàm par esset, ferebatur, & melancholia potius erat quàm melancholicus succus, ueluti uos alio loco scribitis, dejici dicētes ex clysmate, alephanginis pilulis & manna, magnū modum spumantis & ueluti ebullientis exustæ melancholiæ. Acida enim ualde sit oportet, si excitare appetitum debet, quæ ad uentriculum fertur melancholia, ut Galenus testatur lib. 6. de locis affectis. Et fluere igitur & fluxisse magnam atræ bilis copiam ad uentriculum puto: nec uideo ex suppresso sanguine, per ani uenas euacuari consueto, lienis obstructionem necessariò fieri. Potest enim humor ille ater, partim in uentriculo, partim in hypochondrijs atque in alijs locis congregari: sed & per totius corporis uenas diffundi. Potest & in ipso liene plus quàm antea abundare, non tamen obstructionē in eo facere. Non uideo etiam aliam eorum sequelam esse necessariā, hanc scilicet, In liene est ingens obstructio, igitur melancholia ad os uentriculi non potest deferri. Possunt enim aliæ lienis uenæ obstrui, ea remanente non obstructa, quæ melancholiā portat ad os uentriculi. Multos enim uidimus cum ingenti lienis obstructione, cibi appetitū non amittere. Vidimus etiam nōnullos, effusa ad os uentriculi melancholia, quod ex dolore & sapore eius in ore percepto cognoscebatur, mœstitiā melancholicā absq; appetitu incurrisse. Quod etiā Galenus lib. 6. de locis affectis testatur, cuius uerba libuit adscribere, ut Excell. uestræ cognoscant, ea quæ nos scripsimus, esse ad Galeni mentem dicta: nec ex suppressione euacuationis atræ bilis consuetæ, tolli accessum eius ad uentriculū. Sic enim uerbū uerbo reddendo scribit Galenus, de liene loquens: Verum plerunq; à seipso excrementa quemadmodū iecur expellit, adeò ut & quandoq; melancholicū sanguinē simul cum nausea per uomitū ejiciat, & per inferiora aliud simile subeat, & nō facta tali euacuatione, mœrores & pusillanimitatē melancholicā faciat, necnon interdū cibo rum uehementissimas appetentias, & præcipue ubi exacte acida fuerit ea quæ ad uentrem fertur superfluitas. Plerunq; uero euersiones & abominationem, quando aliam quandā habuerit corruptionē. Ecce igitur, ex suppressione sanguinis, qui defluere cōsueuerat, non necessariò tolli effluxū humoris atri ad uentriculū, nec necessariò tolli appetitū, sicuti nec necessariò fieri eum, humore atro ad eam fluēte. Non recedendum igitur à nostra sententia, quæ effluere quidē ad uentriculū melancholiam dicit, tollicq; appetitū: Tum ab ea, quoniā scilicet corruptione quadā participat: tum à pituitæ tenacis copia. Mœstitiæq; causam nō in atrā bilem, ut ipsi dicunt, in uenis cerebri contentam: perpetua enim esset, & nō (ut scribitis) quandoq; reuertetur: sed in fumos ab ea ex naturalibus membris eleuatos generari.

Addunt & aliud, quod magni momenti esset, si ueritatē haberet: Reuerendis. scilicet hunc dominū, esse ad aquam intercutē præparatū: ea enim quæ de sanguinis euacuatione à me scripta sunt, uel in totum dejiceret, uel moderāda ualde ostenderet. Verū uix crediderim Excell. uestras, quæ tantū operæ in curando hoc clariss. domino sumpserūt, & tam ad unguē uniuersa acta & quæ in dies occurrerūt symptomata cōscripserūt, rem hanc tam arduā prætermisisse, imò cōtraria potius indicia nobis significasse, facie uidelicet eum alba, & ad purpureū uergente, fuisse: nulla cachexiæ, hoc est, mali habitus, mutatiq; coloris aut tumoris faciei, præcordiorū, manuū, uel pedum, facta mentione. Palpebrarū quidem tumoris cū rubore meministis, qui malam potius loci q̄ totius corporis affectionem demōstrat: ad quam tamen hydropen si præstantissimi hi consultores agnoscebant D. suam Reuerendis. esse præparatam, certe debuerant huic rei magis consulere quàm lachrymarum fluxui.

Scribunt præterea Galenū. 4. libro de usu partium, & 2. de temperaturis dixisse, à uesica fellis ferri ad uentriculū: cum tamen ipse Galenus libro 5. de usu partium rationē reddat, quare natura nō ad uentriculum, sed ad primum intestinum bilem transmittat. Libro uero secundo de tēperaturis, fluere quidē nonnullis bilem à uesica ad uentriculum, rarum autem esse hoc, & pauciss imis contingere. Et hęc quidem sunt rerum capita, in quibus quantum ad eam partem attinet differimus.

Quod uero ad operationē spectat, in nōnullis etiam dissentimus. In cōcoquēda quidē bile ipsi laudāt syrupū de fumo terræ, puto à Ioanne Mesue descriptū. Quem quidē aptum ego puto ad uacuandū, nō ad cōcoquendū, ut simplicia medicamēta, ex quibus cōponitur, manifestāt, Myrobalani scilicet, epithymū, polypodiū, pruna Tamarindi, siliqua Aegyptia (casia scilicet uocata) & demū succus ipse fumarię. Alio qui neq; exusta illa bilis, cū superfluò cocta sit, uerè concoqui potest: sed satis est ut ita à natura uincaī, ut pelli per purgatoriū medicamentū possit. quod tamē neq; ex

pectandū uoluit Galenus, niſi in materia putreſcente: in ea enim, non in alia, concoctionem agnoſcit in urina: ſed in achoribus & cephalalgia, lib. primo de medicamentis ſecundū loca, nulla præuia uel concoctione, uel alia alteratione, materiā purgat: ſemperq; materiā quidem tenacē & craſſam attenuat & præcidit, tenuē uero ceu ſuapte natura euacuationi paratam, ſtatim euacuat. In cæpis quoq; diſſentimus. Eas enim ego incidendi gratia, & patriæ conſuetudinis ratione, cum carnibus coqui ignoſco: nō ignarus eas mali ſucci eſſe, & uel parum uel nihil alere. Verum non eis ueſcendum dico, ſed carnes eis condiri concedo. Vuas ſiccas penitus interdicunt, tanquam ad rem non facientes: quas tamen Galenus modicè detergere, uentriculum roborare, & oris eius lenes morſus ait hebetare: quare eorum uſum potius laudo quàm uitupero: ſicuti & caricarū, ueluti incidendi & attenuādi uim habentium.

Vituperant etiam piſtacia, quę ego laudo, tanquā iecur roborantia, & eius obſtructiones remouentia: licet Galenus ſe neſcire dicat, ſtomacho ne ſint nocua uel utilia. Paul. tamen Aegineta, & Auicenna eum ſecutus, tanq; ei utilia cōmendarunt. Lupulos laudant, & ceruiſiam uituperāt, uel fortè neſcientes eam illis confici, uel nocumentū in frumentū, nō in lupulos referentes. Ego uero, ut ingenue fatear nō bene me noſſe lupulorū uim, Meſue in his ſicuti in alijs multis rebus parū credēs, ita ceruiſiam uituperare nequeo, cū ſeptentrionales homines eius potu utentes, ſaluberrimos uideo & robuſtiſſimos. Quicquid tamen de ceruiſia ſtatuaſ, medonem apud uos uocatū, quod eſt hydromelitis genus, magnopere in hoc. Reuerendiſs. Domino cōmendo, quem Deus optimus maximus longo tēpore ſeruet incolumē, cui ſit laus & gloria. Ex Ferraria, XII. Calend. Martias, M. D. XXXII.

EPIST. VI. Antonio Pedochæ medico, de Rheo, an conueniat in pleuritide, & an magis purget ſi totum deglutiatur, quàm eius decoctum.

DVas inter te & Fabiū in rheo barbaro obortas cōtroueſias ſcribis. Primam, antiquam quidem, & à multis diſcuſſam, an pleuritide laboranti bus cōgrue exhiberi poſſit. Alterā nouam, & à nemine quod norim diſputatam, an uehementius purget ſi totum, ſicuti eſt, deglutiaſ, uel ſolo liquore in quo conuenienti tempore maduerit epoto, corpulentia eius abijciatur. Quæriſq; meam in utraq; lite ſententiam. Quod certe onus non libenter ſubeo, tum quod non meū eſt tantas inter uos lites cōponere, tum ueritus ne ex duobus amicis alterū perdam. Tibi tamen & per literas & per nūcios hoc efflagitanti negare non potui, quin ſtatim à podagra aliquantiſper reſpirans, calamo manum admouerem, & quid de utraq; quæſtione ſentirem, tibi ſignificarē: illud præfatus, mea hæc qualiacunq; effluxerint, nō modo ut prę iudicij, ſed nec ut teſtimonij alicuius maioris uim habitura, ſcriptis eſſe demandata. Sed ne proœmiū maius ſit quàm cantilena, primam dubitationē aggredientes dicimus, de quocunq; rheo ſermo ſit (duplex enim eſſe in quadā ad Leonicenū epiſtola iandudum oſtendimus) tutò id, imò cum nota digno iuuamento, pleuritide laboranti poſſe exhiberi. Id enim quod ſupra Boſphorū Dioſcorides, & ſupra Pontum Plinius naſci ſcribunt, ad aſthmata, & eos qui circa thoracem affectus cōtingunt, ualere dicit Dioſcorides: ad orthopnœam q; Galenus & Paulus. Sed & Auicenna Dioſcoridem ſequutus, ualere dixit ad aſthmata. Cum igitur circa thoracē, in membrana uidelicet eum ſubcingente, pleuritis gignatur, ad ipſam quoq; cōferre Dioſcoridis teſtimonio uidetur, atq; non minus ei prodeſſe, q̄ ſpirandi difficultati, quæ maiori ex parte à craſſiore tenaciore ue materia fit, quàm pleuritis: quā tenacē craſſamq; materiā ſi educi terreſtris adſtringensq; rhei ſubſtantia nō uetat, ſputum quoq; ne in pleuritide exeat minime prohibebit.

hibebit, ſicuti neque in maiore centaurio: quod licet minorem adſtringendi uim habeat quàm rheon, peculiariter tamen à Dioſcoride laudatur in pleuritide. Nec in adianto, cuius ſyrupum Ioannes Meſue laudat in eadem atque in peripneumonia. Sed idem quoq; Ioannes Meſue laudat zuccharum (ut uocat) alhuſar, quod tamen Auicenna ſaporis acerbi, quem ponticum uocat, dicit eſſe participem. Omnes demum medici laudant glycyrrhizam, quam habere quid ſtypſeos ſcribit Galenus. Laudant & gummi, quod adſtringēdi uim habet & glutinandi. Laudant crocum, qui Auicenna etiam ipſo teſte, ut Græcos præteream, ſtypticitate non caret. Taceo intybi & cotoneorum ſemina, mâla punica, aquam roſaceam, paſſulas, florem æri, quæ adſtringentia quum ſint, à medicis, & præcipue ab Auicēna, in pleuritide commendantur. Quodnam igitur infortunium rheo huic contigit, ut tot adſtringentibus admiſſis ſolum condemnetur? Quod ſi hoc de quo antiqui ſcripſerunt, & quod penitus odore caret, recipiendū in pleuritide eſt: quis non libentius admiſerit aliud genus, quod in communi uſu ante Paulum Aeginetam eſſe cœpit, barbarum ſilicet uocatum, odore ſuo eximio principalia membra, & præcipue ſpiritualia, miro modo corroborans & uires recreans. Ego certe, ſentiant alij quicquid uelint, ei uel ſiliquæ Aegyptiæ liquorem, caſſiæ uocatæ, uel aëreum mel, quod mannam dicunt, quæ membra potius laxant quàm roborent, nunquam in hoc morbo prætulerim. Et hæc quidem circa primam dubitationem dicta ſint.

Secundam, ſolius Ioannis Meſue teſtimonio, quem apud te magnæ autoritatis eſſe puto, facillime diſſoluemus. Dari enim permittit hic uir liquorem, in quo rhei barbari maduerint decem drachmæ, contriti uero quatuor ad ſummum drachmas concedit, contrarium facturus ſi maiorem uim purgandi relinqui in liquore putaſſet, ea quæ in tota ſubſtantia reperitur. Neq; hoc rheo peculiare exiſtimādum, cum omni medicamini ſiue leniter ſiue uehementer purganti ſit commune: æqua enim cuiuſq; portio ualidius longe purgat per ſe tota deglutita, quàm eius decoctum uel cremor ebibita. Nec credendum, ut tuæ innuūt rationes, totam purgatoriam uim in liquorem transfundi: nam in eo etiam qui per quinq; dies maduit, ad nos delato, licet animam perdidiſſe à Meſue dicatur, uis tamen adhuc quædam ſupereſt purgatoria, ut qua nec pars ipſa terreſtris penitus caret, in his præcipue medicamentis quæ (ut Meſue modo loquamur) euacuant compri mendo. Stantibus autem his fundamen tis, rationes quas ad contrarium probandum adducis, non difficulter ſoluuntur. Quare non eſt, ut in eis ſigillatim diluendis amplius laborem, præſertim cum adhuc non plenè conualuerim.

Vale igitur, & non contendendi ſtudio, ſed ueritatis inueniendæ gratia, bonis his litibus certare non deſiſte.

Ex Ferraria, M. D. XXXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LARVM MEDICINALIVM LIBER
DECIMVSOCTAVVS.

EPIST. I. Ioannes Manardus Petro Nicolao Castellano medico Fauentino S. P. D. Defenduntur aliqua dicta in alia ad eundem epistola. Item de ptisana, rheo, tenui uictu, apio, populo, citro, medicamento purgatorio, coturnicis carne, myxis, & pilulis Ruphi.

IX DISPVTATIONE illa tua pro astrologis tam longa & tot autorib. munita, ego non aliud euidentius colligo quàm id quod uolens lubensq; illis semper dedi, & quod quiuis è medio nouit, corpora uidelicet cœlestia generali quodam influxu per motũ & lumen hæc inferiora permutare: præter hunc uero particulares illas uires, uitæ, necis, salutis, morbi, ingenij, hebetudinis, uirtutum & uitiorum, inopiæ, diuitiarum, famæ, infamiæ, amoris, odij, fortunæ demum bonæ uel malæ effectrices, nec illis adesse puto, nec à magnis (quos tu affers) uiris cœlo adscriptas credo. Longior autẽ fuerim, si sigillatim tuas afferre rationes uelim atq; refellere: sed & superuacuè laborare cognoscar uiris bonis, qui celeberrimorum & uita & doctrina uirorum commentaria legerunt, astrologiam hanc diuinatoriam quantaquanta est, non solum redarguentium, sed & floccifacientium atq; deridentium: & ea præcipue quæ duo Pici, ut postremi tempore, ita & copia & argumentorum efficacia, reliquis qui in eadem alea uersati sunt eminentiores, nobis reliquêre: quæ cum legisse te monstres, mirum est quod adhuc pergas tam præstigiosæ arti fidem mancipare: in qua si adhuc perseuerare uolueris, prius erunt, quæ illi aduersus eam tam late scripserunt, confutanda. Ne igitur actum (ut aiunt) agam, ad alia quæ in meis epistolis nõ probas, quambre uissime potero descendam: nec tuendi mei gratia, sed ut mentem meam à te (ut mihi uidetur) nondum bene perceptam, reddam lucidiorem.

Quod ad clima nostrum attinet, scias uelim me nimio fortè zelo in laudem nostri climatis ideo prorupisse, quod uiderem nonnullos amore suæ patriæ uictos, suũ reliquis prætulisse. Cœpi igitur cogitare, an ego quoq; possem meum cæteris præferre. Arrisit autem mihi argumentum, cui inniti Galenus uidebatur, Hippocratis patriam ex hoc cõmendans, quod esset exacte media orbis terrarum: quam medietatem cum uiderem nostræ magis zonæ quàm Hippocratis patriæ cõuenire, ausus sum patriã meam Hippocratis patriæ, & totum sextũ clima quarto & quinto præferre. Pluribus igitur argumentis conatus sum demonstrare, nostrum clima uerius dici posse medium terræ habitabilis quàm Hippocraticũ, ut eodem argumẽto quo Galenus usus est, meam approbarem opinionem: ad quam rem si non penitus collimaui, non multum à longinquo scopum attigi. Nec rationes meas tollit quicquid de hominis temperatura statuatur, (non enim hoc mihi erat disputandum) sed an clima nostrum uerè esset medium, in terra hac quam incolimus, non in uniuerso orbe, quemadmodum prima tua epistola uideris intellexisse. Hoc igitur probare conatus sum, siue totam ipsam quartam terræ quam incolimus partem, siue eam quæ commodius habitatur, consideraremus. Et hæc quidem de climate.

De saccharo toties scripsi, ut graue mihi sit eandẽ rem tam crebrò perfricare. Sentias tu, sentiant medici quicquid uelint, quando utri sententiæ quis hæreat, non est ad uitam hominis magni momenti. Si quis tamen, sepositio quocunq; affectu, diligenter aduerterit ea quæ à me scripta sunt, diuersas res sub sacchari uel zucchari nomine

mine esse comprehensas cognoscet. Sed, ut uideo, (fortè quia te piget bonas horas male collocare) mea non diligenter legis: quod euidenter ostendis in aquis destillatis, putans me uelle ut Galeni modo extrahantur, quum ego putem destillationem omnem, nedum hanc meam, penitus ei fuisse incognitam.

De ligno Indo nihil apud Auic. lego, quibus tu ais locis. Cap. enim 384. de nescio quo grano scribit, quod kormiden uocat, quod nullam cum ligno Indo cõmunionem habet. Cap. uero 484. sub mehenbethcat nomine, agit de lathyride, id est, cataputia uocata. An uero Aethiopicum Indo præferendum, alij cogitent: ego ab Indo recessurus non sum, ut quod & cognitum & expertum habeam, cum Aethiopicum ut maioris longe precij possit (ut olim) ab interpollatoribus fingi.

De sectione uenæ in pleuritide bis etiam scripsi, atq;, ut mihi uidetur, omnẽ ambiguitatem sustuli. Ideo enim (ut scripsi) Galenus secat contrarij cruris uenam, alio inflammato, quia ex crure laborante non licet ab initio uacuationem facere, ne plus sit quod aliũde trahitur, eo quod euacuatur. Oportet ergo ut reuulsionis gratia uel eiusdem lateris in manu uena secetur, uel contraria pedis. Ambæ enim cum uena cruris laborantis habent communionem: per quas tamen uenæ sectiones non intendit sanguinem euacuare in inflammatione contentũ, sicuti in pleuritide: in qua ob membri nobilitatem cogitur euacuationẽ accelerare. Contrarij enim lateris uenæ sectio, uel nequaquam, uel tarde iuuat: quam tarditatem in cruris inflammatione non ueremur: sicuti neq; ueremur in dolore à dorso ad humerum descendente uenam cubiti secare, naturam iuuantes, quæ à nobiliore parte ad ignobiliorem, materiam transmittit. Quare uero Hippoc. in dolore ad præcordia descendente uenæ sectionem prohibuerit, Galenus ex dissectione uenarum manifestat. Cur uero in tali dolore, scilicet descendente, ad uenas tali non se uerterit Galenus, ideo factum puto, quia materiam citò ab inflammato loco uoluit extrahere, quod & serò & non sine discrimine fieret per tali uenam. Quod etiam ad cõtrariam nunquam accedat cubiti uenam, licet ambæ ex eadem cauæ uenæ parte oriantur, directus fecit aspectus: quem semper considerandum Hippoc. iussit, experientia ipsa ab euacuatione sanguinis per nares edoctus: quæ si è dextra nare, inflammato iecore fiat, iuuat: si è sinistra, potius obest. Cuius rei causam ego non in filamenta, ut nonnulli, sed in minores quasdam uenas refero, cum uena eius lateris cõmunionem habentes, non cum contraria.

De herba Gyarcha uocata nihil moror quocunq; uoces nomine: & si nihil aliud quàm natales uetant, non est ut eam sub alio collocem, quàm sub polemonij capite, cum notissimas etiã plantas uideamus alijs locis nasci, quàm quibus scripsit Dioscorides. Sed aliæ causæ me mouent, ut aliam rem suspicer esse, quarum nonnullas ad te altera epistola scripsi.

Modum parandi ptisanam, ita absum ut putem incognitum, ut (si recte memini) in epistola ad Comaclensem episcopum, me cõmentariolum illud latinitate donasse scripserim, in quo modus ille docetur. Verum libri non sufficiunt coquum bonum facere, sicuti neque nautam. Vt in prouerbium abierit, Nauta ex commentariolo: in eos qui artem aliquam factiuã ex libris didicerunt. Experientia autem ipsa comperi paucos admodum esse, qui nostro tempore ptisanam norint recte parare. Et propterea scripsi inter reliquas rationes, & hanc me mouere, ut ea non admodũ uterer. Sicuti & dissuetudinem: quoniam magis abhorremus ea quibus sani nunquam sumus usi: & uitiatũ ordeum, quia scilicet non ad usum hominum, ut olim, & etiam apud multas nationes, sed brutorum tantum animalium apud nos, & seritur, & adseruatur. *Nauta ex commentario, Prouerbium.*

Aquam etiam ordei quæ nunc nomen hoc habet, dixi me dum scriberem non meminisse, nisi uno loco apud antiquos legisse (quia nullus mihi, præter unum, oc-

Universidad de Deusto
Biblioteca

currebat locus) ubi eius esset mentio. Nunc scio etiam unum aut alterum in quo le
Aqua hordei. gatur, aquam hordei, ut dixi, intelligens eam in qua hordeum post modicam ebulli
tionem ejicitur, non autem succum aut cremorem à Celso uocatū, de quo frequen
tissima mentio: quanq; scio apud Arabes hæc sicuti & alia multa plerūq; confundi.

Rheon barbaricum notum fuisse & Paulo & alijs nonnullis Græcis, & dico, & dixi: non quod eius meminerit libro septimo inter simplicia, in quo quæcunq; scripsit, ex Galeno fermè excripsit: sed in quibusdam cōpositis medicaminibus. Nec, quod purgatorium non dixerit uel ille, uel alij, probat quod eius notitiam non habuerint, quandoquidem & ipsum quod in Ponto nascitur, & inodorum est, ac demum omnibus rebus idem, ei quod Plinius & Dioscor. pingunt, non minus purgat, quàm nostrum nunc uocatum barbarum, ut ego certa experientia pluries cognoui. Quod uero locum in Pauli primo libro corruptum putas, & pro rheo legendum, nitrum, libenter amplector, ueluti meæ sententiæ adstipulans, quod antiqui rheon non habuerint in numero purgantium. Non adeò autem libenter accipio, quod inter podagrica antidota pro barbarico ponticum intellexerit, quod inter simplicia, simpliciter rheon uocauit. Frustra quippe barbarici nomenclaturam addidisset, si eandem rem accipi uoluisset, de qua eodem libro sub rhei nomine sim-
Alexander male translatus. pliciter scripserit. Nec me mouet Alexander ille, tam male in latinam linguam con uersus, ut in unico capite ego aliquando per ocium supra quinq; & uiginti insignes errores annotauerim. Non ausim tamen certò affirmare errorem huic loco subesse, quoniam græcū meum exemplar eum locum non attingit. Sed ut dem ubi Alexandrū suæ antidoto ponticū apposuisse: quis uetuit Paulum pro pontico elegisse barbaricum, tempore suo uel paulò ante, ut Hermolaus putat, cognosci cœptum?

Dubitas præterea quomodo uictum tenuem probem, quum Hippoc. in aphorismo aperte dicat, uictum paulò pleniorem esse securiorem. Cui quæsito satis (ni fallor) mea ad Cittadinum epistola respondet: imò Hippocrates ipse, non alio nomine damnans tenuem uictum, nisi quia ægrotātes eo utentes interdum in alijs rebus delinquunt, & errata difficilius ferunt. Et in libro de uictu morborum acutorum, apertissimis uerbis absq; alia adiectione, ubi superstes futurus usque ad consistendi uigorē æger est, tenuem pleniori præferens. Tua uero glossemata ex recentioribus desumpta, ceu autorum mentem detorquētia, in rebus tam serijs non admitto. Sicuti nec minimam illam uirtutem quæ sanare possit: nam sanare non potest, nisi morbum superet. Quem si superat, excessu aliquo superat: qui cum secari in partes possit, sequitur dari aliquā uim prima minorem, quæ adhuc morbum superabit: quare non fuit illa, ut uolebas, minima. Sed uide quo pacto me cogas in iuuenilia hæc & penitus inutilia descendere. Melius ergo est ut ad res quæ sensu cognoscuntur accedamus.

Primo quidem ad apium, de quo interrogas, si quod nos petroselinum, est illud quod apium antiqui uocarūt, quidnam erit nostrum apium? Scripsi aliàs apium antiquis uocatum hortulanum, uideri mihi esse id quod nos nunc uocamus petroselinum: nec solum dixi, sed rationem reddidi, cur ita dicerem & sentirem. Tu aliam quæstionem proponis magis certe dubiam quàm fuerit prior, à qua possem me facile absoluere, si dicerem me nunquam hanc mihi prouinciam assumpsisse, ut antiquorum nuncupationes cum nostris cōcordarem: sed satis mihi usum esse, si nonnulla prout mihi occurrebant, ingenue aperirem: quæ tamen non præiudicij, sed nec maioris testimonij uim habere uolui, paratus semper ita in hac re, sicuti in omnibus alijs melius sentiētibus cedere. Verum eadem hic quoq; ingenuitate utens, dico uulgare hoc nostrum apium uideri mihi esse quod Græci elæoselinū, & Theodorus paludapiū uertit. Quodnam uero genus sit, quod in comitiali morbo damnatur, ego indiscriminatim putauerim (quicquid tuus ille tertius Plinius dicat) omne apium

apium alimenti ratione damnari: præcipue tamen Smyrnion damnauit Alexand.

Violæ purpureæ flores conferre pueris comitiali morbo laborantibus, præter Dioscoridem, scribunt Plinius, Macer, & Serapion, qui tuam quoque amouet dubitationem, dicens proprietate quadam id fieri.

Quod populum albam in primo ordine calidorum reposuerim, & autoritas, & ratio, & experientia suasit. Nec impressus Galeni græcus codex, in quo tertij legitur ordinis, ab ea sententia me dimouet, ut ubiq; erroribus maculatus. In manuscripto ac melius alijs quoq; in locis castigato legi, in primo. Potuit & Oribasius in suo Galeno legere: quanquam & maculatus quoq; est, & male in latinum uersus, qui
10 inuulgatus in Germania est Oribasij libellus.

De citro uolens, ut tibi morem gererē per epistolam id petenti, tollere repugnantiam inter Auicennæ dicta, nonnulla cōmentus sum quibus excusari posset, & inter reliqua dixi, per semen posse intelligi totum id quod carnem & nucleum intermediat, in quo proculdubio acedo continetur, ut scilicet simul tutarer & in concordiam redigerem Galenum & Auicennam, acedinem & frigus semini adscribentes. Tu uero, nescio an calumniandi gratia, sed ut credere malo, quia tibi ita usum est, in me insurgis, quasi in hoc etiam semen uerum, hoc est nucleum, comprehendi uoluerim: quum tamen paulò post dixerim, semen uerum à Galeno statui calidum. Impingis etiam mihi, quod dixerim corticem ipsum nucleum continentem per se
20 frigidum esse: quod certe non dixi, sed Galenum dicentem in semine uincere acidam qualitatem, dixi comprehendisse sub seminis nomine medullam illam in qua apertissima deprehenditur acedo, quam tamē perispermа mauis uocari quàm sperma. Sed si in solo nomine erat controuersia: non erat ut chartam & tempus in hoc perderes, & mihi eandem iacturam faciendi occasionem præberes. Addam tamen & hoc, quia tu bene correcti Galeni mentionem habes, me in codice manuscripto ac bonæ fidei utrunque legisse, semen scilicet & aciditatem: possēq; utriusque lectionis argumentū capi ex his quæ uersus finem capitis ab eodem Galeno scribuntur. Ait enim: Totum autem semen inesibile: humidum uero & acidum, de quo prius »
25 disserui, est qui in ipso nucleus inuenitur, qui uerè est semen. Cum enim dicat hoc »
esse uerum semen, innuit se de non uero prius loquutum: sed aperte etiam testatur se de acedine antea disseruisse.

Petis ulterius, quomodo Galenus excusari debeat, dicens pharmacum non purgans uerti in humorem talem qualemcunque debebat purgare: in qua re dicis me mutasse sententiam. Ego certe non memini in hoc me mutasse sententiam, sed sine hæsitatione credo id eum uoluisse quod uerba sonant. Quod & alioqui assequens est Galenico dogmati, quo asserit purgatoriū medicamētum ex similitudine quam cum humore habet, unum præ alio & trahere & uacuare. Quod nisi fecerit, in eundem humorem quem trahere debebat similitudinis ratione quādoq; permutatur.

Nitrū quo nunc passim in bellicis tormentis utuntur, aliam rem esse ab eo quod
40 in nitrarijs olim repertum, condiendis & colorandis opsonijs, & alijs rebus non parum multis in usum antiquorum ueniebat, non solus, sed cum Hermolao, Marcello, alijsq; & sensi & sentio, nec ueto quin tu modo tuo sentias.

Coturnicis etiam carnes non probo, non solum quoniam à maioribus nostris im- *Coturnicum carnes improbatur.*
probatas inuenio, sed etiam quia Veris & æstatis tempore siccæ admodum sunt, & ad atram potius bilem quàm bonum sanguinem gignendum idoneæ. Autumno & hyeme pinguedine nimia obesæ, ut palato gratiores, ita uentriculo & concoctioni ineptissimæ, exigui nutrimenti, nauseamq; & fastidium pariunt, & quibusdam etiam in aquilonari ora extremam perniciem, ut à fide dignis intellexi, attulerunt.

Myxaria uel myxa à Græcis & Latinis uocata, esse fructus quos sebesten (fortè à loco in quo frequentiora sunt, licet aliam causam reddat Hermolaus) Arabes uo

Universidad de Deusto
Biblioteca

cant, facit primo quidem nomen: mucosa enim adeò sunt, ut ex ipsis in Syria excellentissimũ id uiscum paretur, quod Damascenũ uocant. Facit præterea & similitudo, quam cum prunis habent. Quod uero uermes interficiant, est, ut inquit Serapion, quia illi dulcedini hærent. Addo ego, & quia præ tenacitate ab eis nõ possunt auelli, sit ut cum illis exeant. Quare non est ut labores pro Paulo castigando, ubi hæc laudat in uermibus interficiendis: sicuti neq; laborandum tibi erat, uel ad Auicennam recurrendum, ut propotisma Ruphi ab eodem Paulo descriptum castigares, ammoniaco thymiamati crocum supponens, motus non tam autoritate Auicennæ, quàm cõmuni, ut arbitror, fama, quæ summam excellentiam croco tribuit in corde roborando, quæ res maximo usui sit in pestilentia. Et cum ab ammoniaco minime fiat, nihil ad propositum facere ammoniacum ipsum arbitraris. Verum animaduertere debebas, antiquos autores non tantum tribuisse croco quantũ recentiores: fuisseq; inter illos qui inter uenena eum reponerent. A qua sentẽtia nec Arabes penitus recessere, sed & uẽtriculo & cerebro noxium esse dixere, appetitumq; deijcere. Quod si in aliquo morbo, maxime in pestilentia est fugiendum. In ammoniaco uero animaduertenda uis quam habet in aluo subducenda, & liene liquãdo: quæ duo in pestilentia cauenda, sunt plerunque necessaria. Nam, ut ipsemet Ruphus dicit, præcordiorum dolores & tensiones in ea solent contingere. Valeat igitur Auicennæ & quorundam aliorũ Arabum autoritas, apud eos qui eis credunt, in laudandis catapotijs quæ crocum recipiunt: non tanti tamen sit, ut Ruphi ipsius compositionem ualeant peruertere.

Minus quoque committendum est, ut pro myrrha in eodem Ruphi propotismate intelligamus herbam. Nam ut mittam quod uox qua utitur Ruphus, æquiuocationem hanc tollit (smyrnam enim, non myrrham accipit) lachryma myrrha dicta multis nominibus meretur ut in eo recipiatur: suauissimi enim odoris est, putredinicq; adeò resistit, ut mortuorũ etiam corpora ab incorruptione defendat: scorpionum ictibus utilis est, uermes necat: & ob uarios eius usus, non est ferè antidotum cui non misceatur. Tua uero herba myrrhis uel myrrha uocata, escæ potius quàm medicamẽti gratia in usum uenit, si, ut multi credũt, nec ego abnuo, est quæ uulgò cerfolium dicitur, quam nõnulli & chærephyllum dictam in horto Columellæ putant: alioqui (quicquid nam sit) uix inuenias antidotum quod ipsam recipiat. Nec laus eius in pestilentia cauenda usquequaque à Dioscoride probatur. Verbo enim ἰσοῤῥόπον utitur, quo tum uti solet cum aliquid ex sentẽtia potius aliorum quàm ex propria scribit. Sed & Plinius cum alias eius uires simpliciter narrasset, huic addidit uerbum, aiunt, quo & ipse uti solet cum aliquid narrat quod non credit. Quod nec alios medicos credidisse satis uerisimile est: quoniam inter medicamina pestilentiam arcentia huius herbæ non meminerunt. Verum ualeat quantumtu uis: non tanti tamen facienda est, ut locum quem per tot annorum secula myrrha sibi præscripsit, ei cedere debeat. Hæc sunt quæ mihi alijs negocijs impedito se obtulerũt ad tua argumenta obiter diluenda. Vale, & me ama.

Ex Ferraria, IX. Calendas Augusti: qua die primum in lucem æditus sum, anno ante hunc M. D. XXXIII. primo supra LXX.

Epist.

EPIST. II. ad Simonem Grynæum ex gingiuis laborantem.

MAlum quendam hic uir gingiuarũ affectũ incurrit, & duobus ferè annis perpessus est, fluctionẽ uidelicet copiosam ex gingiuis, materiæ purulẽtæ, flauæ, mali odoris, modo tenacis, modo aqueæ: quę assiduo defluxu gingiuas adeò erosit, ut primorũ dẽtiũ radices in totũ detexerit.

Malus hic affectus haudubie sub eo symptomatis genere cõtinetur, quod exiens mutatũ dicitur: humor quippe exit unde exire nõ deberet, qui & colore, & odore, & substãtia, & modo, alienus à naturali est. Sequit hoc symptoma necessariò morbũ aliquẽ. Videndũ igitur quinam sit is morbus. Solet enim pus uel disrupto absceſſu, uel uulnere nõ adglutinato, uel ulcere ex fluctione corrodentis materiæ exiccato, emanare. Cũ igitur nullus præcesserit absceſſus scribatur, nec uulnus, nisi ante decimumoctauũ annũ, ex quo si pus genitũ fuisset, non poterat tanto tẽpore latitare: sequitur, in tertiã causam, hoc est, in materiæ defluentis erodentem uim, debere ulceris & puris ex eo manãtis originẽ referri, ita ut symptoma sit ipsius puris exitus: ulcus morbus ex quo absq; alio medio gignitur. Verum cum ex tantillo ulcere nõ uideatur tanta copia pus posse abũdare, ut cõtinua ferè emũdatione (ut scribitur) per linteola egeat, considerandum unde nam tanta moles redunder. Quæ certe nõ potest in aliud referri, quàm in continuũ ad ea loca materiæ defluxũ, atq; eorũdem malum habitũ ex diuturna affectione contractum: qui facit ut nutrimentũ nõ probè mutetur, sed in saniẽ simul cum humore ad ea loca defluente conuertatur. Nõ enim crediderim syncerũ pus esse quodcũq; exit, sed miscellam quandam puris ex ulcere geniti, nutrimẽti male concocti, & humorũ ad imbecillem locũ cõfluentiũ: quod uel ex hoc cõstare potest quod scribit, interdũ crassum, tenue interdũ esse quod exit, atq; pro uictus ratione permutari. Gingiuarũ enim ipsarũ ratione eiusdẽ substãtiæ semper deberet effluere. Quare nõ in ipsas, sed in materiæ naturã hæc difformitas referẽda: quam materiã ut à cerebro credã defluere, præter reliqua, faciũt literarũ indefessa studia. Ex cerebri nanq; longa atq; intẽpestiua fatigatione factũ est, ut nec propriũ nutrimentũ probè cõcoquat, nec uapores è toto corpore ad se elatos ualeat resoluere. Quibus ex causis secutũ est, ut humiditates multę inibi aggregatæ in inferiores partes descẽdentes, pectus per aliquod tẽpus læserint, spirãdiq; difficultatẽ effecerint: quæ tandẽ fluctione illa assidua gingiuarũ, cõfossionęq; attractæ, ad gingiuas defluxerũt. quibus nõnihil bilis miscerí color flauus ostẽdit: ex qua, accedente etiam pituitosæ materiæ ustione, ulcus gingiuarũ est genitũ.

Vt igit ex his curatiuas intẽtiones, ipsarumq; ordinẽ colligamus, tollendũ ulcus ex quo fœda illa exit materia, per unionẽ solutarũ partiũ: quæ cum uniri nõ possint præsente humiditate, quæ eas disiũgit ac cõiungi uetat, detergẽda hæc est & exiccãda: deinde uulnus adglutinandũ. Sed cũ cõtinuò ad locũ noua defluat materia, amputãdus iste defluxus. Quare danda opera, ut materia quæ defluxura est, ex capite euacuet, & pariter ne noua iterũ in cerebro aggregetur. Et si hoc in totũ fieri nõ potest, aliò diuertat. Sed qa corpore uniuerso repleto, caput euacuari recte nõ potest, primo ab uniuerso corpore amouẽda repletio. Erũt igit curatiõis tres scopi: Totius corporis primo: secũdo capitis euacuatio: tertio ulceris cõsolidatio. Et quia morbus cõtinuè sit, ad prohibendũ ne fiat, mẽbrũ in quo materia aggregat, roborãdũ: ipsaq; materia ad aliũ locũ trahẽda, & gingiuis quoq; ipsis occurrendũ ne amplius lædant: ut in totũ etiã sint tres præseruationis scopi, capitis roboratio, retractio, & gingiuarũ tutela. Vt igit ab eo qui ultimo inuẽtus est curatiõis scopo incipiamus, totũ corpus euacuare uolentes, à uenæ sectiõe initiũ capiemus. Ineũte igit Vere & autũno, exterior cubiti uena secãda est, quã cephalicã uocãt, extrahẽdæq; sanguinis sex octo uncias. Post hanc sanguinis missionẽ, hæc potio decẽ duodecim ue diebus in aurora

Universidad de Deusto
Biblioteca

bibenda: Betonicæ, polypodij ʒ. 5. myrob. citrin. ʒ. 2. bulliant in uncijs ſex aquæ ſaluiæ donec tertia pars conſumpta ſit, decoctoq; addantur, Catholici ʒ. 6. & Vere electuarij Indi: autumno, electuarij de ſucco roſ. ʒ. 2. Poſt has potiones, niſi magna purgatio ſequuta fuerit, catapotia deglutienda quæ habent, Agarici ℈. 2. rhei barbarici unum, adiecta diagridij ſiliqua, uel chalco, & betonicæ ſucco quantum ſat fuerit ad conformandum. Quibus catapotijs, niſi magni æſtus id uetent, bis ter'ue ſingulo menſe uti poterit. Purgato toto corpore, caput, attracto per nares hoc liquore, expurgandum: Succi radicũ, betæ albæ ʒ. 1. pul. nucis myriſticæ gra. 6. piperis longi grana tria. Interim tamen, dum uidelicet hic liquor in nares adigitur, tuendi gratia aqua in ore contineatur, in qua plantago decocta ſit. Ex hac enim non ſolum hoc bonum conſequemur, quod ſcilicet liquor per nares attractus, os non ingredietur, ſed pars etiam tertij ſcopi abſolui incipiet, qui ad ipſum ulcus ſpectat, quod exiccantibus, ut diximus, eget, & detergentibus: quæ facultates in plantagine coniunguntur. Verum quia præclari huius uiri temperatura, quantum ex his quæ à Sinapio intellexi, conijcere ualeo, ad ſiccum uergit, craſſiorq; plerunq; eſt materia quæ exit, ideo plantago ipſa ſola præſertim in aqua decocta, tam antiquum ulcus plenè exiccare nõ ualebit: quare non ſolum eadem in uino cocta, ſed ualentioribus quoque uti erit neceſſarium, quale eſt hoc: Vre alumen ſciſſile, & in uino auſtero extingue, eiq; commiſce pari pondere maſtichen, thus, cyperum: puluereq; ex omnibus facto, uel ſolo gingiuas perfrica, uel addito melle roſaceo illine. At ſi ulcus quaſi depaſcendo ſerpat, nec ſub hoc medicamento ſaneſcat, æris æruginem ad cuiuſque aliorum pondus ſuperaddito, & abluto antea ulcere, cum aceto ſcillitito utitor. Facit ad idem & oſtreorum oſtracorũ cinis, ſale ammoniaco adiecto, conſimiliter uſto: & puluis gallarũ cum myrrha, & demũ naturale arſenicũ, quod auripigmentũ officinæ uocant. Quod ſi nec his malum ceſſerit, ad ſumma ueniendũ. Lanã igitur ſpecillo circumligatã, feruenti oleo immerſam gingiuis toties admoue donec exæquentur, & partes circunſtantes albeſcãt: uel oliuæ ligno in oleo chalcitidis, quod uitriolum Romanũ uocant, intincto, exulcerata loca cõbure. Hoc enim ignea quidem ui malignitatẽ ulceris cõpeſcet, inambulationẽ tollet: adſtrictoria uero ulcus coaleſcere faciet, & locum firmabit. Et de curatiuis quidem intentionibus hæc dicta ſint.

Quod autem ad præſeruationẽ cautelam ue attinet, caput magna diligẽtia à calore, frigore, uẽto, fumo, cœlo nubilo, ſole, luna, cuſtodiendũ: cauẽda à cibo omnis lucubratio & meditatio, omnis demũ corporis & animi exagitatio. Cibus modicus ſit, & rerũ quæ facile cõcoquãtur, & boni ſuccí ſint. Vino utatur uel leui, uel cui tantũ aquæ admixtũ ſit, ut omnis uis & acredo ab eo receſſerint. Vſus tamen melicrati cũ puluere maceris conditi quãdoq; cõducet, ita ut inuicẽ modo hoc, modo uino utaſ. Quicquid aũt aſſumpſit, aliquo adſtringentiũ includatur, qualia ſunt meſpila, ſorba, pira, cotonea, uel per ſe dum recẽtia inueniũtur, uel ſaccharo melle ue condita.

Caput ſæpe abluat lixiuio in quo roſæ & ſaluia cocta ſit, ea portione ut æſtate roſæ, hyeme ſaluia ſuperet: mediis tẽporibus utraq; ſint paria. Odoret puluerẽ ex ſandalis citrinis uocatis, roſisq; compoſitũ, cui hyeme præſertim parum moſchi adijciatur. Et his quidem præſidijs caput roborabitur. Vt uero materia quæ aggregari in cerebro ſolet, alio trahatur, & reuulſionibus & deriuationibus procurãdum. Reuulſionẽ faciẽt extremorũ membrorũ frictiones, cucurbitulæ poplitib. dorſoq; admotæ. Sed omnibus præſtabũt hirudines ſedis uenis admotæ, & ſuccus betæ per nares attractus: cuius etiã inter curatiuas intẽtiones meminimus. Deriuationẽ facient & hirudines poſt aures, tẽporibus ue, aut ſupra infra ue nares admotæ. Roborabũtur demũ gingiuæ corallis rubris, ſem. roſarũ, ſandalis citr. myrob. macere, gallis, omnibus uel quibuſdã in puluerẽ redactis, perfrictæ. Sũmẽ uero ad hoc faciet, ſimulq; cerebrũ roborabit, & malum odorem ab ore ſubmouebit, paſtillus ore retentus qui recipit,

recipit, Roſas, ſandalos citrinos, macerem, æquis partibus, tantumq; ſacchari quantum omnium aliorum, moſchi decimam unius partis particulam, & cum ſucco tragacanthi per roſaceam aquam eliciti, põdere duarum drachmarum conformatur.

Hæc ſunt quæ mihi præter ætatis & ualetudinis impedimenta, immenſo etiam æſtu afflicto, pro clariſſimi huius uiri ſalute occurrẽre. Deus Opt. Max. ſuppleat id quod pauxillitas mea non potuit, & eximium hunc uirum protegat.

Ex Ferraria, pridie Calend. Sextiles, M. D. XXXIIII.

EPIST. III. Camillo Gyrlinzono philoſopho & medico, S.

Sicuti ſera gratulatio nunquam reprehendi ſolet, ita ſera conſolatio ſæpe culpari, præſertim ubi cum philoſopho agitur, quem profeſſio ipſa facit, omnes fortunæ ſæuiẽtis ictus æquo animo perferre, atq; eos præcipue qui ex repentino hominis obitu contingunt: quem ad hoc natum eſſe cognoſcit, ut bene uiuendo meliorẽ uitam acquirat, cum omni felicitate perpetuò duraturam: quam matri tuæ contigiſſe, candidi eius mores, uita abſq; noxa acta, euidentiſſime demonſtrarunt. Hac igitur prætermiſſa conſolatione, ad ea potius me conuerto, quæ à me petis. Herba quam citracum nonnulli, alij cetracum, aliqui uirgam auream uocant, ea eſt proculdubio, quæ à Dioſc. lib. 3. aſplenon dicitur, quam à nonnullis ſcolopendrion, ab alijs ſplenion, ab alijs hemionium, ab alijs pteryga uocari dicit. Aſplenon quidem, ex eo quod miro modo & potu & litu lienem minuit. Qua ui ſplenij etiam nomen meruit, non ex foliorum figura, quæ ſit aſciolæ ſimilis, ut Marcellus putauit. Scolopendrion à uermis ſimilitudine, quem in aduerſa præcipue parte, hoc eſt quæ lapides in quibus naſcitur ſpectat, repræſentat, lineis quibuſdam interſecta, multiplicibus illius pedibus non diſſimilibus. Dicta uero hemionion eſt à mulis, qui ea plurimum delectari dicuntur, ut Theophraſtus ſcribit: uel quod ſterilitatem facere creditur, mulis peculiarem. Pteryx quoq; ideo dicta eſt, quia eius folia inciſuris adeò plena ſunt, ut pennarum auis effigiem præ ſe ferant: quod Marcellus propterea non agnouit, quia communem errorem ſequutus, ſimilitudineq; nomẽclaturæ deceptus, aliam herbam, de qua ſtatim poſt hanc Dioſcor. ſub hemionitidis nomine ſcribit, folio ut dracontiũ grandi, & propterea in totum pennæ diſſimili, eſſe aſplenon ſuſpicatus eſt, multis quidem indicijs motus, ſed fallacibus, utpote ea fallacia peccantibus, quam conſequentis dialectici uocant, quæ multis in rebus homines decipit, & præſertim in medicinali materia dignoſcenda. Ita enim argumentatur: Vtraq; nomen à mulis habet: utraque nec florem, nec caulem, nec ſemen fert: utraq; in petris naſcitur: utraq; lienem minuit: ergo eadem eſt, diuerſis uocibus indicata. Poterat autem ſimilibus argumentis, niſi forte euidentioribus, phyllitin eandem cum hemionitide putare. De ea enim ſcribit Dioſcorides, quod folia habet lapatho ſimilia, cui dracontij folia proprio de dracontio capite, fecerat ſimilia. Naſci in umbroſis locis, carere item caule, flore, & ſemine, ſicuti hemioniten, ſed & guſtu acerbo eſſe: qui ſapor ſub genere ſtyptici continetur, quem hemionitidi adſcribit. Diuerſis enim rebus ut idem nomen adſcribi poteſt, ita & ijdem natales, & conſimiles ſapores, & eædem uires, atque id genus multa, quæ ad ipſam rei ſubſtantiam non ſpectant, poſſunt contingere. Vt igitur res ipſas per propria indicia à me cognitas tibi aperiam, herba citracũ uulgò uocata, eſt uera illa ſcolopendria: cuius tanta uis ab antiquis in liquando ſplene adſcripta eſt, ut aſpleni nomen meruerit. Quam rem, ut neminem ſua laude defraudem, ante annos ducentos cognouit Simon Genuenſis, uir ſuprà quàm ferret illa ætas, multarum linguarum peritia ſatis inſignis, & medicinæ non ignarus.

Citracum herbam ueram eſſe ſcolopendriam.

Ea uero quæ hactenus ferè scolopendria credita est, & adhucà multis creditur, est, ut ego puto, quam hemionitin uocat Dioscorides. Et quæ phyllitis à Dioscoride, Teucrion à Plinio, inter rumicis genera nunc numeratur, nec sine ratione: maiori quippe eius generi adeò similis est, ut eadem uideri possit, nisi longiora folia haberet, & in ea parte quæ terram aspicit, ueluti hærentes uermiculos ostenderet. A tribus uero his, lichen uocata, licet & ipsa in petris nascatur, & effigie & uiribus longe diuersa est, duabus tamen rebus hoc nomen attributū uideo, una tamen & communi quadam ratione, quia lichenis morbi præcipua remedia sunt. Est autē lichen morbus à Græcis uocatus, Latinis impetigo, qui uulgò dum leuis est, uolatica nuncupatur. Dum leuis dico est, quia interdū adeò difficilis, præsertim dum facīe detur pat, ut uix elidi possit. Quē Romani, quontā ā mento ferè inchoabat, uel præcipue id afficiebat, Mentagrā uocarūt, ab Asia in Italiam apportatū, & ab uno homine ad alium faciliter per oscula transeuntem: eo modo quo Gallicus nūc uocatus, à Gallis cum multis malis in Italiā inuectus, per concubitū propagatur, ut non insulsè eum Pudendagrā nonnulli uocarint. Qui tamen altas radices annis quatuor supra quadraginta fecit, & tam late serpsit, ut extirpari uix posse uideatur, nisi manum suam ille admouerit, qui ad duo pessima uitia compescenda, oris uidelicet & pudendorū, eum primo immisit. Huius morbi quando ab initio apparuit, tanta uisa est cum antiqua illa mentagra conformitas, ut nonnulli, nec cōtemnendi quidem medici, sub eodem genere, hoc est sub lichenibus, utruncp collocarint. Quæ opinio, dissemina- 20
to iam eo & peiora longe capita proferente, maligna uidelicet ulcera, articulorum immites dolores, difficillimas cephaleas, ardentissimas oculorum inflammationes, paulatim per seipsam concidit: peritiscp medicis iudicatum est, non posse ad certum genus, & (ut dicunt) unicum caput, tot morborum discrimina redigi. Sed & dum solam faciem occupat, malignam quandam totius sanguinis infectionem coniunctam habet, quæ facit ut præsidia quæ olim habita sunt in lichenis efficacissima, negligere uideatur. Quod mirum esse non debet legenti apud Celsum, inter quatuor quæ enumerat impetiginis genera, unum, quod curationem omnino non recipit: aliud, quod in temporibus aut oritur, aut desinit, necp ex toto tollitur. Sed & apud 30
Galenum quosdam lichenes feros, & quosdam callosos, qui auferri, nisi excoriantibus pharmacis non possint. Tam late enim apud etiam antiquos patuit lichenū genus, ut nonnullos solo sputo auferri dixerint, aliquos cum acerrimis urentibuscp medicamentis uix extirpari. Ex hac lata potestate defendi à calumnia Plinius posse uidetur, qui leues illos sub impetiginis nomine toto uolumine comprehenderit: feros uero alios, & nouos, mentagræ nomē meruisse ab initio lib. 26. testatus est. Vbi etiam duarum rerum meminit, quæ à peculiari curandi huius morbi ui, lichenis, ut diximus, nomen meruere: quarū una quæ uera herba est, nunc uulgò hepatica dicitur, alia ad muscum est referenda. Ab omnibus hisce differre uidetur ea quam tu ultimo loco satis pulchre pingis: quæ, nisi fallor, est quam Græci 40
ἀείζωον maius, nos semperuiuū, uel sedum, & uulgò oricularem. Hæc habui quæ tuis quæsitis responderem. Vale, & patri tuo
uiro integerrimo
& me-
dico celeberrimo me pluri-
mum commen-
dato.

Ex Ferraria, VI. Idus Augusti, M. D. XXXIIII.

EPIST. IIII. Ioannes Manardus Ioan. Paulo Castiliono S. P. D. Declarantur quædam notæ ponderum inuentæ apud Celsum.

ALexandrum Capelinum, licet antea magna mihi familiaritate coniunctum, tua etiam causa benignissime excepi, quantumcp pro tempore ualui, saluti hominis consului: uix enim duobus diebus apud nos fuit. Ex eo poteris de mea ualetudine intelligere. De Celsi uero charateribus quid sentiam, breuiter subscribam. p. pondo intelligo. χ uel * denarium, septimam uidelicet (ut ipsemet seipsum declarat) unciæ partem. Per notas quæ sequuntur, denariorum numerum accipio. Atque ut hæc exemplis reddantur clariora, ubi in primo malagmate libri quinti legitur, Aeruginis rasæ & thuris singulorum p. χ II. intelligo accipiendos singulorum, æruginis scilicet & thuris, binos denarios. Ceræ uero & squammæ VIII. subdit enim XVIII. Sicubi uero in antiquioribus exemplaribus, tandiu uidelicet excusis, scribuntur duo chi, ut in malagmate sequente ad fecur dolens, per primum intelligo pondus denarij: per secundum, denariorū numerū: ut, accipiamus lachrymæ balsami denarios duos & uiginti, & costi cum reliquis quæ sequuntur, sexdecim. Simili modo in Andreæ malagmate, ubi scribitur p. χ χ χ. intelligendum pondus uiginti denariorum. Idem in similibus intelligendum: ita tamen ut sciamus per p. non semper simpliciter pondus accipiendum, sed interdum pōdo, hoc est, libram: ut in Moschi malagmate ubi scribitur p. II. ego duas libras intelligo: nisi fortè in exemplari nota desit denarij, ut scilicet sit legendum p. χ II. tunc enim duos denarios intelligeremus. Vbi uero p. ƨ. octauam partem libræ: uel si χ desit, octauam partem denarij: & pro triente, tertiam libræ partem. Legitur & quandoqj apud eundem Celsum, p. sextantem, ubi ego intelligo sextā libræ partem, binas uidelicet uncias: sicut & per bessem, octo uncias. Hæc habui, alioqui in profitendi munere occupatus, quæ de ponderibus Celsi scriberem. Si quid uero adhuc in his desideraueris, mihi per literas significato. Vale.

Ex Ferraria, XII Calend. Decemb. M. D. XXXIII.

EPIST. V. pro Illustri D. Alexio Turzo, continua destillatione laborante: ex qua, præter articulorum dolores, multa mala symptomata sequuntur.

LEgi quāta cum diligētia ualui ea quæ clarissimi illi Viennenses medici, pro salute M. T. D. scriptis mādauere: atcp quid de illis sentirē, morem ei gesturus annoraui, æquo animo laturos illos confidens, si in aliqua re, secus quàm illi sentirem, cum sæpenumero cōtingat, ut inter medicos, qui simul eundem ægrotū quotidie uisitāt, uariæ discrepātescp sententiæ, & disceptationes nascātur: quæ si non cōtendendi studio, sed ueritatis indagādæ gratia, & ad utilitatē ægrotātis ineūtur, debent & patienti, & amicis, atcp ipsis etiā met cōcertantibus esse nō molestæ. Ita enim & ipsi ægroto melius cōsulitur, & plerūcp etiā medicis, qui post disputationē domū doctiores reuertūtur. Hac igit spe animatus rem ipsam iam aggredior. Vt igitur ad uos sermo meus uertat, medici eminentissimi, ego illustrē hunc D. (quantū meminisse de eius tēperatura possum post sextūdecimū annū quo eum ultimo Budæ uidi) calidæ & humidæ tēperaturæ ab ipso ortu fuisse non ambigo: Id enim præ se ferebat uisidus quidā color, ex albo rubrocp cōmixtus, carocp supra mediocritatē parum aucta, hilariscp admodum & benigna facies, nihilcp demū in eo uisebatur, quod uel rufæ bilis multā redundantiā ostēderet, uel timorē ingereret, ne ad atrā ætatis accessu mutaret. Alioqui neciecur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad tantum feruorem efferri uidebatur, ut id minaretur, præsertim cum humiditatis non siccitatis in uenis uniuersoq; corporis habitu uestigia cernerẽtur: cuius rei etiã satis euidens argumentum ex Galeni dictis quibus uos inniti uidemini, colligi potest. Scribit enim in libro artis medicinalis, eos qui calidioris simul & siccioris iecoris sunt, in cõsistendi ætate plurima atra bile abundare. Quam certe ætatem cum iam (ni fallor) attigerit, nec in eo adhuc, ut scribitis, indicia bilis illius appareant, sequitur, eum ab ipso ortu sanguineum potius fuisse, quàm bilioſum: præsertim cum ex indicijs quibus bilioſum probatis, nonnulla possint sanguineis congruere, ut capilli subtiles, rari, subnigri, rubicunda facies, oculi, nasus, ingenium, acuti pili, thoracis amplitudo, pulsus, aptitudo ad morbos calidos, atq; id genus cætera. Alia ex aduentitia quapiam causa contigisse, ut corporis gracilitas & siccitas: nam quibus temporibus à me uisus est, ut superius dixi, cõtraria penitus in eo demonstrabantur. Quæ uero ex appetitu sumuntur, uentriculi potius, quàm uel iecoris, uel totius corporis, nec tamen caloris, sed frigoris (si uera dicẽda sunt) uidentur indicia. Naturales quidem temperaturæ similibus, non contrarijs lætantur. Sequitur autem ex his omnibus, ut calidæ & humidæ temperaturæ simpliciter, non calidæ & siccæ dicendus sit. Quod & cum uos agnouisse uideamini, ubi de passiuis qualitatibus inquiritis, mirum est quod ab initio, ubi de temperatura agere incipitis, bilioſum simpliciter pronuncietis. Et hæc de naturalibus dicta sint.

Accedentes deinde ad affectus præter naturam, eos, si bene numeraui, decem inuenio:

1 Continuam destillationem materiæ tenuis & salsæ.
2 Hemicraneam dextri lateris non continuam.
3 Oculorum ruborem cum destillatione.
4 Linguæ scissuras.
5 Dolorem musculorum pectoris.
6 Angustiam cordis & pectoris.
7 Articulorum dolores.
8 Totius corporis, & præcipue partium quæ ad uentrẽ attinent, extenuationem.
9 Febres putridas.
10 Calidas inflammationes. Quorum affectuum unum tantum perpetuum esse dicitis, qui ferè & reliquorum sit causa, illam scilicet à capite in subiectas partes destillationem.

Ex his affectibus, dum eos diligẽter examino, quatuor tantum sub morbi genere contineri uideo, febrem uidelicet quæ malæ temperaturæ, extenuationem quæ quantitatis deminutæ, linguæ scissuras quæ solutæ continuitatis generibus continentur: & inflammationem, quæ morbus compositus est: reliquos sub symptomate. Quare horum morbi & causæ sunt inuestigandæ, atque ex omnibus cura, uel præseruatiuæ intentiones colligendæ.

Vt igitur à destillatione incipiam, quam uos, & rectè quidem (ut puto) ferè aliorum malorum causam esse existimatis, eam ad symptoma id pertinere dico, quod exiens mutatũ nuncupatur. Exit quippe à capite materia, quæ sano exire non consueuerat. Pendet hoc à materia præter naturam in capite aggregata, quæ ideo paulatim aggregatur, quia cerebrum nec proprium alimentum probè cõcoquere, nec uapores ad ipsum ex inferioribus partibus subleuatos ualet, resoluere. Nascitur hæc imbecillitas ex mala tẽperatura: quæ cum multiplex esse possit, ambigi potest quænam sit: quod certe dignoscere, difficile absenti, nec facile etiam præsentibus puto. Tantum enim de hac dubitare contingit, quantum & de ipsa salsa pituita, quam nõnulli calidam, alij frigidam putant. Vtri uero sententiæ magis hærendum sit, inuidioſum est decernere: præsertim cum hæc dubitatio ab alia pendeat, de qua non minor

minor est controuersia, quo pacto uidelicet pituita hæc salsa constet. Auicẽna quippe, & qui eum sequuntur, ex miscella fieri putant bilis cum pituita. Quam opinionem si sequuti fuerimus, quantum dubitare contingit de proportione duorum humorum eam cõponentium, tantum & de totius compositi humoris temperatura. Vincẽre enim bilis calida, uicta frigida euadet. Sed, quod pace Auic. dictum sit, ego fieri posse non uideo, quo pacto ex miscella bilis & pituitæ, qualiscunq; ea sit, nasci sapor salsus possit, cum uideam exiguam aloës portionem multiplici aquæ commixtam, amaram eam, non salsam reddere. Videriq; etiam plerunque pituitam per uomitum ab ægrotante ejectam, cui mixtam esse bilem, amaror in ore uomentis relictus, ostendebat: tam exigua tamen quantitate, ut oculatissimi etiam hominis uisum penitus effugeret. Quis ergo credat, ex admixtione bilis amarissimæ cum pituita, salsum saporem resultare? Satius ergo fuerit in hac re, sicuti in pleriscq; alijs, Galeno potius quàm Auicennæ credere, dicenti lib. 2. de differentijs febrium, hanc pituitam fieri, aut propter putredinẽ, aut propter salsæ seroſæ humiditatis admixtionem. Quem locum quum non rectè in linguam suam translatum legeret Auicenna, sed corrupte in hunc modum, Phlegma salsum fit propter ipsius putredinẽ, aut aquoſitatem quæ ei admixta fuit: putauit disiungẽdi notam debere copulatiue intelligi: uel, ut in codice castigato legitur, loco *aut, &*, esse legendum: modestius erga Galenum se gerens, quàm Gentilis, qui hunc locum Auicennæ enarrans, non erubuit Galenum rudem appellare: propriam in hoc ruditatem aperte detegens, qua adeò laborauit, ut ueram Galeni literã, ex græca fine alia media uenientem, & quidem clarissimam, non intellexerit, sed per salsam seroſam humiditatem, salsam pituitam acceperit: tantamq; oscitationem Galeno adscripserit, ut causam pituitæ salsæ esse diceret, salsam ipsam pituitam aquoſitati mixtam: non aduertens, serum humorum quintam quandam humiditatẽ esse, à quatuor primis humoribus diuersam: sicuti seroſa lactis pars alia res est quàm caseus & butyrum, ab eaq; seroſa parte, si salsa sit, dum phlegmati miscetur, ipsum salsum reddi.

Duas igitur causas, ô bone Gentilis, Galenus esse uoluit, quarũ utraq; sola sufficit pituitæ salsedinem dare, putredinem uidelicet, quæ ueluti ebullitionẽ quandam in eam faciens, terrestriores nõnullas partes reddit, salsuginem toti eius substantiæ tribuẽtes, eo modo quo puteales quasdam aquas uidemus, ex longa ebullitione salsum saporẽ acquirere. Altera causa est seroſa quædam humiditas extrinsecus ei occurrens, quæ salsum saporem quem in seipsa habet, illi impartitur. Generationes hæ salsedinis eos non latent, qui norunt ex quauis herba salem extrahere. Vtrouis autem horum modorum pituita salsa sit reddita, ambigere contingit, calida an frigida sit: ab aqueis siquidem partibus, dum propriam seruant naturam, frigus: à seroſis & putredine, calorem habere uidetur. Quare nemo admiratione affici debet, si eam etiam Galenus quandoq; calidam, quandoque frigidam dicit. Libro siquidem de uictu morb. acut. 4. & 2. Virtutum naturalium, frigidam: primo uero de simplicib. medic. & 3. Aphor. calidam. Quæ enim maxime salsa est, quocunq; modo hoc acquisierit, calida: quæ minime, frigida, cum aliquo tamen calore censenda est. Nam in ea id cõtingit, quod & in muria, in qua si exigui sales multæ aquæ miscentur, frigida remanet: si tot ut dura adeò fiat quod ouum in ea supernatet, calida: & si adhuc plures addantur, calidior continuò fit, ita ut iam ad amaritudinem uergat. Ex superfluente enim salsedine amaritudo gignitur, non ex amaritudine salsedo. Ex maiore ergo minoreq; salsedine de temperatura eius iudicãdum est: nec solum ex hac, sed & ex ipsa substantia & cõsistentia: nam quo salsior efficitur, crassior etiã euadit. Quod in dysenteria ab ea facta euidenter cognoscitur: in qua exiens pituita, ualde crassa & tenax uisitur, ut propterea difficillimã inter dysenterias 4. Aphorismorum libro eam putauerit Galenus. Prudentia ergo uestra qui præsentes estis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qualitas eius agnoſcenda eſt, quam tamen ego in hoc clariſſimo uiro non uehementer calere exiſtimo, ſi, quemadmodum ſcribitis, materia quæ fluit tenuis eſt. In cerebro tamen ipſo malam adeſſe temperaturam naturali conformem iudico, calidam uidelicet & humidam, quæ humiditatis ratione, pituitæ ipſius ſubſtantiã, calore ſalſedinem gignit. Quæ ſi uera ſunt, danda in primis opera, ut mala hæc diſtemperies à cerebro auferatur, adſeruata ea quam naturaliter adeptus eſt, quæ & alioqui non ualde à temperamento mihi diſtare ſemper eſt uiſa. Non enim intentio noſtra eſſe nunc debet, ad naturalem eius temperaturam in meliorem permutandam: ſed ſatis nobis erit, ab omnibus malis affectibus, uel præſentibus, uel qui imminent, illum immunem reddere & ſeruare. Quod certe magna ex parte fecerimus, ſi hanc pituitæ in inferiora membra deſtillationem ſuſtulerimus. Ad quod faciendum maxime conducere uidetur uenæ ſectio, quæ totius corporis repletionem auferet, & materiam à capite partim euacuabit, partim retrahet. Vere igitur & autumno ſectio uenæ facienda, tantumq; ſanguinis extrahendum, quantũ, conſiderantibus quæ conſideranda ſunt præſentibus medicis, uidebitur opportunum. Quæ ſi facta ante id tempus fuerit, quo ſolet materia in articulos decumbere, ad ipſos quoq; artuum dolores uel tollendos, uel minuendos cõducet. Fiat autem è uena cubiti media, ut ex ſuperioribus æque atque inferioribus euacuet. Poſt hanc, Vere hæc potio octo uel decem diebus mane bibenda: Polypodij uncia una, comæ fœniculi ſemuncia, glycyrrhizæ drachmæ duæ, turbit communis, myrob. chebularum drachma. Bulliant in ſelibra aquæ donec tertia pars conſumpta ſit, & additis mellis roſacei binis unciis, mane, concocta pridiana cœna bibatur. Ex hac potione ſi congrua euacuatio facta ſit, alia præterea purgatione non egebit: ſi non, catapotijs de agarico uocatis adhuc purgetur, quibus tertia pars aurearũ adiecta ſit. Autumno alia utendum, quæ recipiat, Senæ, ſeminis endiuiæ ſemunciam, rhei barbarici drachmam, comæ boraginis ʒ. quæ eodem modo bulliant: ſed loco mellis roſacei additur ſyrupus ex roſis recẽtibus quinquies permutatis confectus, pari, hoc eſt duarũ unciarum pondere.

Toto euacuato corpore caput quoq; ipſum euacuetur: quod duplici uia fieri poteſt, auerſione uidelicet, & per particularẽ aliquam euacuationem. Et auerſio quoque dupliciter, uel ſcilicet ad longinqua, uel ad propinqua. Inter ea quæ ad longinqua reuellunt, nihil mihi aptius uidetur, quàm ſi per ora uenarum ani, hirudinibus admotis ſanguis extrahatur, ea quantitate quæ præſentibus medicis uidebitur expedire. Deriuatio ad propinqua commodè fiet, ſi ſanguis per nares, aut prope aures, uel ex fronte mittatur. Ad auerſionem quoque pertinent cucurbitulæ, infra os latum humerorum admotæ: frictiones, extremorum membrorum uincula, & balnea, atque omnia exercitationis genera, quibus quieſcente, uel parum moto capite, extrema membra laborent: cauendo tamen ſemper ne illa fatigentur, quæ dolore affici conſueuerunt. His igitur uel omnibus, uel quibuſdam, præſentes medici uti poterũt, non ſolum Vere & autumno, ſed alijs quoq; temporibus, prout magis uidebitur conuenire. At ſi per hæc optatum finem non fuerint aſſequuti, aſſidue retractionis gratia, uel ignito ferramento, uel medicamento aliquo uim urendi habente, quorũ nunc multiplex numerus, ulcus excitetur, inter duos maiores muſculos exterioris humeri partis: quod dies minimũ quadraginta, cicere primo, deinde ubi iam ſatis profundum oſculum uidebitur, pilula aurea uel argentea intromiſſa apertum conſeruetur. Et hæc quidem de auerſione dicta ſint.

Ad auerſionem quæ pertinẽt.

Pituita ex capite per nares euacuanda.

Particularis uero pituitæ ex capite euacuatio, per nares potius quàm per os mouenda: quoniam, ut ſcribitur, lingua ſolet ulcuſculis quibuſdam affligi. Plura autẽ ſunt, quibus per nares attractis, hæc euacuatio procurari poteſt. Sed faciliora, & ferè ubiq; inuenta, ſunt, ſampſuci, betæ, anagallidis & cyclaminis ſucci, quibus iridis, ellebori, & demum euphorbij puluis addi poterit, ſi opus eſſe uidebitur. Ex quibus

ſi immodicus ardor in naribus forte excitetur, uiolaceo oleo, uel butyro mitigetur.

Euacuata plenè materia in uniuerſo corpore, ſed potiſſimum in capite abundante, roborandum erit caput, ne rurſus eandem incurrat repletionem: quod tum per extrinſecus admota, tum per intrinſecus accepta faciendum eſt. Ex his quæ extrinſecus adminiſtrãtur, aliqua caluæ, aliqua naribus, aliqua auribus inſtillanda. Calua, aqua ex alto guttatim ſupra futurarum loca cadente, abluenda eſt, quæ per ſacculum tranſierit, quod hiſce rebus ſemiplenum ſit: Cinerum ſarmentorum uitis p. 2. roſarum, florum chamæmeli, ana p. 1. maceris, quos flores moſchatos uocatis, partis unius quartam partem. Poſt ablutionẽ, eadem futurarum loca ſacculo tegenda ſunt, ex tenui ſerico panno, quem zendalum uocant, cõſtructo, qui ſit cocco tinctus quem granum uocant, uel eo quem carmeſium. Et his rebus in craſſum puluerem redactis oppletus, roſarum, ſandalorum citrinorum, maceris ana p. 2. gario phyllorum p. 1. miſce & inſperge leuiter aqua roſacea moſchata. Naribus crebrò pila admoueatur, quæ habet, Pulueris roſarum, ſandalotũ citrin. maceris, gariophyllorum, ſingulorum ana ſemunciam: ſtyracis, ladani, benzoi, ana ʒ. 2. & cum aqua roſacea moſchata conficiatur. Auribus oleum tepidum inſtilletur, ex amygdalis expreſſum, quæ triduo occluſæ cum ſtyrace, ambra & moſcho permanſerint.

Et per hæc quidem peſſimum deſtillationis ſymptoma remouendum puto, atq; eo ablato, quæcunq; ab eo fiunt ſimul ſubmouenda. Sed quia forte adeò fixas radices habent, ut per ſe abſq; alterius adminiculo conſiſtere ualeant, ideo nonnihil addemus, quibus ſingulum eorum poſſit extirpari, incipientes ab hemicranea: quæ cum dolor ſit, ad ſymptoma pertinet quod actio læſa uocatur. Operatio enim tactus ita à dolore mutatur, ut id ſentiat quod ſentiendum non eſſet: quod certe in caſu noſtro eſt mala temperatura, quæ in temporis dextri uenis & arterijs per quandam cõmunionem fit. Si enim primario affectu caput laboraret, perpetuo dolore uexaretur. Satis autem ueriſimile eſt iecur eſſe, à qua mali uapores ſurſum eleuati, dolorem in dextro tẽpore cient. Quare præter reuulſiones quas ſuprà docuimus, non ab re fuerit cucurbitulam quandoq; hypochondrio dextro admouere: ſed & iecur quoq; ipſum per ſuccos cichorij, & abſinthij, & acetum roſaceum ſimul mixta roborare. Caputq; ipſum, qua parte dolet, oleo roſaceo perfundere, in quo abſinthium & ſylueſtris cucumeris radices ad colliquationem bullierint: cataplaſmateq; ex eiſdem rebus ita colliquatis compoſito, contegere.

Oculorum rubor, qui qualitas mutata eſt, ablutione arcendus aquæ roſaceæ, in qua ſandali citrini & myrobalanorum flauorum cortices bullierint. Linguæ ſciſſa, quæ ſolutæ continuitatis morbus ſunt, tollit lac, præcipue caninum. Amylum cum ſaccharo & aqua roſacea, formatis inde lupinorum forma cycliſcis. Dolorem muſculorum pectoris mitigabit radicum altheæ ſuccus, cum recente gallinæ adipe commixtus. Item amygdalarum oleum cum butyro recente inuncta. Cordis & pectoris anguſtiam tollent roris marini & bugloſſi flores cum ſaccharo adſeruati, comeſti: & gariophylli ore retenti, ſenſim ſaliua deglutita.

At his quidem omnibus facile occurritur. Articulorum uero doloribus difficillime, ne dicam hoc penitus fieri non poſſe. A duabus enim cauſis pendent, ab humorum uidelicet redundantia, & naturali uel acquiſita artuum imbecillitate. Hanc remouere, præſertim ſi ab ortu ipſo naturæ contracta ſit, quis unquam poterit? Illam quis uel uelit, uel poſſit? Nam ut mittam cibos & potus, quos ſeligere & ad certam normam ſemper redigere, in tot abuſibus, & tot gulæ irritamentis, & ſociorum inuitamentis continentiſſimus etiam uir uix poteſt, certe infinita penè occurrũt, quæ omni etiam adhibito ſtudio nõ poſſis effugere, ut quæ ad aërem, motum, curas, animiq; affectus pertinent. Noui ego nonnullos, qui cum ſatis rectè ualerent, ex ſolatra in uehementes dolores inciderunt. Quantum tamen fieri poteſt, utriq; rei dili-

genter intendendũ, ut articuli robustiores reddantur, & nulla causa occurrat, quæ humores abundare, & ad articulos moueri faciat.

Ad primam rem complendam Excellentiæ uestræ docent fieri balneum in aqua calybeata, in qua nonnullæ res bullierint. Quod certe balneum ego quoq; cõmendo: licet (ut uerum ingenue fatear) nesciam quid per psidias intelligatis, cum in eodem balneo granatorum cortices apponatis, quæ apud me idem sunt cum psidijs. Nescio etiam quanam ex causa alumen in linteo colligari iubeatis, nisi forte ueriti ne eius substantia aquæ bullienti misceatur: cum tamen constet in multis naturalibus aquis naturã alumen miscuisse, quas tamẽ turbo homines bibunt, nedum quod eis abluantur. Adderem igitur ego aquæ non solum alumen, sed & contritos sales: atq; post balneum, salito etiam oleo articulos perfricarem. Sed & putauerim ipsam solam aquam à ferrario fabro acceptam, ablutioni sufficere: sicuti & ad ungendum solum oleum salitum. Vt uero res altera compleatur, uictus ratio ita instituenda est, ut mali humores nunquam aggregentur, nec boni etiam redundent. Quas res Excell. uestræ ita diffuse complexæ sunt, ut superfluum mihi uideatur circa id diutius immorari. Percurram igitur quæ scripsistis: & si quid occurrerit in quo aliter sentiam, uel quod addendum mihi uideatur, uel id addam, uel locum signabo.

Quod ad aërem ergo attinet, ego modicè frigidum potius quàm calidum commendauerim: siccum etiam potius quàm humentem. Duæ enim hæ qualitates ut putrefactioni aduersantur, ita malam huius magnifici Domini temperaturã remittere quodammodo possunt & retundere. Non enim talis est ut conseruari debeat, quum ab ea omnes ferè mali affectus pendeant, quibus subijcitur. Laudo igitur, ut locus quem habitat, inter aquilonarem & occidentalem regionem respiciat, boreali tamen uento, præcipue dum incipit, & hyeme, euitato. Fauonij uero suauem auram, nunquam illi obfuturam putauerim. Reliqua quæ de aëre dicuntur, à me quoque probantur.

Quod ad odores pertinet, ego, quicquid apud Arabes scribatur, sandalos & ambram in numero calidorũ habendos, & ratione & usu didici. Quare trochiscos illos uestros dimittendos puto. Et si suffimentis opus est, plenæ sunt huius generis seplasiariorũ tabernæ, quæ cum multis alijs malis ex Hispania in Italiam apportata sunt. Si uero à Mesue recedendũ nõ est, laudauerim ego potius galliæ moschatæ usum, quæ facile parari potest, & uel per seipsam suffiri, uel rosaceæ aquæ ad inspersionẽ misceri. Ipsamq; solam rosaceam aquam, si laminæ ferreæ ignitæ inspergatur, scio odoratum fumum emittere, & suauem, & qui destillationi possit obsistere.

Accedentes deinde ad cibos, concedere uidemini, aues in aqua uiuentes, si iuuenes sint: quum tamen mihi æque cauendæ uideantur, nisi forte magis quàm grandiores, siquidem naturali humiditati, eam quæ ex ætate fit, coniunctã habent. Prætulerim autem omnibus carnibus auiculas in dumetis degentes, & post eas turtures, perdices, phasianos, turdos, merulas, columborum qui in turribus educantur pullos uolare incipientes, gallinas, capos. Sed inter quadrupedes, hœdos, uerueces anniculos, iuuencos, uitulos, capreolos, damas, cuniculos, lepores tolerarem. Ciconiarum uero, echinorũ, & testudinũ carnes, ceu proprietate quadam articulorũ doloribus cõuenientes, non damnarẽ. Non placent etiam cõdimenta, si tamen condimenta dici possunt, quæ uos ex frigidis oleribus, præcipue etiã si humida sint, fieri iubetis. Inter quæ, frigida scilicet, bletã miscetis: pro qua, si (ut puto) cõmune id olus intelligitis, quod apud uos sicuti apud nos crebrò ad mẽsas uenit, & quæ beta latine dicitur, ea proculdubio inter calida, nõ inter frigida numeranda est: quod uel ex ea ui colligi potest, quæ si per nares hauriatur, morsu quodã sternutamenta prouocat.

Condimẽti igitur gratia ego potius passulas, arida pruna, cerasia acida, sed & macerem addiderim, qui à tẽperamento in actiuis qualitatibus nõ recedit. Sed nec crocẽ modicũ

ti modicũ usum formidarem, qui licet in secundo ordine calefacientium collocetur, concoquendi tamen uim habet & adstringendi. De piscibus, ego semisalitos non uituperauerim, si non magni nec tenaces sint: atque præter iam dicta duo aromata, modico etiam cinamomo cõdiantur. Petreos uero maritimos omnibus præferrem, atq; post eos fluuiatiles similiter petreos: dehinc carpiones, lucios, trottas, atq; albos illos quos in Pannonia assare & macere condire consueuerunt. Ex leguminibus nullum à me probatur: ex reliquis granis, hordeum, farrem, & auenam albam laudo. Panis mihi placeret, uel cibarius, quem cibotum uocant, uel Italus uocatus, uel similagineus modico saccharo conditus. Et quia de fructibus & oleribus nulla à uobis fit mentio, ideo ea subijcia quæ in his duobus generibus tolerari possunt, à fructibus exorsus, qui etiã conferre aliquãtisper uidentur. Hi sunt: Nuclei pinei, auellana, pistacia, amygdala, caricæ, passulæ: pruna uero, melopepones, pira, cotonea, mespila, sorba, non sunt penitus respuenda. Ex oleribus quoq; hæc toleranda uidentur: Asparagi, saluia, menta, origanum, petroselinũ, fœniculum, anethum: sed & lactuca, intybus, malua, spinacia, cum aliquo priorum commixta.

Regulas quas in potu præscribitis libenter suscipio. Inter omnes tamen potus, ego mulsam aquam antepono: & post eam hyemis tẽpore, ex saluia in duplici uase extractam, rosaceo melle temperatam. Ceruisiam ex hordeo tolero, saluiatumq; & absinthite uinũ: uinaq; alia plus minus ue pro cuiusq; ui, hyeme quidem aqua saluiæ, æstate aqua intybi temperata. Si à cœna bibendum est, aquam hordei cum saccharo non laudo, sed aquam potius saluiæ hyeme, æstate intybi.

Exercitationem ego laudo moderatã: quam tamẽ fieri posse nõ uideo ita quietè, ut nihil moueatur, nec aliqua inde, ut iubetis, contingat in humoribus agitatio: sed etiã si hoc fieri posset, motus ille exercitatio dici nõ mereretur. Sic enim eam patres nostri definierũt, ut spirationẽ mutet. Equitare etiam scio podagricis alienũ. Quare cõgruere ei magis putarem aurigationẽ & uectationem, earumq; partiũ uehementiorẽ motionẽ, quæ uel nunquã uel minus doloribus uexatæ sunt. Per uocẽ quoq; altam & ualidam, claramq; & apertã uel lectionẽ uel pronunciationẽ, pectus & uocalia instrumẽta exercẽtur, naturalis calor augetur, & extremæ etiã partes purgantur, robustæq; redduntur: sed & uẽtriculi uitia emẽdantur, atq; appetitus excitatur.

Sudorem non ita abominor ut frictionem, uectationem, uociferationemq; uetem, quæ ad eum ducant, nisi modum excedat.

Regulas quas repletioni præscribitis, omnes probo, præter unam, de qua nunc est inter Italos medicos magna controuersia, ampliorem scilicet semper esse debere cibum in prandio, quàm in cœna. In qua discordia licet adhuc meam sententiã suppriman, hoc tamen unum maxime compertum habeo, consuetudinem non esse subitò mutandam, melioremq; concoctionem noctu quàm interdiu factam, non esse in hac disceptatione negligendam. Mirari tamen non possum, uos asserere magnificum hunc Dominum in maiori esse discrimine inanitionis quàm repletionis: præsertim cum affectus ob quos periclitatur, repletionem ferè omnes sequantur. Sed & uosmetipsi in regimine quod ei præscribitis, repletioni magis occurrere uidemini, quàm inanitioni. Iubetis enim inter reliqua, ut non prandeat, quoties uel in uentriculo uel in capite grauitatem sentit. Quod quanto cum periculo ab his qui assueuerunt, dimittatur, demonstrat Hippocrates: alioqui experientia ipsa ostendit, capitis grauitatem plerunque & cibo auferri, & ieiuno augeri. Laudauerim ego quoque uomitum, ubi repletio in uentriculo persentiatur, & ut prandium differatur, leuiusq; sit: ut tamen penitus dimittatur, nisi magna cogente necessitate, non probauerim. Vomitum quoque singulo mense post crapulam, si absque uehementi conatu fieri potest, magno usui futurum puto.

Laudo etiam ut clysmatibus, leuibusq; quibusdam purgatorijs deiectionem mo

liatur,ita tamen ut per æstum pilulas caueat. Regulas quoq; somni ex Auic.acce
ptas probo:prolixitatem tantū non probo,hoc est,ut ad octo nouem ue horas pro
tendatur,præsertim ubi destillatio uitāda est. Et si interdiu somno quacunq; ex cau
sa indulgendum,uelim ut sedendo potius quàm iacendo id fiat.Parantur apud nos
cathedræ,quas imperiales uocant,quæ sunt in hunc usum maxime idoneæ. De
concubitu ego Celso & Galeno accesserim,qui frequentiam eius non numero ad=
scribunt,sed tantum interualli in eius usu adhiberi uolunt,ut neq; resolutio aliqua
sentiatur,& homo ipse leuior factus uideatur ac melius spirans.

Post uictus rationem ad alia acceditis auxilia, sectionem uidelicet uenæ,purga
tionem,alterationemq;,tam per exterius admota,quàm per intra corpus accepta: 10
quæ omnia iuxta patriæ uestræ consuetudinem per ordinem digeritis.Longior au
tem fuerim,si singula uoluero discutere, & quid de illis sentiā explicare: præsertim
cum de uenæ sectione,anniuersarijsq; purgationib. superius mentē meam aperue
rim. Pro particulari uero purgatione ad articulorū dolores cauēdos facienda,ma
gnam fiduciam habeo in Pauli catapotijs,quæ recipiunt, Aloës 3. 6. agarici, croci
3. s. costi,spicæ nardi,schœnianthos,carpobalsami 3. 1. cassiæ,id est,uocati nunc ci=
namomi,scāmonij 3. 2. epithymi 3. 3. s. hyeme succo brassicæ,æstate succo intybi
cōponantur: licet,ut suprà diximus,pilulæ,quantum fieri potest,sint æstate fugien
dæ. Dosis à granis 48. ad 96. post quas æstate selibra aquæ intybi bibatur. Laudo
etiam tum ad purgādum,tum ad roborandum,ut drachma rhei barbari quando= 20
que mansa deglutiatur. Myrobalani quoque cheb. condītæ,mane comestæ,ossesq;
illo interiore diu ore retento,& destillatio prohibebitur,& mēbra robur acquirent.

Ad mitigandos uero in ipso insultu dolores,si,quemadmodum ego puto,à san=
guine fiunt,cui nonnihil bilis,& plus pituitæ miscetur,reiterata,si oportuerit,uenæ
sectione,purgatoq; per superius descripta catapotia corpore,non uehemētibus lo=
calibus utendum censeo:sed ab initio oleo rosaceo,ex acerbo oleo & nō plenè aper
tis rosis confecto:cui magno cogente dolore uitelli ouorum,& quandoq; etiam lac
misceatur: & si intolerabilis fuerit,croco & opio.In augmēto eidem rosaceo misce
tur chamæmelinū, minore quidē primo portione, dehinc paulatim maiore,donec
ad consistendi uigorē inflāmatio deuenerit. Tunc enim ad purè discutienda uenien 30
dum,quæ tamen nunquam sint ualde potētia: sic enim uitabuntur pori, qui quan
doque solent post ualide dissoluentia in articulis relinqui.Ego inter olea nunquam
transcendo liliaceum,absinthiacum,& anethinum. Inter herbas, thymum,thym=
bram,& calaminthen. Inter adipes,suillum,gallinaceum,& anatinum. Et hæc de
doloribus articulorū dicta sint. Si adeò tenuis est ut scribitis,danda erit opera eni
xissime,ut per carnis augmentū extenuatio amoueatur. Ad quod nihil magis con=
ducere uidetur,quàm lactis asinini,si haberi apud uos posset,uel caprini potus,ad=
mixto melle,ad eum modum quem 7. Methodi docet Galenus. Vsus quoq; pti
sanæ excolatæ,quem cremorem hordei uocant,multum conducet. Sed & hordeū 40
ipsum cum bonis carnibus plenè coctum,atq; balneum aquæ dulcis, secunda com
pleta concoctione,his tamen temporibus quibus nec adsunt articulorum dolores,
nec expectantur: quanquam minus formidandi hi sunt quàm tabes, quæ ex ma=
gna illa extenuatione sequi posset:quæ tanti momenti est,ut omnem & à uobis &
à me superius scriptam superet intentionem.

De ultimis duabus affectionibus non est quod scribā:nam per ea quæ antea no=
tata sunt,cauebuntur: & si quando fortè accesserint,oculato egebunt medico,non
tantum aurito. Valete uiri optimi,& nostra hæc qualiacunq; sunt,boni consulite:
nec alia ex causa scripta putate,quàm ut præclarissimi huius Domini saluti consule=
rem: cuius gratia ut & uos euigiletis,etiam atque etiam rogo.

Ex Ferraria, IIII. Idus Quintiles, M. D. XXXIIII.

Epist.

EPIST. VI. Ioannes Manardus Ioanni Iacobo Sa=uio,philosopho & medico excellentissimo, professori Bononiensi, S. D.

PLura ad te amandum me pridem impulerunt.quod cognomines su=
mus.Nam & ego anno ante hunc LXXIII. Christianæ religioni per
sacram ablutionē initiatus,eodem quo tu,Ioannis uidelicet Iacobi no=
mine,uocatus sum. Quod patrem tuum iuuenem,iunior uidi,Dialec=
ticen cum magno honore Bononiæ publicè profitentem,atque inde
10 per gradus ad eum quem tu nunc meritò tenes,summum uidelicet in eadem acade
mia locum euectum,intellexi. Quod me per tuas humanissimas literas ad mutuā
amicitiam prouocasti,dignumq; reputasti,qui difficillimos in medicina scrupos ex=
planarem. Verum magna accessio facta est,quod Virgilium Gerardum,tecum in
eadem Theorices professione concurrentem,contra inueteratum aliorum morem
summo amore te prosequi,ex tuis postremis literis cognoui.Fuit enim hoc mihi ma
ximo indicio,te (quod paucis admodum datum est) sanctos mores bonis literis con
iunxisse.Volebant hæc omnia ut absq; aliqua mora tuis quæsitis responderem.Ve
rum aliud ex alio negocium fecit,ut in hunc usq; diem res protracta sit.Optarim au
tem,ut longam hanc procrastinationē, dicendorum grauitas recompensaret. Sed
20 cum id præstare non possim quod uellem,tu id læto animo accipies quod possum.

Primum quod à me petis,est, An odor nutriat: dicente Hippocrate, & appro=
bante Galeno, ubi uires citissima recuperatione egent,odoribus esse reparandas.
Affersq; Petri Aponensis in hac quæstione sententiam: quæ,si bene colligo,est hu
iusce modi: Odor per uaporosam exhalationem aëri commixtus,per asperamq; ar
teriam ad pulmones & cor delatus,atq; ab his per aortam,ad retiformem primo pli
caturam,dehinc ad cerebrum,in hisq; locis ueluti concoctus,spiritus uere nutrit &
reparat. Quod facere nequit,quando primum occurrit olfactus instrumento:quia
adhuc qualitas ferè nuda est & simplex,quæ,Aristotele & Galeno teste,nutrire nō
30 potest. Atq; hoc quidem modo,spiritus tantum,præcipue animales nutriri per odo
res dicit: solidiores uero partes refocillari quodammodo ab eo,non nutriri.

Hæc Aponensis dicta non paruam mihi relinquunt dubitationem.Si enim tam
longum iter,totq; motus,circuitus,& cōcoctiones requiruntur, priusquā odor nu
triat,non uideo quomodo eius nutricatio possit dici citissima, nec quomodo possit
odoris uis in tot permutationibus conseruari. Quare non erit odori,sed aëri potius
nutricatio hæc adscribenda,præsertim cum ita congruat aëri puro,& nulla odoris
qualitate affecto,sicuti odorato:siquidem ex aëre quātumuis syncero spiritus ipsos
nutriri,& Hippocrates uoluit, & Galenus. Sed & experientia ipsa ostendit, mox
ubi odoratæ res olfactui occurrunt,uires quæ exhaustæ erant,ad aliquem modum
reparari: quod fieri non posset,si tot essent agenda,priusquam huiusce modi fieret
40 nutricatio. Reparari uero ex odore,non solum spiritus, sed & solidiora membra,
exemplo Democriti ostendi uidetur,qui nonum & centesimum annum agens,ui= *Democritum ui=*
tam triduo,cum solo panis odore conseruauit: ut id dimittā,quod de Aristotele le= *tam triduo pa=*
gitur in lib.de Pomo inscripto. Alioqui,si,ut Aponensis ait,solidiora mēbra ex odo *nis odore prora*
re refocillarētur solum,& non uerè nutrirentur,quo pacto posset odor uino in nu *gasse.*
triendo cōparari? per quod totū corpus non solum restauratur,sed impletur. Hoc
enim uerbo Hippoc.utitur in aphor.in quo,ut Galen.exponit, de his loquitur qui
refectione corporis egent,de quibus antea fuerat loquutus,in eo uidelicet aphoris.
Quæ longo tēpore extenuantur &c. in quo proculdubio de refectione loquitur,
quæ ex morbo conualescentibus debetur,in quibus non spiritus tantū,sed singulæ
corporis particulæ plus minus ue sunt exhaustæ. Fateri igitur oportet ex Hippoc.

& Galeni ſententia, uera nutricatione odores illas reſicere, atque hoc magis facere dum ſunt naribus propinquiores, cõtra id quod putauit Aponenſis: tunc enim magis reſeruant naturam rei à qua deciduntur, quàm cum per longius ſpatium uagantes, multo aëri commixti in multas partes diſſipantur. Falſum enim eſſe id quod ex uulturũ argumento Auerrois primo, dehinc Aponenſis & recentiores multi exiſtimarũt, alibi oſtendimus, qui odorem per ſpeciem quandam ſolam, quam uocant intentionalem, nulli ſubſtantiæ innixum, ad cerebrum dicũt accedere. Nam odor, ut inquit Ariſtoteles, eſt fumida quædam euaporatio. Sed & Galenus effluxum quendam corporum eſſe definiuit. Quare corporeum quid eſſe oportet, non merè ſpirituale & ſimplex, id quod per olfactum ſentitur: ut minime mirandum ſit, ex eo corpora ſolidiora poſſe reſtaurari, gentemq; illam Aſtomorũ apud Plinium ex ſolo odore uiuere. Et hæc de prima tua dubitatione ſint dicta.

Odor quid.

Plin. lib. 7. cap. 2.

Dubitas ſecundo circa dictum Galeni in expoſitione eiuſdem aphoriſmi, aquoſa uina ſicuti aquæ ſimilem formam habent, ita & uim habere aſſerentem, & propterea lotium ciere: in quibus uerbis innuere uidetur, aquam ipſam lotium prouocare. Cuius cõtrarium lib. 3. de uictu morb. acut. ſcribit Hippoc. aquam dicens urinam non prouocare: & ipſe Galen. qui lib. 5. de ſimpl. med. aſſerit medicinas urinã prouocantes calidas eſſe. Vt hæc tollatur dubitatio, aduertere oportet, aliud eſſe apud Hippocratem & Galenum, urinam mouere, & diureticũ eſſe, eo modo quo aliud eſt genus à ſpecie. Quicquid enim diureticum eſt, urinam mouet: non autem cõmigrat ratio, ut ſcilicet quicquid urinam mouet, diureticum dici poſſit. Ea enim quæ uere & proprie uretica dicuntur, acria, uehementerq; calida & ſicca eſſe oportet, ut ſanguinem diſcindant, diſcernantq; à craſſioribus partibus eas quæ aqueæ ſunt, tenues, ac ſerofæ: quas renes trahentes, & à ſanguineis partibus quibus nutriuntur, excolantes, in urinam conuertunt, quæ ad ueſicam tranſmiſſa mingitur.

Vis ergo hæc calidis & ſiccis medicamentis conuenit, non aquæ uinoq;, uel alijs quibuſcunq; rebus aquæ ſimilibus: per quas tamẽ urina ideo augetur, quia eorum ſubſtantia celeriter in eam tranſmutatur: non quod uim aliquam habeant, qua ſanguinem ab ea humiditate expurgent, quam ſecum habet in uenis cõmixtam. Hoc autem in his maxime oſtenditur, qui uitam otioſam agentes, potu tenui utuntur, hyberno præſertim tempore. Nam hi, ut Galenus in fine libri primi de naturalibus poteſtatibus ait, celeriter mingunt, & ferè tantum quantum in potu hauſerunt.

Vtrunq; horum modorum prouocandi urinam tangere uidetur Ariſtoteles prima ſectione Problematum. Primum quidem probl. 41. ea quæ humida ſunt, atque aqua referta, ueſicam ſoluere dicens. Alium probl. 49. ubi ait, odorata urinam mouere, quia ſunt calida. Hæc ſunt, mi Sauie, quæ imbecilles mei ingenioli uires in tuis quæſitis cognoſcere me fecerunt: in quibus uelim animũ potius erga te meum, quàm res ipſas conſideres.

Vale.

Ex Ferraria, IIII. Nonas Septemb. M. D. XXXIIII.

LIBRORVM DVODEVIGINTI EPISTOLARVM MEDICINALIVM IOANNIS MANARDI FINIS.

IOAN. MANARDVS FERRARIEN SIS MEDICVS, IVVENIBVS Medicinæ ſtudioſis.

QVEMADMODVM nihil mihi curæ magis fuit iuueni, quàm indagandæ in omnibus bonis artibus, & præcipue in medicina, undequaq; ueritatis gratia diuerſa loca perluſtrare, doctorum hominũ colloquia inire, bibliothecas rimari, ſchedas euoluere, & diuerſarum linguarum cõmentaria perlegere: ita nihil aliud curandum magis nunc uidetur ſeni, quàm quicquid longo uſu, & multiplici lectione didici, publicis priuatiſq; lectionibus, & domeſticis colloquijs, uobis ô boni iuuenes aperire. Sed ob maligna, in quæ incidimus tempora, à publicis lectionibus penitus uacare neceſſe eſt: & ob aduerſam ualetudinem, nunc etiã à priuatis: quibus tametſi, Dei optimi munere reſtituta ſanitate, operam dare poſſemus, pauci tamen omnino, ob tumultus bellicos eſſent, qui noſtris lectionibus adeſſe, & ſermonibus aures poſſent accommodare. Mecum igitur animo euoluens, quonã alio modo profectui ueſtro poſſem cõſulere, nulla mihi alia ſe oſtendit uia, quàm ut mutato antiquo meo, nihil hoc pacto inuulgandi inſtituto, quod uiua (ut aiunt) uoce facere non ualeo, per eos facerem qui libros formis excudunt. Inter uaria autem, quæ à me obſeruata literis mandata ſunt, non paruo emolumento uobis fore exiſtimaui, annotationes quaſdã libro meo, Ioannis cognomento Meſue, per me olim adiectas, ut quẽ diurna nocturnaq; manu uerſant Medici: in quibus multa obſcura declarant, cõciſa ampliãtur, amiſſa refarciunt, & errata corriguntur. Inuidioſum ſcio eſſe hoc uerbum, ijs præſertim qui cum eo conſenuerunt: ſed tantum apud me poteſt ueritatis & profectus ueſtri amor ô iuuenes, ut quicquid de me illi uel ſentiant uel loquantur, ſuſq; deq; faciam: reliquũ hoc, quantulumcunq; id erit uitæ, utilitati ueſtræ deſpondens. A uobis tamẽ unum hoc mihi pro laboribus hiſce meis rependi ſtipulor, ut ſcilicet in noſtris iudicandis, nullius magis uel mortui uel uiuentis autoritati, quàm rationibus, & ueritati credatis: nihil perinde noxium in omni uita eſſe ſcientes, quàm uulgarem hãc perſuaſionem, qua maiorum decreta, abſq; delectu pro oraculis habentur. Accipite igitur hęc nunc bonę mẽtis iuuenes, & meliora indies, Deo fauente, à nobis expectate. Ex ędibus noſtris Ferrarię, quarto nonas Decemb. M. D. XXI.

IOANNIS MANAR

DI FERRARIENSIS MEDICI ANNO

tationes in Ioannis Mesue Simplicia medicamenta: & primum quæ sint à Mesue omissa.

Purgatoria medicamina à Mesue omissa.

VM præter simplicia medicamenta ad alium ciendam, à Ioanne Mesue scripta, alia nonnulla apud medicinæ autores inuenerim: ea annotationibus hisce nostris premittere, usum est non inutile. Ea sunt: Myxa, id est, Sebesten: Cynocrambe, hoc est, Canina brassica: Pulegium, Bdellium Arabicum, Parthenium, id est Matricaria: Tragoriganum: Iuli nucis iuglandis, catuli uocati: Fex uini, Tartarum dicta: Atriplex, Malua, Asphodeli radix, Allium, Beta, Blitum, Cestri, id est, Veronicæ folia, Brassica semicocta. Aqua stillans à cucurbita in fornace excocta. Chamæpitys, dicta Iua. Lapathon uulgò Rumex uocatum. Lac præcipue asininum. Butyrum. Lentis primũ ius. Semen cornicularis, & spumei Papaueris. Resina pini piceæ, & Laricis, quæ uulgò putatur & uocatur Terminthina. Item uera quæ nunc adfertur ex Terebintho, terebinthina. Vrtica. Sesamoides maius & minus. Peplis, Peplos, Chamæsice, Lappago, Clematidis semen. Picnocomon. Apios, id est syluestris Raphanus. Alipon, Empetron, Heliotropion, Magnes, Cortex radicis Capparis, Thlaspi, flos æris, Squama æris, Mandragoræ succus, Daphnoides, quę & laureola, Sambucus, Ebulus, Lac, & Cimæ ficus, Filicis fœminæ folia, Peponis & Cucumeris radix, Lactuca syluestris, Radix Peucedani, Staphis agria, Tapsiæ succus, Andros æmos, Ascyros, Hippophaës, Hippopheston, Lactariæ multæ species, Mercurialis, Struthion, id est Radicula uel Condes. Horum historiam & uires, ex ipsis auctoribus licet edisce re: mihi satis sit hoc loco nomina conscripsisse.

Aduitandã crebriorem Mesues & Manardi nominũ repetitionẽ, quæcũq; illius ab hoc emendandi gratia producũtur, hac nota] includere usum est, teq; eius, Lector, in tempore admonere.

Cap. de Aloë.

Aperit orificia uenarum.] Hoc non dicunt antiqui, sed contrarium potius: dicit enim Dioscorides, quod sanguinem sistit per ora uenarum ani manantem. & Plinius, undecunq; fluentem. Dicendũ igitur, si aperit, eo id facere, quod acres humores mouet, ut ex Galeno colligitur lib. 6. Aphor. xlvij. nec esse hoc ei magis peculiare, quàm cæteris purgatorijs medicinis: imò forte id minus facit cæ reliqua, quæ adstringendi uim purgatoriæ coniunctam non habent. Verum Mesue hoc sumpsit ab Auicen. Scio tamen quid pro utroq; dici possit: sed fat sit nunc locũ signasse. Electio: aliud est quod sit in Sucutri, & reliq.] Ait Dioscor. in India plurimam generari, & in Asia, Arabia, maritimisq; quibusdam locis ac insulis, ut Andro. Galen. in Syria non bona, in Cœlesyria & Arabia melior, in India optima. In colore quoq;, ut sit coloris citrini.] Eligit Dioscor. subflauam, resplendentem, non lapidosam aut arenosam. Et sapor eius declinans ad amaritudinem.] Galen. saporis esse dicit parum adstringentis, & multum amari. Quod præter Galeni autoritatem, ipse quoq; sensus demonstrat. In substantia tenerum.] Facile humescere eam quæ bona sit, ait Dioscor. Est autẽ complexionis calidæ in secundo.] Calidam in primo ordine extento, uel secũdo remisso, dicit Galen. Aperit orificia uenarum.] Cum scribat Dioscor. quod arcet sputum sanguinis, negare uidetur quod ora uenarum aperiat. Et di-

Aloe hepar non lædit.

cunt quidam quod lædit hepar.] Dixit hoc Auicen. cui parum in hac parte credendum est: sapore eius, & antiquis autoribus, contrarium potius attestantibus: nisi calidum uel siccum supra modum hepar intelligamus. Stomachi confortatiuũ

fortatiuum.] Tantum in hoc ei tribuit Galen. ut nulli cedere medicamini dicat, maxime si lota fuerit. Et mixtum cum melle, est minoris solutionis.] *Aloe lota, stomachum mirè confortat.*

Maioris potius, ut ratio, autoritas, & experientia contestantur. Vix pertransit hepar.] Si quantitate exuperet ad hepar usq; attingit, inquit Gal. non tamen totum corpus euacuat, nisi ualde multa detur, ait Paulus. Tria sunt in eo in quibus cadit correctio.] Adde ex Galeno, quod nocet temperaturæ uentriculi calidæ & siccæ, & ei quoq; siccæ, quæ cum frigiditate ad tabem ducit.

Solutione educit cholerã & flegma.] Probe intellige: si quidem crassos humores, etiam qui sint in uentriculo, trahere ob imbecillitatem nequit, Galeno teste: sed bili & humiditatibus quæ uentriculus imbibit optime facit. Paul. Datur quibus caput graue est, lippientibus, sticulosis, imaginabũdis in somno, absq; febre horroribus, acres inflationes excernentibus, morsum in intestinis patientib. atq; uentriculi incendium. Et qui assiduat acceptionem eius diebus continuis, non uidebit in corpore suo ægritudinem, quæ non sit habilis sanari.] Ne quid dicam de iuuenibus interim, certe senes, si Galeno magis quàm huic uiro crediderint, non nisi magna urgente necessitate, Aloë utentur. Caue ergo dare Aloën in temporibus frigidis.] Cauenda mihi magis uidetur temporibus calidis, cum sit, ut tu scribis, calida & sicca in secundo ordine, & calidæ ac siccæ no-ceat temperaturæ, ut superius notatum est: nisi fortè quia bilem uacuat, quæ hyeme non abundat, ideo eo tempore danda non sit. *Aloe ob imbecillitatem crassos humores non purgat.* *Senes non tute Aloe utuntur.* *Cauenda aloe calidis temporibus.*

De Myrobalanis.

Nomen, glandem unguentariam designat: res autem ipsę, ad pomorum potius genus spectant. Proprium de eis caput non scripsit Dioscor. sed nec Galenus, licet inter remedia aliquãdo nominis meminerit. Quare sanè intelligendum, quod ab Auerroë dicitur, Galenum de ijs non scripsisse. Plin. quidem de Myrobalano loquens, rem (ut inferius explicabitur) ab ijs diuersam intellexit, & quæ ad genus palmæ referatur, sicuti & ea de qua Dioscor. scripsit lib. 1. Bene igitur examinanda sunt, quæ de uiribus ab hoc homine scribuntur, quoniam nullum habuit quem sequeretur bonum ducem: præsertim cum Gal. lib. 8. de comp. med. secundũ loca Chrysobalanũ uim habere discutiendi scribat, quæ proculdubio calorẽ ostẽdit.

De Rheobarbaro.

Rhecoma de quo Pli. lib. 27. si recte legitur, & Rhauel rheon, de quo Dios. alia res est à uocato nunc Rheobarbaro, ut quadam nostra ad Leonicenũ epistola demonstratũ est. Ex speciebus Rhauet aliud est quod nascit in India.] Cum dicat Dios. quod nascitur in locis supra Bosphorũ, & Plin. supra Pontũ, taceantq; Indiam, cognouisse Indicum non uidentur. Paul. in duabus ad Podagram compositis medicaminibus barbaricí meminit. Et laudatur magis subnigrum.] *Rheobarbarũ uulgare aliud est quàm Rheoma. Plin. & Dioscor. Rha.*

Similem Costo nigro facit. Plin. minorem tantum, & paulò ruffiorem. Dioscor. Centaurio magno, sed minorem, nigro quidẽ colore, sed Crocum aliquo pacto, dum manditur, referente. Conuenerunt in permixtione eius aqueitas & terreitas.] Clarius Galenus, sic loquens ad uerbũ: Mixtæ est temperaturæ, habet enim quid terreum frigidum, quod ex adstringente eius sapore demonstratur: & caloris aliquid, quem ubi multum masticatum fuerit, acredine quadam ostendit: tenuis & aereæ potestatis esse participem, laxitas & leuitas declarant. Et non prætermittatur cum eo spica.] Ego spicam hanc prætermitto, tum quod ea egere non uidetur, ob commixtas, ut diximus ex Galeni sententia, uires: tum quod uera Spica caremus, & ea qua utimur, horribilis ualde saporis est. Solutione educit. & reliqua.] Antiqui suo Rheo uim purgandi non adscribunt, sed nec Auic. Auerrois, Galenum & alios medicos taxans, qui adstringere scripserunt, purgare asseruit: quod experientia quoq; ipsa in utroq;, Pontico uidelicet & Indico attestatur. Decoctio etiam similiter resoluit in eo uirtutem.] Non intelligas, ut plerique, nõ esse propterea coquendũ: nam & ipse Mesue & alij, eius deco-

cto utiliter utuntur: sed in ipsa radice quæ decocta fuerit, uirtutem esse resolutam, & in eo liquore in quo fuerat decocta, remānsisse. Et maior eius proprietas.]

Alias quoq; uires suo adscribūt antiqui. Dios. enim ualere ait hepaticis, nephriticis, torminibus, lieni, pectoris & uesicæ uitijs, atq; uentriculi dolori, imbecillitati, & inflationi. Ex parte substantiæ.] Adde ex Dios. quod inflammationes cum aqua illitum, dissoluit: & ex Plinio, quod uulnera, & mali moris ulcera sanat, epiphoras q; & purulentas excreationes, lassitudinem quoq; & dolores: & ex Galeno, quod ualet asthmati, orthopnœæ, cœliacis, ischiadicis, uteri morbis, & ferarum morsibus: & cum aceto illitū, impetigines aufert ac peliomata. Et proprie eius drachma una, mumiæ grana duo, Rubiæ granum unum & mediū.] Manifestus est hoc loco error: quam enim uim hac in re habere potest tam exigua mumiæ, & Rubiæ quantitas? Sed & Auicen. quem in multis est hic secutus, capite de Rubia, drachmam integram cum Rheobarbaro miscet: & similiter libro tertio, in cura Apostematis calidi hepatis. Potio eius infusi à drachmis. ij. s. ad drach. x.] Excellit nimis hæc quātitas, nec possunt sine discrimine 10. drach. semel dari: ut cum malo suo, nobilis quidam Pannon. expertus fuit.

Pernitiosus Mesue in dando Rheobarbaro modus.

De Cassia fistula.

Cassia fistula Arabū, alia est à Cassia fistula antiquorum.

De hac non scripserunt antiqui, sed fistularem illam uocauerunt, quā nūc Cassiā ligneā uulgus appellat: res tamen nobilis est hæc Mesue Cassia, & qua ad aluū leniēdā, & sani & ægrotātes, siue mane, siue parū ante cibū, tutò utūtur. Cōdiri cor pit & saccharo recens in eundem usum: in quem semina quoq; efficacia sunt, longeq; magis quàm intraneus liquor.

De Tamarindis.

Hos quoq; numerat Auerrois inter medicinas, de quibus nō est Galenus locutus. Si nomen sequaris, dactylos putabis. Tamar em̄, barbaris dactylū significat. Pli. cuiusdā palmæ meminit in Aegypto nascētis, quā uocari ait adipson, quasi arcere sitim diceres, uiridemq; esse, & mali cotonei odore, nullo intus ligno, colligiq; anteq; incipiat matureſcere: & quod relinquitur, uocari phœnicobalanū. Dios. ferè eadem lib. 1. Idē Plin. lib. 23. Palma, quæ fert myrobalanū, probatissima in Aegypto, ossa nō habet reliquarū modo in balano. An uero Tamarindos hos intellexerint, cogitandū lectori relinquo. Sicuti etiā, an Myrobalani, quarū superius habita est mentio, ad palmulas pertineāt. Frigidæ cōplexionis in secūdo.] Auerrois, in tertio. Solutione educūt, & reliqua.] Dios. suas Myrobalanos acerbas dicit & adstringētes, ualereq; diarrhœæ, & muliebri fluxui. Et phœnicobalanū magis adstringere recentē q; siccā, sputoq; sanguinis, intestinorū difficultati, & stomachicis conferre. Quare si eandem rem, quā hoc loco Mesue intellexit, cōtrarias ei uires adscripsit.

De Manna.

Hanc quoq; reposuit Auerrois inter medicinas à Galeno non scriptas: ego tamen mentionē eius habuisse arbitror lib. Alimentorū 3. sub nomine mellis aërei uel roridi: de quo scribit plurimū colligi in monte Libano, æstate media, nocte serena, uariasq; uires à uarijs super quas cadit plantis acquirere: quæ ita quadrāt uocatæ nūc Mannæ, ut ambigi nō possit, esse eandē rem. Est æqualis.] Auer. Calidā facit & humidā, in primo ordine. Galenus autem miscuit ipsam cū Scammonea.] Melli quidem inuenio Galenum miscuisse Scammonium, Mannæ nequaquam. Educit choleram cum facilitate.] Auer. faciliorem dixit esse inter omnia, quæ purgandi uim habent.

De Aqua lactis.

Galenus dicit antiquos sero ad inferioris uentris subductionem usos: & Dios. ijs dari, quibus absq; acredine uentris, excretionē uolumus prouocare. Est calidæ & siccæ complexionis in primo usq; ad secūdum.] Galenus lib. 4. simp. med. cap. 16. dicit frigidam & humidam: alicuius tamē caloris participem esse, ait lib. 3. de alim. Mel uigorat eius operationem.] Galenus tantum mellis addendum

dendum iubet, quantū delectare possit, nō uentriculum subuertere: quoq; magis subducere uentrē uolueris, plures sales adijciēdos, modo gustui nō sint molesti.

Posse, solutione educit cholerā.] Iuuare dixit Dios. lepræ, elephantiasi, epilepsiæ, & exanthematibus. Bubulū uero serū conferre scripsit orthopnœcis, id est his, qui nō nisi erecti spirant. Dosis ab uncijs sex, usq; ad lib. unā.] Dios. bibi heminis per interualla singulis, usq; ad quinas. Paul. Aegin. dari uiris iubet sextar. ij. pueris unū. Ex eo aūt Dios. loco, natus uideri potest modus, qui nunc in cōmuni usu est, bibendi medicatas aquas, quæ balnearum dicuntur.

De Rosis.

Rosam nō uideo à Græcis, neq; ab Auer. inter purgatoria medicamina reponi, experientia tamen ipsa, collocari inter ea debere ostendit. Cui etiā Dios. consentire uidet, rosaceū unguentū uires habere dicens, ad soluendā aluum conducentes: quas uires nō ab alia re habere potest, præterq; à rosis. Cōponitur ex terreis partibus.] Gal. cōstare dixit ex aqua, ea substātia calida, cui qualitas adstringens & amara coniuncta est. In abscisione rubedinis nō plus est rosa, q; homo mortuus.] Hoc dictū ualde mihi est ambiguū: neq; enim ex rubore speciē habet rosa: alioquin alba rosa, rosa nō esset: colore etiā deperdito, seruari odorem adhuc uidemus, & adstringendi uim. Vsum uero rosæ Plin. diuidit in folia, flores, & capita. Foliorū partes candidæ, ungues uocant. In flore aliud semen, aliud capillus: in capite aliud caput, aliud calix. Florem luteum, illud intraneum intelligе, quod magis reliquis partibus exiccare & adstringere dicit Galenus. Dioscorides, facere ad gingiuarum defluxus. Plinius dat in posca ad mulierum fluctiones, maxime albas, & sanguinis excreationes, & ad uentriculi dolores cum uino. Vinum in quo folia sicca cocta sint, laudat Dioscorides in dolore capitis, oculorum, aurium, gingiuarum, pudendi, ani, uteri, si eo membra illa abluantur: nullam aūt rosæ partem, præter capita, præbet bibendā. Per albas non fit solutio aliqua.] Apertus hoc loco error deprehenditur: albæ enim de seni uocatæ, & uulgò apud nos Damascenæ, cum albissimæ sint, cæteras in purgando excellunt. Succus uero eius.] Succū nō reponit Dios. ad alium, q; ad oculorū usum.

De Violis.

Nec uiolā inuenio apud Græcos purgare: credi tamen potest, si magna quantitate sumatur, uentrē lenire. Et ipsa quidem est narcotica.] Quomodo narcotica, si frigida est tantū in primo ordine, ut tu superius scripsisti? Posse.] Folia uel per se, uel cum polenta, facere ad uentriculi exustiones, oculorū inflammationes, & sedis casus, scribit Dios. quosdamq; asserere partem floris purpuream anginæ, & puerorum comitiali morbo conferre. De absinthio.

Dios. Plin. Gal. inter purgatoria medicamina numerauere. Sed illud q̄d intendimus nunc, est absinthium Romanū.] Nescio ubi somniauerint Arabes absinthiū hoc Romanū. Dios. Plin. Gal. laudant Ponticū, quod flore & folio minore q̄ cętera, dicit Gal. 2. curat. meth. odoreq; nō modo nō insuaui, uerū aromatum quid præ se ferente. Tale ego in Pannonia & uidi, & gustaui. Cappadocum etiā Dios. Romanū ne nominarunt quidē. Siccū in secundo.] In tertio dicit Gal. Succus nocet stomacho.] Adde ex Dios. quod dolorē facit capitis: & ex Pli. quod decoctū est stomacho saluberrimum. Et ex eodē Dios. quod ualet ad inflationes, stomachiq; ac uentris dolores, si cum Seseli bibat: & quod crapulæ resistit, & menses citat. Solutione educit cholerā.] Educit biliosa stomacho & uentri inhærentia, Dios. teste. Et dixit Auenzoar, solutione etiā phlegma educit.] Hoc aperte negauit Gal. Et aquæ sublimationis eius.] Si hæc aqua communi modo fuerit parata, exiguas certe uires habebit. Nos autē scimus, & alibi docuimus modū eliciendi aquā, quæ odorē & saporē eius retinet, &

sy libro is. huy epistola epist in fine

cũm his,ut conſentaneũ rationi eſt,etiã alias uires. Potus infuſionis,] Curat etiam inappetentiam atq; arquatum morbum, ut ſcribit Dioſc. & thoracem purgat cum iride. Seminis drachmas ſex dabant antiqui, cum marinæ aquæ ſextario, purgationis gratia, ſecundum Plinium.

De Sticados.

Stœchas græce dicitur, nec inter purgantes medicinas ab ea gente cõputat; quod Auic.quoq; cõfirmauit. Stichados Arabicũ.] Nõ Arabicum,ſed potius Gallicum:nam teſte Dioſ.& Plin.in inſula eiuſdẽ nominis generatur,quæ Maſſiliæ oppoſita eſt. Et eſt planta foliorũ ſubtiliũ.] Nõ foliorũ ſubtilium, ait Dioſc. ſed leptocarphon,quaſi dixeris tenuiũ feſtucarum.Hermol.cirrulas interpretatur,longiorũ foliorũ,comãq; habere Thymi. Plí.hyſſopi,& odoratã, eiusq; decoctum facere ad thoracis paſſiones,ſicuti hyſſopus:tenuare quoq; & abſtergere.Plin.leuare pectoris dolores,menſes ciere,& antidotis miſceri. Galenus, uiſcera omnia roborare, & uniuerſi corporis habitum, atq; obſtructiones aperire.

De Fumo terræ.

Capnion Græci uocãt,Latini fumariã.Lenire uentrẽ tradit Gal.experimento cuiuſdam idiotæ,ſiccum ſubductionis gratia cũ melicrato exhibentis. Dixerũt quidam quod eſt frigidũ.] Auic.frigidũ facit in primo ordine,& ſiccũ in ſecundo.Gal.uidetur feciſſe calidũ,acri ſimul & amara dicẽs participare qualitate,nec carere acerba:qui loquendi modus, uincere in eo caliditatem demõſtrat. Et ducit choleram.] Dioſc.& Gal.per urinam.Plin. abſolute dixit,quod detrahit bilem. Cõfert etiã febribus.] Aëtius dari tutò ait etiam his qui febriunt.Prętermiſit autem Meſue præcipuas eius uires,à quibus & nomẽ accepit, quod lachrymas ſcilicet inſtar fumi educit,uiſum acuit,renaſci euulſas palpebras prohibet,ut Dioſc. Pli. Galenusq; teſtantur. Potio ſucci eſt ab uncia media ad duas.] Vix puto eſſe tam mollẽ uentrẽ, qui ea quantitate leniatur. Auic.uſq; ad octo uncias prębet.Multos ego noui qui Auicennæ etiam modum longe excedunt.

De Eupatorio.

Non facile fuerit diuinare,quamnam herbã hoc loco pingat: uera enim Eupatoriũ à Dioſc.& Plin.deſcripta, tantũ ab hac differt, quantũ centaurij tenuis folia à canapinis. Calidum eſt in primo.] Obſcuriſſimã eſſe eius caliditatem, ſcripſit Gal.& quod mundat abſq; calefactione. Solutione educit choleram.] Neminẽ legi (quod meminerim) uel Græcum uel Arabem,purgandi uim huic herbæ adſcribentem:imò de ea ſcripſit Dioſc.cum uino potam ualere dyſenterię.

De Epithymo.

Durioris Thymi florem,& Satureiæ ſimilis,eſſe Epithymũ ſcribit Dioſc.habere; capita tenuia,leuia,caudiculas ueluti capillos.Plin.poſtq; eadẽ ferè dixit quę Dioſc.addit, Quidã aliter Epithymũ tradunt ſine radice naſci, tenui ſimilitudine Pallioli,rubens. Videtur autẽ Epithymũ hoc Meſue,ad ſecundum Plinij referri: ſicuti & id quod in uſu nũc eſt, & uel ex Apulia, uel ex orientalibus locis affert.

Eſt ſimile cuſcutę.] Res nota eſt ſub hoc nomine cuſcutę, nec alia re à uocato Epithymo uidẽ differre, niſi quod paſſim cũ lino naſcitur,illudq; quaſi ſtrangulat:atq; hoc argumento aliud nomen inuenit, ut podagra uidelicet lini dicatur.

Alail & Halaſce.] Thymbrã,& Thymũ intellige. Eius aliud eſt Cretenſe, aliud eſt Syriũ.] In Cappadocia & Pamphilia plurimũ generari ſcribit Dioſc.

Et dixit Gal.eſt calidũ in tertio.] Adde & ſiccũ,& ſimile Thymo uirtute,ſed in omni re fortius. Et generat æſtuationẽ.] Stomacho minus utile dixit Plin.& uomitiones mouere. Aqua uero mellis cũ pauco ſale.Dioſc.& Plin.cũ melle & ſale,& pauco aceto. Et quidam dicunt.] Si legiſſes Dioſc.ſcires ipſum ſcripſiſſe,quod cũ melle potum purgat per inferiora bilem nigrã,& pituitam. Et dixit Paul.]

Paul.] Optimũ eſſe ait Paul. in euacuanda melancholia: nec uideo quo pacto poſſet eſſe magna medicina in morbis qui à Meſue ipſo enumerantur, niſi atram bilem exuſtam, quæ proprie melancholia dicitur, expurgaret. Doſis potio eius uſuq; ad uiginti. & reliq.] Nimis creuit hæc doſis: ſiquidem Dioſcorides quatuor, Paulus quinque, Plinius ſex, ad ſummũ cõcedunt.

De Hyſſopo quod uocatur Aſce.

Dicunt quidã q̃d ſit hyſſopus hortenſis:dicũt alij eſſe unam ex ſpeciebus Origani.] Nomen ipſum modusq; loquẽdi,oſtendũt ignoraſſe Meſ.de qua re ſcriberet. Tu aũt ſcias uoluiſſe eum loqui de thymo,re nõ obſcura: utpote quã dicit Dioſ.ab oĩbus cognoſci. Sicut nodusfoliorũ.] Intellige ex Dioſc.thymi capitula. Et eius flos eſt ſicut calamẽti.] Nõ hoc Dioſc. ex quo reliqua iſte ſumpſiſſe uideť.Plin.duo genera facit,candidũ,radice lignoſa,quod & prętfertur:alterũ nigrius,floriſq; nigri.Semẽ deprehẽdi nõ poſſe,ſed flore ſato enaſci. Et dixit Dioſcor.quod eſt in principio tertij.] Cũ Dioſc.nunq̃ meminerit graduũ,liquet hũc uirũ Dioſc. uerũ nõ habuiſſe,ſed nec Gal. & Paulũ bene legiſſe: hi enim fuere, qui calidũ & ſiccũ in tertio ordine poſuere. Valet ad ęgritudines cerebri.] Valet comitialibus ſecundũ Plin.uiſus obſcuritati ſecundũ Dioſc.diſcutit œdemata, diſſoluit coagulatũ ſanguinẽ,tollit uerrucas,& cũ uino ac polenta iuuat coxendice laborantes.

De Hyſſopo montano.

De uulgari hoc capite Hyſſopo loquitur. Electio.] Dioſc.prefert Ciliciam. Hipp.& Plin.in Tauro mõte natã,& poſt eam Pamphileã & Smyrneã. Calida & ſicca in ſecũdo.] Galen.in tertio. Solutione educit phlegma.] Cũ oxymelite & ſale trahit pituitas,inquit Plin.craſſos humores Dioſc.qui edi etiã ait cũ ficis ad aluũ ſubducẽdã,fortiusq; purgare mixto cardamomo, aut Iride, aut Eryſimo: aliqui tamen pro cardamomo legunt cardamũ. Et tuſſi.] Cũ ficis, aqua, melle, & ruta, peripneumonicis:aſthmati,tuſſi antiquę,catarrho,ſi cum melle lingatur, ait Dioſc.eſſeq; optimũ gargariſma anginę cũ ficis. Cum uino reſoluit apoſtemata dura.] Phlegmones, ait Dioſc. Doſis uſq; ad drach. x.] Manipulũ integrum Plin.Ego maiorem longe quantitatem poſſe tutò dari arbitror.

De Prunis.

Coccimelia uocant Græci,uel κοκκυμῆλα. Damaſcena & Armena.] Damaſcena iampridẽ inquit Plin.in Italia naſcuntur,grandiore ligno,& exiliore carne, nec unquã in rugas ſiccata,quãdo ſoles ſui deſunt.Galen.magis adſtringentia ait eſſe Damaſcena,Hbierica dulciora:miratur tamẽ Dioſc. dixiſſe Damaſcena ſicca uentrem ſiſtere: optima uero eſſe inter eadẽ quæ ſint mediocriter adſtringentia,magna ac laxa. Dulcia ſunt inter caliditatẽ & frigiditatẽ.] Mediocriter humectant,& infrigidant,ait Galenus. Decocta in melicrato plus mellis habente, uentrem molliunt, magiſq; ſi melicraton ſuperbibatur, dehinc uinum dulce, & prandiũ differatur. Adſtringunt ſylueſtria,pariterq; domeſticorũ folia. Gummi lapidem frangit.

De Pſyllio.

Græci pſyllium.Latini à greci nominis ſignificato non recedentes,pulicarem herbam uocant: nec per os niſi raro, aut hi aut illi præbent: quoniam inter uenena numerant,ſed exterius tantum ad molliendum,adſtringendum,& infrigidandum adhibent. Subſtantia autem eius interior medullaris, calida eſt & ſicca in quarto gradu:& eſt de genere ueneni.] Venenũ eſſe Pſylliũ dicunt Græci,nõ medullæ ratione,quæ ſit,ut iſte ſcripſit,in quarto ordine calida, ſed ex frigore potius,quod in tota oſtendit ſubſtantia. Secutus autem eſt Meſuas in hac re,ſicut in aliis multis,Auic.libro 2. cap.primo.Damocrates porrò,autore Gal.libro 2.de Antid.iubet plurimũ conteri in cõpoſitione cuiuſdam antidoti.] Eſt frigidum & humidum in tertio exceſſu.] Gal.frigidũ in ſecundo,mediũ in alia ſcribit con

Universidad de Deusto
Biblioteca

trarietate, nec alicui, ut diximus, eius parti calorem attribuit. Quod ex eo conquassatū est, cum aqua frigida solutione educit choleram.] Hoc sic in aqua tuso, Dios. utitur ad infrigidandū. Et conquassatum cum aceto confert apostematibus calidis.] Cum rosaceo aceto uel aqua, ualere articulorū doloribus, tumoribus post aures, panis, ramicibus, umbilico procidēti, & erysipelati, scripsit Dios. Et dixit Dios. quod est in secundo: & uerius: inquit enim Hipp. in Epidemijs, nō eleuat̄ res frigida, iuncta cū humiditate ultra secundū gradū.] Quomodo hæc dixerunt Dios. & Hippoc. qui gradus uel ordines in medicinis non agnouerūt: Paul. frigidum in secundo, mediū inter humectantia dixit & siccātia, quēadmodū & Gal.

De Capillis Veneris.

Adianton à Græcis dicit̄, quia ut Theophrastus, & post eum Pli. scripsit, aquas respuit perfusum mersumq;. Dicit̄ Callitrichon uel Polytrichō, ab effectu (ut ait Pli.) quia capillos tingit & pulchros reddit. Theophr. & recētiores duo eius genera faciūt, albū & nigrū. Sunt aūt cōpositi ex partibus aqueis & terreis & subtilibus mediocriter, à quibus inest eis stypticitas, & ex partibus subtilibus calidis ualde.] Nisi aduerbiū ualde, iunxeris uoci subtilibus, error erit in hoc loco manifestus, etiā ipsomet Mes. teste, qui ex Gal. sentētia uix excedere eos tēperamentū dixit. Sed forte melius est addere negationem, & legere, nō ualde. Et solutiui uentris.] Autoritas, ratio, experimentū, falsum esse hoc cōprobant: siccat enim adianton, attenuat, discutit, inquiunt Gal. & Paulus. Auer. ait Gal. dixisse, quod aluum adstringit: nouos medicos, q̄d purgat. Dios. ipse aperte dixit, quod aluū sistit. Mundificat pectus.] Per screatū dixit Gal. Et abscindit furfures.] Dios. addit & achores cum lixiuio. Frangit lapidē.] Præcipue nigrum, inquit Plin. eaq; de causa dici saxifragum. Et delēt cum oleo chamæmelino scrofulas.] Nō addit Dios. oleum: sed dixit absolute, quod strumas discutit: quod etiā pariter scripsit Galen. Abscindunt sanguinē.] Sanguinis screatum ait Dios. Et confortant stomachum.] Dioscorides, poti cum uino.

De Asaro.

Asaron ideo uocatum uidetur, quia in coronas nō adderetur. Dios. herbā coronariā dicit, errore ut credo scioli cuiuspiam librarij, Baccharē Asaro miscentis, quod nunc etiā uulgus facit. Sicut folia Hederæ.] Adde, sed minora & rotundiora, ex Dios. Sicut flores Hyoscyami.] Sicut Cytini, nō sicut flores, ait Dioscor. in medio foliorū apud radicē purpurei, odorati: semē in floribus acinosum: coliculi angulati, subasperi: radices multæ, geniculatæ, tenues, obliquæ, gramini similes, multo tamen tenuiores, odore cinnamum referentes. Electio.] Optimū nasci ait Pli. in Ponto, proximū in Phrygia, tertiū in Illyrico. Gal. solam radicē utilē esse dicit. Cōplexio.] Dios. ut sæpe dixi, gradus in medicinis non distinxit. Gal. huic medicinæ non adscribit. Sed cum dicat easdem Acoro uires habere, sed fortiores, quā posuit calidā & siccā in tertio ordine: sequitur hanc quoq; uel saltem in tertio ordine collocandā. Quidā infundūt ex eo aliquid in mustū.] Dios. miscet uncias tres in heminis musti duodecim, & dat ad lotiū, intercutē, coxendicē & icterū. Posse, est ex rebus faciētibus uomitū.] Crateyas, Dios. & Pli. purgare aiūt eius radices, ellebori albi instar. Multas quoq; alias uires ei adscribunt. Dosis eius usq; ad drachmas quatuor.] Dios. dat pondus drach. septem.

De Iure.

Gallorū ius, uentrē laxat, gallinarū adstringit, ait Gal. ἐπικρατικῶς λιωάμενος δέ. Marcellus tamen in Dios. aliter interpretat̄. Decoquat̄ in aqua sufficienti.] In sextarijs xx. ut Dios. uel tribus congijs, ut Plin. & reducat̄ ad tres cotylas. Miscet̄ decoctioni eius Turbit.] Quidā (dicit Dios.) Brassicā marinā coquūt, aut Mercurialem, aut Carthamum, aut Polypodiū, educitq; humores crassos, crudos,

crudos, tenaces, nigros, & ualet febribus antiquis. Plin. præclare medetur uenenis serpentū, torpentibus membris, tremulisq;: capitis doloribus, epiphoris, inflammationib. fastidijs, incipienti tenasmo, iocinori, renib. uesicæ, cruditati, suspirijs.

De Volubili.

Inuenio apud Dios. Galenū, Paulum, cap. de Helxine, quæ uidetur prima species hic posita, apud nos frequens, sicuti & secūda. Tertia, ut puto, est Clematides. Quartā speciem uidetur Plin. lib. 21. cap. 15. uocare Lupū. Legitur Lupi huius uel Lupuli nomen, tertio lib. de locis affectis: qui liber uulgo de interioribus inscribitur. Sed litera corrupta est, pro bato uel Rubo, Lupulū habēs: sicuti & lib. 4. Therapeutices, ut nouæ eius libri interpretationes manifestāt. Græcorū uulgus Bryonū̄c uocat, nostri Luuerticiū, quasi lupū uerticiū. Cōplexio & proprietas.] Nō id dixit Dios. quod hic ei adscribit, sed de triplici scripsit Smilace, leni uidelicet, aspera, & hortulana. Item de duplici Clematide, & Scammonio, quæ omnia ab hac se circūuoluendi proximis rebus proprietate, dici Conuoluoli, uel uolubiles possunt. Helxinen potā, uim habere uentris purgatiuā, tradit idem Dioscor.

Lupulus est æqualis.] Vires florū quas in Ceruisia ostendūt, satis calidos & siccos attestātur: quibus rebus grauitas etiā odoris cōsentit. Videant igitur medici, qui Lupulos tantopere cōmendant, cui fundamento innitantur.

De Scammonio.

Scammonia proprie dicitur ipsa planta, Scāmoniū succus, utrūq; tamen Scammoniū quādoq; uocatur: & quia cæteris præstat id quod in Colophone gignitur, ideo & Colophoniū nominatur. Cuius folia sunt ad modū sagittæ alatæ.] Helxinæ similia inquit Dios. uel Hederæ molliora, trianguli figura, flores albi, rotundi, cōcaui forma calathi. Primus est cū manifestatur radix.] Clarius Dios. resecatur caput à radice, radixq; ipsa ita sit concaua, ut succū colligere confluentem possit: quidam terrā circūfodiunt, nucisq; iuglandis folijs obtecta fouea, succū effundunt, hunc aūt secundum modū, prætermisit Mesue. Electio melior est Antiochena.] Id quod ex Mysia Asiæ præponit Dios. Colophonium Plin. & post ipsum Prienense. Quæ uero fit in partibus nostris, & Coraseeni, est mala.] Syriacū & Iudaicū pessimū esse, dicit Dios. densum existens et graue. Clara sicut Gummi.] Dios. & Plin. Taurino glutini q̄simillimū, splendens, nitidū, decorum, rarum, fungosum, tenuissimis fistulis, spongiosum. Sit pondere leuis.] Plin. q̄leuissimum. Tenera.] Citò liquescens ait Plin. Boni odoris proprij.] Virus redolens, inquit Plin. Si tangitur cōfractū eius aqua uel salsiua.] Plin. lingua: & cū diluitur, albescens. Dios. huic indicio docet nō fidendum, quoniā mixto Tithymalli succo, idem fit: sed attendendum alijs indicijs, & ne linguam deurat. Quinq; sunt ei familiaria, quæ in corporibus imprimunt magnitudinem nocumentorū.] Nocere stomacho plus q̄ omnia purgatoria medicamina, dixit Paul. miscetq; ei Sal aut Piper, aut Zingiber, aut rem aliam, quæ sit bona stomacho: format etiā inde catapotia cū melle. Inquit Galen. miscui cū sexcuplo ipsius Mannæ.] Nescio ubi hoc dixerit Galen. illud aūt scio, quod Manna apud eum Thuris tenuiorem puluiscu lum significat, nō rem Saccharo nostro dulcore & colore similem, quæ nunc passim Manna uocatur, & à Mesue intelligitur. In eius contritione nō nimiū insistatur.] Contrarium nōnulli sentiunt: quod uerius esse, alio loco est demonstratū. Solutione educit cholerā.] Dios. addit & phlegma. Paul. purgat ut Elleborus, & magis bilem. Vitet eius acceptionē, qui calidæ & siccæ cōplexionis est.] Docet Paul. dādū his qui boni sunt stomachi, febre carēt. Dosis à quinq; granis ad duodecim.] Dios. dare drachmā integrā nō ueretur: sufficere tamē ad soluendā aluū dicit duos obolos. Si uero placeat abūdātius purgari, tribus obolis addi debere duos Ellebori obolos, et Aloēs drachmā. Paul. dat obolos quatuor. Ego licet nunq; sim ausus tātū dare, duodecim tamē grana trāscēdere

Volubilis species quatuor.

Galeni locus lib. de interioribus castigatur.

Lupuli flores calidi.

Manna apud Galenū quid.

Tuto tradi Scāmonij plus quàm duodecim grana.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sum ueritus, scicęq; quosdam scrupulum integrum hausisse sine noxa.

De Turbit.

Difficile est diuinare, quam rem hoc loco pingere uoluerit: non enim describit Turbit Serapionis, seu, quod idem est, Dioscoridis tripolium: non radicem Pityusæ, quæ à Dioscoride uocatur Turpet: siquidem folio hæc Pini, illud Isatidis, non ferulæ constat. Sed nec eam qua nunc utuntur medici, quoniã (ut audio) folio est Myrti, quali à Dioscoride secunda Tithymalli species est, quam uocant fœminam. Fatendum igitur errorem esse in nomine ferulæ, cum nulla res Turbit uocata, ferulæ similis exter. Calidum est in tertio.] Si est radix alicuius speciei Tithymalli, succus eius erit in quarto ordine calidus, radix paulò minus ex Gal. sententia. Auic. radices calidas esse dicit in secundo, usq; ad tertiũ. Si est Turbit Serap. & ut sequẽs est Tripoliũ Dios. & Gal. erit tertij ordinis. Vires quidem, quas huic suo Turbit Mes. adscribit, manifeste ostendũt eum intellexisse de uocato ab Auic. & Serap. Turbit: licet neuter ipsorũ cognouisse herbã eius uideatur, alioqui non erant miraculũ taciturni, quod recitat Dios. & ex eius sententia Serapion, flores uidelicet ter in uno die colorẽ mutare. Erunt igitur tres uel forte quatuor res, nomen Turbit suscipientes, radix uidelicet Tripolij, de qua tractat Serap. sub Turbit nomine: radix Pityusæ, quam lib. 4. Dioscor. dixit appellari Turbet: radix Tithymalli fœminæ Myrtites uocatæ, qua nunc passim sub Turbit nomine utuntur medici: & quartũ demum, nisi penitus somnium est, quod folio ferulæ constare dixit Mesue. Aperiant igitur oculos medici eo usuri. Et declinat à proprietatibus bonis quæ sunt septem.] Hæc à Serap. capite de Turbit. Rectificatores in primis abradi iusserunt.] Et hoc à Serapione.

Flores Turbit ter in uno die colorẽ mutant

De Agarico.

Glandiferæ arbores, inquit Plin. maxime Agaricum ferunt: est autem fungus candidus, odoratus, nocte relucẽs. Gal. radicem uocat, & Premno dicit innasci, hoc est Ilici. Dioscor. aliquos putasse radicem, alios fungorum modo in truncis arborum nasci, & esse Laserpitio similem. Masculus est malus, & ille proprie qui est longus.] Marem rotundum ait Dioscor. & undequaq; sibi coalitum. Et habens in confractis suis fila neruorum.] Fœminam dicit Dioscor. cursu neruorum recto constare, mariq; præferendam. Et ut appareat dulcis in primo gustu.] Non hoc peculiariter adscribit Dios. bono, sed mari pariter & fœminæ facit commune. Gal. amaritudini in tempore succedere, apparentiam quandam acredinis dicit, & modicè stypseos. Paul. eligendum albissimum, quod facillime frangatur, nec sit ualde lignosum, aut perforatum. Est calidum in primo.] Auerrois dixit Gal. in nullum ordinem redegisse: ei autem uideri calidum in primo, siccum in fine secundi. Et est compositus ex substantia aërea.] Adde ex Gal. & terrestri, quæ à calore attenuata est, minimum aquosæ particeps. Et ipse quidem est subtiliatiuus.] Discutit, crassos humores diuidit, obstructiones uiscerum repurgat, inquit Gal. Inquit Dioscor.] Nõ leguntur hęc apud Dioscor. sed Paulus Aegineta similem habere uim ait Colocynthidi, tarde tamen agentem, nec ualde uentriculo molestam. Et Galen. dixit, fiant trochisci.] Nec hoc legi apud Gal. Et educit materias ex iuncturis.] Dioscor. dat in coxendicis & aliorum artuum doloribus cum oxymelite. Ad omnes dolores intrinsecos.] Ad omnes internos affectus, ait Dioscorides. Vlceribus pulmonis.] Phthisicis cum defruto, ait Dioscor. Et sanat dolores stomachi.] Per seipsum, si edatur, inquit Dioscor. ualereq; etiam tormínibus, cruditati, & acido ructui. Mundificat matricem.] Confert præfocationi uteri, eodem Dioscor. teste: inflationi quoq;, fracturis, casibus, dysenteriæ, & sanguinis exscreatui: ualet & ferarum morsibus qui infrigidando sunt, siue potum, siue exterius appositum, secundum Galeni sententiam. Dosis eius contriti potio est à drach. una usq; ad duas.] Dioscor. obolorum duorum

Dosis Agarici

rum pondere dat ad rupta, conuulsa, tormina, & cruditates, drachmæ pondere hepaticis, asthmaticis, dysenteriæ, tres obolos sanguinis exscreatui & comitialibus, ad aluũ purgãdã unicã, uel duas drachmas. Paul. drach. duas dat cum melicrato.

De Colocynthida.

Colocynthis græce, latine agrestis Cucurbita dicitur. Eius folia sunt ampla, pilosa.] Ramulos & folia ait Dioscor. per terram sterni, esseq; satiuo Cucumeri similia, quibusdam diuisuris scissa. Verum quæ non est completa, mala est. & reliqua.] Si hæc uera sunt, nunc̃q; erit tutus Colocynthidis usus: nõ em̃ scire possumus, quo solo genita, an in unica plãta unica, uel in una regione unica planta. Et proprie dum iam citrinescit.] Colligendam docet Dios. cum in pallidiorem colorem mutari occeperit. Est calidæ complexionis & siccæ in tertio.] Amaram dicit Gal. non posse tamen id efficere, quod alia faciunt amara, dum bibitur, ob uehementem purgandi uim. Ex quibus uerbis monstrat, non ita calidam putasse, ut Mesue: licet sub quo ordine calida esset, non expresserit. Modus rectificandi eius, secundum quod narrauit filius Serapionis. & reliqua.] Non hoc præcipit Serapion, sed Paulus, drachmam unam in duobus melicrati cyathis coquens cum Ruta. Et dixit filius Serap. oportet ut perueniatur ad ultimum puluerizationis.] Non hoc dixit Serapion, sed contrarium, non esse uidelicet multum terendam. Paulus autem & Auicen. quem est Mesue secutus, plurimum teri iubent: quoniam (ut inquit Paulus) asperæ eius partes interioribus hærentes, ulcera faciunt quibus neruí compatiuntur. Solutione educit phlegma.] Bilem etiam & stigmenta, dicit Dioscor. Et dixit Dioscor. non efficit operationem in materijs quæ sunt in uenis. & reliqua.] Non hæc Dioscorides, sed Paulus, cuius hæc sunt uerba: Interiora Colocynthidis uacuant præcipue bilem, & mucos, non à sanguine ut Ellebórus & Scammonium, sed à neruis & neruosis membris. Sicut est dolor capitis antiquus.] Paul. danda his quibus caput est læsum, aut interior uel exterior eius membrana: illam piam matrem, hanc circumossalem uocant: ut uertiginosis, hemicranicis, comitialib. attonitis, cynico spasmo, asthmaticis, & nõ nisi recta ceruice spirantibus. Descensui aquæ ad oculũ.] Paulus, diuturnis oculorũ fluctionibus. Ad antiquam tussim.] Docet Plin. aquam mulsam in ea coqui ad dimidias, & sic tussientibus infundi obolis quatuor. Multæ eius uires sunt prætermissæ, ut quod secundum Paul. ualet his, qui circa renes & uesicam patiuntur. Iuxta Plin. in morbo regio utiliter semina infumuntur, & protinus aqua mulsa: & quod cum oleo si infricetur, spinæ, lumborum, & coxarum dolores sanat: & succus eius uiridis perfricatus, iuuat coxendice laborantes, autoribus Dioscoride atq; Galen. & quod utiliter clystere pilæ eius injiciuntur, coxendici, paralysi, & uitijs coli, ut testatur Dioscorides. Dosis decem ceratia.] Paulus drachmam integram dare non ueretur: quæ secundum eum pendit ceratia xvij.

Male affert Mesue Serapionem.

Colocynthis quatenus terenda.

Male adducit Dios. Mesue

Pia mater, Circumossalis.

Colocynthidis facultates à Mesue prætermissæ.

Drachma ceratia decem & octo pendit apud Paulum.

De Polypodio.

Polypodium nostri Filiculam uocant, inquit Plinius, similis est filici. Est radix.] Adde ex Dioscoride, pilosa, cirrhos polyporum modo habens. Ortus eius super arbores.] Dioscor. in arborum truncis, præcipue roborum. Et sui per lapides.] Adde ex Dioscoride, muscosos. Et proprie quod est grossum.] Minimi digiti crassitudine, Dioscor. & Plinius. Et cuius confractum est coloris fistici.] Coloris herbacei Plin. & Dioscor. Et in quo est ex aromaticitate aliquid, & in cuius sapore est dulcedo cum stypticitate, relinquens in gustu &c.] Obscure, nec cõformiter bonis autoribus. Dioscoride enim sapore dicit in acerbo subdulci. Gal. dulcem simul & austeram habere qualitatem dominantem. Dixit Dioscoride, calidum est in tertio.] Dioscoride, nunquam. Gal. in hoc nõ meminit gradum, sed cum exiccare dicat abstq; morsu, nec aliam qualitatẽ præ se ferre, quãm dulcem & acerbam, non est tam calidum putandum: & propterea magis creden

Universidad de Deusto
Biblioteca

Polypodiũ nec extenuat corpora, nec nauseam inducit.

dum Auerroi, quasi temperatum dicenti, quàm Auicennæ, qui dixit calidum in secundo, nedum his qui in tertio ordine statuerunt. Est ex maxime extenuantibus & siccantibus corpora, & facit subuersionẽ & nauseam.] Nescio quo pacto maxime possit corpora extenuare, cũ leuiter purget, nec excellẽti aliqua (ut dictum est) polleat qualitate. Scio autem quod per se exhibitum, nec subuersionem, nec nauseam facit. Et propterea in hac etiam parte, magis credo Auerroi dicenti, quod est secura medicina, & melior Epithymo, quàm uel huic uiro, uel etiam Plin. stomachum offendi ab eo asserentibus. Inquit Hamec, coquitur cum iure gallorum & gallinarum.] Coquit Dioscorides cum gallinaceo, uel pisce, uel Beta, uel Malua, uel aridum inspergit in aquam mulsam. Plin. Exprimitur, inquit, succus aqua madefacti, & ipsum concisum inspergitur oleri & Betæ, uel Maluæ & salsamento, uel cum pulticula coquitur. Solutione educit choleram nigram.] Dios. & Plin. bilem absolute, & pituitam. Paulus radicem contritam cum melicrato, idem dicit agere Colocynthidi. Dosis usq; ad aureos quatuor.] Exhibui ego sæpe unciam integram, parumq;, & id quidem sine molestia, eduxit.

De Scilla.

Scillarum, inquit Plin. alba est quæ masculus, fœminæ nigræ: tertium genus est cibis gratum, Epimenidum uocatur, angustius folio, ac minus asperum. Pancratium etiam inter Scillas numerat Dios. & pusillam Scillam uocari dicit, easdemq; uires alteri habere, sed imbecilliores. Scillę, sicut dicit Gal. duplex est iuuamentum: solutione enim educit materias, & præparat ad soluendum.] Non memini me uspiam hæc legisse apud Galenum. Sola, (sicut dicitur) est uenenosa.] Si hoc uerũ est, nemo Scilla tutò utetur, nisi qui præsens fuerit dum effoderetur. Et adhuc melior est, quæ saporem, & reliqua.] Adde his ex Plin. quæ candidissima fuerit, eam esse utilissimam. Calida est in tertio.] Gal. uirtutis dicit esse satis incidentis, non tamen uehementer calidæ, sed in secundo ordine: quod etiam confirmauit Auer. Vlcerat, urit.] Nimis hoc est: satis erat acrem dixisse: uehemẽtius enim calida sint necesse est, quæ urẽdi uim habent. Assatio acquirit ei facilitatem in soluendo.] Multi usus fieri per assationem, ait Dios. & Galeno teste, elixatio & assatio eius uehementiam reprimunt: docetq; Gal. pro puero epileptico, quomodo in diebus canicularib. optime eius succus eliciatur. Et quandoq; admiscetur ei post assationem tandem farinę Orobi.] Sic parantur artifici uocati Scilletici Theriacen ingredientes. Paulus tamen non æqualiter, sed media parte farinam Orobi miscet. Gal. ex Andromachi sententia, sesquialterã uult esse Scillam farinæ, & Orobos albos.

Scilletici artifici in Theriaca

Posse, Solutione educit humores grossos & uiscosos.] Datur tosta cum sale, ita ut uni parti octo salis adiiciantur, cochlearis unius uel duorum mensura, ad aluum leniendam, ex Dios. sententia. Est medicina bona pulmoni et pectori.] Antiquæ tussi, utilem scribit Dios. tribus obolis sumptam in eclegmate, & etiam asthmaticis. Eodem pondere etiam ualet ad urinam ciendam, ad morbum regium, ad aquam intercutem, ad stomachicos, & quibus innatet cibus.

De Hermodactylis.

Vt notissima radix nunc ea est, quam officinæ Hermodactylum uocãt: ita ignotum obscurumq; est, quo nomine sit apud antiquos uocitata, & quam rem uoluerint ipsi Hermodactyli uoce significare. Paul. siquidem breue caput de Hermodactylo, his ferè uerbis scribit: Radix, atq; eius decoctũ purgandi uim habet: datur peculiariter arthriticis in ipsis fluctionib. stomacho aũt est satis mala. Serapion uero sub Hermodactyli uoce, uno & eodem capite, Colchicon & Ephemeron Dioscoridis, necnon Pauli Hermodactylum comprehendit. Auicenna Serapionem in uirtutibus secutus, in historia maxime lapsus est, aperiri eam dicens, cum aperiuntur flores: scribente Dios. & Serap. ex eius sententia, exitu autumni, post florem,

florem, scisso bulbo, folia erumpere. Serap. & Auic. ueluti suos duces secutus Mesue, alium longum, alium rotundũ esse Hermodactylum scripsit, secq; de rotundo, quasi meliore, sermonem habiturum: aperte Galeno repugnans, qui de Ephemero scribens, non de eo quod Colchicon alio nomine dicitur, uenenũq; est, & radicem habet rotundam, scripturũ se dicit: sed de eo quod Iris syluestris uocatur, foliaq; & caulem habet lilio similia, radicem longam, nõ rotundam: imitatus Dios. qui cum de Colchico tanquam de ueneno scripsisset, de Ephemero scribit, quod radicem habet unã digitali crassitudine, & longam. Sed & Plin. lib. xxv. Ephemerũ eodem ferè quo Dios. modo describens, inter medicinas enumerat: & similiter lib. xxvi. in uigesimo autẽ octauo, Colchicon inter uenena reponit. Nõ usqueadeo tamen nominibus fidendũ, ut Cholchici nomine uenenũ, nomine Ephemeri rem bonam semper intelligamus: nam apud Nicandrũ in alexipharmacis, & plerosq; antiquos, Ephemeri tanquã uenení fit mentio: & Galen. utrunq;, Ephemeron uidelicet & Colchicon, eodẽ nomine Ephemerũ uocauit. Nostrũ hoc, quod Hermodactylum uocamus, notas habet eius Colchici quod inter uenena numeratur. Ephemerũ me nunquã in Italia uidisse memini: in Pannonia (ni fallor) frequẽs est: cuius ego folijs deceptus, Satyrion, donec effossã radice differentiam cognoscerem, semper existimaui. Hęc si uera sunt, patet non tutum esse Hermodactyli huius nostri usum: nisi fortè dicamus, eum tantũ esse uenenũ, qui in Colcho natus est. Securius tamen est ab eo penitus abstinere, præsertim quia nõ est ea radix, quæ ab antiquis in articularibus morbis tantopere cõmendatur: siquidem Paul. seorsum de ea sub Hermodactyli nomine scribit, cum de utroq; Ephemero propria scribat capita. Idem fecisse Gale. præter hoc, quod ferè Paul. nihil de simplici aliquo medicamento scribit, quod ab eo nõ acceperit, testimonio etiam Serapionis probatur, uerba eius recitantis. In communibus tamen Galeni exemplaribus græcis latinis ue, Caput de Hermodactylis nõ legit.

Non tutus Hermodactyli usus

Et dixit Alex.] Paulus satis malum stomacho esse dicit. Solutione educit phlegma grossum.] Paulus decoctũ eius esse ait potentiæ purgatiuæ.

Et est medicina artheticæ magna.] Paulus dari proprie dixit arthriticis, in ipsis fluctionibus.

De Ireos.

Cuius duæ sunt species.] Variare in Iride flores scribit Dioscorides. alios enim candidos, alios pallidos, alios luteos, alios purpureos, alios cyaneos esse. Non tamen ex hisce florum coloribus species eius distinguit, sed potius ex radicis colore, quem in Illyrica dicit esse subruffum, qualem quandoq; ex Illyrio delatum uidimus: in Libyca candidum, qualis est quæ passim inuenitur. Et ex his est melior.] Secundũ Dios. optima est Illyrica Macedonicaq;: & in his optima, cuius radix densa, submutila, frangi cõtumax, subruffa, ualde odorata, sternutamenta mouens dum perfringit. Et cuius sapor est acutus.] Dios. gustu amara. Et melius tempus collectionis est uer.] Apertus est hoc loco error: incipiente em foliorũ defluuio, colligẽdas radices docet Dios. Et est absterssiuus.] Dios. attenuare dicit. Paulus tenuiũ esse partium, tergere, & concoquere. Ad splenem.] Dios. pota cũ aceto. Et confert dolori capitis.] Dios. cum aceto & rosaceo. Et fit ex succo ipsius & farina fabarũ.] Dios. cum Elleboro albo, & mellis duabus partibus. Dosis à drachmis duabus usq; ad sex.] Dios. dat drachmas septem cum aqua mulsa. Paulus uero octo obolos dicit purgare, ut Agaricum, modo non sit antiqua aut perforata.

De Cucumere syluestri.

Sycin agrion Græci, Latini Cucumerem anguinũ, uel erraticum, uel syluestrem uocant. Elaterium utriq; medicamen ex fructu factũ.] Sicut Cucumer

paruus.] Solo fructu à satiuo differt, ait Dioscorides, quem minorem multo habet, & glandibus oblongis similem, folia & uiticulas domestico similes, radicem albam & magnam. Amaritudinis ueræ.] Omnes eius partes amaræ sunt ex Dioscoride, & Elaterium extremè amarum secundum Galenum. Cuius succus est albus.] Notæ boni Elaterij ex Dioscor. sunt, ut sit album, parum humescens, lęuorem habens, & leuitatem, amarissimũ, & quod facile accenditur. Malum est quod uirescit, asperumq; & turbidum est, medio colore inter Eruum & cinerem, ac ponderosum. Calidæ complexionis & siccæ in tertio.] Galenus parum calidum dicit in secundo ordine. Et proprie quando citrinescũt.] Tempestiuos esse dicit Dioscor. cum solo tactu succum effundunt. Plin. autumno. Puto errorem quoq; esse, ubi dicit, radices colligendas in fine Veris. Modum faciendi Elaterium late Dioscor. explicuit, quem ab eo facile discere potes: nam modus Mesue concisus nimis est & mancus. Educit per uomitũ, & per uentrem.] Dioscor. Si uolueris purgare per inferiora, duplum salis misceto, & Antimonij quantum sat sit, pilulasq; Erui magnitudine ex aqua formato, quas ubi deglutieris, aquæ tepidæ cyathũ superbibito. Si per superiora, aqua Elaterium resoluito, & penna in eo madente, loca infra linguam, quantum maxime potes intima attingito. Quod si ad uomitũ difficilis sit qui curatur, oleo, uel Irino unguento Elaterium resoluito. Dixit Ioannitius.] Nescio an dixerit Ioannitius: scio autem Paul. scripsisse, quod uacuat ut Scammoniũ, quantitate trium obolorum trium cum lactis cotyla. & Dioscor. quod trahit bilem & pituitã. Educit materias quæ sunt in iuncturis.] Non erat prætermittendum, ualere difficulter spirantibus, ut scripsit Dioscor. Resoluit apostemata.] Radicem, ait Galen. abstergere, discutere, mollire. & Dioscor. ueteres tumores cum polenta discutere, & cum Terebinthina panos rumpere. Conseruatur succus eius triennio.] Nullum ex medicamentis longiore æuo durare ait Plin., incipereq; à trimatu. Dioscor. à bimatu ad decennium esse purgationi aptum. Theophrastus ducentis annis seruatum testatur. quo uero uetustius, eo esse melius, dixit Plinius. Dosis eius succi, à decem granis & reliqua.] Distinctius Dioscor. integram mensuram dicẽs esse obolum, minimam semiobolum, infantibus æra duo sufficere, hoc est dicalchon, pondus uidelicet quatuor granorum: maiore copia esse periculosum. Paulus dat tres obolos.

Dicalchon.

De Centaurea.

Centaurium hoc à Chirone Centauro nomen accepit, à quo etiam Chironiũ dictum est, quũ solo nomine cũ minore conueniat. Imperiti (ut Plinij uerbo utar) inuicem utrunq; confundunt: quod & fecisse Mesuem facile est uidere, cum de utroq; eodem capite scripserit, & uires utriusq; indiscriminatim commiscuerit, secutus in hoc, sicuti in plerisq; alijs, Auicennam. Centaurea alia maior, alia minor.] Maiorem nostri seculi herbarij ignorantes, minorem quæ humectiore simul & pinguiore loco nata, in maiorem longitudinẽ adoleuerit, pro ea imperitis uenditant. Alij paulò solertiores herbam pro ea monstrant, folijs per interualla binis, interna parte uirentibus, externa candicantibus, salice maioribus, flore luteo. Si quis tamẽ bene consideraverit notas, quas Dioscor. & Plin. maiori Centaurio adscribũt, eas ita quadrare cognoscet uocato nunc à uulgo Rheo pontico, ut nulli rei magis. Tertium est præter hæc genus cognomine Triorchis, quod, ni fallor, fuit olim mihi è Liguria allatum, minori non multum absimile, sed longe magis aluum soluẽs. Minor melior est in omni re.] Falsum est hoc: alia enim in re utraque melior. Cuius flores & crura colorem habent citrinum palearem.] Falsum esse hoc, & res ipsa ostendit, & Dioscor. autoritas: flore enim constat in punico purpureum referente, qualis est Lychnidis flos. Melior pars plantę sunt flores

flores.] Radicem inutilem dicunt Dioscor. & Galenus: ramos uero, magisq; folia & flores, utilissima. Et melius tempus collectionis est principium æstatis.] Dioscorides uidetur distinctius locutus, dicens: Exprimitur cũ prægnans est semine. Auicenna dicit nasci utrunq; in fine Veris. quod si est uerum, nõ uideo quo modo in principio æstatis perfectæ esse possint. Calidæ complexionis est, & siccę in secundo.] Nec Galenus nec Serapion eas reponunt in ullo ordine, Auicenna in tertio. Si quis uero recte naturam utriusq; examinauerit, dicet minorem esse calidiorem, non usqueadeo tamen, ut ad tertium ordinem ascendat.

Et est composita ex partibus terreis adustis, dantibus ei amaritudinem: & ex non adustis cum permixtione aquositatis, quibus ineſt ei stypticitas, & est in ea dulcedine.] Confundi hic utriusq; qualitates, considerantibus res ipsas, & legenti Galenum, facile constat: de maiori enim ita loquitur Galenus: Radix sicuti in gustu contrarias qualitates, ita in usu contrarias ostendit operationes: gustui enim acris simul & adstringens, cum exili quadam dulcedine se offert. De minore uero, quod dominatur in ea amara qualitas, quæ exiguæ cuiusdam stypseos, id est, adstringentis saporis, est particeps. Solutione educit phlegma crudum, proprie minor, & choleram citrinam.] Modus loquendi innuit de utraq; hactenus locutum, & hanc ipsam uim, pituitæ scilicet & bilis purgandæ, utriq; conuenire, licet minori magis: cum tamen Galenus & Dioscor. minori tantum hoc adscribant, & Paulus purgare bilem & mucos dicat. Et confert Sciaticæ.] Hoc etiã priuilegium minoris est solum: de ea enim scribit Galenus ferè his uerbis: Decoctum herbæ nonnulli clystere inijciunt ischiadicis, hoc est, his qui coxendice laborant, ut biliosa & crassa educant. Quando autem adeò uehementer operatur, ut sanguinem uacuet, tunc magis iuuat. Et contritioni lacertorum.] De maiore scribunt Dioscorides & Galenus, quod datur ad rupta & conuulsa. Et est medicina oppilationum hepatis.] Succum minoris in hoc esse optimum scribit Galenus. Spleni.] De eodem minoris succo dicit Galenus, bonum esse durato spleni, & potum, & extrinsecus applicitum. Et prouocat menstrua, & educit fœtum.] Eidem succo hoc adscribit Galenus, quod suppositus menses educit & fœtum: de radice uero maioris, quod menses prouocat, mortuos fœtus extrahit, uiuos corrumpit & deijcit. Et Dioscorides, quod radix maioris ad collyrij tenuitatem erasa, si subditur, menses & partus euocat. Sanat dolorem matricis.] De radice maioris scribit Dioscorides, quod pondere duarum drachmarũ pota, uuluarũ doloribus confert. Valet colicæ, & dolori uentris.] De maiore scribit Dioscorides, quod torminibus pota medetur. Abscindit sputum sanguinis.] De maiore scribit Dioscorides, quod pota in aqua, si febris adsit: si non adsit, in uino, sanat cruentas exscreationes. Et sanat uulnera.] Vtraq; huius uirtutis est particeps. De maiore enim ait Galenus, manifestari adstringentis eius qualitatis opera, in uulnerum glutinatione. Et Dioscorides utilem dicit uulneribus, & quod in eum usum recens tunditur. De minore idem Dioscorides, quod tusa uirens, uulnera cõglutinat. & Galenus, quod magna uulnera ea sanantur adhuc uiridi. Et mundificat ea & consolidat, & proprie difficilis consolidationis.] Hæc uidentur de minore intelligenda, de qua sic ad literam scribit Dioscorides: Repurgat ulcera antiqua, & ad cicatricem adducit. & Galenus: Antiqua, & ad cicatricẽ difficillime euntia ulcera, per eam ad cicatricem adducuntur. Et proprie puluis eius.] Non sic Galen. sed quod herba adhuc recens. & eodem modo Dioscorides. Et quidam dixerunt.] De magna hoc scribit Dioscorides, quod coalescunt ea carnes, si cum contusa simul coquantur. Et proprie ad fistulas & ulcera magna.] De minore dixit Galenus, quod exiccata, exiccantibus & glutinantibus miscetur, quæ sinus & fistulas sanare possunt, ac maligna ulcera, duritiesq; emollire, nulla de potu facta tunc mentione. Dari tamen ait succum à quibusdam in neruorum passionibus bibendum, ceu

ſiccantem ſimul,& abſque moleſtia uacuantem. Eundem cum melle illíni ocu-
lis: purgat enim (ut inquit Dioſcorides) ea quæ obſtant luminis claritati. Maio-
rem præterea ualere ad ſpirandi difficultatem,& antiquam tuſſim, tradunt Gale
nus & Dioſcorides: additq; hic lateris dolores. Doſis.] Dioſcorides & Ga-
lenus dant duas drachmas maioris, Paulus drachmam unam ſemis minoris, in
coryla aquæ ad medietatis conſumptionem cocti.

De Carthamo.

Cnicum uocant Græci & Latini, Carthamus iam cœpit dici.] Duorſi modo-
rum eſt.] Dioſcorides de unico loquitur. Theophraſtus duo facit genera, ſyl-
ueſtre,& ſatiuum. Calidum eſt in primo, ſiccum in ſecundo.] Sic Auicen- 10
na præceptor huius. Gale. autem & Paul. calefacere dicunt in tertio, ſi quis ex-
trinſecus utatur. Nocet ſtomacho.] Laudat eum ualde Auerrois, nobi-
liorem eſſe dicens omnibus medicinis purgantibus, & quod pituitam euacuat
abſq; timore. Sed & Galenus libro quinto ſalubrium, præfert Cnicum Aloë in
ſoluenda aluo ſenum, per triduum adſtrictam. Dimittit ueſtigia lenitatis in
uiſceribus.] Galenus loco ſuprà allato, potius uidetur contrarium dicere.

Inquit Paulus.] Paulus coquit drachmas quinq;, cum ptiſana & paucis ſa-
libus, ut educat aquam, nec meminit Cardamomi. Et dixit Galenus.]
Neſcio ubi dixerit Galenus: ſcio autem Dioſcoridem dixiſſe, contundi eius gra-
na,& dari cum aqua mulſa, aut gallinacei iure. Et dixit etiam.] Dioſcori- 20
des ſic deſcribit: Cnici albi ſextarium, amygdalæ thaſiæ toſtæ & expurgatæ cya-
thos tres, aniſi tantundem ut cnici, aphronitri drachmam, ficuum ſiccarũ nume-
ro triginta, interiorem carnem. Gal. Caricas & Cnicum miſcet æquo pondere.

De Ben.

Græci Balanum myrepſicen, Latini unguentariam glandem uocant. Plinius
& Aetius Myrobolanum nominarunt: diuerſa quidem uoce, ſed eodem ſignifi-
cato: quod ſcilicet, ut etiam Martialis ait, ex unguento conſter, & ex balano: res
ut olim celebris, ita paucos ante annos ferè ignota, nunc autem unguentarijs ad
odorũ materiã notiſſima, & (ut audio) in Hiſpania frequens. Quo tempore hanc 30
epiſtolam ſcripſi, ignota erat, nunc cœpit eſſe notiſſima. Eſt autem fructus, ut ait
Dioſcorides, arboris Myricę ſimilis. Plinius Heliotropij, Theophraſtus myrti ſo
lio conſtare dicit. Et eius aliud magnum, aliud paruum.] Non uidi quem-
piam magnitudine ſpecies huius fructus diſtinguentem, ſed Dioſcorides & Pli-
nius abſolute magnitudine auellanæ definiunt. Theophraſtus, Capparis quanti
tate & figura: Plinius ex uarietate regionum, in quibus naſcuntur, genera diſtin-
guit. Triangulatum.] Sanè hoc intellige: triangulum enim æquilaterum
in baſe habet, ſupra quem pyramis ſurgit triangula & ipſa, ſed cum quadam ue-
luti circulari extuberantia, qualem in nonnullis auellanis & capparibus inſpici-
mus, quibus ſimilis ab autoribus dicitur. Electio.] Illam eligit Dioſcori- 40
des, quæ eſt plena, candida, & quæ ſuo cortice facile ſpoliatur. Plinius petræam
optimam eſſe dicit, nigro cortice, & candido nucleo. Et quod eſt antiquũ,
melius eſt recenti.] Totum contrarium ſcribit Dioſcorides, recentem uidelicet
eſſe meliorem. Magnum calidum eſt in principio tertij.] Galenus ſuccũ
carnis calidũ eſſe dicit, ſed non quo in ordine. Ego ex his quæ probati de ea au-
tores ſcribunt, non adeò calidã puto. Et eſt inciſiuũ, abſterſiuũ.] De fecali par
te ſcribit Galen. quod abſtergit & incidit, de toto fructu idem, addens quod ad-
ſtringit. Nocet ſtomacho.] Dioſcorides addit, ualde. Oleum autem
eius.] Dubiũ eſt ex quanam parte elici oleum debeat. Prima Dioſcoridis græ-
ca ædition, ex interiore: ſecunda ex quanam parte elici debeat, nõ meminit. Her
molaus ex cortice: quod ego magis probo, ceu conſonum Theophraſto & Pli- 50
nio.

nio. Succo carnis eius uti unguentarios ait Galenus. Vnguentarios autem pro-
pterea eos uocabant olim, qui unguenta odorata parabant. Per uomitũ &
uentrẽ educit phlegma.] Galenus: ſi quis carnis biberit drachmæ pondus cũ
aqua mulſa, uomitorium experietur pharmacum, quod plerunq; etiam per infe
riorem uentrem copioſe educit. Et emplaſtratur ſuper hepar & ſplenem,
proprie cum farina lupinorum.] Pro ſplene farinam orobinam uel loliaceã mi-
ſcet Galenus. Bibitur etiam cum oxycrato ad expurganda uiſcera, præſertim he
par & lienem, quem etiam conſumit ſecundũ Dioſcoridem pota drachmæ pon-
dere. Et cum melle tantum ualet ſimiliter ad ægritudines neruorum fri-
10 gidas.] Dioſcorides cum aqua mulſa imponit podagricis. Oleum autem
de Ben confert ueſtigijs ulcerum. & reliqua.] Dioſcorides totam ipſam glandẽ,
Galenus feculentam partem cum aceto, ad ſcabies & lepras apponũt. Dioſc. ad-
dito nitro, ad uitiligines, & cicatrices nigras: & cum urina ad lentigines, uaros,
& ephelidas. De lapide Armeno.

Armenicum Galenus libro nono. Plin. Armenium uocat: dicitq; eſſe Chry-
ſocollæ modo infectum. Inquit Alexander. & reliqua.] Alexander Tra-
lianus, ubi reliqua non contulerint, hunc lapidem melancholicis præbet, quem
præſtare dicit Elleboro albo, non ſolum quia efficacior, ſed etiam quia abſq; mo
leſtia & periculo operatur: & ideo legendum in Meſue pro Elleboro nigro, al-
20 bum. Virtuoſior lapide lazuli.] Hoc non lego apud Alexandrum.

Melior eſt habens colorem medium inter uiridem & obſcurum. & reliqua.]
Dioſc. probat eum in quo læuor eſt & cæruleus color cum æqualitate magna, il-
lapidoſusq; eſt & facile frangitur. Plinius optimum eſſe dicit Armeniũ, quod ma
xime uiride eſt, cõmunicato colore cum cæruleo. Calidæ eſt cõplexionis in
principio ſecundi, & ſiccæ in ipſo.] De loto ait Alexander, quod necq; cale faci-
endi, neque ſiccandi uim ualidam habet, ſicuti nec amaritudinẽ aut inſuauem aliã
qualitatem. Et eſt reſolutiuus, abſterſiuus.] Galenus, abſtergit cum pauca
acredine, & minima ſtypſi. Ars autem in lauando.] Alex. uult, ut lauetur
quinquageſies. Tutius uero iuxta Galeni ſententiam, toties abluere, aquamq; *Modus lauandi*
30 tandiu mutare, donec aqua ipſa pura ab omni ſorde uideatur, omnicq; ſapore me- *lapides ſecundũ*
dicamenti careat. Docuit autem hoc Galenus, non peculiariter de hoc lapide, ſed *Galenum.*
in uniuerſum de quauis re lapidoſa, quę ſit abluenda. Solutione educit cho
leram nigram.] Aëtius, purgat atram bilem, & quicquid craſſum & tenax com
mixtum ſanguini eſt. Quare datur his qui atra bile uexantur, elephantioſis, ne-
phriticis, aſthmaticis. Dioſcorides, poteſt omnia quę Chryſocolla, ſed imbecilli-
us. Plinius uero Chryſocollam dat in angina, & his qui non niſi recta ceruice be
ne ſpirant. Quare ſequitur, ut etiam hic lapis in eiſdẽ morbis bibi poſſit. Ophthal
micis quoq; miſcetur, & pilos auget palpebrarum. Doſis.] Aëtius gram
maria quatuor, quæ faciunt obolos octo: Alexander illoti tres uel quatuor ſcru-
40 pulos, loti quinq; uel ſex præbet.

De lapide ſtellato.

Magnum hic certe chaos. Aſter enim qui per ſtellatum lapidem hoc loco ui
detur intelligi, Dioſcoridi, Galeno, Græcis omnibus, Samiæ terræ ſpecies eſt, &
pariter Plinio. At quod Marcaſitam Arabes, Græci Pyriten lapidem uocant:
& quod illi Lazulum, hi Cyaneum, Latini cęruleum. Eſſe autem tria hæc, aſtera
uidelicet, pyriten, & cyaneum, res diuerſas, adeò eſt clarum, ut probationem nõ
deſideret. Meminerunt Græci ac Plinius rei uocatæ Sil, cuius unum genus luci-
dum eſt, aliud marmoroſum, in argenti et auri metallis inuenta, ſed coloris eſſe lu
tei dicunt. Quare difficile eſt iudicare, quas iſte res intellexerit: elici hoc tantũ ex
50 dictis eius poteſt, quòd lapidem ſtellatum genus facit, & ſub eo Marcaſitã & La-

Universidad de Deusto
Biblioteca

zulum ueluti ſpecies reponit. Auicenna lib. ſuę medicinæ tertio, capite de Sputo ſanguinis, lutum Samiũ, ſtellam terræ, & Talcũ, pro eadem re habet. Habens maculas ex auro.] Cyaneus cuius nunc uſus, aliquando punctis aureis interſtinctus inuenitur, aliquando abſconditum intra ſe aurũ tegit, quod arte quadam ab eo elicitur: quod mirandum non eſt, cum in metallis auri gignatur.

Alius uiridis, clarus, cœleſtis, & uocatur lapis lazuli.] Cęruleꝰ coloris eſt, quod præter nomen, res etiam ipſa indicat, & tam Græci quàm Latini teſtantur. Theophraſtus tamen, dũ teritur, in quatuor mutari colores ſcribit, candidiorẽ, nigriorem, craſſiorem, tenuiorem. De Armenio uero ſcribit Plinius, quod optimus eſt, quí maxime uiridis eſt, communicato colore cũ cæruleo, ut ſuprà in Armenio dictum eſt. Et eſt in ipſo acuitas.] De Cyaneo dicit Galenus, acris purgatoriæ & diſcuſſiuæ facultatis eſt, cum quadam ſtypſi. Dioſc. reprimit, modicè exeſt, cruſtã elicit, & exulcerat. Omnia autem hæc intelligenda, dum foris adhibeẽ. Solutione educit melancholiã.] Græci nullã talem uim ei adſcribũt: ſed uidentur hæ uires ab Armenio deriuatæ. Arabes enim utrunq; confundũt: Serapion quidem & Auerrois, ſub lazuli nomine de Armenio tractantes. Auic. de Azulo ſcribens, ferè ei omnes uires attribuit, quas Græci utriq;. De Armenio uero ea ſcribit, quæ Græci: ſolũ addens, quod atram bilem magis purgat, quàm Cyaneus. Quæ omnia licet uera ſint, non tamen ego his acceſſerim, qui nõ ſecus ac pernitioſiſſimum uenenum hunc formidãt. Experientia enim certa ſcio, quod ſi bene abluatur, multum iuuat, & uel nihil, uel parum lædit.

De Sena.

Auerrois hanc quoq; reponit inter medicinas nouas. Auicenna de ea nõ ſcribit ex profeſſo: meminit tamen eius in fine cap. de ſumo terræ, & cap. de quintana. Scribit Serapion, ſed non affert (ut ferè alijs in medicinis conſueuit) Dioſc. uel Galeni de ea uerba. Quidam Delphinion, alij Pelecinon: Iſacius Peplion. Ego aliquando dubitaui an eſſet Empetron, aliquando Analypon. Parum autẽ refert ſcire, quo nomine à ueteribus ſit nuncupata, modo eius uires non ignoremus, quæ certe nobiles ſunt & efficaces. Melior pars plantæ eſt ſolliculus.] Experientia ipſa oſtendit, ſolia in purgandi ui eſſe potentiora. Naſcit in Apulia; ſed præſtantior eſt quæ ex Aegypto affertur. Calida eſt in principio ſecundi, ſicca in primo.] Auerrois dicit ſiccam in ſecundo: Serapion paucę caliditatis & ſiccitatis, cui ego credo. Et debilitat ſtomachum.] Experientia contrariũ oſtendit, ſaporq; ſubamarus & adſtringens: ſed nec illud dixit Serapion. Et dixit Gal.] Vtinam dixiſſes quo loco, & ſub quo nomine: ſed puto te hic, ſicuti & alibi plerunq;, hallucinatum. Decoquatur cum iuribus gallorum.] De Empetro dixit Dioſc. decoquendum in iure uel aqua dulci: & nos ſcimus ius, in quo uulgaris hæc bullierit, uel per noctem maduerit, facile purgare. Serapion decoctam plus conferre ait, quàm contritam. Solutione educit cum facilitate melancholiam, & choleram aduſtam.] Bilem abſolute dixit Serapion, non addendo uſtam: & quod ualet melancholiæ, Rhagadis, neruorũ quaſſationibus, capillorum defluuio, dolori capitis antiquo, ſcabiei, & morbo comitiali. Dioſcorides de Empetro, quod purgat pituitam, bilem & aquoſa. Auerrois negat Senam poſſe purgare pituitam. Ego experientia didici, quod poteſt: & quod multum ualet in morbo Gallico uocato. Doſis eius infuſi potio uſque ad unciã unam.] Serapion dat tritæ drachmam unam, decoctæ quinque. Ego ſcio utranque decoctã excedi tutò poſſe, unciamq; decocti ex aqua mediocriter purgare.

De ſpeciebus Salis.

Salis famoſæ ſpecies ſunt quatuor.] Tres tantũ enumeraſſe ſpecies Dioſc. uidetur, & alias, atq; aliter cꝫ Meſuel. Diuidit enim ſalẽ primo in marinũ & foſſilẽ: & hunc

& hunc in cõmunem & Hãmoniacũ. Cum tamen inter cõmunes eligat candidũ, lucidũ, illapidoſum, denſum, & æqualẽ, eũ intellexiſſe uidetur, quẽ ob perſpicuitatem, lucidítatẽq;, ſalẽ gemmã uocant. Huius nõnullas glebas, olim ego ex Panonia adeò ſplendentes portaui, ut ueram Cryſtallum, quotquot uidebant putarent.

Sal napticus.] Huius nõ meminit Dioſc. Gal. lib. iiij. & ix. de ſimplicibus medicamentis. Salẽ uocatũ Sodominũ, fieri dicit in mari Paleſtinæ Syriæ, mortuo uocato, in quo etiam plurima Aſphaltus gignitur, id eſt bitumen. Eſt autẽ Naphta bituminis ſpecies, à qua Naphticus Sal. Plin. quoq; lib. xxxi. in Babylone fieri Sal dicit, detracto prius bitumine. Et Sal Indus.] Quid per Salẽ Indum intelligant Arabes, nõ facile quiſpiã iudicauerit. Auic. lib. ij. connumerat reliquis, colore nigrũ eſſe dicẽs, propria nigredine, nõ acquiſititia, ut naphticus. Lib. uero iiij. Paulũ ſecutus, dicit eſſe in colore ſalis & dulcedine mellis: ita ut clare cognoſci poſſit, multiplicẽ eſſe apud eũ eius uocis ſignificationẽ. Plinius meminit ſalis qui in India ex Oromeno monte exciditur. Nunc uenduntur officinę pro ſale Indo, metę forma, nigricantis in albo, ſalis glebulas. Alius ſubniger, alius ſubruſſus obſcurus.] Plinius, quicũq; lignis conficitur, nigrũ eſſe dicit: & quod rubens eſt Memphi, ruſſus circa Oxum, Centuripis purpureus. Sal gemma eſt ſicuti Cryſtallus ſciſſilis.] Hoc adſcribit Dioſc. Hammoniaco, dicens quod eſt facilis ſcindi ſciſſuris rectis. Plinius uero ſimilem colore dicit alumini ſciſſili, longis glebis, neq; perlucidis. Qui pro Hãmoniaco nunc habetur, nõ res naturę eſt, ſed arte paratur, in uſum argentariorũ magis q̃ medicorũ. Indus eſt fortior omnibus.] Dioſc. præfert Hammoniacũ. Eſt autẽ ſal liquefactiuus. & reliq.] Dioſc. adſtringit, tergit, expurgat, diſſundit, reprimit, attenuat, cruſtas ſicut ea quæ urunt facit. Lapis quo alij lapides inciduntur.] Intellige Smyridẽ: de quo cũ ſcribat Serapion ſub nomine Adamantis, multis occaſionẽ errandi præſtitit. Et ſal bullitus cũ oleo.] Valet eodẽ modo ad laſſitudines, & aquã intercutẽ, ſecundũ Dioſc. & ſecundum Paul. ut podagra caueatur. Et conferunt Synanchiæ.] Dioſc. cũ aceto, oleo, & melle. Et cũ ſolo melle toſtus, ad tonſillas & aphthas: cũ eodẽ melle & farina, luxatis. Et ſal mixtus cũ oleo & melle, delet ueſtigia nigra.] Dioſc. ſugillata cum melle: & cum oleo & aceto prope ignẽ inunctus, pruritum, impetiginẽ, & ſcabiẽ ſedat. Sacros ignes & herpetas, cum aceto. Multas quoq; particulares uires habet, quas ex Dioſcor. licet ediſcere. & Plinius, qui demum ait, totis corporibus nihil eſſe utilius ſale & ſole: & propterea cornea uideri piſcatorũ corpora. Salire quoq; ob eam cauſam mox natos infantes, & conſueuiſſe antiquos, docent ſacræ literæ, & Galenus iubet primo libro ſalubrium.

De Baurach.

Nitrũ appellant Græci & Latini, rem olim quotidiani uſus in balneis & eſcis,] nunc ferè incognitã. Aliud naturale, aliud artificiale.] Sal nitrum nunc uocatum, quod ex terra paratur: incognitum antiquis (ut reor) fuit: utinam & nunc eſſet, ad ſubitã tantum hominum necẽ, miſſilibus igne tormentis, quas Bombardas uocant, quæſitum. Alia arte olim ſuum in Aegypto parabant antiqui, quam ex Plinio licet cognoſcere: ſed & ex quercu cremata, eodem autore. Aliud Armenum.] Apud Medos exiguum fiebat, ait Plinius, quod uocabant Halmigara minus: in Thracia iuxta Philippos, quod appellabant Agrion: optimum copioſumq; in Clitis Macedoniæ, quod uocabatur Caleſtricum. Artificiale ſicut dicitur eſt ſpuma Nitri.] Res naturæ eſt Nitri ſpuma, tenuiſſima uidelicet pars, non arte parata, ut ex Dioſcoride & cæteris conſtat. Quæ eſt alba, lenis & ſalſa.] Optimum eſſe Aphronitrum dicit Dioſcorides, quod ſit leuiſſimum, cruſtaceum, ad frangendum facile, ſubpurpureum, ſpumeum, & mordens. Plin. præfert Lydium. Et melius ex eis eſt, quod habet proprietates ſeptẽ.] Dioſc. in tribus laudat, ſcilicet ut ſit leue, roſei coloris uel candidi, foraminulentum ut ſpongia: takq; eſſe dicit quod ex Bunis affertur. Addit Plin. quod ſit purum, ſyncerum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenuissimum,& facile resoluatur. Videtur autem Mesue Aphronitri boni notas, his quæ sunt Nitri commiscere. Et mordicatiuum.] Id quod est adulteratum, pungere ait Plinius. Calidum est in principio tertij.] Auicenna, in fine secundi. Dioscorides, uires habent Nitrum & Nitri spuma similes sali.

Et de stypticitate aliquid.] In Aphronitro adesse stypsin, negat Galenus. Auicenna in capitis initio stypticitatem Nitro quod Baurac uocat, ait non inesse: infra uero eodem capite, dicit in eo esse paucam stypticitatem. Est autem exiccatiuum, incisiuum. & reliqua.] Plinius, calefacit, extenuat, mordet, spissat, siccat, exulcerat, euocat, discutit. Confert secundum omnem modum administrationis colicæ.] Tritum cum Cymino, & potum ex aqua mulsa uel sapa, uel aliquo ex his quæ inflationes possunt discutere, ualet strophis, id est torminibus, ait Dioscorides: & ante suspectas accessiones prodest inunctũ. Et Plinius facere ad papulas, pustulas, oculorum cicatrices, & argemata, & ungues, ad dentium dolores, capitis animalia, lendes, aures purulẽtas, albas uitiligines. Multa quoq; alia potest, quæ legenti Plinium & Dioscoridem patebunt.

De Sarcocolla.

Nomẽ inuenit apud Græcos, & seruauit apud Latinos, ex eo quod carnes glutinat. Est autem gummi arboris eiusdem nominis in Perside nascentis.

Fortius est subcitrinum albo.] Dioscorides colore esse ait subruſo. Plinius candidam meliorem dicit esse, quàm ruffam, & uetustate nigrescere. Calida est in secundo.] Galenus non meminit in quo ordine calefaciat: sed ex his quæ dicit innui uidetur, nõ esse adeò calidam: mixtam enim habere dicit uim ex emplastica quadam substantia, & exigua amaritudine, & propterea sine morsu exiccare ac uulnera glutinare. Plinius cum quadam acrimonia esse dulcem dicit, & Dioscorides subamaram: quæ qualitates non ualde calere ostendunt. Solutione educit phlegma.] Inuentum hoc Arabum. Græci enim ea non nisi extrorsum utebantur. An uero purget, & si purgat, quomodo id faciat, cum expertus nõ sim, dicere non audeo. Inquit Dioscorides, usus eius impinguat corpora.] Non hoc Dioscorides: nec uideo quo pacto nõ pugnet cum his quæ dicta sunt: si enim purgat, & stomachum, ut dixisti, turbat, quomodo pinguescere facit corpora, & semen augere nisi humores purgare fortè dixeris, qui nutriri corpus prohibebant. Sed quare alia quæ purgant, nõ idem possunt: quod tamen alteri pharmaco non adscribis. Est medicina sublimis ophthalmiæ.] Experientia ipsa sepius cognoui eius iuuamen in ophthalmia discutienda. Discorides dixit, quod oculorũ sistit fluctiones: & Plinius, quod cum uino sistit fluctiones. Sanè tamen hoc intelligendum, præsertim in oculorum inflammationibus: non enim ab initio fluctionum ea utendum, sed ubi iam discutiendi surgit intentio.

De Serapino.

Sagapenum Græci & Latini uocant: sunt & qui Sacopenium. Ferulaceæ plantæ succus est, in Media nascẽtis: uel potius planta ipsa, ut tradit Galenus. Sed quia inutilis alioqui planta est, ideo succo ipsi nomen reliquit. Et est arbor similis oleandro.] Similem Panaci scribit Galenus in libro de Antidotis.

Melius est, cuius color inter subrubeum & subalbidum. & reliqua.] Excellit teste Dioscoride splendidum, exterius ruffum, interius album, gustu acre.

Quod habet odorem porrorum.] Nescio ubi Mesue olfecerit, præsertim cum ipsemet scribat paulò posterius hæc uerba: Et quod non est in uehementia odoris asæ, nec habet odorem Galbani.] Quæ uerba licet non bene ex Dioscoride accepta sint, scribẽte, odore esse medio inter Silphium & Chalbanen. Nec mirum est si odorem habet Chalbanes, quum adeò propinquæ naturæ sint, ut Chalbane mutetur in Sagapenum, sicuti scribit Galenus eodem de Antidotis libro.

Et quod est facile resolubile in aqua.] Verum Sagapenum, ibidem scribit Galenus, aqua infusum aut uino, statim dissolui. Et eius caliditas est in tertio.]

Galenus

Galenus dicit calidum & tenuium partium, sicuti alij opi, id est succi: nec dicit in quo ordine: sed cum dicat Chalbanen esse calidum in fine secundi, uel principio tertij, idem de hoc pariter sentiendũ. Est resolutiuum.] Galenus tenuium esse partium, & habere quid dixit absterſiuum. Solutione educit humores uiscosos.] Inuentum & hoc Arabum: non enim purgatoriam ei uim adscribunt Græci. Purgatiuam uim cum dico, per inferiorẽ uentrem intelligo: scribit siquidem Dioscorides, quod crassos humores ex pulmone expurgat.

Et conferre ægritudinibus eorum, scilicet cerebri & neruorũ.] Conferre opisthotonicis scribit Dioscorides, id est rigori, quo caput ad scapulas trahitur: ad rupta quoque & conuulsa. Bibitum prouocat menstrua.] Cum aqua dulci, scribit Dioscor. Et præfocationi matricis.] Si cum aceto illud mulier odoretur, ait Dioscorides. Confert obscuritati uisus.] Cicatrices quoque oculorum secundum Galenũ attenuat & expurgat. Dimittit autem Mesue uim qua præcipue excellit, in his quos serpentes momorderint.

De Euphorbio.

Euphorbion græce & latine dicitur: apud quosdã Græcos Eupholbion. Arbor est secundum Dioscoridem: secundum Plinium herba: secundum utrunq; serulacea. Plinius foliis acanthinis, in monte Atlante. Dioscorides monte Tmolo Mauritaniæ, opo plena acerrimo. Excedens omnia genera gummi.] Non inter gummi, sed inter opos reponit Galenus. Dioscor. abundare dicit Euphorbium arborem opo acerrimo, adeò, ut sine metu colligi non possit. Est ex arbore desertorum locorum.] Nec apud Græcorum, nec apud Arabum quenquam legi, qualis sit hæc planta. Plinius tantum foliis esse acanthinis Euphorbium, & a Iuba rege inuentum, ac nomine sui medici Euphorbium uocatũ. Fuit enim Euphorbius medicus Iubæ, & frater Antonij Musæ. Melius est lene frangibile.] Eligendum secundũ Dioscoridem id quod splendidum est & acre: esse enim eius duo genera, alterum splendidum, ut Sarcocolla, Eruí magnitudine: alterum quod in auiũ uentribus colligitur, uitreo colore. Plinius lacteum succum cõmendat, & habere dicit thuris effigiem: adulterari hœdino lacte, sed discerni igne: quoniam id quod syncerum non est, fastidiendum odorem habet. Dioſc. adulterari Sarcocolla & glutino. Galenus libro secundo de medic. comp. secundum loca, circa finem, id quod recens est, albissimum esse, antiquius ad flauus uergere. Adustionem faciens.] Galenus causticæ esse uirtutis dicit, & tenuiũ partiũ. Dixit Alcanzi.] Iussi aliquando ut in pane coqueretur, addens mastichen & gummi ex Tragacantha, eoq; usus sum in Gallicis artuum doloribus, & sine manifesto nocumento iuuit. Et dixit Humain.] Dioscorides cum melle absolute, Paulus cum melle cocto præbet. Educit phlegma uiscosum.] Paulus simpliciter pituitam. A locis profundis corporis.] Si cum odorata potione bibatur, coxendicis doloribus mederi scribit Dioscorides.

Euphorbius medicus.

Est ex medicinis educentibus aquam.] Paulus educere magis aquam quàm pituitam dicit, datq; ad hunc effectum siliquas quinq; uel septem. Et dixit Dioscorides, aureus unus ex eo interficit.] Non hoc dixit Dioscor. sed Paulus quidem dat drachmam unam cum melle cocto, ad pituitam & aquam educendam. Rasis, Serapion & Auicenna, dicunt tres drachmas interficere. Discutit etiam suffusiones, & squammas ossium resoluit, secundum Dioscoridem. Dosis eius est Chirat, id est usq; ad tres.] Ad drachmam usq; accedit Dioscorides, ut superius diximus. Auic. dat tres analosat, id est obolos. Serapion duas: secundo practicæ excedís aureum.

De Opopanace.

Opopanacem Græci & Latini uocant liquorem Panacis Herculei: triplicem

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim Panacem tradunt, Herculeum, Aſclepium, & Chironium. Videtur tamen non Herculeum, ſed Aſclepium potius deſcribere, dum ait: Gummi plantæ ſimilis ferulæ. & reliqua. De Herculeo ſiquidem ſcribit Dioſcorides, quod caulem habet & umbellam, non quod planta ſit ſimilis ferulæ. Sed nec ex duobus reliquis generibus, ullum ferulaceum facit. Cuius ſtipes eleuatur ſuper terram, circiter cubitum unum uel duos.] Herculei caulem dicit Dioſc. eſſe altiſſimũ, Aſclepij tenuem & cubitalẽ. Et folia eius ſunt minora foliis ferulę.] Hoc nullo pacto poteſt Herculeo congruere, quem folia habere dicit Dioſc. ficosimilia, in quinq; partes per ambitum diuiſa: ſed reſpondet potius Aſclepio, quẽ folio fœniculi conſtare dicit, ſed maiore. Quod etiã de ferula dixit Meſue, Flores odoris boni, coloris auri: hæc ferè ſunt Dioſc. uerba de Aſclepij floribus. Herculei uero flores, dicit eſſe melinos, hoc eſt luteos. Secundũ ſemitam florum Anethi.] Hoc utriq; poteſt aptari. de Herculeo tamẽ peculiariter ſcripſit Dioſc. quod umbellam Anethi habet. Ex his igitur patet, Aſclepium potius hic deſcribi quàm Herculeũ: cum tamen omnes medicinæ autores, ex Herculeo, non ex Aſclepio fieri opopanacem ſcribant. Et faciunt cultores eius inciſiones paruas, inter radicem & eleuationem thyrſi, circiter palmũ medium.] Radicem ipſam ſcindi ſcribit Dioſc. germinantibus caulibus: caules uero meſſis tempore.

Et egreditur humiditas aurea.] Egredi liquorem candidum ſcribit Dioſc. ſed ubi inaruerit, Croci colorem exterius acquirere. Melius ex eo quod eſt citrinum extra, & ſubalbidũ intus.] Laudat Dioſc. eum qui ſit interius candidus uel ſubruſſus, exterius croceus. Et quod eſt amarum.] Amariſſimum dicit Dioſc. Et quod eſt odoris boni.] Grauis odoris eſſe debet ſecundum Dioſc. & præterea pinguis, friabilis, diſſolui facilis, ac lęuis. Nigrũ et mollem eſſe malum dicit. Odor & albedo fracturæ deoccultant fallaciam.] Dioſc. uerus digitis in aqua cõtritus, diluitur & lacteſcit. Calidus & ſiccus in tertio.] Gale. calidũ in tertio, ſiccum in ſecundo. Et eſt reſolutiuum. & reliqua.] Gal. calefacit, mollit, diſcutit: radix uero abſtergit, ſiccat: & quia non uehementer calefacit, ideo carnẽ generat. Solutione educit phlegma.] Nec Dioſc. nec Galen. uim ei purgandi adſcribunt. Eſt ex rebus addentibus in uiſu.] Dioſc. ad claritatem oculorum inungitur. Confert tuſſi antiquæ.] Dioſc. ualet ad lateris dolores & tuſſes cum aqua mulſa, aut uino ſumptus, & ad rupta ac conuulſa. Et emplaſtratur ſuper nodoſitates membrorum, & ſuper ſcrofulas.] Durities, inquit Dioſc. uteri, & inflationes diſcutit, cum melle ſolutus.

Confert guttationi urinæ.] Dioſc. ad ſtrangurias, & ueſicæ ſcabies ac tormina, cũ aqua mulſa aut uino. Et facit aborſum.] Dioſc. cum melle diſſolutus fœtus occidit. Et de radice ait, quod abraſa & ſuppoſita, educit fœtum. Præfocationi matricis.] De fructu hoc ſcribit Dioſc. ſi cum uino bibatur. Et podagræ]. Cum uua paſſa linitus, ait Dioſc.] Sciaticæ ſecundum omnem modũ adminiſtrationis.] Dioſcorides, inunctum. Vulneribus antiquis.] De radice hoc ait Dioſcorides. Galenus, quod ualet ad ulcera malimoris, atq; in eis generat carnem. Veſtit oſſa nuda.] De radice hoc quoque ſcribunt Dioſcorides & Galenus, tanquam de minus calida, quàm opos. Adde ex Dioſcoride, quod acopis & capitis medicinis miſcetur, ac cauis dentium dum dolent. Carbunculos rumpit: & pici mixtum, eſt contra morſum rabidi canis optimum emplaſtrum.

De Mezereo.

Mezereon Serapionis, eſt abſq; dubio Cham ælea Dioſc. ab hoc autẽ ſcriptore deſcribitur Thymelęa, atq;, ut ſequẽs eſt, aliud Mezereon, ſi hoc Mezereon eſt, quàm quod à Serap. Eleuatur à terra circiter cubitos duos.] De Thymelæa ſcribit

ſcribit Dioſc. quod ab ea ſurgunt rami tenues, ſpecioſi, binũ cubitorum: de Chamælea uero quod dodrantales, id eſt, duodecim digitorum longitudine. Et folia eius ſunt ſimilia foliis oliuę, ſed maiora.] Hic eſt error manifeſtus. De Thymelæa ſiquidẽ ſcribit Dioſc. quod folia habet Chamæleæ ſimilia, ſed anguſtiora: de Chamęlea uero quod ſimilia oliuæ, ſed tenuiora: ex quibus ſequitur, nõ poſſe Thymelæam habere folia maiora abſolute quàm oliua, ſecundum Dioſc. Et producit grana nigra in magnitudine fructus Myrti.] Quod magnitudine Myrti fructum ferat, cõgruit Dioſc. Thymelęæ in colore diſſidet: ſiquidem dicit Dioſc. quod in initio uiridis, dehinc rubẽs: operimentoq; tegitur duro & nigro exterius, intus candido. Cuius ſpecies ſunt plures.] Licet uoluiſſe uiſus ſit deſcribere Thymelęam: per hæc tamen uerba putare uidetur Mezereon eſſe genus ad Thymelæam, & Chamæleam: &, quod magis abſurdum eſt, ad albũ & nigrum Chamæleonta, diuerſas omnino ab his plantas: quod etiã peccauit Auicenna in quarto, & aliquatenus in ſecundo, maxime ubi uires enumerat. Eſt enim quædam magna habẽs folia, & ſubtilia.] Hic uideẽ tangere Chamæleam.

Et eſt parua, habẽs folia ſicut folia oliuę, & ſpiſſa nimis.] Hic tãgit Thymelęã, de qua dicit Dioſc. quod folia habet anguſtiora, & pinguiora. Et eſt habens folia criſpa & aſpera.] Hic tangit Chamęleonta: neutra enim illarũ (Thymelęã dico & Chamæleam) folia habet criſpa uel aſpera, ſed oliuæ ſimilia. Et ex eis eſt habens colorem uiridem] Albũ deſignat Chamæleonta. Et aliud habens colorem ſubnigrum.] Nigrum hic innuit Chamæleonta: nomen enim habet à uarietate foliorum, ſecundum Dioſcoridem, quæ ualde uiridia interdum, modo cyanea, modo ſubalba, modo rubra, iuxta locorum differentias, uiſuntur. Melius eſt habens magna folia.] Hic uidetur eligere Chamæleã, ſequutus Auicennam. Calidũ eſt & ſiccum in quarto.] Licet Gal. Chamæleam non reponat in ordine, nõ uidetur tamen adeò calidam putaſſe: dominantem enim amaram habere qualitatem dicit, & ſordida ulcera curare, quæ nõ uidentur rebus tam impenſe calidis cõuenire. Thymelęæ autem cauſticam uim tribuit Paulus & Dioſc. eius grana urere fauces dicit, folia guſtũ mordere, & fauces ſcarificare: qui tamen effectus in aliis quoque rebus inueniuntur, quæ non ſunt in ſummo calidæ. Eſt proximum ueneno, nocens membris, quæ ſunt mineræ uirtutum.] Nec de Chamælea, nec de Thymelæa lego, quod ſit proxima ueneno, ſed de Chamæleonte nigra: ſcribit enim de ea Galenus, quod radix eius habet quid uenenoſi: de Thymelæa Dioſc. quod nocet ſtomacho.

Et hoc faciemus cum auxilio rerum frangentium ea.] De foliis Thymelęæ, quæ dicit uocari Cneorum, unde (ut puto) deriuata eſt uox Mezereon: de eius inquam foliis ait Dioſc. quod tundenda ſunt, ab eis omnes fibræ ſeparandæ, & ſi minorem uolumus fieri purgationem, elixas, & lenti uel conciſis oleribus admixtas, dare debemus. Duplum eius ex abſinthio.] Hoc dicit Dioſc. de foliis Chamæleæ, factis ex eis catapotijs cum dulci aqua. Inquit Dioſcorides, infundantur folia eius in aceto die una.] Hoc non legitur apud Dioſc. ſed apud Auicennam. Et dixit Galenus, infundantur folia eius in ſyrupo roſarum.] Non memini me aliquod horũ apud Galenum legiſſe: alioqui neque ſyrupi roſacei uſpiam meminit Galenus. Et dixit Ruffus.] Neſcio an id dixerit Ruffus: ſcio autem Dioſc. docuiſſe modum parandi uinum Thymelæite & Chamæleite. Circiter unciæ duæ in cado magno.] Dioſc. ponit drachmas xxx. Thymelęæ coliculorũ, foliorum & ſeminis, in congios tres, & coqui iubet donec remaneant duo: & ex Chamælea ſimili quidem proportione, ſed nõ coquit, uerum bullire ſinit muſtum duobus menſibus. Et ſcito quod Mezereon de decoctione modicum ſuſtinet.] Dioſc. (ut ſupra diximus) coquit Thy

Universidad de Deusto
Biblioteca

melæam donec tertia pars uini ſit conſumpta. Serap. Chamæleam, donec duę partes ex tribus. Vtraq; autem multa dici poteſt, nō modica decoctio. Solutione educit aquam.] Chamælea ſecundum Dioſc. ducit per aluum pituitam & bilem. Paul. ad aquam intercutem dat Chamæleam cum æquali ære & Aniſo. Dioſc. Thymelææ folia meſſis tempore collecta, & in umbra exiccata. Semen uero, quod coccum uel granum Cnidium uocat, euacuare dicit per aluum bilem & pituitam & aquam. Et interficit lumbricos & uermes & ſerpentes uiſcerum.] De Chamæleonte albo ſcribit Dioſcor. quod pondere oxybaphi educit uermem latum: nullam talem uim Chamæleæ aut Thymelææ adſcribens: ueri tamen ſimile eſt, quod & ipſæ poſſint uermes interficere. Et ſi fiant tentæ ex eo & melle, curat fiſtulas, & ulcera fraudulenta.] De Chamælea ſcribūt Dioſc. & Gal. quod cum melle purgat ſordida ulcera & cruſtoſa: de Chamæleonte uero nigra, ait idem Dioſcor. quod ualet phagedænicis comedentibus, & feris ulceribus. Et confert dolori dentium.] De Chamæleonte nigro ſcribit Dioſc. quod eius decocto, utiliter dolentes colluuntur dentes, & quod dolentem dentē, cum graphio impoſita confringit. Capite uero de Chamælea, & Thymelæa, nulla dentium mentio. Fit unguentum ex eo & aceto & oleo & cæra, ad ſcabiem.] De Chamæleonte nigra ſcribit Dioſc. quod curat ſcabiem cum Chalcanto, cedria, & axungia: non de aliqua illarum. Et fit ex eo linimentum ex ſulphure & melle.] Admixto ſulphure & alumine ait Dioſc. ualere eandem Chamæleonta contra impetigines, ſi ex aceto coquatur & inungatur. Et cum ſulphure ſolo, ad uitiligines & Ephelides. Doſis in decoctione à drachma media, ad drachmam unam: in puluere, à duobus ceratijs ad quinq;.] Paulus dat quatuor drachmas Chamæleæ: in aquæ mulſæ cotylis duab. coctas, donec quarta pars ſuperſit: quoſdamq; cōficere catapotia, ex duabus abſinthij partibus & unica Chamęleę, purgareq; dicit ut Elleborum. Cnidia uero grana, à uiginti uſq; ad triginta.

De Alſebram.

In hac quoq; planta, quam & Alſebram & Eſulam uocant, non omnino conueniunt Arabes. Serapion enim abſq; dubio intellexit uocatam à Dioſcoride Pityuſam. Auicenna licet in ea deſcribenda à Dioſcoride, & ab ipſo etiam Serapione diſcordet, eandem tamen rem intellexit. Meſue potius in ſpecies diſtinguit, quàm oſtendat qualis ſit. Neſcio autem an Cypariſiam ſpeciem quandam Tithymalli hic intellexerit, uel Paralium: ſatis enim tres hæ plantæ inuicem conueniunt, Pityuſa uidelicet, Cypariſia, & Paralion. Paralion enim lini folio, Cypariſiam Piceę, ſed tenuiore gracilioreq;, & ſimiliter Pityuſam deſcribit Dioſ. ſausq; ſuſpicor, ne quæ nunc Eſula uulgò uocatur, Paralios potius ſit, quàm Pityuſa: folio enim lini conſtare uocatam Eſulam, noſtri affirmant herbarij. Eſt ſpecies Lacticiniorum.] Si Paralios uel Cypariſſias eſt, uera ſpecies eſt Lactariæ. Si Pityuſa, genus per ſe, ſecundū Dioſc. & Gal. licet inter lactarias, ob ſuci ſimilitudinem & purgandi uim enumeretur. Aliud eſt magnum, habens radices rotundas & craſſas.] Dioſc. poſtquam Pityuſam deſcripſit, eamq; habere dixit radicem candidam, craſſam, lacteo liquore manantem, ſubdit: Inuenitur quibuſdam in locis grandis hic frutex. Non igitur putaſſe uidetur aliam eſſe tenuibus, aliam craſſis radicibus, ut dicit Meſue. Magnum eſt malum.] Nō hoc Græci, ſed Serapion, autoritate cuiuſdam Abix uocati, & ſecutus eum Auic. Et melior pars plantę eſt cortex radicis eius.] Nec hoc dicūt aperte Græci, ſed cum maiorem quantitatem præbeat Dioſc. radicis quàm ſeminis, uidetur minus potentem exiſtimaſſe, & folia debiliora radice eadem ratione, quia ſcilicet plus eorum dat, quàm radicum uel ſeminum. Lac uero an putauerit fortius, incertum ita eſt, ſicuti incerta eſt cochlearis menſura. Gal. enim ſeptimo Artis curatiuæ, duplicis meminit cochlearis, maioris uidelicet, & minoris. Quicquid aūt alij ſenſerint, Gal. hunc ordinem ponit inter lactariarum partes, ut opon fortiſſimum, radicem debiliſſimam,

debiliſſimam, ſemen & folia in medio reponat. Calidæ complexionis eſt, & ſiccæ in principio tertij.] Galen. Pityuſam in ordinem non redigit, ſed cum ui ſimilem dicat lactarijs, quorum ſuccos calidos poſuit in quarto ordine, uidetur quoq; Pityuſæ ſuccum, in eodem ordine ſtatuiſſe. Mihi quoq; uidetur uerbum inconueniens.] An id dixerit Ruffus, neſcio: ſcio autem ſcripſiſſe Auicennā, quod ſedere in aqua frigida, ſuperfluam eius abſcindit purgationem. Paulus uidetur cum Meſue ſentire. Fortè dici poſſet, ex parua mora fluxum augeri, ex longa tolli, frigoris ui ad intima attingente, & ueluti ſtuporem inferente.

Et quidam ex lacte & farina faciūt oblatas.] De Pityuſa ſcribit Dioſcorides, ex eius ſucco cum farina fieri catapotia. Doſis corticis radicis eius à ceratijs duobus uſque ad ſeptem, & lactis ab uno ad tres.] Exigua certe eſt quantitas. Dioſc. ſiquidem radicis pityuſæ drachmas duas, fructus unam, ſucci cochleariū, foliorum ternas drachmas exhibet.

De Luf.

De tribus plantis ſcribunt Græci, magnam inter ſe affinitatē habentibus, Dracontio uidelicet maiore, & minore, & Aro, magnæ (ut inquit Plinius) cum Dracunculo litis. Theophr. Arum genus putauit, diuerſas ſub ſe ſpecies cōtinentem. hunc Syri, teſte Dioſcoride, Lupha uocant. Serapion ſub Luf nomine, eodē capite de Aro ſcribit, & minore dracontio. & ſimiliter Auicen. ſed dracontium appellat Luf criſpam, Aron planam: in remedijs tamen utrūq; miſcet dracontiū. Meſ. Auicennā (ut ferè ſolet) ſecutus eſt. Dicitur collum draconis.] Dracontion dicitur, uel dracunculus. Radix plantę, eſt ad nigredinem attinens exterius, interius alba.] Aron dicit Dioſc. habere radicem albam, ſimilem Dracontio, Plin. nigram. Criſpæ uero exterius cineritia, interius uero alba, & ad citrinitatem declinat.] Dioſcorides radicem maioris dracontij dicit candidā, rotundam, cum tenui cortice. Minoris, bulboſam, raphano ſimilem. Adeò autem albam dracontij radicem putauit Hippocrates, ut abſoluto ſermone radicem candidam cum dicit, eam intelligat. Et ſuper utriuſq; radicem eleuantur Thyrſi, habentes maculas ad modum ſerpentis.] De maiore dracontio ait Dioſcor. quod caulis colore eſt adeò uario, ut ſit ſimilis draconi. De minore, quod uarium habet caulem, ſerpenti ſimilem, cum purpureis lituris. De Aro, quod in purpurā tendit. Et melius tempus collectionis eſt Ver, & principium æſtatis.] Radicem utriuſq; dracontij meſſibus colligendam, docet Dioſc. Inquit Dioſcorides.] Dicit Dioſcorides quòd minorem acrimoniam oſtendit Aron, dum manditur, quàm dracontium. & Gal. quod dracontium acrius amariusq; eſt, & propter hoc tenuium magis partium, & calidius Aro. Et dixit Galen. plana eſt calida in principio ſecundi.] Galenus Aron dicit calidam, & ſiccam in primo. Drocontium uero non ponit in aliquo ordine, ſed dicit calidius Aro.

Nocet utraq; acuitate ſua, & ſtomacho & hepati.] Ratione adſtringentis uirtutis quæ amaræ & acri coniungitur, eſt inter efficacia & præcipua medicamina ſecundum Galenum reponenda: nec uidetur multum poſſe nocere, cum ſcribat Dioſcorides, quod radix minoris cruda & cocta, more olerū à ſanis eſtur: noſq; uidimus homines folijs libenter ueſci, & abſq; noxa. Galenus etiam inter ea quæ ueſcendo ſunt, Ari & dracontij radices, in libro de eſcis enumerat. Dixit Philagrius.] Plinius dixit Cleophantum dediſſe purulenta exſcreantibus, farina permixtum, in pane cocto. & Dioſcorides, quod in Balearibus inſulis parantur placentæ ex radicibus minoris, cum multo melle, & in conuiuijs dantur.

Solutione educit phlegma.] Græci non uidentur uim ei purgandi per inferiora uel ſuperiora adſcribere: Galenus ſiquidem & Paulus eum ſequens, expurgari ab eo uiſcera dicentes, non uidentur de ea purgatione locuti, quam habent medicamēta cathartica uocata, ſed de obſtructionis reſeratione intellexiſſe: quod patere poteſt per uerba Galeni dicentis, Craſſos præcipue & tenaces attenuans

Universidad de Deusto
Biblioteca

humores. Plinius tamen dixit folia ex sale & aceto sumpta, aluum inanire.

Prouocat urinam, & excitat coitum.] De minore scribit Dioscorides, quod urinam & Venerem excitat, radix pota in uino. de maiore tantum, quod Venerem. Et est ex rebus mundificantibus pectus & pulmonem.] De utroq; hoc scribit Dioscor. Et confert ulceribus fraudulentis.] De utroq; etiam hoc scribit Dioscorides. Galenus uero ait semine curari Cancrum & Polypum.

Et fistulis.] Collyrijs factis cum melle, ait Dioscorides. Succus autem eius cum melle destillatus in aurem.] Cum oleo dicunt Dioscor. & Plin. & loquuntur de succo seminis. Et fit emplastrum ex ea, cum melle & stercore caprarum ad podagram.] De Aro scribit Dioscorides, quod priuatim podagris illinitur. Plinius, folia cum sale recentia uel sicca articulis podagricis. Et facit aborsum.] Solus odor radicis secundum Dioscoridem. Multas alias uires potes è Plinio & Dioscoride colligere: ex quibus unam tantum addam, quod in pestilentia salutaris est radix in cibis.

De Alfescera.

Græci Ampeloleucen, & Bryoniam, & Psilothrum uocant. Latini Vitem albam. Cuius radix est terrei coloris exterius, interius uero alba.] Dioscorides radicis colorem non expressit. Plinius albam dixit & grandem. Et est species eius fescerefin.] Videtur hic loqui de nigra, quam Græci Ampelomelan uocant, Latini uuam Taminiam, Tamnum, uel Tanon. Eius radix est cinericia exterius, & interius alba, non albedine prioris.] Loquitur de ea quam uocant fescerefin Arabes, & Latini Tamnum. De cuius tamen radice ait Dioscorides, quod foris est nigra, intus buxei coloris. Fescera inquit Dioscorides, calida & sicca in tertio.] Hic est manifestus error: siquidem (ut aliàs sæpius diximus) de medicinarum gradibus nõ est locutus Dioscorides. Galenus radicem dixit moderate calidam. Noster Mesue secutus est Auicennam, qui tamen male sibi constat. Nam cum dixisset calidam in tertio, paulò post dixit, quod temperate calefacit. Et est composita ex partibus igneis, cum partibus terreis adustis, & igneitas est dominans.] Nec hoc dixit Dioscorides, sed quod folia, fructus & radices acria sunt. Et dixit Galenus, est in ea de stypticitate aliquid. & reliqua.] De Asparagis huius plantæ dixit Galenus, quod boni stomacho sunt ob stypsin, quam subamaram & debiliter acrem habent. De radicibus uero, quod abstergunt, siccant, & tenuium partium sunt. Fescerin uero est nimis calida.] Lege, minus, non nimis: nihil enim de ea scribit Galenus, nisi quod albę in omnibus est similis, uerum debilior. Vtriusq; radix, & proprie succus eius, solutione educit phlegma.] De alba dixit Dioscorides, quod succus radicis Vere exprimitur, bibiturq; cum mulsa aqua, & pituitam educit. Epilepsiæ.] Drachmæ pondere anno integro radix pota datur comitialibus, ait Dioscorides. Et comeditur talus eius in primis cum crescit.] Intellige primæua Veris germina, quę elixa aluum & urinas mouent, si manduntur, secundũ Dioscoridem: & secundum Galenum, ob stypsin, quod & superius dixi, sunt bona stomacho. Plures tamen uirtutes adscribit Dioscorides asparagis nigræ quãm albę, scilicet quod menses mouent, lienes minuunt, comitialibus, uertiginosis, & resolutis sunt utiles. Veruntamen permiscent spiritus.] Dioscorides ubi multiplices radicis uitis albæ usus ostendit in comitialibus, attonitis, uertiginosis, serpentum morsibus, aborsibus: subdit, mentem interdum perturbat. Est ex resoluentibus apostemata dura.] Non duros tumores, sed phlegmonas discutere ex uino, emplastri modo impositam, & abscessus rumpere, dicit Dioscorides. Et apostemata splenis.] Lienem, inquit Dioscorides, de alba loquens, liquat, trium obolorum pondere per dies triginta cum aceto pota. Postea subdit: Ad eundẽ cum fico utiliter illinitur. Galenus: pota, & extrinsecus cum ficis admota. Et abscindit cum uino panaritium.] Cum oleo donec colliquescat

quescat excocta, delet pterygia, secundum Dioscoridem, de alba loquentem, & sugillata. Et confert ulceribus malis.] De eadem alba inquit Dioscorides, folia, semen & radix acrem habent uirtutem: unde cum sale ad chironia, gangrę nica, phagedænica, & cum putredine crurum ulcera, faciunt imposita. Et trahit fracturas ossium, & spinas & ligna.] Dioscorides de ossibus tantum scribit. Quod si radix albæ trita emplastri modo imponatur, ossa educit. Sorbitiones factæ ex succo eius, & frumento decocto & melle.] Dioscorides non apponit mel, sed dicit, si succus cum triticeis granis decoctis bibatur, exuperare lac facit. Radix quoq; eius & succus eius abstergit faciem. & reliq. Et subdit, & proprie cum farina cicerum & fabarum.] Dioscorides cum eruo Ephelides, sonthos, lentigines, ac nigras cicatrices. Confert morsibus animalium uenenosorum.] Contra uiperæ morsus, ait Dioscorides pota duarũ drach. pondere.

De Arthanita.

Cyclaminon Græci, Latini Rapum uel Vmbilicum terræ: aliqui orbicularem uocant. Magni radix est in modum rapi rotundi.] Dioscorides parum latam dicit, & res ipsa idem ostendit. Cuius pars exterior est terrea, nigra: interior alba.] Dioscorides absolute nigram dicit. Et eleuantur super radices frondes. & parum infrà, sine eleuatione stipitis.] Error est hic manifestus: caulem enim Dioscoride & re ipsa teste, fert quatuor digitorũ, sed nudũ.

Flores secundum semitam uiolarum subalbidarũ.] Error & hic: flores enim cõmunis Cyclaminis rosacei sunt, & ad purpuram uergentes. Altera uero & secunda species, florem fert candidum: sed de ea nondum loqui cœpit. Paruum uero habet radices subterraneas plurimas.] Nescio ubi hæc inuenerit iste homo. Dioscorides & Galenus radice esse aiunt inutili, nulla de hac pluralitate habita mentione.] Calidæ complexionis est & siccæ in tertio. Gradum ei nec Galenus determinat, nec Auicenna. Et est incisiuum. & reliqua.] Addit & aliam uim Galenus, quod attrahit. Dixit filius Serapionis, accipe succi eius drachmas quatuor.] Trium drachmarum pondere, ait Dioscorides, cum passo, aut melicrato aquoso bibatur radix, in morbo arquato. Solutione educit phlegma mucilaginosum.] Pota, inquit Dioscorides, cum hydromelite, pituitam educit & aquam. Et etiam linitum super femur.] Succus illitus umbilico, pectini & coxendicibus, dicit Dioscorides, aluum mollit, & aborsum facit. Et maxime splenis.] De altera Cyclamino scribit Dioscorides, quod denario acinorũ eius in uini albi cyathis duobus, per quadraginta dies poto, lien emittitur per aluum & urinam. Et proprie Caputpurgium.] Succus cum melle, ait Dioscorides. Et confert Caputpurgium ex eo factum debilitati uisus. & reliq.] Non immissum naribus hoc facere scribit Dioscorides, sed inungi oculis suffusis & hebetibus eius succum cum melle. Et secundum omnem modũ administrationis confert duritiæ splenis & aliorum apostematum & scrofulis.] Miscetur, inquit Galenus, his quæ tubercula, strumas, omnesq; durities discutiunt. Multa quoque alia potest, sed hoc præcipue, quod cum uino bibitur contra uenena omnia, secundum Dioscoridem.

De Aristolochia.

Aristolochia apud Græcos hoc nomen adepta est, quod ad ea quæ in puerperis desiderantur, optime faciat. Latini ferè eodem nomine appellãt: sunt tamen qui malum terræ, siue erraticum uocent. Aristolochiæ tres sunt species.] Addunt nonnulli quartam, quam Pistolochiam nominant, uel à radicum multitudine, Polyrrhizon. Longa.] Marem hanc uocat Dioscorides. Et rotunda.] Et hanc fœminam. Et alia, cuius radix currit secundum similitudinem uitis.] Clematitis hæc dicitur, quasi sarmentariam diceres, ramu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

los tenues habens, & folia modicè rotunda, minori semperuiuo simília. Inquit Dioscorides, omnes calidæ sunt in principio tertij.] Hic est error, sicuti & alibi plerunq; : non enim hoc Dioscorides, sed Auicenna. Et uidetur quod longa sit calidior.] Galenus dixit longam non minus calefacere, sed fortè magis. Quamuis terreitas ipsius uincat terreitatem rotundæ.] Minus tenuium partium est, inquit Galenus, quàm rotunda. Est utraq; aperitiua. & reliqua.] Galenus absoluto sermone dixit radicem utilissimam esse ad medicinam, cum sit amara & subacris. De longa uero dixit, quod abstergit & discutit, sed minus quàm rotunda: & ideo utilior est, ubi opus est moderate abstergere, sicuti in generanda carne, in ulceribus & uteri fomentis.

Extrahens spinas.] Rotundæ hanc uim adscribunt Dioscorides & Galenus. Paulus sesquidrachmam Clematitis educere ait, ut Colocynthim. Aëtius drachmas duas fructus sicci, purgare bilem & pituitam. Asthmati & tussi.] Rotundam dixit Galenus auxiliari asthmaticis, singultientibus, epilepticis, podagricis, si cum aqua bibatur. Ruptis quoque & uulsis, atque his doloribus qui obstructiones sequuntur, aut incocti spiritus crassitiem: sanare putredines, sordida ulcera expurgare, dentes ac gingiuas limpidare. Et omnes quidem species eius mundificant matrices fœtarum.] Cum pipere & myrrha pota, ait Dioscorides de longa: eademq; posse, subditum ex ea pessulum. Et medicina bona rigori febrium.] Rotundam ait Dioscorides cum aqua potam ualere rigori: & Galenus Clematiten cum oleo, aut suillo adipe inunctam: suffumigio uero ad graues febres.

De Albemesude, id est Cherua.

Cici uel Crotoma, Dioscorides & Græci. Ricinum Latini primam eius speciem uocant. Nota satis planta. Mirasolem uulgò apud nos uocant, & ad decorem solum in hortis serunt, nescientes non exiguum ex ea quæstum facile haberi posse, parato ex semine oleo ad lucernas utili. Aliud magnum, aliud paruum.] Magnum iam diximus esse Ricinum: paruum Lathyriden Græci, uulgò Cataputiam nominant. Dicit Dioscorides, Calidæ complexionis & siccæ.] Hoc non dixit Dioscorides, sed nec cuius sit temperaturæ. Galenus uim habere discutiendi & abstergendi dicit Ciceon, oleumq; ex fructu factum, calidius esse, tenuiorumq; partium, quàm commune. Lathyriden uero similem, quo ad uim, Tithymallis. Facit uomitum & solutionem laboriosam.] Educunt triginta eius grana, ait Dioscorides, per uentrem, pituitam, bilem, & aquam, & uomitum mouent. Valde tamen insuauis est, & laboriosa talis purgatio, stomachum uehementer peruertens. De Lathyride uero ait, quod eadem, id est, aquam, pituitam & bilem, purgant grana eius septem uel octo deglutita uel pota. Galenus uero de Ricini foliis, quod abstergunt, discutiunt, & purgant: minus tamen omnia hæc faciunt, quàm fructus.

Et coquuntur grana eius, & proprie contrita in iure galli antiqui.] De foliis Lathyridis ait Dioscorides, quod cum gallinaceo aut oleribus cocta, eandem habent feminibus operationem. Oleum autem confert colicæ.] Purgare hoc oleum aquam dicit Dioscorides, & ualere lumbricis alui, scabiei, ulceribus capitis, sedis inflammationibus, & uteri præfocationibus. Sumuntur ex Cherua à granis quinque, usque ad septem: & alterius à granis septem, usque ad duodecim.] Dioscorides, ut superius tetigimus, Ciceos quidem exhibet grana triginta, Lathyridis septem uel octo cum Caricis, aut dactylis, aqua frigida superbibita. Paulus usque ad quindecim, ita ut robusti, & qui pluri egent purgatione ea mandant. Debiliores & qui malo sunt stomacho, syncera deglutiant. Plinius uicena grana cum aqua pura aut mulsa purgare ait facile

facile bilem & aquā, si munda sumantur: si cum folliculis, uehementius purgare, & stomachum lædere.

De Albrachin.

Spartion Dioscorides uocat, Galenus Spartum, Latini Genistam. Vtinam omnia æque cognouisset, & descripsisset hic uir: nō tamen facere potuit ut errorem omnino effugeret, pro Phaselo Orobum scribens. Densitas fustium.] Dioscorides, uirgas longas habet, absq; foliis, solidas, ad frangendum difficiles.

Flores lunares.] Dioscorides Leucoij. Inquit Dioscorides calidū & siccū in secundo.] Nihil de hoc Dioscorides. Et in flore eius & stipitibus est humiditas superflua.] Nec hoc lego apud Dioscoridem uel Galenum: sed ait Galenus, semina & surculorum succū attrahere non ingeneroſe. Per uomitum & per uentrem educit phlegma cum fortitudine.] Semen & flores, cum melicrato pota, sine periculo purgant per superiora, sicuti Elleborus, inquit Dioscorides. Et per uentrem.] Semen purgat per inferiora, ait Dioscorides: ramis uero in aqua madefactis extractus succus, in ieiunio cyathi quantitate potus, coxendice & angina laborantibus est utilis. Plinius macerat pluribus diebus in aceto, pro coxendicis dolore, perungiq; eodem succo docet cū oleo. Sunt tamen, inquit Dioscorides, qui macerent muria, aut marina aqua, & clysterem imponant his qui coxendice laborant, educuntq; cruenta, atque strigmenta. Quidā ad strangurìam utuntur semine, ut Plinius testatur, qui etiam sanari genua dolentia Genista ait tusa cum axungia. Dosis eius & proprie florum.] Dioscorides ex semine & floribus dat quinq; obolos. Plinius drachmam & dimidiam.

De Elleboro.

Latini Veratrum, Græci Elleborum: sunt & qui nigrū Melampodion uocent. Hipp. Ectomon. Niger incolumior est albo, imò minatur albus accidentia terroris.] Quondā, ait Plinius, terribile fuit, postea tam promiscuum, ut plerique studiorū causa sumpserint. Idem tamen Plinius album multo terribilius esse ait nigro. Et quod ex eo magis eligitur.] Dioscorides eligit carnosum, speciosum, interiorem partem tenuem habens, gustuq; acre & feruidum, asperis tumulis & siccis locis (qualis est Anticyra) natum, in frangendo puluerem emittens, ait Plinius. Et melior pars totius plantæ est radix ipsius.] Solas radices in usum uenire, ait Dioscorides, à quibusdam tamen semen purgationibus adhiberi. Melior pars radicis sunt fustes.] Intellige radiculas graciles, ex capite ueluti capite procedentes: has enim in usum solas uenire dicit Dioscorides, & similiter Plinius, qui eligi dicit tenuissimas radices, breues, & ueluti decurtatas: summam, quæ est ueluti cepæ, dari canibus, purgationis causa. Et melior pars earum est cutis.] Eximitur ex utroque secundum Dioscoridem interior medulla. Et melius tempus collectionis est Ver & æstas.] Messium tempore colligendas albi radices, docent Dioscorides & Plinius. Albus minoris est acuitatis.] Galenus amariorem & minus acrem esse dixit album, quàm nigrum. Et est eius mordacitas non apparens subitò.] Videntur hæc sumpta ex Dioscoride in electione albi: inter reliqua enim eligendum docet id, quod gustu quidem feruens est, non uehementer tamen, sed taliuam non simul, sed particulatim mouet. Addit etiam, ut sit mediocriter extentum, candidum, fragile, carnosum, non acuminatum aut iunceum, nec dum frangitur puluerulentum, sed interiorem medullam exilem habens: laudariq; maxime Cyrenaicum, periculosius esse Galatium, Cappadocium & Italicum, quæ & albiora & magis puluerulenta. Albus corporibus nostri temporis est molestus, imò est eis sicut uenenum.] Pauli tempore utebantur Elleborismo per album: & hoc etiam tempore, eum qui bonus sit, non puto esse uenenosum.

Nigri autem usque ad tempora nostra uirtus tolerabilis est, licet adhuc diffi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilis: inquit enim Hippocrates, moleſtus eſt Elleborus eis, quorum ſana ſunt corpora.] Experientia certa didici, operationem eius non eſſe difficilem: neque aphoriſmus propoſitum probat, ſiquidem alia quoq; purgatoria medicamina ſanos offendunt, iuxta eundem Hippocratem in alio aphoriſmo, & ſecundum Galenum. Cum Elleborum abſolute dicimus, album intelligimus. Inquit filius Zezar, fit Teremabin ſicut mel.] Bonam eſſe oportebit Ellebori quantitatem, alioqui parum proficies: ſiquidem drachma integra ſola pota, parum operatur. Paulus infundit aqua uncias duas, per dies quinque. Et aliqui perforant radicem Raphani.] Modū hunc eſſe Elleboriſimi ſimpliciorem dicit Paulus, ſi fiat cum Elleboro albo. Et quandoque infunditur in iure gallorum.] Dioſcorides de albo inquit, datur per ſe, & cum Seſamo, aut Thapſiæ ſucco, aut alica, aut mulſa aqua, aut pulte, aut lenticula, aut ſorbitione alia. De nigro uero, quod coquitur cum lente, aut aliquo iure. Daucus autem & piper.] Miſcent aliqui (ait Paulus) Pulegiū, Thymbram, uel aliud ſimile. Bene autem miſcetur.] Cum Scammonio & ſale, dat Dioſcorides nigrum. Paulus album dat debilibus cum ſucco ptiſanæ, aut alicæ, alióue ſimili. Puluerem tamen Ellebori ſumere non eſt tutum.] Paulus ualde nocere ait album in puluere potum, & ſuffocationes facere: nigrum uero tritum, dat cum Melicrato. Et ſolutione educit cum facilitate choleram permixtam groſſam, & phlegma.] De nigro ait Dioſcorides, per inferiora purgat bilem & pituitam. Paulus bilem maxime flauam. Album uero, inquit Dioſcorides, purgare per ſuperiora res uarij coloris. Et Plinius, rem terribilem uiſu in uarijs coloribus uomitionum. Ad Lepram, Cancrum, & ſpecies Herpetis.] Paulus Elleborum dicit bonum eſſe his qui exanthemata, impetigines, Lepras, Herpetas, Eryſipelataq; patiuntur, & ictericis. Et quando ponitur Elleborus in alchohol, confortat uiſum.] De albo ait Dioſcorides, quod apponitur oculorū collyrijs contra caligines. Plinius, oculorum caliginem foru diſcutit. Et deſtillatur acetum decoctionis eius in aurem.] Indi auri dicit Dioſcorides, & poſt biduum triduum ue eximi, ad difficilē auditum: loquens de nigro. Prouocat urinam & menſtrua.] De albo ait Dioſcor. menſes educit, & fœtus occidit ſuppoſitus. De nigro, appoſitus menſes agit, & fœtus occidit. Et remouet ægritudines cutis.] De nigro dicit Dioſcorides, quod ſcabiem curat, cum thure, aut cæra, & pice, & Cedrino oleo inunctus: cum aceto uitiligínem, impetiginem, & lepras. Albus difficulter uomere facit cum accidentibus terroris.] Illum qui ſit puluertulentus, ait Paulus ſuffocationes facere: incidi propterea debere in formas ſeſamorum magnitudine. In quibus uero ſuſpecta ſit acceptio per os, clyſmate infundit decoctum duarum drachmarū, Antylus medicus. Supponitur & balanus ex eo facta cum melle, ſecundū Paulū. Dioſc. cum aceto balanum format. Et conſert utercq; Elleborus fiſtulis.] Dioſc. nigrū ait appoſitū, ſi triduo maneat, fiſtulas purgare.

Doſis eius à ceratijs ſex ad drachmæ tertiam, uel drachmā unam.] Dioſc. dat nigrum trium obolorum, aut drachmę pondere, adiecto etiam Scammonio: quod & nos aliquando experti ſumus, drachmæ grana duo Scammonij aſſi in cotoneo malo adijcientes, minorq; & leuior ſecuta eſt purgatio, quàm ex pilularum, quas aggregatiuas uocant, ęqua quantitate ſequi conſueuerit. Albi autem (ut refert Plinius) Themiſon binas drachmas dabat: ſequentes quaternas dedere, antiquorum uitium cognoſcentes, qui propter metum parcius dabant, cum celerius erumpat, quo largius ſumitur. Vetant tamen dari ſenibus & pueris. Item mollibus ac fœmineis corporibus. Paulus dat drachmas duas ad ſummum, ad minus drachmam unam: debilioribus in ſucco ptiſanæ, aut alicæ: robuſtiori-

bus

bus cum calida aut melicrato: ſectum tamen, non in puluerem redactum, ut ſuprà etiam notatum eſt. Ego albo nunquam uſus ſum: puto tamen homines regionis noſtræ robuſtos ferre eum poſſe. Non dandum tamen niſi in diuturnis & fortibus morbis, & qui per alia auxilia non ſunt ſanati, ut Hydrope, Cachexia, Elephanto, Paralyſi, Epilepſia, Podagra (ut Paulus teſtatur) quibus ego adijcio morbum qui Gallicus nuncupatur: quoniam & peſſimus, & longiſſimus eſt, communiaq; auxilia ueluti contemnit.

Hæc ſunt quæ in Panonnia olim margini ſimplicium medicamentorum cuiuſdam mei, enchiridij forma, Meſue ad proprium potius quàm communem uſum annotaui: quæ quum iuuenibus profutura cognoſcerem, quibus alio modo nunc prodeſſe, ob bellicos tum ultus nō poteram, publicanda conceſſi. Quæ ſi forte in manus doctiorū uenerint, æqui rogo boniq; conſulant, & amice, quando nihil melius agunt, legant: & ſi quid non probant, ſcripto potius quàm uerbis corrigant. Vos uero bonæ mentis iuuenes, à Deo Optimo Maximo uotis & precibus bonum pontificem expetite, qui pacem, quam moriturus nobis reliquit, mundo reddat, ut pacatiore animo, & quieta mente, prout uobis deſpondi, utilitati ueſtræ ualeam inſeruire. Valete. Ferrariæ, Nonis Decembr. M. D. XXI. poſtridie eius diei, qua ad nos delatum per ocyſſimos tabellarios fuerat, Leonem decimum eius nominis pontificem maximum attonito morbo ſubito corruiſſe.

ANNOTATIONVM IO. MANARDI
in medicamenta ſimplicia
Meſue finis.

MAla nomina non usquequaq; putanda sunt, quæ nullo interpellante, fidem datam reluere, procrastinando negligunt. Quare non est ut mihi uitio quispiam uestrum det, si promissas ante duodecim annos, in Ioannis Mesue compositа medicamenta annotationes, hactenus in publicum tradere distuli, præsertim cum eas nulli expostulanti negauerim: & præterea multa interim in uestrum usum ædiderim, quæ non spoponderam, & quæ haud iniquè possint fœnoris loco supputari: imò sortem ipsam tam longe anteuertere, ut per ea omnis iam ratio mihi expuncta posset uideri, nisi IO. SINAPIVS natione quidē Germanus, sed utriusq; linguæ peritia, bonarū disciplinarū eruditione, φιλιατρω & quodam perdiscendæ medicinæ furore, paucis Italis cōparandus, me etiam atq; etiam monuisset, & quasi cum conuicio efflagitasset, ut promissis starem: nō licere dicens philosopho, præsertim christiano, uel præscriptionis, uel alio quouis prætextu, sponsionum suarum obliuisci.

Accipite igitur & hæc adolescentes, ea fronte, qua iam æditas à me cōmentationes suscipere consueuistis, & morā hanc meam boni consulite. Ex Ferraria, pridie Nonas Maias, M. D. XXXIIII.

DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS.

COmpositis medicamentis plerūq; uti cogimur, tum ad simplicium uel augendam, uel coërcendam uim: tum quod cōplicatos inuicem, uarios, & quandoq; contrarios morbos curamus: tum alias ob causas, quas operæpreciū nō est hoc loco recensere, quū ab ipso medicę artis exordio, ad nostra usq; tempora, quasi per manus, cōpositio medicaminū emanauerit, modo solū præparationis atque usus mutato. Olim enim ipsimet medici sua sibi quisq; medicamēta domi parabāt, & parata adseruabant: quibus ubi opus esset, pro arbitrio, & ægrotantiū necessitate uterentur. A quingentis uero plus minus annis citra, ab ipsis medicis non sine ægrotantium (ut mihi uidetur) detrimento, ad nonnullos hoc negocium deuolutum est, qui ab ipsis simpliciū medicamentorū speciebus, quas ueluti supellectilem & syluam quandam, ad compositiones parandas in tabernis habēt, Speciarij uocantur. Quorū tantū creuit autoritas, ut ipsis quantumuis famosi medici, totū hoc illis negocium inuenienda scilicet medicamenta simplicia, atq; ea cōponendi, & permiserint, & demandauerint. Et propterea factum sit, ut cæci, duces etiam magis cæcos sequentes, in barathrum ignorantiæ, cum magno mortalium damno plerunq; mergerentur. In quo adhuc omnes cæcutiētes caligarent, nisi Deus sua inuisibili luce, quorundam aciem mentis illustrasset, qui species illas solerter indagantes, aliquas q; suppositicias, alias in totū spurias inuenientes, Speciarijs & medicis monstrare conati sunt, quantis in erroribus uersarentur. In quo campo cum ego quoq; pro imbecillibus meis uiribus, supra XL. annos desudarim, cogitaui sæpenumero, quonam modo possent inueterati illi errores penitus extirpari. Nihil autem magis præsentaneo mihi in hac re præsidio occurrebat, quàm ut ex antiquis Græcorum commentarijs, ex quibus ueluti ex fontibus Arabum & Salernitarū compositiones emanarūt, ea seligerētur, quæ ex his simplicibus, quæ facile inueniri possent, & obuia cognita q; essent, construebant: non repudiatis tamen recentiorum inuentis, modo clare descripta essent, & rationi ac experimento consentanea. Verum cum hoc pluries attentassem, nec unquam adsequi potuissem, aliud aggressus sum, non adeò utile, sed quod omnes facillime possent & deberent recipere, declarandi uidelicet ea, quæ in suis tabernis Speciarij illi ad ægrotantium & medicorū usum adseruabant. Et quia Ioannem cognomento Mesuen præcipue sequebantur, ideo quæ de simplicibus & cōpositis medicinis ille conscripserat, cœpi diligētius examinare: & quicquid occurrebat, quod ad eorum uel dilucidationem uel castigationem pertineret, in libri mei margine adnotare. Quorum partem, eam scilicet quæ ad simplicia spectabat, in cōmunem usum ante multos annos æditam, quum ex eo non penitus displicuisse intelligerem, quod secundam multi desiderarent, in hac quoque ædenda eis obsequi non negaui.

Vt igitur & in hac parte ordinē ipsius Ioannis sequar, ab Electuarijs ab eo uocatis incipiam: quæ ideo hoc nomen habuisse uidentur, uel quod ex electis quibusdam simplicibus medicamentis cōstarent, uel quod multi usus essent, tam in bona ualetudine adseruāda, quàm in mala submouenda, ut propterea à Cælio Aureliano Electuaria sint uocata. Videntur tamen non incongrue antidota uocari posse: tamlate enim patet apud Galenum Antidoti nomen, ut sit omnibus facultatibus commune, quæ non extrorsum admotæ, sed intra corpus accepte malos affectus sanant, qui uel ex uenenis ebibitis, uel ferarum morsibus, uel malo uictu contingunt.

Aspirante itaq; diiuino fauore rem aggrediar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS MANARDI CENSVRA MEDICAMENTORVM QVORVNDAM compositorum ex Ioannis Mesue Grabadino.

In Electuarium de Aromatibus.

Hisce signis] de sinentia uerba, Mesues sunt, cætera Manardi.

A Bodoratis rebus nomen accepit, ex quibus componitur: nuspiam tamen, quod norim, paratum inuenitur. Quod scripsit Galenus.] Cum ingrediantur Sandali, non potest esse Galeni: siquidē apud eū aut antiquos alios, de his nulla mentio. Ligni aloés.] Agallochon Græci uocant. Crudi.] Quia si coquatur, ut quidam excipiendi odoris gratia faciūt, uim amittit. Gallīæ muscatæ.] Compositio est, quā habes infra inter trochiscos. Cassīæ.] Intellige quod nunc cinamomū uocant.

Macis.] Cortex est nucis moschatæ interior: duplici enim tegitur. Græci macerem, Plinius macirem uocat, nisi in libris sit menda. Doronici.] Doronicum uocant: sunt radices odoratæ passim cognitæ. Spicæ.] Nardum intellige. Cinamomi.] Verum ad nos nunc nō affertur, pro eo accipe uulgare duplo pondere. Calami aromatici.] Et hoc caremus: radicē enim, nō calamū officinæ ostendunt: atq; alterius rei, non ipsius calami. Cardamomi maioris & minoris.] Quod Græci cardamomū, id Arabes Cordumemi uocant. Plin. quatuor species cardamomi enumerat. Vidi ego tres res, quæ nunc cardamomū dicunt, inter quas nescio an una sit, quæ uerū sit cardamomū. Cheisin.] Ligysticon Græci uocāt, pro quo herbā aliam ostendunt officinæ, quæ non est uerum Ligysticon: uerum tamen nunc cœpit agnosci. Electuarium de Gemmis.

Nec hoc in tabernis inuenietur, alioquī et eo possunt carere homines. Gemmis enim in antidotis nō sunt usi antiqui: nec ego libenter utor: siquidē quæ eis contritis ad confortandum uisq; Et si qua etiam sit, bonas perfringere oporteret, non ramentis quibusdā uti, quibus nulla præterq̄ coloris cū ueris gemmis conformitas. Similiter argenti & auri folia non nisi ad decorē & ostentationē puto conducere.

Margaritas.] Non in totum sperno, sicuti Corallium. Hyacinthi.] Auic. prima parte lib. v. ex eo & granata medicamentū parat. Sardinis.] Sardium lapidem eum puto, qui nunc Corneolus dicitur. Zedoariæ.] Radix nunc uulgò nota, antiquis uel incognita, uel sub alio nomine scripta. Doronigi.] Doronicum uocant, etiam antiquis non notum. Alfeleniemisek.] Id est ozimum. Carabe.] Succinū latine dicitur. Been albū & rubeum.] Radices de quibus Arabes, olim ex Armenia ferebant, nūc in Italia inuentę, sed uel alię, uel nō æque bonæ. Heyl.] Cardamomi species. Folij.] Et hoc caremus: Græci malabathrū uocant. Trochisc. diarodon.] Horū cōpositionē habes infra. Galangę.] Radix ut nunc notissima, ita priscis ignota. Zurumbet.] Satis nō constat apud Arabes. Quidā faciunt speciē Zedoariæ, aliqui arborē, ut uideri potest apud Serap. Auicenna herbā. Ambra.] Res noua, quā non tanti facio, quanti æstimant. Medici post Gal. Ambar uocant, de qua latius inferius agā, ubi Diambrā declarabo: sicuti & de moscho in diamusco. Succū emblicorū.] Cum recentes habere nō ualeamus, poterunt qui parare uoluerint, ex siccis, bene uino uel aqua maceratis, succū exprimere. Geleniabin.] Rosaceum uel mel, uel saccharū intellige.

Confectio Alchermes.

In hac quoq; nunq̄ iactarē pecunias: nam neq; in serico uocato, neq; in cocco, uel baphico, uel charmes nuncupato, agnosco uim nisi constringentem: coloriscq; rubri ratione, lędere potius uidetur cor quàm iuuare, spiritus & sanguinē trahēdo, propter similitudinem. Cyanei uero ratione, uomitū & secessum citabit, quæ præ exigua eius quantitate perficere nō ualens, lędet magis q̄ iuuabit. Alguesgues.] Desipientiam

Desipientiā uocant Arabes. Setā.] Bombyx latine dicit. Darseni.] Cinamomi genus intellexit. Confectio Xyloaloes.

De cubebis nō constant inter se Arabes: nam Serap. putauit esse oxymyrsinē, & sic esset Ruscus. Auicen. Carpesion, & sic essent festucæ quædā, non semina. Quibus uero nunc utimur, semina aromatica sunt, quæ satis hic cōgruere uidentur. Squinanti.] Floris uidelicet schœni. Afferuntur aūt nunc, non flores, sed ipsa absq; floribus planta. Miua.] Ex cotoneorum succo cōfecta, de qua inferius. Electuarium Sarbotheng.

Hæc cōpositio satis cōferre uidet ad ea quæ laudatur, & nihil est in ea obscuri, præter duo cardamomi genera: quæ esto, ut quomodo apud antiquos uocent, nesciamus, tamē ea quibus uulgò utimur, & per se bona sunt, & satis hic cōgruentia. Aliam eiusdē [lętificantis] cōpositionē habes ab ipsomet Mesue Cap. de Melancholia: aliam à Raze, & Nicolao & alijs. Ferē & alia sub Galeni nomine, quā tamen nondū apud illū legi. Electuarium de Citro.

Placet mihi hoc cōmixtum: cui si apponerentur citra condita, suauius esset, nec minus utile. Galanga.] Est radix nunc notissima, quam, ut suprà quoq; dictum est, apud Græcos nondum euidenter inueni.

Confectio testiculi Vulpis.

Hæc est quæ in communem usum parata inuenitur. Secacul.] Non est Eryngion, ut multi putant: sed est radix, quam geniculam uulgò uocant, à multitudine geniculorū. Herbam uero eius fraxinellam, quoniā fraxini folio constat, ego puto esse quā Polygonaton uocat Dioscorides. Test. uulpis.] Orchis scilicet. Radix Raphani.] Domestici potius quàm syluestris. Luff plani.] Dracontiū maius, uidetur ad hoc aptius. Lingua auis.] Nō una lingua loquuntur Arabes. Serap. enim linguā passerū, auiū uidelicet salacissimarū in hunc usum adhibet. Auic. medullis adnumerat. Recentiores rem quandā in fraxino reperiūt.

Confectio de Galanga.

Laudo hanc, cōmuniter enim parat. Cauendū tamē puto in æstate, & in ualde bilioſa temperatura. Calamus aromaticus.] Ad nos hoc tēpore, ut suprà etiā dixi, nō defert, sed eius loco radix quædā uendit, quā non credo eius cannæ esse, nec ex India adferri: siquidem & recens multū aliquando uidet, & exiguo nimis uendit. Mellis.] Nunc cū solo saccharo conficit, magnaq; ui inflationē pellit.

Diarodon descriptione communi.

Hæc nō parat, sed alia cū Abbatis cognomine, quā Nicolaus describit. Trociſch.] Hos inuenies inferius. Spodij.] De hoc scribā inferius, atq; pariter de Berberis. Scariola.] Species est (ut puto) sonchi minus spinosa. Per citrullum ego intelligo cucumeris speciem, quæ colore & forma citrum æmulatur.

Aromaticum Rosatum.

In mala temperatura frigida magis hoc mihi probatur quàm sequens: non tamen in communi usu est, sicuti id quod sequitur.

Aromaticum Rosatum, descriptione Gabrielis.

Parum calidū, ideoq; securius in temperatura & hora calida dari potest, quàm præcedens. Syrupi rosati.] Paratur & absq; his solidiore forma, cū solo saccharo, simulq; & delectat & iuuat. Aromaticum rosatum minus.

Hoc quoq; parū calidū, præcipue si teneamus sandalos tales esse, quales scribunt. Nullibi tamē quod sciā parat. Aromaticum Muscatum.

Quo pacto conueniat præfocationi, quū eximio suo odore uterū sursum trahat, non uideo, nisi exigua admodū quantitate. Darseni electi.] Secundū Serapionē est cinamomū. Sed mirū est, quod hactenus dixerit cinamomū, nunc utatur alio nomine. Ego potius intelligerē Aspalathū, quē Arabes uocāt Darsisahā.

Aromaticum Gariofilatum.

Difficile est hoc præparare, quia caremus folio: elegans tamen esset, si bene pararetur. Aromaticum Nardinum.

Hoc quoq; uidetur non posse bene parari. Gallíæ sebellínæ.] Quære hanc inferius. Diaciminum bonum.

Satis inflationi mederetur, sed pauperes tanti non faciunt inflationis redemptionem, præsertim cum aliud minoris emere possint, quod ex Nicolao parant: sed & aliud quod ipse Mesue inferius scribit.

Dianeson.

Hoc nō minus utile est q̄ præcedens, & minoris emitur. Caruí.] Caros uocatur ā Dioſc. Diambra.

Præclara est hæc compositio, si bene præparetur, sed preciosa: ego ea sæpe utor, præsertim in mulieribus & senibus.

Confectio de Cinamomo.

Darsenum.] Ecce quod darsenum non est cinamomum, ideo expone ut suprà. Enulæ.] Id est, elenij accipiendæ radices, ut Dioscorides docet, exiccatæ.

Et quandoq;.] Si hoc modo cum saccharo misceatur, erit multi usus ad escas condiendas, specierum uocatarum loco.

Electuarium de granis myrti.

Vtile quidem esset, non tamen in usu est.

Diacalamentum descriptione Galeni.

Calamenti fluuialis.] Id est pulegij, errore communi Arabum. Galenus nō ponit zingiber. Siseleos.] Seseli. Petroselínum.] Verum ad nos non portatur: id uero quod sub eo nomine uulgo uenditur, imbecille satis est: ego loco ueri utor olusatri semine. Alhasce.] Id est Thymi. Cheisin.] Id est Lygystici. Piperis.] Adde & longi piperis, & auge pondus, ad drachmas uidelicet xxiij. Dia trium pipereon.]

Galenus trium piperū drach. 50. Thymi, anisi, zingiberis drachmas octo.

Amomo.] Caremus, quia quod pro eo uendunt, nihil habet commune cum Amomo, quod tamen non apponit Galenus, sicuti nec reliqua quæ sequuntur.

Diaciminum.

Diospoliticon non ualde differt ā diaciminō: constat enim ex pari portione, piperis longi, cimini, rutæ, nitri. Baurach.] Id est nitrum, quod nunc ad nos non adfertur, sed loco eius habemus copiam factitij, à quo & salsedinem per artem remouent, ut sit ad tormenta habilius.

Confectio de seminibus.

Alia hæc est ab ea, quam diaspermaton Græci uocant. Fac sicut sufflufl.] Redigendo uidelicet omnia in tenuem puluerem, quo uti poteris eo modo, quē in confectione de Cinamomo docuimus.

Confectio de Citonijs.

Hanc nunc etiam mulierculæ parant, cotoneatam uocantes. Medici uero Diacitoniten uocant. Confectio de citonijs facta cum succo.

Nunc nouo quodam artificio succum congelant, gelatinamq; uocant, colore pulcherrimum: translucidum, & gustu sapidissimum.

Electuarium de pomis.

Arabū inuentū est mala adeò cordi congruere: quod certè uix credo, maxime ubi hoc modo parentur, quo hic uir iubet: quid enim habent cordi congruens præter odorem: quem certe deponunt cum à cortice separantur, & multū coquuntur.

Electuarium de Persicis.

Nescio quomodo sitim extinguat, si tot aromata apponantur.

Electuarium quo utuntur Reges.

Ego utroq; horum usus plerunq; sum, sed à primo amoui oleum, ne uomitum moueret:

moueret, & à secundo sandalos, qui multis non placent, quandoq; addens cucurbitæ & peponum semina: aromata etiam, prout mihi uisum, moderans.

Electuarium de fructibus.

Efficax est, neq; insuaue, si bene præparetur.] Sumach.] Græci Rhum Syriacum uocant. Pirorum ponticorum.] Id est, saporis adstringentis & acerbi.

Confectio alia Galeni.

Non esse Galeni, Camphora & Sandali ostendunt. Faufel.] Fructus quidam adstringens, antiquis incognitus, nunc auellanam Indam uocant. Bolo armeno caremus: falsum Apothecarij passim habent. Cœpit aliud ferri ex orientali plaga, quod nec ipsum esse uerum Armenicum puto.

Confectio de Prunis.

Non displicet mihi, modo stomachus non sit ualde debilis. Muzorum.] Id est, quæ dulcacida sunt. Electuarium de Sorbis.

Vehementer adstringunt, & ad eum usum cōmuniter paratur, id facturum uehementius, si pro sorbis mespila accipiemus.

PARS SECVNDA PRIMAE DISTINCTIONIS.

Theriaca Diatessaron.

Theriaca dicitur, quia ad morsus ualet ferarum. διατεσσάρων, quia ex quatuor, præter mel, componitur. Antiqua est & ualde utilis. Mulomedici addunt ebur, & uocant διαπάντε, sublimemq; esse dicunt ad præseruanda curandaq; iumenta, ut uidere potes apud Absyrtū, & Vegetium. Myrrham.] Hoc tempore apud nos reperire bonam, est difficile. Mel sit quadruplum specierum, ut in hac, sicut in alijs similibus. Trypheræ omnes hæ ab Arabibus uidentur inuentæ, nam ferè myrobalanos recipiunt, quæ antiquis erant uel ignotæ, uel non adeò assuetæ.

Tryphera Sarracenica.

Tryphera quasi delicioſa uel uoluptuaria.] Setaragi Indi.] Est Lepidium: dicit tamen Auicenna, quod Indum est, frusta parua subtiliaq; ligni.

Tryphera Muscata.

Baucia.] Est pastinaca domestica. Tryphera Galeni.

Non credo esse Galeni, cum neq; behen, neq; ambram, neq; moschum agnouisse uideatur. Alufulfumen.] Difficile est de his barbaris diuinare dictionibus, potes tamen sumere ozimū. Interpres Auic. exponit radicē piperis. Quidam textus nō habēt hanc dictionē. Tryphera minor ex arte Phenonis.

Carmezit.] Est fructus Tamarisci: magnam uim habet in adstringendo, quæ hoc desiderant, & præcipue mulierum redundantes menses.

Tryphera minor.

Efficacior uidetur scoria ferri addita, quæ nutrire dicitur, quando in aceto madet longo tempore. Diacurcuma.

Melius est hanc dimittere, quia nō bene conficitur: si quis tamen conficere eam uelit, uideat ut habeat ueram eupatorium: nam quo passim utuntur, mendax est. Sed & nerū & meon & scordium agnoscat, ut oleum balsami taceā. Scolopendriū est, quam uulgo citrach appellant. Diacurcuma minor.

Minorem hanc quiuis parare potest: non multum enim errabit, qui herbam Schœni, pro flore receperit. Diamorusia.

Daucus est trium specierum.] Eligendus est Creticus, cuius flores & semina alba. Acori.] De hoc quid sentiam, infra notabo. Marmacur.] Id est Melissophyllon. Dialacca magna.

Hac tutius utimur quàm Diacurcuma: omnia quæ in ea ponuntur, nota sunt: solum attendendum, ut lacca sit, quod dicunt Græci κάγκαμον, quia arte alia paratur, qua passim infectores utuntur. Dialacca minor.

Hæc quoq; bona est, & facilius quàm prima parari potest.

remanſit. Hæc enim eſt uiſcoſitas, de qua uult pro ſingulis 4. ℔. apponi, ſaccharꝰ ℔. ij. ſ. Doſis.] Potes integrā unc. tutò dare. Electuarium Eleſcoph.

Scribitur ab Auic. fermè eodē modo, & uocatꝰ Epiſcopi. Conficiuntur & ex his ſpeciebus placentæ cū ſaccharo, quæ aliquando nihil, aliquando nimiū purgant: uel quia ſcilicet aliquādo urunt, uel nō bene inuicem miſcentur ſpecies. Doſis ab aur. ij. uſq; ad iij.] Potes & hanc excedere.

Confectio medicaminis Hamech.

Prima hæc cōpoſitio cōmuniter paratur, licet nō omnes eā bene parent. Vbi bene parata ſit, utraq; bilem & pituitam facile purgat, præcipue ſi maiori quantitate detur quàm iubet Meſue: uncia enim abſq; periculo exhiberi poteſt.

Confectio alia Hamech.

Hanc nunq; uidi parari. Bedagar.] Dioſc. ἄκανθαν λόβελὼ, id eſt ſpinam albā uocat. Iuiube.] Id eſt zezipha. Sebeſten.] Myxa. Rob. lib. ij.] Intellige ſapā.

Modus electuarij Roſati.

Hoc carere nō poſſunt qui pilulas aggregatiuas modo Meſue parare uolūt, pretioſumq; eſt & delicatum. Aliud modo Nicolai cōmuniter ab omnibus paratꝰ, & ſub nomine elect. de ſucco roſ. agnoſcit. Confectio Alfeſara.

Radix alpheſara, id eſt uitis albæ, ueluti oſtenſum eſt capite proprio in annotationibus ſupra ſimplicia, ubi iiſdem uerbis hęc ſcribitur præparatio. Doſis eius à duabus drach. uſq; ad iij.] Vſq; ad v. ſcripſit ipſemet: ſed potes etiā tutò plus exhibere.

Confectio mannæ ex inuentione Galeni.

Ego hanc apud Gal. non reperi: ſi tamen Galeni eſt. Per mannā intellige aëreū mel: ſic enim ipſe nominat lib. iij. Aliment. Manna autem apud eum eſt thuris puluiſculus.

Confectio Almezereon.

Scis quid intellígendū per mezereon, ex iis quæ à me alibi adnotata ſunt. Foliorū Almezereon præparatorū.] Eo ſcilicet modo quo ipſe docuit cap. proprio.

Carniū citoniorū elixorū in aceto uini & zuccharo ana partes lxxx.] Suprà dixit lxx. Tereniabin xl.] Suprà dixit lx. Nos hoc tēpore multū ueremur mezereū, & quæ ex eo cōponunt, & propterea hāc nō parāt ſpeciarij: nō inutilē tamen futurā his qui aqua intercute laborant.

Modus confect. Alſebram.

Quid ſit alſebrā, uide proprio capite inter ſimplicia: nunc plantā pro ea accipiunt lino ſimilē, quā eſulā uocāt. Succi fęniculi.] Vereor ne hic ſit menda: ſiquidem ubi de hac planta inter ſimplicia agit, ſuccum aliquē frigidum ſecum miſceri iubet, ut portulacæ uel intybi.

Modus confect. de Eupatorio.

Eupatorium accipe, nō quod uulgò ſic uocant, ſed quam apud nos agrimoniū nuncupāt. Poſſes dare pluſq; aureum, ſi conficeres. Seminis cuſcutæ.] Neſcio an ſemē colligi poſſit, ſcio tamen nō colligi. Et uolubilis.] Lupum ſalictarium intellige, quem lupulum uocant: aliæ enim uolubiles uocatæ impenſius calent.

Alchechengi medicamen.

Trochiſcos hoſce omnes habes infra loco ſuo. Accipe ſuccum uolubilis.] Intellige & hic lupulum uocatum. Eſſet medicamen uehemens, ſed non conficitur.

Confectio electuarij Diacitoniten.

Græci aliter conficiebant, ut apud Paulum licet agnoſcere. Mellis Tabarzet.] Ita genus quoddam ſacchari Arabes uocant.

QVARTA DISTINCTIO. De Conditis.

Nunc omnia melius condiuntur quàm docuerit Meſuas, uel ſciuerint antiqui. Chebuli.] Ex Aegypto adferunt conditi: ſed quia caſſiā redolent, ideo diligentiores ſpeciarij aqua madefactos cum ſaccharo iterum condiunt. Ars autem.] Hac arte potes quaslibet res aridas, quaſi recentes facere. Emblici.] Modus hic oſtendit, quod neq; in Damaſco habeātur recentes. Citonia & alia poma, ſi bene condiantur, ſicuti & ſaporem & odorem ſeruant, ita & uim. Citra.] Cortices uel ſoli cōdiunt, pulpa abiecta, & calidi ſunt: uel ſola pulpa, extimo abſciſſo cortice,

cortice, & frigidi: uel utrunq;, & ferè temperati. Sicut nabet.] Ad mediocrem uidelicet craſſitiem. Secacul.

Dixi ſupra quid eſſet: uideri tamen poteſt ex modo loquēdi Meſue, quod ipſe aliā rem intellexerit. Noſtri pro eo cōdiunt eryngiū. Zinziber conditū.] Zinziber conditum ex Aegypto adfertur, & uiride uocant.

Confectio de Zinzibere.

Vidi ex puluere aridi & ſaccharo parari ueluti offas, efficaces in calefaciēdo uentriculo, & inflatione diſcutienda. Baucię conditæ.

Σταφυλίνου græce, paſtinaca latine. Condīt etiā elixa cum melle & aceto, & nō inutiliter ad menſas uenit. Acorus conditus.

Acorus uulgaris non eſt uerus acorus, ſed radix xiris, ut cōſtat ex pictura utriuſq; apud Dioſ. Ego quādoq; ſuſpicatus ſum radicē quę a ſpeciarijs calamus aromaticus dicitur, eſſe uerā acorū. Zuccharum Roſatum.

Nunc ſunt alij modi faciendi zuccharum roſatū: pulchrius enim & ſuauius fit ex ſucco roſarū in formā placentę, cū ſaccharo redacto: quod & uim quandā retinet ciendæ aluī: amouendi tamen ſemper ſunt à roſis ungues.

Zuccharum Violatum.

Indigent tamen uiolæ &c.] Dubium eſt mihi hoc, ſiquidē uis earū facile reſoluitur: quare puto addendā negationem, ut ſcilicet intelligamus, nō eſſe ſoli exponendas, uel longo tēpore adſeruādas. Zuccharum Bugloſſatū.

Vera bugloſſus dicit, quā noſtri uulgo boraginē uocāt: quæ tamen in antiquo herbario Apuleio adſcripto, corago uocabat. Zuccharum Alchilil.

Lege alchilebel, & eſt roſmarinus. Appellāt autē cōfectionem quæ ex floribus eius paratur, dianthos. Solent tamen aliud parare, ſecuti Nicolaum, cui aromata multa addunt. Mel Roſatum.

Dicitur hoc primum, mel roſatum cum foliis. Et ſunt qui ponunt, mellis & ſucci roſarum.] Hoc dicitur mel roſatum colatum.

QVINTA DISTINCTIO. De ſpeciebus Loch, quæ Græci ἐκλείγματα, Latini linctus uocant.

Loch de Pino.

Hoc apud omnes paratꝰ. Mellis paſſularum.] Id eſt, in quo bullierint paſſulę uſq; ad liquationem. Sumatur quaſi lambendo un, una.] Errant noſtri medici, exiguum quid iubentes homines horū deuorare. Zucchari tabarzet] & paulò poſt [mellis tabarzet.] Dubitari ergo poteſt in quo differant. Dicendum per mel intelligi ſuccum ipſum, ex quo per cocturā fit ſaccharum, quod tamen nondū exiccatum ſit. Zuccharū uero, id quod iam plene exiccatum eſt. Serap. conficit cum melle.

Loch de Papauere.

Hoc quoq; ſolet ab omnibus componi. Et ſit proprie] Non ex hoc componunt, ſed ex eo qui inter ſyrupos nominatur.

Modus confectionis iacur, ſecundum intentionem Galeni.

Recipe decem papauera.] Melius eſt recipere ea quæ nondū dura ſunt, nec tamen ualde mollia: quæ enim ſicciora ſunt, parū habent ſucci: quę humidiora, multum quidē, ſed incoctū: propterea & quæ in locis humidioribus orta, ſunt repudianda. Sint aūt magnitudine mediocri: ſi enim maiora ſint, aqua erit augenda: ſi minora capitum numerus. Aquæ ſextar.] Id eſt ξέσλιτρον. Et ſit aqua pluuialis.] Galenus, uel fontis, nō per plūbeos cannales defluentib. Tunc decoque ea uſq; dum diſcocta ſint.] Gal. ueluti marcida. Et aquæ duæ partes.] Hæc uerba ſunt ſuperaddita. Oportet autem ut miſceatur ex rob quantitas.] Syreo, uel uino cocto, uel dulci. Et nō conuenit in hac intentione mel.] Galenus, miſceri autē oportet huic pharmaco dum coquitur glycyrrhizam, uel ſuccū eius. Et ſi uelis medicamen abſtergens, tunc mel eſt cōuenientius.] Adde ex Gal. Sicut enim his qui ſomno egent melius eſt ea quæ fit per Syreū, ita his quos oportet expuere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea quę per mel optima, quoniã materias quę sunt in pectore, ad expellendum habilitat: dabis aũt alterã earum, cui opus esse cognoueris. Et quandoq; sit medicamen ex utrisq;.] Ex eo scilicet quod per mel, & ex eo quod per Sireon paratũ est. Adde ex Gal. & si æquales fuerint intentiones, æqualiter miscebis: si inæquales, inæqualiter. Dosis eius drach. i.] Gal. duo cochlearia magna, uel plus, uel minus, iuxta ætatẽ, horã. Si omnia ad frigidum uergent, dabis minus: si ad calidum, plus. Respicies quoq; destillationis quantitatẽ & qualitatẽ. Si aũt uelis.] Hæc Crito. Beusistidos.] Lege hypocistidos. Balaustiæ & Ramic.] Non hæc Criton.

Confectio de Moris.

Huius cõmunis usus, & uulgaribus quoq; notus est. Quæ currunt secundũ semitã.] Quia scilicet dicuntur sycamina, quasi fico mora. Et mororũ de seni.] Id est rubi. Gal. facit ex his uel ex illis, & dicit quod ex his est melius. Rob.] Nõ ponit Galen. Et mellis.] Gal. Succus per se melior est phlegmone incipiente, quia scilicet tũc intentio medici est solum ad repellendũ. Sed quia toto anno conseruari non potest, ideo mel miscetur. In sequentibus enim phlegmones temporibus utilior est compositio cum melle, dum scilicet mixta est intentio ad repellendum & resoluendum. Ana libram unam.] Galenus quintam partem mellis miscet in mediocri. Myrrhæ.] Qui cõposuit pharmacũ, miscuit & crocũ & myrrhã. Crocus enim stypticus est, myrrha uero discutit, & ad profundũ meat. Aluminis, succi agrestæ.] Gal. Ego in principio aliquando misceo thun, id est sumacũ, aliquando omphacium: & si hæc nõ adsunt, uel flores rosarum, uel rosas siccas, uel balaustias, uel citinos, uel gallã, uel corticẽ granatorũ piceæ, uel thuris, uel hypocistidos, uel lentisci succum, uel, ut in summo dicat, aliquid adstringens, quod non sit ἀνλωτήριον. Vt uero hæc congruunt in principio, ita postea non egemus aliquo horum, sed ad cõcoquendũ satest addere myrrhã, crocũq;. Vbi uero concocta fuerit, miscendũ quid discutiens, ut aphronitrũ, uel nitrum, uel sulphur, uel sireon, incocto origano, uel hyssopo, uel pulegio, uel thymo, uel aliquo tali. Ana partes æquales.] Placet Gal. ut sint mellis ℔. i. succi ℔. v. croci & myrrhæ ana drach. i. s. omphacij drach. i.

Modus confect. de succis nucum.

Hoc inuenit Gal. & dicit habere uim multũ excellentem reliqua σομαστικὰ pharmaca. Defuit & ad cannam pulmonis.] Copula, &, abolẽda est. Et humidis natura.] Debilibus mente ait Gal. Loch de squilla.

Communiter conficitur, & est ualde efficax ad crassam materiam & tenacem.

Loch de alfescera.

Et hoc cum sit ualde potens, non paratur, quandoq; ego confici iussi, & uix inueni qui uoluerit uel potuerit uim eius ferre. Alfescera, intellige uitis albæ radicem.

Loch sanum & expertum.

Hoc paratũ ubiq; inuenies: est calidius & potentius eo quod de pino, minusq; insuaue: & propterea ego eo libentius q̃ illo utor. Loch ad caliditatẽ.

Non est in usu apud nostros. Chesmes pinguium.] Id est passulas. Sebesten.] Id est myxa: græce μύξα. Cassiæ fistulæ.] Eius scilicet qua recentiores utuntur ad aluum leniendã. A scoffis.] A seminibus uidelicet, & his quæ inter ea mediant.

Loch aliud nostrum.

Valeret hoc in calidis destillationibus, suaueq; esset, quamuis non conficiatur.

Loch bonum.

Nec hoc confectum inuenies, scio tamen nonnullos usos.

Loch ad asthma.

Multum potens, & à nonnullis conficitur. Loch de amygdalis.

Granorum uini.] Lege pini: nec hoc paratur, licet utile sit.

SEXTA DISTINCTIO. De syrupis, & robub & iuleb.

Magna pars eorũ quæ in hac distinctione scribunt, sub his potionibus cõtineri uidentur,

uidentur, quæ Græci ἁδλέα & ἀφέλημα, suauia uidelicet & utilia uocant. Sed & ad προκόμματα, hoc est uerbũ uerbo, præpotiones. Modus operationis iuleb.

Iuleb recentiores Græci zulapon uocant. Primum hoc iuleb ex infusione rosarum. Paulus hydrorosatum parat, coctis lib. iiij. rosarum, in sextarijs v. aquæ, & duobus mellis. Modus iuleb uiolati.

Græci iozulapon uocant, atq; in hunc modũ conficiunt: Viol. unc. iij. in tribus sextarijs aquæ per diem macerant, excolatæq; aquę lib. iij. sacchari adijciunt.

Operatio infusionis rosarum.

Si quinquies rosæ mutẽtur, addito saccharo, fiet syrupus quẽ nunc rosatũ solutiuũ uocãt nostri, Bononienses mucarũ. Iuleb rosarum aliud.

Hoc est in usu, & dicitur iuleb rosarũ, ex quo aquæ cõmixto fit suauissimus potus, ad calorem & sitim amouendam maxime idoneus: quo tamen antiqui nõ utebantur, quia nec aquam rosatam norant, nec hunc sacchari usum.

Iuleb de succo uiolarum.

In cõmuni usu est id, quo multi parũ considerãtes, in uentris fluxibus, quasi ad stringente aluum utunt: cum tamen cõtrarium potius operetur. quod ex succo rosarum fit, & syrupus rosatus dicit. Iuleb iuiubinum.

Zizipha græce & latine dicit, & sorica. Gal. nihili fecit: recentiores in usu habẽt sicca, nec ego ea in totum respuenda puto. Syrup. de pomis.

Scis quid suprà scripserim de malis. Paulus ex dulcibus parat, & uocat hydromalum. Syrupus de piris.

Licet non sit in communi usu, efficaciam tamen haberet si ex congruis piris pararetur, in his quæ Mes. dicit. Syrup. de Citonijs.

Et hunc uocat Paul. hydromalon. Recentiores quidã factum ex malis, malozulapon, hoc κυδωνίων γλύκισμα. Syrupus de Persicis.

Et hic non inutiliter parari potest. Syrupus de succo acetosæ.

Auic. uocat omnem lapathon acetosam. Videtur autem apud Dioscor. sola illa lapathi species quã uocãt oxalyda. Syrup. de succo cucurbitæ.

Magnas uires hic habet in siti & magno incendio extinguendo.

Syrupus de prunis.

Hic præter hoc quod infrigidat, aluũ etiã lenit: loco eius utimur diaprunon simplici, sicuti & duobus de granatis. Paul. rhoiton parat ex part. iij. succi, & una mellis. Sunt qui immergunt setam, quia uidelicet putant habere magnam uim in roborando corde. Syrupus de corticibus citri.

Cum bene paratẽ, cerebrum etiã & cor confortat, si intemperie frigida laborant.

Syrupus acetositatis citri.

Paraui instar huius ex limonibus, & inueni placidum ac utilẽ. Et cõfert ebrietati, uertigini.] Bilioſæ. Syrupus de agresta.

Hic quoq; præstans est. Paulus omphacomeli uocat.

Syrupus de granis myrti.

Myrteton uocat Paulus: magni usus in fluente aluo. Syrupus Chesmes.

Passulas uocant: nullum tamen uidi qui pararet. Syrup. alchelach.

Dicunt esse dactylos: sed mirũ est cum alias interpres cõsueuerit uti uoce dactylorum, quod nunc utatur uoce illa. Syrupus compositi.

Compositos hos uocat, quia præter saccharum aut mel, ex pluribus quãm ex una re constant. Syrupus de papauere.

Longa nimis uidetur hæc decoctio, adeò ut in recentibus uim perdat. Tutius est coquere donec tabescant, nec amplius.

Syrupus dinari, id est de bizantijs.

Barbara certe est hæc inscriptio: & si id notat, quod uerba significant, auaritiã ostẽdit, quæ à bono & uiro & medico debet esse aliena. Efficax tamen est syrupus & multi usus in longis febribus, præsertim ab atra bile factis. Accipe eius clarificati ℔. iiij.] Id est, pro quibuslibet iiij. lb. accipe sacchari ℔. ij. s. Et quandoq;.]

Parant cõmuniter utroq; modo, cum aceto uidelicet & abſq; eo, dum tamen ſimpliciter ſcribitur, acidus eſt accipiendus. Sermo in ſyrupo acetoſo.

Et hoc quidem Galenus teſtatur.] Galenus nuſq; huius meminit, ſed oxymelitis. Propter ſimilitudinẽ & cõmunitatẽ.] Hippocrates & Galenus, acetũ iuuat eos in quibus amara: lædit ſummopere in quibus atra bilis dominatur: magis tamen mulieribus quàm uiris eſt inimicum, quia uterum lædit. In leui.] Si uidelicet non uis multum acidum. Et in forti.] Id eſt, ſi uis multum acidum.

Cum aqua frigida &c.] Non exprimit quantitatem aquæ: nos autem duplam aquam miſcemus, & ex herbis potius elicitam quàm naturalem.

Modus ſyrupi acetoſi cum radicibus. 10

Hoc frequenter utimur, uocamuſq; acetoſum compoſitum.

Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis herbarum.

Eſt ferè byzantinus, niſi quod in hoc minus additur aceti.

Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis fructuum.

Eadem ferè deſcriptio ſuprà, niſi quod ibi tantum acida, hic acida & dulcia granata accipiuntur. Loco huius officinæ parant oxyſaccharum uocatum.

Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis & aquis fructuum.

Zarur, id eſt meſpilorum. Nullam acedinem præterq; à granatis habet: magni tamen uſus eſſet ſi pararetur, in uomitibus & uentris fluxibus coërcẽdis: poſſumus tamen & hoc, & quatuor ante cum deſcriptis pro embammatis condimentiſue ciborum uti. 20 Modus ſyrupi acetoſi de Prunis.

Aquæ tamarindorũ & prunorũ neſcio quo pacto uelit ut fiant, ita ut à ſuccis diſferãt: niſi per coctionẽ uel macerationẽ. Acedo uero citri, neſcio quare hic uocetur aqua, cũ ſuperius eã appellauerit ſuccũ: uteunq; tamen paretur, utilis erit in his, in quibus à Meſue cõmendatur. Modus ſyrupi acetoſi de pomis.

Hic quoq; ſi pararetur, & utilis & ſuauis eſſet, amota tamen camphora. Et da cũ aqua melonũ.] Melones hyemales credo eſſe, qui apud nos cõſeruari ad hyemem, nõ edi conſueuerunt: ſunt q; citris & colore & forma ſimiles, ſed colore magis. Syrupus alius acetoſus.

Alius quoq; acetoſus de pomis uocatus, magni uſus eſſet in ſiti ſedanda, non 30 in acutis febribus tantũ, ſed & æſtatis tempore in ſanis, & præcipue bilioſis: ſetam tamen illã ego dimitterẽ. Syrup. acet. alterniabin.

Ille uero qui inſcribit alterniabin, ex recentiorum uidelicet manna confectus, præter alterandi uim, aluum quoq; modicè leniret. Quod quidẽ ut uehementius facit ille qui poſt eum ſcribitur ſub titulo Acetoſi ſolutione educentis bilem, & uim purgandi habet, præcipue ſcammonio ſuperaddito, ita minus iucundus eſt. Syrupus conferens catharris calidis.

Neſcio quomodo ex his fructibus poſſit fieri ſyrupus, niſi decoquantẽ: quare cũ in fine dicat, fiat ſyrupus, intelligere nos facit ut coquerentur. Syrupus de Cannis. 40

Aquæ malorũ de ſeni.] Seni nomen eſt regionis, ſed nos ponimus dulcia noſtratia, & per has aquas intellige ſuccos. Syrup. de Portulaca.

Placet mihi æſtate, atq; tẽperatura & morbo bilioſis. Syrup. de Violis.

Hic ubiq; paratus inuenitur, & eo utimur in pleuritide. Syrupus de Iuiubis.

Zezipha uel ſorica, ut diximus, uocantẽ. Libræ.x.] Libræ iiij. aquæ nõ ualerent tot iuiubas continere, quare libræ numero centũ, cõmunis uſus eſt in calidis fluctionibus. Vtor tamen ego etiã in hulcere ueſicæ, & ualde confert. Syrupus de Papauere.

Papauer rubeũ, eſt quod Græci αἰσημώνιον, & eſt calidũ: quare potius legendũ, 50 papaueris nigri. Sermo in aqua mellis.

Latini aquã mulſam appellãt. Hipp. melicraton: minuq; aptũ eſſe dicit his qui amara bile abundant, & magnorum ſunt uiſcerum. Galenus in colliquantibus febribus

bribus ait eſſe nocentiſſimã. Idq; quod aqueum eſt, ad urinas & ſputũ aptius: minus uero aqueum, aptius ad uentrem ſubducẽdum: magisq; nutrire q̃ uinum inodorum tenue, quod pauciferũ uocãt: & hoc, niſi uentrẽ perturbet, ſatis urinã mouet: niſi aliquid in uiſceribus prohibeat, bilioſa etiã per inferiora excernit. Et ſi bibitur recens.] Hoc uocat Dioſc. melicraton. Si autẽ bibitur antiquũ.] Hydromel dicit. Melicraton enim uocãt Græci mixtionẽ ex melle & aqua, quæ ideo cõficitur ut ſtatim bibat. Hydromeli id proprie dicunt eſſe, quod ita præparatũ eſt, ut diutius ſeruetur. Melicratũ etiã duplex, ſcilicet coctum & incoctum: coctum quidem, ut ait Hipp. 3. reg. acut. pulchrius eſt uiſu, ſed nullam habet uirtutem, quæ crudum excellat, quod ex bono melle paratum eſt: debilius uero eſt, & alui excrementa minus educit, q̃ id quod eſt crudũ. Auic. accipit mellis part. i. aquæ part. iij. & coquit ad tertiæ conſumptionem. Paulus ut Meſ. aquam octuplam ad mel.

Sermo in Secaniabin.

Secaniabin Arabes, Græci oxymeli, Latini acetũ mulſum. Hip. os & guttur humectat, ſputum educit, inſiticuloſum eſt. Galen. ſpleni & hepati maxime utile eſt, ea abſq; moleſtia expurgans. Hipp. inflationes purgat, & urinas prouocat, inferiora inteſtina molliora reddit, & abradit. Exiguum eius bibit noctu, & ieiuno ante ſorbitionem. Poteſt & bibi multo poſt ſorbitionem. Gal. Satis eſt duarum horarum ſpatium intercedere inter oxymelitis potum & ſorbitionem. Hipp. cum quis ſolo uſurus oxymelite eſt in toto morbo, paucum acetum miſceatur, adeò ut tantummodo agnoſcatur: quoniam Syruporum quorum nunc communis uſus, ab uſu aceti huius mulſi manauit. Multa ex his quę ex Hipp. & Gal. notaui, prudens lector elicere poteſt, quæ communi illorum uſui aduerſantur.

Modus Secaniabin de Radicibus.

Hoc plerũq; utimur, ubi ſcilicet antea per multos dies ſimplici uſi fuerimus, oxymelq; cõpoſitum uocamus. Modus Secaniabin educens phlegma.

Suſpende in ipſo quando coquitur medullã Carthami, Cnici uidelicet: & quia non exprimit quantitatem, tu potes ponere uſq; ad libram carthami. Turbit uero unc. iij. Modus Secaniabin ſolutione educens Melancholiã.

Bugloſſæ domeſticæ.] Id eſt boraginis. Syluestris, id eſt, quæ nomen habet bugloſſi. Chamædryos.] Vulgò calamandrinã dicunt, uel triſaginem. Camæpityos.] Vulgò Iuam, uel aiugam. Bedegar.] Spina alba: addito elleboro, ſatis efficaciter purgabit atram bilem, pondere duarum unciarum.

Modus Secaniabin de Cheſin.

Quidã hoc utuntur, ceu ualido in deobſtruendo. Cheſin.] Id eſt lybiſtici.

Secaniabin de Calamento.

Caſſiæ.] Pro ea accipe cinamomum. Calamenti agreſtis.] Id eſt nepetæ. Domeſtici.] Nõ inuenio domeſticũ, niſi menthã. Acetoſus Diarhodon.

Hic celebratiſſimus eſt, magnã habens cõformitatem cum byzantino, calidior tamen eo parumper: ille uero magis uidetur atram bilem reſpicere.

Acetoſus de ſuccis herbarum.

Vtilis eſſet, ſed nõ cõponitur. Syrupus de Mentha.

Ex his duobus, ſecundum tantũ inuenimus in officinis, utilem quidem in uentriculo roborando. Syrupus de Abſinthio.

Non detur in febribus in principio, neq; etiã poſt ubi febris uehemens, niſi frigidum aliquid ſecũ miſcueris. Ego quãdoq; eo uſus ſum in albis humoribus ex utero fluentibus. Syrupus de Abſinthio ſecundus.

Dici poteſt ſimplex, & ualde congrueret in febribus ã bile poſt vij. Syrupus de Fumo terræ maior.

Purgat ſi in debita quantitate exhibeatur, unc. uidelicet iij. uſq; ad quinq;. Syrupus de Fumo terræ minor.

Si ſuſpendat in eo ſcammoniũ, purgabit plus q̃ præcedẽs: primus tamen cõmuniter paratur, & ego eo utor in morbo qui gallicus dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Syrup. Liquiritiæ.

Videant qui cauent in pleuriticis Manumchristi uocatum, & rheon, quomodo dent hunc Syrup. in quo aqua rosacea. Ego enim nō formido in morbis pectoris, medicinas modice adstringentes. Syrup. de Hissopo.

Hic quoq; syrupus seminum cotoneorum & dactylorum ratione cuiusdā adstrictionis particeps est. Syrup. de Calamento.

Non cognosco calamentum domesticū: credo intelligi menthā, sicut etiā suprà. Nullus tamen horū Syrup. cōmuniter paratē. Secundus satis similis est syrupo de mentha. Syrupus de Thymo.

Licet in usu non sit, efficaciam tamen magnam haberet in frigidis morbis. Syrup. de Eupatorio.

Hic si bene componatur, quod certe non est facile, ualde utilis erit. Bedegar Sucaha.] In his patres nostri magnopere errabant, syluestris rosæ fructū supponentes: tu uero intellige, spinā albā & arabicā. Dioscor. uocat primū λόδυακανθα, alij arabicā. Eupatorium.] Accipe quod uulgo agrimonium uocāt. Pro folio quo caremus, accipe folium gariophylli, si inuenire potes: si non, cinamomum uocatum, uel nardum. Syrup. de Epithymo.

Scabiē & saphati.] Id est ὀχδφας, cū educit, ut ipsemet ait, humores adustos: propter quod magis reponēdus est inter purgatoria, q̄ inter proprie uocatos syrupos: sicuti syrupus de fumo terræ, qui cū hoc multū cōuenit, est tamē minoris purgationis & minus calidus: & propterea illo ego utor in humoribus magis bilios is, hoc uero, quia calidior est, in minus calidis. Syrup. de Stichados.

Conficit hoc duplici modo, addendo uidelicet cinamomū, & reliqua aromata: uel nō addendo, hunc incōpletum, illum completū uocant. Hasce, id est thymi. Alchilil, id est rorismarini. Sermo in Melicrato condito.

Cenomeli græce appellatē, quod ex uino austero antiquo & melle cōponitur. Oenon uero melititen, id quod ex musto, & latine mulsum. At cū melicratū, ut superius diximus, ex aqua & melle cōstat. Proijce super ea.] Appellant hoc tempore uinū in hunc modū conditū Hippocratē. Conditum de Citro.

Corticem citri.] Intellige exteriorē, absq; pulpa. Vel foliorum.] Vbi scilicet cortice careres: uerum facilius multis in locis habebis fructum & corticem, quàm folia. De alio condito de Citro.

Vbi legit croci drach. i. iiij. lege, drach. unius quarta pars. Marmacur.] Melissophyllon intellige. Modus conditi de Buglossa.

Trium generum cydoniorum.] Duo passim nascunt, tertij sunt parua. Vel intellige dulcacida, & sic intellige poma. Alfelengemisch.] Id est ocimū, quod ab odore gareophylliton uocant. Conditum de Citonijs.

Sub miuæ nomine ubiq; paratē: hydromalon Græci uocāt. Hydromalon sic cōficit Paulus: Succi cotoneorum p. ij. mellis p. iij. aquę. p. vi. coque ad tertiā expumādo. Species alefangine.] De his, ubi de pilulis agemus. Magis tamen utimur ea quam simplicem miuam uocant. Aliæ uero duæ quæ sequuntur parari non consueuerunt. Sermo in aceto squillitico.

Quia cōfert epilepsiæ.] Pli. Melācholicis & uertigini. Matricis prę focationi.] Plin. neruis infirmis. Additq; tantā esse uim huius aceti, ut auidius hauftum, extinctæ animæ momēto aliquo speciē præbeat. Quod inueteratum, magis probatē, clariorē oculorū aciem facit, prodest aceſcētibus cibis, & eis qui ieiuni uomunt. Tarditatē aurium gargarizatione purgat: percussis aut præcipitatis, & ob id sanguine coagulato: renum uitijs; cauendum exulceratis: salutare est stomacho, laterumq; doloribus, parum sumptum binis diebus. Quo pacto præparetur scilla, proprio cap. inter simplicia declaratum est. Modus oxymellis squillitici.

Non uideo quomodo possit bene parari sine aqua, si uera sunt quæ uir iste superius dixit de oxymelite, oportere uidelicet addere aquā. Huius aūt cōmunis est usus in longioribus morbis. Duo enim quæ sequuntur, parari nō solent, licet sint meliora

meliora, præsertim id quod scribitur sub nomine Democriti, in quo multæ herbæ apponuntur, quæ sunt à nobis alijs locis declaratę. Rob.

Quid hoc nomine significet, ipsemet declarat, succus uidelicet primo defecatus, dehinc calore solis uel ignis crassior in tantū factus, ut adseruari sine corruptione longo tēporé possit. Rob de Ribes.

De hoc non est mentio apud Græcos uel Latinos, sed apud Arabes tantū: pro quo uide Serap. cap. proprio. Affertur ex Aegypto præparatus. Possemus nos ex succo herbę acetosæ uocatæ, quæ genus lapathi est, id quod iubet Mesue, cōmodè parari. Rob de Agresta.

Paratur à matribus familias, & appellatur omphacium siccum. Rob de Cornis.

Corna crania uocantur græce. Fructus conferunt ad uentris fluxum & dysenteriam. Rob de Berberis.

Græci uocant ὀξυακανθαν. Fructus ualet in diarrhœa & fluxu muliebri. Rob de Sumach. Græce dicit rhus. Rob de moris seni.

Sylueſtribus uidelicet. Alij noti sunt usq; ad eos qui de fructibus inscribuntur, in quorū primo per Zarur ego intelligo mespila, & præcipue genus id quod Azarolum siue lazarolum uocant. In secundo ego potius dulcia granata eligerem, ceu ad aluum subducendam aptiora.

DISTINCTIO SEPTIMA. De decoctionibus & infusionibus.

Decoctiones huiusmodi multum sunt utiles, & ego usus eis multoties, multū profeci: quas tamen compono ad libitum, secundum intentiones occurrentes. Aqua Fructuum.

Hæc esset magni precij ob mannam: nostri autem aromatarij prępărāt absq; ea & cassia. Modus infusionis aquæ casei.

Hæc est nobilis, & ea sum usus plerūq;, præcipue tēpore rosarum, amota tamen spica ceu nō necessaria, & gustui insuauis. Decoctio fumi terræ.

Succi altarasacon.] Troxuna Græci, uulgo scariolam dicunt. Decoctio Alhasce, id est thymi.

Passularum enucleatarum drach. xx.] Lege drach. iiij. Caue ne in dauco decipiaris ab aromatarijs. Decoctio Myrob.

Hac nunq̄ sum usus, eā tamen puto fore utilē, si quis ea usus fuerit, sicuti & ea quæ de stœcade inscribitur. Decoctio de Eupatorio.

Cyprus scilicet, quam Arabes Alchannā uocant, plantæ uidelicet quæ liguſtrū florem gignit: multi cauolinum uocāt. Ego tamen puto potius legendū Cyperi. Decoctio Epithymi.

Hæc efficax est in morbo gallico uocato: ualet enim & ulceribus & doloribus. Infusio de Hiera.

His infusionibus de hiera multoties sum usus in antiquis affectionibus, & ex eis maius iuuamentū cōsecuti sunt patientes, q̄ ex potu aquarū spontinarū, quas balnea uocāt: sed, quod etiā alia pagina monui, modo meo, prout scilicet in re ęgro tantium esse putabam, eas parari iussi.

DISTINCTIO OCTAVA. De Trochiscis.

Trochisci uel cyclisci Græce, Latine pastilli, à figura apud Græcos nomen habuere: quorum aliqui bibuntur, alij injiciuntur, nonnulli inunguntur. Confectio gallię Muscatæ.

Defertur ex Oriente, sed nō bene præparata. Ambræ canni.] Est epitheton ambræ quæ à recentioribus græcis ambar dicit. Ex nostris fuere qui succinū orientale uocarint. Folij Myrrhæ.] Lege Myrti. Oleo de Been.] Ex unguentaria uidelicet glande facto. Confectio gallię Sebellinæ.

Et hæc nō minoris est usus q̄ præcedens. Ramic.] Descriptionē habes infra.

Confectio Gallię Alefangine.

Et hæc eoſdem uſus haberet, ſi bene pararetur. Sandali Citrini aromatizati.] Lege aromatici. Confectio Trochiſcorum Diarhodon.

Nomen hi habent à roſis, & ſub eo in multis compoſitionibus apponuntur, bi bunturq; in morbis ad diuturnitatem uergentibus.

Confectio Troch. de Roſis.

Ex duabus iſtis compoſitionibus ſecũda eſt efficacior. Si uis addere ſcãmoniũ, Vbi legis lib. iij. lege drachmas. Florũ ſquinãti.] In uoce ſchœnoanthos includit flos, quare ſuperflue additũ floris. Confectio troch. de roſis & Eupatorio.

Hi ualidiores ſunt omnibus his qui à roſis nomen acceperunt.

Sucahal ertif.

Hac uoce Suc utũtur Arabes ad ſignificandũ gallią. Succi Albelac.] Sunt ex genere dactylorum, & credo quod ſint immaturi. De lingua auis, & Darſeni, ſuprà dictum eſt. Confectio Ramic.

Ramic ſolent uocare Arabes mixturam quandam ex gallis & paſſulis. Valde adſtringit quocunq; modo quis ea utat. De ſpodio infra dicit. Sicut alcohol.] Id eſt ſubtiliſſime, ut oculares medicinæ teri ſolent.

Trochiſcorum de Camphora.

Res noua, quam gummi arborum dicunt, & putant ualde frigidam. Ego eam quæ ad nos defertur rem factitiam puto, & calidam. Simeon Ampar uocat, dicitq; multis in locis emanare à quibuſdã ueluti fontibus, ſicuti aſphalthũ & ſulphur, eſſeq; aliud fuluum, aliud ſubalbum, & tertium nigrum: habereq; utres calefaciendi & incidendi. Confectio de Rheubarbaro.

Horum potus in his qui mali habitus ſunt, magnæ utilitatis eſt. His uti aſſueuerunt medici in febribus ex decidentia acutis, & incipiente malo habitu.

Confectio Troch. de Spodio.

Spodium fit liqueſcentibus cadmia & ærario lapide: tenuior enim pars exhalans, & recto fornacis adhærẽs ampulleſcit, & πομφόλυξ appellatur. Pars uero grauior deſcendit, & pauimento uel lateribus hæret, quæ ſpodium uocatur. Recentiores Auicennã ſequentes, antiſpodion ſpodio præferunt, maxime id quod ex cannarum radicibus exuſtis: licet ſint alia plura præſtantiora, ut quod ex myrto, uel olea, uel lentiſco. Modum autem confectionis tradit Dioſcorides lib. 5. Veri autẽ ſpodij uſus non fuit, niſi extrinſecus admouendo.

Confectio Troch. de Spodio cũ ſemine acetoſę.

Potentes eſſent in adſtringendo, ſed non parant. Confectio de Berberis.

Nec hos uidi parari: non putarim tamen tam ualidos, ut dicit Meſue, ad ſitim ſedandam. Confectio Troch. de Abſinthio.

Hi communiter conficiuntur, & utiliter bibuntur in longis febribus.

Confectio Troch. de Eupatorio.

Et hi quoq; paſſim conficiuntur, ſed à paucis bene, ignorantibus uerã Eupatorium. Cum ſucco herbarum.] Cum ſucco uidelicet Eupatorij.

Confectio Troch. de Aniſo.

Hi parari recte non ualent, quia caremus folio. Secundi poſſent quidem parari, ſed non parant. Confectio Troch. de Lacca.

Si ex uera parentur, erunt ualde utiles in aqua intercute.

Confectio Troch. de Terra ſigillata.

Terra ſigillata ante paucos annos nõ afferebatur, nũc cœpit adportari. A Græcis dicitur Lemnia ſphragis, uel terra Lemnia. His igitur troch. non magna uis eſt, ſi communis illa & uulgaris apponatur, quam terrã ſigillatam officinæ adhuc uocant, & pro uera uendunt. Sanguinis Draconis.] Secundum Serap. & Auicennam, eſt ſuccus herbæ, quæ à Dioſcoride uocatur Achillion. Nunc defertur à Luſitanis, dicituq; ab eis eſſe ſuccus quarundã arborũ. Euphiſtidos.] Planta eſt,

ſemen cannabiſi, quod quidem adeò ſiccum eſt, ut genituram uirorum extinguat.

Confectio troch. alhandal.

Sunt hi ueluti caſtigatio quædam, ſeu præparatio colocynthidos: & propterea longe ſecurior eſt eorum, quàm illius uſus. Diligenter autem cognoſcendum ab eo qui hoſce parauit, quantum colocynthidis in eis poſuerit: alij enim plus, alij minus accipiunt, cum ægrotantium detrimento, ſi id medicus ignorauerit. In meo codice decem drachmis colocynthidos, adduntur decem & octo aliarum rerum: qui modus facit ut tutò poſſit eorum dari integer ſcrupulus, præcipue ſi ſecundo contritis eadem addita ſint.

Confectio troch. de ſandalis.

Satis anceps ſum, an quos ſandalos nunc uocãt, frigidi ſint. Calefacere enim uidentur dum guſtantur, & extrorſum admouentur. Non conſueuerunt tamen trochiſci ex eis parari, ſed electuarium, quod triaſandalum Nicolaus nuncupat: quo tamen infrigidandi cauſa dato, multos audiui ſe amplius calefactos affirmantes.

De confectione troch. Hamech.

De cyperis & de ligno aloës, quia nõ conficiuntur, fortè ob immodicũ precium, dimiſi. Confectio troch. de capparis.

Horum creber eſt uſus in lienis affectibus. Scolopendriam.] Eam uidelicet quæ uocatur citracum. Agnus caſtus.] Lygos, uel uitex dicitur.

Confectio troch. de charabe.

Iſti trochiſci à Paulo trochiſci de electro dicuntur, & aliter, in hunc uidelicet modum, deſcribuntur: Pſyllij ʒ. 5. maſtiches, ramentorum electri, ireos, croci, ana ʒ. 4. opij ʒ. 2. Charabe.] Succinum, & à quibuſdam electrum dicitur.

Confectio troch. alchechengi.

Alchechengi eſt ſpecies ſolani, quam ueſicariam uocant, & Græci phyſalida. Inde trochiſci diaphyſalidon, qui ab Auicen. corrupte dicuntur dyſſalidi. Albateche.] Cucumeris uidelicet magni, qui anguria dicitur. Boli.] Intellige miltos, quæ & macra: ſunt magni momenti in renũ & ueſicæ doloribus. Solent etiam cum opio & abſque eo parari. Paulus hoc pacto: Seminis cucumeris ʒ. 4. ſeminis hyoſcyami, cicutæ ʒ. 2. fœniculi, lapathi, croci, nucleorum pini, amygdalarum amararum, opij ana ʒ. 1. phyſalidon ʒ. 3. uini quantum ſat ſit.

DISTINCTIO NONA. Suffuf.

Videtur intelligere Meſue medicamina ex odoratis rebus in puluerem redactis cõpoſita: quæ cum aliquo liquore bibuntur. In his pauca ſunt quæ declarationem deſiderent. In primo quidem nihil.

Suffuf aliud de ligno aloës.

Marmacur.] in hoc ſecundo, quod uel meliſſophyllon, uel citratum ocymum ſignificat. In aromatizato, habet.] Pro quo ſaccharum candum accipiunt.

In impinguante.

Tortelarũ de ſeni.] Per quas panem bis coctum. Efficax ſatis etiam eſt ad concubitum ciendum.

Suffuf de granis myrti.

Sauich.] Græce ἄλφιτα, latine polenta. Anabach.] Abach apud Auicen. eſt quod Dioſc. loton arborem uocat. Charub.] Græce ceratia, latine ſiliqua. Sed fortè totum hoc legendum ſimul, hoc pacto: Sauich anabach charub de ſpinis. Nam Auic. cap. de nabach, meminit ſauich de nabach. Serap. uero dicit unã eius ſpeciem habere ſpinas. Erit ergo ſenſus: Sauich, id eſt, fructus acerbi torrefacti ſumpti à nabach, dicto charub ſpinoſa. Alij tamẽ per anabach intelligũt zeriperha, hoc eſt iuiubas. Curticuri.] Id eſt, arboris acaciæ. Tarathit.] Id eſt, hypociſtidos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISTINCTIO DECIMA. De pilulis.

Græci coccia & catapotia uocant. Pilulæ alefanginæ. Et quandoq; exigit diſpoſitio.] Mihi potius augenda quàm minuenda uidetur aloë. Pilularum doſis 3. 1.] Multi nunc aloën lauant cum aqua in qua rheon barbarum longo tempore maduit. Alij cum ſucco braſſicæ.

Pilulæ ſtomaticæ.

Stomachicæ à ſtomacho debebant appellari. Quidam eas paratas habent, & certe utiles ſunt. Trium myrobalanorum.] Citrinarum ſcilicet, chebularum, & Indarum. Doſis eius eſt 3. 2. uel 3. 1. s.] Sed unica etiam mediocriter purgat.

Pilulæ aggregatiuæ. 10

Inter pilulas quibus utimur hæ maxime excellunt. Elect. roſ.] Intellige non id quod Nicolaus, ſed quod ipſemet Meſue inter electuaria ſua ſcripſit.

Pilulæ aggregatiuæ maiores.

Hæ non parãtur. Si quis tamen parare uoluerit, pro ſataragi Indi accipiat quod Dioſcorides uocat lepidion: & pro Harmel, intelligat ſpeciem rutæ ſylueſtris, non cicutam, ut multi. Caſſiæ.] Intellige ligneam uocatam, id eſt, cinamomum uulgare. Pilulæ de eupatorio.

Maioribus quidam utuntur ad morbum arquatum.

Pilulæ de rheubarbaro.

His uti ego conſueui in fine notharum tertianarum in autumno, corroborando 20 eas cum alijs ut opportunum uidetur. & da 3. 2. mane, uel 3. 1. s.

Pilulæ de alchechengi.

Nec hæ ſunt in cõmuni uſu. Caſſiamfiſtulam.] Intellige ut ſuprà, ligneã.

Et ſi eſt tuſſis cum febre.] Nota hanc mixtionẽ in tuſſi, quam potes in alijs quoque pilulis facere.

Pilulæ ad febrem antiquam.

Bedegar.] Id eſt, ſpina alba, ut ſuperius diximus. Satis leniter purgant.

Pilulæ Indæ.

His cõmuniter utimur in atra bile purganda. Lapidis Lazuli.] Id eſt, Cyanei. Loti.] Toties ut nullum amplius uel ſaporem uel odorem in aqua relinquat. Doſis.] Satis eſt ut unica drachma detur. 30

Pilulæ alandal.

Nonnulli eas parant, ſed pauci utũtur, quum tamen efficaces ſint in pituita educenda. Pilulæ de ſarcocolla.

Ego nunquam his uſus ſum, nec uidi medicum utentem.

Pilulæ fœtidæ maiores.

Harmel.] Audi, ut ſuprà, ſpeciem rutæ ſylueſtris. Da drachmam unam: ſatis enim potentes ſunt.

Pilulæ fœtidæ minores.

Minus ualidæ ſunt prioribus. 40

Pilulæ de ſerapino.

Nec̃ his uſus ſum unquam.

Pilulæ de euphorbio.

Validæ ſunt in articulorum affectibus à pituita factis.

Pilulæ de raued.

Licet raued idem ſit quod rheon barbarum, pilulæ tamen hæ longe efficaciores ſunt quàm quæ de rheubarbaro uocãtur. Doſis tamen non tranſcendat drachmã.

Pilulæ mezereon.

Valide purgant aquam: tutius tamen eſt miſcere cum eis rheon, uel pilulas de rheubarbaro uocatas.

Pilulæ

Pilulæ lucis maiores.

Has ego roborare conſueui, in pituita quidem educẽda cum coccijs, in bile cum aureis. Minores magis reſpiciunt atram bilem quàm maiores.

Pilulæ ſtomaticæ noſtræ.

Primæ pituitam purgant, & uentriculum roborant: ſecundæ bilem etiam purgant: tertiæ pituitam: quartæ inter omnes has ſunt minus calidæ.

Pilulæ alandahal.

Hæ minus calidæ ſunt quàm quæ iuxta Hermetem ſuperius ſunt deſcriptæ.

Pilulæ aliæ ſtomaticæ.

Non multum differunt ab his quæ tertio loco ſuprà ſunt ſcriptæ. 10

Pilulæ de agarico.

Hæ ubiq; confectæ inueniuntur, & pectori ſunt admodum utiles. Auic. eas deſcribit cap. de aſthmate, ſed non apponit myrrham.

Pilulæ quæ conferunt ad febres cholericas.

Non eſt tutus earum uſus in febribus magnis.

Pilulæ diarhodon.

Faciles admodum eſſent, ſed non parantur.

Pilulæ de Turbit.

His patres noſtri utebantur, & Turbitatas uocabant.

Pilulæ de lapide Lazuli. 20

Sunt fortiores quàm Indæ, in atræ bilis purgatione.

Pilulæ de lapide Armeno.

Non parãtur hæ, quoniã lapide Armeno caremus. Ab Alexãdro deſcribunt̃, & ſummopere cõmendantur. In uarijs tamẽ codicib. uario modo legit̃ earũ cõpoſitio. In antiqua interpretatione hoc modo: Picræ, epithymi, agarici, ſcãmoneæ ana ʒ. 4. lapidis Armeni loti ʒ. 4. gariophyl. gra. 20. In alio exẽplari legit̃: Scãmoneæ ʒ. 2. lapidis Armeni ʒ. 4. In alio legit̃, ana ʒ. 4. Confice cũ ſucco citri uel rhodomelite: dabiſq; ʒ. 2. Meſue infrà de ſoda melancholica accipit de alijs ʒ. 4. de ſcãmonea ʒ. 5. gariophyl. ʒ. 1. Pilulæ ad omnes morbos.

Has uocant aliqui alchhaiher, alij de cynogloſſa, & magnã uim habent in tenuibus ſiſtendis deſtillationibus: ſed non eſt eis temere utendũ, ſicuti nec̃ alijs ſtuporẽ inferẽtibus. Aliæ in eundẽ uſum ſcribũtur ab ipſomet Meſue cap. de catarrho, quas dicit eſſe Alexãdri: quæ nõ alia re differũt ab eis quæ deſcribit Alex. niſi quod iubet Meſue cõficere eas cũ ſucco cynogloſſæ, & Alex. cũ aqua in qua opiũ diſſolutũ ſit.

Pilulæ de ſerapino.

Sagapenon, ut inter ſimplicia ſcripſi, Galen. nõ habet pro purgatorio, ſicuti nec opopanacem. Sataragi.] Vt ſuprà lepidion. Harmel.] Ruta ſylueſtris.

Pilulæ de bdellio maiores.

Pilulæ iſtæ omnes quæ de bdellio dicunt̃, ualent profuſioni ſanguinis ex ano, nõ aũt his quas hæmorrhoidas cæcas uocãt. Venarũ aduſtarũ.] Accipe uel cortices auellanarũ aduſtos, uel radicem aliquã ſtypticã aduſtam. Vltimæ efficaciſſimæ ſunt nõ ſolum in fluxu ſanguinis per ani uenas, ſed & in menſtruo ſuperfluẽte, & per os exeũte. Pilulæ de colocynthida.

Hæc in uſu non ſunt: eas tamen ſi quis parare uoluerit, pro albo naſturtio thaſpi accipiat.

Pilulæ de opopanaco.

Nec hæ in cõmuni uſu ſunt: efficaces tamẽ in articulorũ doloribus à pituita factis.

Pilulæ de hermodactylis.

Maiores ubique, minores in multis locis parantur, tertiæ nullibi. Harmel.] Accipe ſylueſtrem rutam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pilulæ febeliæ.

Parari assueuerant, sed nullus ferè utebatur.

DISTINCTIO VNDECIMA.

Vnguenti & Emplastri nomine, sed & Ceroti, aliter antiqui, aliter neoterici usi sunt. Illi enim unguẽta ea duntaxat uocabant, quæ ex odoratis rebus cõficiebãtur: emplastra, quæ ex metallicis: cerota, quæ ex oleo & cera. Neotericis unguenti nomen ad antiquorũ emplastra & cerota extenditur, cerota ea solum uocantes, quæ ita cuti hærent ut uix auelli possint: quæ ab hærendi ui à Galeno ἐπιπώματα dicta sunt. Emplastra uero neoterici, quæ antiqui cataplasmata, nominant.

DE VNGVENTIS ET EMPLASTRIS.

Hysopi cerotum descriptione Galeni.

Oesypum uocant Græci, neutro uel masculino genere, pingue illud quod ouiũ lanis adhæret. Terebinthinæ.] Vera hactenus caruimus: sed eius loco imperiti accipiebant lariceam resinam, quam Venetijs adhuc largatum, quasi laricatum uocant. Cœpit uera nuper adportari ex Rhodo, sed cocta.

Operatio hysopi humidæ.

Alium modum colligẽdi, nõ magnopere tamen ab hoc diuersum habes à Dios. lib. 2.

Hysopi cerotum descriptione Philagrij.

Est fortius quàm primum & magis potens ad emolliendum, quare idoneum est ad tollendas eas durities quæ à morbo Gallico fiunt: adiectis etiam interdum quibusdam potentioribus, & magna cogente necessitate cinnabari.

Hysopi cerotum descriptione Pauli.

Apud Paulum hanc cõpositionnem nõ legi, sed aliã longe diuersam. Sigiæ.] Styracem ego potius caperem, licet aliqui myrrham intelligant, quæ stacte dicitur.

Vnguentum diaphœnicon.

Adipis zirbi.] Aliqui legũt cerui. Calchotar.] Chalchãti nũc accipiũt, quod uitriolum uocãt, quia & ex his multa depdita sunt nostrorũ ignauia. Auic. habet hoc loco chalchadis, quod significat chalcitim: sicuti & Gal. 1. lib. de cõpos. med. secundũ genera: ex cuius lectione multa potes castigare quæ hic perperàm legũtur. Vbi scribitur, Ignis autem sicut primæ: legendum est, Ignis autem sit prunæ.

Vnguentum diaphœnicon Arabica descriptione.

Cheiri.] Id est leucoij, matronalis uiolæ. Pro triafilon, fortè legẽdum trifolium acidum, quod alleluya uocãt. Nam ingreditur etiã aliud unguentũ, quod uiride uocatur. Vel intellige loton domesticã, de qua Auic. scribit cap. de Andacoca, & quã etiam Paulus uocari scribit trifolium. Alisam uero intellige uel quam Dios. uocat alysson, & Auicen. alguasen: uel lege alisma, quod est uirga pastoris secundum Stephanum. Quidam pro hac etiam legunt trifolij acidi. Calchadis.] Id est, chalciteos. Acori.] Non memini me legisse compositionem in qua hæc folia reciperentur, quare suspicor hic subesse errorem.

Emplastrum Arabicum.

Ex folijs herbarum earundem.] Leucoij scilicet & trifolij.

Emplastrum relatum ad Nichodemum.

Quidã chirurgi hoc utũtur in antiquis ulceribus, addito uitriolo. Valet etiã fistulis.

Vnguentum aliud Nichodemi.

Hoc ceu liquidiore possunt in eodem usu tingi linamẽta quæ intra ulcus dantur.

Vnguentum cerasteos.

Vim habet molliendi, mundandi, & glutinandi. Paruum uero maiorem uim habet in carne gignenda.

Vnguen

Vnguentum arthanitæ magnum.

Vidi magnam utilitatem sequutam ex hoc in aqua intercute. Paruum.] Magnam uim habet in liene minuendo. Et succi cauenizich.] In cap. de Harta, ubi etiam describitur hoc unguentum, non ponitur hæc res, uel aliquid eius loco. Nec bene, præterquam diuinando, inueniri potest quid sit: nisi fortè legendum sit carmezich, quo fructus Tamarisci intelligitur. In quibusdam codicibus legitur chamæactes, & placet ea lectio.

Vnguentum de lino.

Panni linei soli uim habent exiccandi ulcera, ita ut cum his quidam curent uulnera recentia, additis tamen quibusdam cantionibus.

Vnguentum altaranhel.

Taranhel.] Intellige uel cantharides, uel cãpas, uel pityocampas, uel bupreστes.

Vnguentum rosatum, & unguentum uiolatum.

Docet Dios. odorare adipes ex quo modo hæc manarũt: sicuti & uocata pomata, si addatur opium, erunt efficacia in doloribus mitigandis & somno prouocando.

Vnguentum de papauere.

Hoc quoq; est ualde efficax ad somnum, & ad arcendos dolores.

Vnguentum basilicon.

Quomodo ualet uulneribus in quibus est calefactio, cum sit calidum? Puto deesse negationem, & legendum, non est calefactio: & sic etiam scripsit Auicenna. Basilicon Pauli recipit, Ceram Colophoniam, picem, adipem taurinum, æqualia.

Cerotum de sandalis.

Satis suspicor ne multum uergat ad calidum: siquidem sandali calidi esse uidentur, ut suprà dictum est, & camphora. Spodij.] Sumunt moderni pro spodio antispodiũ ex ambustis cannis: quod certe uel calidum absolute est, uel partes multas calidas habet, Auicenna etiam teste.

Cerotum Galeni.

Vltimum in infrigidatione.] Vltimum intelligendum non in gradu seu ordine, sed in modica & absque noxa infrigidatione. Galenus dixit simplicissimum inter infrigidantia & humectantia, & eo utebatur in erysipelatibus & phlegmonis pudendorum ab initio. Ceræ albæ.] Pontica optima abluta. Olei rosati uncias quatuor.] Vel, tres. Oleum omphacinum.] Optimum est autem exacte tenuium partium, ut Sabinum. Aquæ fontium.] Galenus: Misceantur & simul liquentur in uase duplici, & fiat humidum cerotum. Infrigidato ceroto inspergatur tantum aquæ frigidæ paulatim in mortario, quantum potest suscipere ut mollificetur. Satis autem infrigidabis cerotũ ubi primũ fuerint mediocriter coagulata, infundens totum uas in aquam frigidissimam. Cum aceto albo.] Si miscueris parũ aceti satis tenuis & splendidi, magis humidum & frigidum facies pharmacũ. Nec debes pharmacũ tandiu dimittere supra corpus donec calefiat, sed continuò mutare: quod pauci hoc tempore aduertunt. Vide Galenũ decimo Methodi.

Vnguentum de bdelio.

Validum certe est hoc, & potens ad discutiendum & emolliendum.

Vnguentum ualens similiter.

Potentius est hoc quàm præcedens. Cauendum tamen ne discussã tenuiore materia residuum indurescat. Rhodinum tamen eius uim minuit.

Vnguentum philagrios.

Glutinis alimbac.] Id est, terminthi. Sigiæ.] Vel styracis liquidi, uel purioris myrrhæ: sed primum magis hoc loco probo.

Vnguentum aureum.

Resinæ colophoniæ.] Vel totum simul coniunctim pro una re intellige, uel per

Universidad de Deusto
Biblioteca

resinam,pineam: per colophoniam,eam quæ ex Colophone adfertur.

Vnguentum de ceruſa.

Merdaſengi.] Id eſt,lithargyri. Scoriæ argenti.] Spurcitia in omni metallo ſic uocatur: ſed argẽtea uocatur helcyſma à Dioſcoride. Argenti uiui.] Vbi argentum uiuum tractas,caue ne membra principalia eius uim perſentiant.

Ziniar.] Id eſt,æris æruginem.

Vnguentum ſericinum.

Hoc neminem uidi utentem: ualidum tamẽ puto,atq; longe ualidius ſi ſericum ureretur. Vnguentum Aegyptiacum.

Hoc in frequenti uſu eſt uulnerarijs medicis,ſolentq; unguentum de melle appellare. Floris æris.] Sunt ueluti milij ſquamæ ſponte ab ære cadentes,quum panes æris aqua refrigerantur.

Vnguentum tripharmacum.

Hoc quoq; frequentiſſimum eſt,& uocant expertum. Triti ſicut alcohol.] Id eſt,ſubtiliſſime. Galenus 1. de medic.compoſ. ſecundum genera,hoc dupliciter parari docet,per hydrelæon uidelicet,& oxelæon. Addit & tertium per œnelæon. Docet quoq; ibidem uſum crudi lithargyri.

Vnguentum tripharmacum aliud.

Hoc coctum uocant,& in eundem uſum habent priori ſplenio ſuperpoſitum.

Vnguentum alfeſiricon.

Relatum ad Alexandrum.] Pro Climia,Cadmia intelligenda,de qua Dioſcor. Per alfeſiricon intellige pſoricon,de quo ſtatim. Oleum de oleandro.] Nerion uocatur à Dioſcoride,ſoſandriũ à Latinis,ut ipſemet dicit: alij rhododendron.

Confectio alfeſiricon.

Pſoricon.] Græce dicitur,& ſecundum Dioſc.recipit chalciteos p. 2. Cadmiæ p. 1. & teruntur cum aceto. Iuxta Galen.chalciti partes duas,lithargyri unam.]

Confectio unguenti ſanans &c.

Hoc nullibi uidi parari: putarim tamen non inutile.

Hyſopi cerotum.

Hoc facilius parari poteſt quàm huius generis alia,nec erit minus utile.

Cerotum Galeni.

Quomodo in aqua roſarum,ſi Galeni: quum eius tempore non fuerint inuentæ noſtræ hæ aquæ. potes decoctum intelligere. Cerotum tamen Galeni quo aſſidue utebatur,deſcribitur ab eo lib. 8. de compoſ.medic.ſecundum loca, & à Paulo hoc modo: Ceræ albæ unciam unam,uel in æſtate drachmas ſeptem,aloës,maſtiches drachmam unam,olei omphacini,uel melini, uel nardini,quantum ſufficit. Si uero pluri egent ſtypſi,adde omphacij drachmam unam,aut abſinthij, & tertium cum his hypociſtidos & œnanthes,& rhu,id eſt,ſumachi ſuccum.

Cerotum diapente.

Hoc formam habebit cerati recentiorũ,ſi exiguũ quid addatur irini olei: ſi plus, cerotum fiet antiquorũ. Sigiæ.] Id eſt ſtyracis,ut ſuperius dictum eſt. Glutinis zanaham.] Fortè gummi ederæ.

Cerotum Alexandrinum.

Storacis calamitæ.] Styracen calamitem uocat Galenus eum qui intra calamos ferebatur: nunc deſijt ferri,ſed loco eius habemus ſiccum uocatum.

Cerotum aliud eiuſdem.

Hoc ſi bene pàretur ualde idoneũ erit ad duros tumores,& præcipue Gallicos, articulorumq; dolores. De naphtha habes apud Dioſcor.cap.de aſphalto.

Cerotum Andromachi.

Olei de been.] Id eſt balaninum,ut ſuprà,nec paratur,nec parari recte poteſt.

Emplaſtrum

Emplaſtrum diaquilon.

Diachylon dici debet,ſicuti & quæ ſequuntur,à ſuccis quæ recipiunt,quas mucilagines recentiores uocant. Iſtud eſt Auicennæ fermè ad literam. Deſcribitur & à Galeno iuxta Democritum,ſed oleum ſedecuplum eſt ad lithargyrũ tempore hyemis,æſtate ſeſquiſextum lithargyri ad altheam duplum. Paulus ſcribit aliud emplaſtrum διαχύλου,hoc modo: Lithargyri ℔. 6. olei æſtate ℔. 7. hyeme 8. ſeminis fœnugræci ξύλου ſemis,ſeminis altheæ ℔. 3. bulliant ſemina fœnugræci & altheæ in xeſtis uiginti aquæ donec remaneant libræ quatuor,pòſt miſceas oleum:bulliantq; donec ceſſent ampullæ: deinde inſpergens lithargyrum coque lento igne. In Galeno legimus ſextarios octo aquæ. Diachylon inuentum à Menecrate recipit, Lithargyri auri libras duas,axũgiæ antiquæ libras quatuor,olei antiqui libras quindecim: addit aliquando libram unam radicis altheæ.

Emplaſtrum diachylon magnum.

Operoſius eſt quàm præcedens. Diachylon paruum.] Hoc minus calidum.

Emplaſtrum de granis lauri.

Inuenitur mirabile ad hydropiſim.] Erit quoq; ad multa alia utile,præcipue ad inflationes diſcutiendas.

Emplaſtrum ad ſtomachum & hepar.

Cauendum æſtate,& in temperatura biliоſa.

Emplaſtrum de gallia.

Duo hæc de gallia nuncupata efficaciter adſtringerent,ſimul & roborarent,ſi recte pararentur. Tortellarum de ſeni.] Id eſt,panis bis cocti.

Emplaſtrum aliud de gallia.

Sauich.] Latine polenta,græce ἄλφιτα.

Emplaſtrum relatum ad Andromachum.

In doloribus Gallicis eſt ualde efficax. Auripigmenti rubei.] Dioſcorides ſandaracæ. Et citrini.] Id eſt,arſenici naturalis,non factitij: nũc auripigmentum uocant primum: ſecundum non facile inuenias. Iameni.] Id eſt quod Græci ſchiſton,Latini ſciſſum,uulgò plumacium,uel de pluma.

Emplaſtrum aliud Andromachi.

Vicem habet cauterij,ſicuti & alia permulta per chymicã artem inuenta. Tribus horis.] Caute agat medicus ubi admouet huiuſcemodi urentia, crebroq; locũ inſpiciat. Vidi ego quandoque ex minore quàm trium horarum mora, difficillima facta ulcera, cum patientis damno & agentis uerecundia.

Emplaſtrum ſinapiſmum deſcriptione Democriti.

Sinapiſmi creber apud antiquos uſus,ad materiam longioribus in affectibus extrorſum euocandam. Ad uenam ſciaticam &c.] Archigenes in ueteſtis ferè omnibus. Sit ſinapis pars una,& ficuũ alia.] Si mediocri eges ſinapiſmo: ſi imbecilli,pone ficuum par. 2. ſinapis partẽ unam. Syriacũ & Aegyptium ſinapi præfert Paulus. Schibalæ.] Caprinum uidelicet ſtercus,ſunt expeditiores ſinapi, proprie autem ſunt iſchiadicorum. In corporibus boni ſenſus,& quorum in cute languor non eſt,panis loco ficuum congrue apponitur. Fimo columbarum agreſtium.] Hoc ſe crebrò uſum ait Aëtius: apponitur autem ſtomacho & uentri in longis eorum affectionibus. Valet præcipue iſchiadicis & podagricis, & omni membro reſoluto,uel aliter refrigerato,in lethargicis & alijs deſipientijs. Valet etiã ſecundum Paul. epilepſiæ,uertigini, maniæ,ſi capiti apponatur: ſin thoraci,aſthmati,orthopnœæ,tuſſi antiquæ,catarrho antiquo: ſi utrique,capiti uidelicet & pectori. Sinapi antè aceto infuſum,ut quidam faciunt,debilius facit ſinapiſmũ: ubi abſtuleris,ablue: & ſi dolor ſit magnus & bullæ,appone cum linteo ſuccum maluæ uel fœnugræci,& pòſt roſaceum cerotum cum ceruſa. In reſolutis qui non ſentiunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

crebrò detergere & reſpicere oportet ne immodicè agas.

Emplaſtrum de fermento.

Faufel.] Auellana Inda, uel alia res Ihdica, de qua Simon Genuenſis. Sieff memithe.] Glaucium à Græcis uocatur. Et rumpit apoſtemata.] Tumores præter naturam qui diſcuti nequeunt, ad ſuppurationẽ ducit. Dubeleth.] Eos ſcilicet qui iam ſuppurati, rumpit. Baurach.] Nitrum, naturale tamen, nõ factitium. Paulus ad rumpenda apoſtemata: Fermenti, axungię uncias quinq;, ſalis uncias quatuor, reſinæ pini uncias tres, ceræ uncias quatuor, aphronitri unciã unam, ammoniaci uncias duas, mellis uncias ſex, ſaponis uncias duas. quod efficax certe eſt in his qui ferrum pauent.

Emplaſtrum filij Zachariæ.

Emollit, ſed non eſt ualde potens, niſi omnia addantur quæ hic ſcribũtur. Glutini zanahan.] Intellige ut ſuprà.

Emplaſtrum diaphœnicon ad ſtomachum.

Calidius eſt quàm id quod ſequitur, & ideo antiqui noſtri uocabant calidum.

Emplaſtrum diaphœnicon Alexandri.

Hoc uocabant noſtri patres frigidum. Aliſtimbre.] Id eſt, concoctionis.

Emplaſtrum Alexandri.

Hoc uim habet diſcutiendi, ſimul & molliendi.

Emplaſtrum relatum ad Ariſtarchum.

Hoc efficaciam maiorem habet quàm id quod præceſſit, in molliendo & diſcutiendo.

Emplaſtrum Oribaſij.

Conficæ.] Id eſt, laudani. Cuſcutæ.] Vel error hic eſt, uel non eſt Oribaſij: ſiquidem eius tempore Cuſcutæ uox ignorabatur.

Emplaſtrum Oribaſij aliud.

Si cum aceto ſcillitico componatur maiorem uim habet molliendi: ſi cum ſucco apij, diſcutiendi.

Emplaſtrum de meliloto.

Vera meliloto caremus, ex qua ſi cõponeretur longe excellentius eſſet. Sed nec cum uulgari paratum uiribus caret: diſcutit enim, emollit, & inflationem aufert. Paulus τὸ διὰ μηλιλώτου, Croci, nardi celticæ, cyperi, cardamomi, myrrhæ ana drachmas duas, meliloti libram unam, ceræ libras tres, terebinthinæ libram unam, cyprini olei libras tres, gleucini libras duas, bdellij uncias ſex. Aliqui & cipheos uncias duas, uini quantum ſufficit. Galen. lib. 8. de compoſ. medic. ſecundum genera, addit ammoniacum & acetum, & in ponderibus differt.

Mixtura ad uulnera ſananda.

Gariophyllata herba eſt nunc uulgò nota, neſciẽtibus tamen quo nomine apud antiquos uocaretur. Dubitaui aliquando, an eſſet rhodia: nunc ab ea ſententia in totum receſſi. Herbæ ueteris.] Si legitur uitri, parietariam intellige: ſi uenti, cotyledon, quæ & cymbalaria. Caulis tenerarum rubei.] Si omnia hæc ſimul legantur, braſſicæ rubræ caules intellige: ſi ſeorſum, duas res accipe, braſſicam uidelicet & rubum. Cõmendatur in hoc caſu utrunque, braſſica uidelicet, & præcipue rubra, & rubus. Neſcio tamen quo caſu hæc mixtura in hunc locum irrepſerit, ſiquidem potus eſt, non emplaſtrum. Ad eius exemplum formantur infinitæ penè eius generis potiones, ad uulnera noua & antiqua ſummè utiles: quas ego non ſemel expertus ſum, curauiq; cum ſolis eis peſſima & deſperata ulcera.

Vnguenta duo palmea nõ ualde differũt à duobus quæ ſuprà diaphœnicon uocata ſunt. Et loco palmæ, ego quandoque accepi ramũ quercus, & parari feci, atq; utile admodum inueni. In primo cuſtoditur proportio ipſius Galeni libro primo de medi

de medicamentorum compoſitione ſecundum genera.

Vnguentum expertum ad ſcabiem.

Potens eſt. Sed caue ne ob argentum uiuum attingat propè membra principalia, addeq; maſtichen.

DVODECIMA DISTINCTIO. De oleis.

Oleum dum abſolute legis, oliuarũ intellige: & nouum, quod etiam uim rerum in eo madentium facile ſuſcipit, & ita ſecundum genus à Meſue ſcriptum cõſtituit. Tertium inter omnia efficaciſſimum, pauci norunt elicere, ſed hi tantum qui artem chymicen uocatam callent. Hi enim ſunt de quibus Meſue dicit, quod uires quæ ſunt in concreto, id eſt, in compoſito occultæ, manifeſtas faciunt. Hos, chymiſtas ſcilicet, monet ut conſulamus. Primum & ſecundum genus omnes parare ſciunt.

Oleum de amygdalis dulcibus.

Paulus: Quidam contundentes ʒ. ꝛ. amygdalarum, ponunt in ſextario uno olei dulcis, & coquunt in duplici uaſe. Fit autẽ ex amaris, non ex dulcibus, etiam ſecundum Paulum Aeginetam. Quidam metopion dicunt, ait Dioſcor. de eo tamen loquens, quod fit ex amaris: nam de hoc non ſcribit. Modus operationis alius.] Modus hic ſimilis eſt ei quem docet Dioſcorides. Et fundatur deſuper aqua calida.] Dioſcorides pro octo ſextarijs amygdalarum, addit cotylas duas aquæ, & dimittit per ſemihoram: factaq; maiore attritione iterum apponit cotylam aquæ.

Zainari.] Torcular intellige.

Oleum de amygdalis amaris.

Dioſcorides: Facit ad uteri dolores, præfocationes, euerſiones, & inflammationes cephalalgiæ, nephriticis, difficulter mingentibus, & calculoſis, aſthmaticis, lienoſis, rugas & ephelidas faciei cum melle & lilij radice cyprino, uel rhodino ceroto emendat &c.

Oleum de nucibus.

Καρυὸν eandem uim habet balanino, de quo inferius Dioſcorides.

Oleum de auellanis.

Non ualde differt ab oleo nucum. Bibitur autẽ utiliter in articularibus morbis.

Oleum de criſomilis.

Sic uocant quæ Græci Armeniaca, & Latini præcocia: ex quorum nucleis hoc oleum paratur, qui ſunt & dulces & amari ſicuti amygdalarũ, nec uiribus multum ab illis euariant.

Oleum de Perſicis.

Valet etiam & potum & inunctum in renum affectibus, uermeſq; & interficit & educit.

Oleum de been.

Balaninum dictum, uentrem purgat. Surditati.] Dioſcor. cum adipe anſeris: ſed ſtomachum lædit. Cicinum ualet achoribus, ſcabiei, phlegmonæ, ſedi, clauſo utero, cicatricibus, dolori auris, uermibus, & aquoſis humoribus, per os ſumptũ.

Oleum de cherua.

Græci uocant cicinũ. Valet achoribus, ſcabiei, ſedis inflãmationibus, uteri euerſionibus & occluſionibus, fœdis cicatricibus, atq; aurium doloribus.

Oleum de carthamo.

Dioſcorides cnicelæum uocat: ualétque idem, dicit, quod cocci gnidij, ſed eſſe imbecillius.

Oleum de nuce Indica.

Huius non meminerunt Græci. Valere nunc creditur conceptui.

Oleum de ceraſis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mirabile esse dicitur in renum doloribus & calculo.

Oleum almahaleb.

Quidam dicunt esse cerasum syluestre. Conficienda utraq; ex nucleis.

Oleum de granis citri.

Valet in pestilentia, & uermes interficit potum & inunctum.

Oleum de fisticis.

Pistacia Græci uocant. Stomacho tamen nocet.] Hoc non credo.

Oleum laurinum.

Daphninon. Confert neruis læsis.] Omnibus etiam eorũ affectibus. Dioscorides ei uim tribuit calfactoriam, apertoriam, mollificatiuam, solutiuã dolorum, horroribus qui fiunt in febribus, auris dolori, catarrhis. Purum fit ex granis ipsis puris: commixtum accipit tantundem oliuarum maturarum. Confert dolori stomachi, & dolori colico, & renum.] A frigiditate scilicet factis & inflatione.

Oleum de granis uiridibus.

Id est, de fructibus Terebinthi.

Oleum de stincho.

Pro stincho credo legendum schino. Est autem σχίνος lentiscus, ex cuius fructu fieri oleum docet Dioscorides: sanareq; scabiem iumentorum & canum, sistere sudorem, misceri pessis, acopis, & his quæ ad lepram cõmuniter prosunt. Cõueniunt tamen remedia Mesue potius mastichino.

Oleum de balsamo.

Longitudine unius cubiti, similis rutæ agrestis.] Dioscor. magnitudine leucoij, folio rutæ simili, albiore. Scalpellatio.] Dioscorides, cum unguibus ferreis, diebus canicularibus. Et quandoque ego in oleo antiquo madere facio lignum & fructum balsami integram diem, extrahiq; deinde per chymicam artem oleum, & adseruari ceu opon balsami ad multiplices usus. Modum tamen à Mesue ultimo scriptum ualde etiam probo.

Oleum de granis sisami.

Vox barbara altachine est: credo debere fieri ueluti panes, uel quod nõ fiat perfecta mollitura. Sesaminon, ait Paulus, fit contusis & expressis, uel insperfis aqua calida, sesami granis.

Oleum de semine lini.

Vbiq; præparatur, quia uidelicet ad alios usus quàm medicinæ accommodatur. Quidam dederunt pleuriticis, nec sine utilitate.

Oleum de granis papaueris.

Et sahare.] Id est, uigiliæ. Hoc aliquando uidi paratum, sed ex lactucæ semine nullibi. Vtrunq; tamen utile putauerim & introrsum & extrorsum, in somno ciendo, & doloribus, præcipue qui cum morsu fiunt, mitigandis.

Oleum de semine cucurbitæ, citrulli, & cucumeris.

Iussi hæc parari pro lotij ardore mitigando. Ex multis alijs.] Vt ex semine hyoscyami, raphani, melanthij, sinapis, canapis. Fiunt autem olea per.] Secũda pars, ubi alius modus docetur faciendi olea, ab initio à Mesue propositus. Paulus appellat hæc olea μυρώδη, id est, unguentaria: quorum quædam dicit simplicia, quædam composita.

Oleum rosarum completum.

Folia rosarum.] Exungulata. Quantitatẽ sufficientem.] Græci determinant quantitatẽ, sed puto modum Arabum meliorẽ. Paulus sic construit: Rosarũ rubearum exungulatarũ per diem unam naturalem exiccatarũ ℥. 3. olei omphacini sextarium unum: obstrue diligẽter uas ne expiret, expone soli per quadraginta dies: reponeq; nõ super pauimẽto, sed tabula. Alij nõ soli exponũt, sed in puteo ponunt: alij

alij fodiunt sub terra quadraginta dies.

Oleum chamæmelinum.

Prohibet febres, ut Galenus testatur. Propter stipticitatẽ.] Galenus ei uim laxandi non adstringendi adscribit. Paulus sumit florum absq; albo, per naturalem diem siccatorum uncias duas pro sextario uno Italico, & tegit uas linteo simplici ut transpiret, & exponit soli per quadraginta dies: pòst bene obturato uase reponit. Vbi non habes flores uirides, potes facere ex siccis, & coquere in uase duplici, sed erit debilius.

Oleum uiolatum.

Iaton uocat Paulus, cõficiq; dicit uel ex purpureis, uel ex croceis, uel leucoio. Et modus operationis ut rosati: non tamẽ tandiu in sole morari debet, secundum Paulum, sed dies tantum decem: mutãdasq; dicit ter uiolas, exacteq; claudendum uas ne transpiret: addendasq; demum siccas uiolas.

Oleum anethinum.

Est sedatiuum dolorum.] Dioscor. articulorum. Dioscor. pro ℔. 8. & ℥. 9. olei, ponit florum ℔. 11. ℥. 8. exponit soli diem unum, deinde exprimit & reponit. Ego tamen non uideo quo pacto olei illa mensura tot florum sit capax, præsertim quum Paulus accipiat comæ siccatæ per unum diem unciam unam, pro sextario. Resoluit apostemata.] Mollificat & referat uterum, inquit Dioscor. Modus operationis.] Potest parari cum anetho sicco.

Oleum de lilio.

Κρίνινον, alij σύσινον σμύρνινον, hoc est compositum, sic conficit Paulus: Olei sext. 3. calami aromatici libras quinque, myrrhæ ℥. 5. cardamomi libras tres, πετάλων lilij exungulatorum & diem unum expansorũ libras decem, cinamomi ℥. 3. croci ℥. 5. Primo infunde in uino myrrham & calamum per dies quinq;, mouendo ter in die: pòst coque cum oleo donec uinum ferè consumptum sit. Secundo cardamomum aqua infunditur, & ter in die mouetur, & similiter coquitur per horam unam cum oleo. Postea auferentes cardamomum, oleo puro imponimus tertiam partem liliorum, & post tres dies, priore ablata, addatur alia tertia liliorum pars: & interim post tres dies hac amota, additur ultima tertia pars cum croco resoluto, & post tres dies oleo puro addimus cinamomum contusum & reponitur. Idem Paulus in compositione simplicis susini accipit ℥. 2. foliorum, & sextarium olei, ut in rhodino, & exacte obturat ut non respiret, perq; tres dies exponit soli: abiectis dehinc folijs alias uncias duas apponit, & iterum exponit soli per alias tres dies.

Oleum Irinum.

In hunc modum communiter parant. Aliud uide apud Dioscor. quod certe magnarum esset uirium si bene pararetur.

Oleum sambucinum.

Vidi ex floribus concinnatum, utile in doloribus sedandis: alij ex medio cortice conficiunt, quo ad ambusta utuntur.

Oleum de cheiri.

Paulus accipit uncias tres exungulatarũ pro sextario uno olei, obturat exacte, exponit soli per decem dies, & ter mutat: & ubi reponendum est, addit alias bene siccas, ut in uiolato dictum est.

Oleum de papauere.

Si ex nigro fiat, erit longe in stupefaciendo efficacius.

Oleum de lactuca.

Est longe debilius oleo papauerino, utile tamen.

Oleum de meliloto.

Si ueram melilotον haberemus, præstantissimum ex ea oleum conficeretur.

Oleum de nenufare.

Eſt potentius oleo uiolaceo præcipue in Veneris tetigine prohibenda, inunctis ex eo genitalibus. Nymphæa latine dicitur.

Oleum de cucurbita.

Videtur ſatis ſimile præcedenti, tamen hoc eſt humidius.

Oleum de citoniis.

Magni uſus eſt hoc in uētris fluxibus. Vide aliam pulchriorem præparationem apud Dioſcor. Paulus melinon appellat, & in hunc modum componit: Cydoniorum bene deterſorum & cum ſuis corticibus inciſorum accipit ʒ. 3. olei omphacini ſextarium unum, exponit ſoli diebus quadraginta.

Oleum myrtinum.

Et hoc utimur in uentris fluxibus: uehementer enim exiccat.

Oleum de pomis rabiole.

Hoc non paramus, quia pomis illis caremus: ualde tamen potens eſſet in doloribus per ſtuporem ſedandis.

Oleum de enula.

Si ſecundo modo conficiatur, erit in his quæ Meſue dicit ualde efficax.

Oleum de cinamomo.

Vide eius elegantem præparationem apud Dioſcoridem: quam tamen facere nō poſſumus, quum uero cinamomo careamus. Sed ſi etiam cum uulgari paretur, erit ſatis utile.

Oleum de ſauina.

Efficaciam habet in Gallicis doloribus: ſed & in cutis deſcœdationibus, etiam ſi ex ſolo paretur.

Oleum de ruta.

Potenter inflationem diſcutit: efficacius tamen erit ſi ex ruta ſicca ter uel quater permutata conficiatur.

Oleum de pulegio.

In ciendis menſibus magnam uim habet.

Oleum nardinum.

Dioſcorides dicit maiori ex parte miſceri in præparatione eius oleo balanino uel omphacino ad adſtrictionem ſchinoti, ad bonum odorem coſtum, amomum, nardum, myrrham, balſamū. Secundus & tertius modus Meſue nobile conſtruerent, ſi quæ ingrediuntur haberi poſſent.

Oleum maſtichinum.

Μαστιχινον ἁπλόστερον & ποικιλώτερον conficit Paulus, ſimpliciſſimum ſcilicet & magis uarium. Vltimum accipit olei ſext. 50. ℔. elenij 5. xylobalſami ℔. 10. ſchœnoanthus ℔. 5. cardamomi ℔. 7. maſtiches ℔. 5. xylomaſtiches ℔. 8. terebinthinæ libras tres, comæ abſinthij libram unam, uini odorati ſextarios quinque, aquæ ſextarios decem. Res ſiccæ in uino madefiant per tres dies, miſceātur oleo & aquæ, & coquātur horas ſex, & tunc maſtiche & terebinthina additur, & exacte commixta & infrigidata depurantur. In ſimpliciſſimo, pro oleo ſeſamino Paulus accipit omphacinum, & non niſi unciam unam maſtiches: dicitq; aliquos addere abſinthij & ſtyracis ana unciam unam. Chiſt.] Græce ξέσλω, & eſt duarum cotylarum.

Oleum de ſtorace.

Valet & ſcabiei, præcipue addita octaua parte ellebori albi.

Oleum coſtinum.

Vtile eſt in uehementi rigore, uera tamen coſti radice caremus.

Oleum de alcanna.

Cyprinon dicitur à Paulo; quod enim Arabes alcanna, Græci cyprum uocant. Poſſidonius

Poſſidonius ſic parat, ait Paulus: Sext. unum cyperi, elenij, ireos ana libram unam, ſanſuci, hyſopi, ſeminis agni, ſaluiæ, pulegij, ana omnium ʒ. 3. florum cypri libram. Alia omnia præinfuſa uino per diem unum, coque ſex horas cum oleo: quæ ubi amoueris, oleo pura cyprus immittitur, ſi quidem adſit uiridis, mollibus ramuſculis non præciſis: ſi non, ſicca contrita & cum pauca aqua per ſeſquihoram coquatur, ſi uis ut tingat. Vbi ablata ab igne eſt, adde æruginis puræ libram unam ſemis. Poſſidonius tamen acredinem æruginis fugiens, tribus, ait, poſt concoctionē diebus mitte oleum in uas quod purum ſit, tingeturq; illæſa eius ui. Aliud idem Paulus in hunc modum conficit: Foliorum cypri, foliorum lauri, ireos, cyperi, ſaluiæ, ana uncias tres, dendrolibani, ariſtolochiæ longæ, agni caſti uncias quatuor, elenij, aſpalathi ʒ. 6. rutæ & cupreſſi ana drachmas duas, olei ſextarios decem. Vbi hæc prius uino perfuderis, cum oleo coquito: & extrahens, adde rurſus xylobalſami, xylocaſſiæ uncias quatuor, ſanſuci, cumini, myrti, ſtyracis, maſtiches uncias tres, opopanacis drachmas duas, florum cypri uncias ſex, æruginis unciam unam.

Oleum de ſanſuco.

Si ter quaterq; comæ ſanſuci permutētur, & in uaſe duplici oleum coquatur, bene odoratum erit, & ſternutamenta leniter ciebit.

Oleum de mezereon.

Quid per mezereon intelligendum, inter ſimplicia declaratum eſt. Habet hoc oleum magnam uim, præter ea quæ à Meſue dicuntur, in aluo lenienda, ſi umbilico admoueatur.

Oleum de alhaſech.

Auicenna uocat oleum de haſce, quod eſt thymus: triplicique modo componit, non magnopere ab his qui à Meſue ſcribuntur diuerſo.

Oleum de cucumere aſinino.

Sicyonium uocat Paulus: quod aliud tamen eſt ab Sicyonio à Dioſcor. inter alba olea deſcripto. Hoc uero duplici modo cōſtruere docet ipſe Paulus. Simpliciter quidem hoc pacto: Radicis ſylueſtris cucumeris uncias duas, olei ſextarium unum: coque in uaſe duplici. Compoſitum hoc pacto: Radicis cucumeris ſylueſtris abraſæ libram unā, olei ſextarios decem, ſerpylli, meliloti ana uncias ſex, dadon piceæ pinguium, altheæ ana ʒ. 5, ſcolopendrij ʒ. 6. fœnugræci ſextarios duos. fœnugræcum infunditur in aqua per diem unum, poſtea extrahitur, & cum his quæ dicta ſunt & oleo, duobus uini ſextarijs additis infunditur. Et ubi omnia cocta ſint, additur medullæ ceruæ cum pauco oleo ſolutæ uncias quatuor, adipis gallinæ ʒ. 4. & rurſus oleum extractū reponitur. Quidam exponūt ſoli poſtquā coctum fuerit dies XL.

Sicyonium aliud efficacius: Succi elaterij ſextarios tres, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſtyracis, elenij, hyſopi, ireos, colocynthidos, pulegij, origani, cyperi, dendrolibani, centaurij, foliorum lauri ana uncias duas, olei ſextarios quinq; : miſcens coque donec parum ſucci relinquatur.

Oleum de pomis citranguli.

Citria uocant. Eſt autem fructus mali Medicæ uel Aſſyriæ. Et ſint propriè antiqua.] Credo illum intelligere dudum ab arbore amota, uel bene matura. Nam ſemper in arbore inuenies flores, fructus, & paruos & maiores: atque inter hos quoſdam uirides, quoſdam ſemiaureos, quoſdam penitus aureos qui antiquiores dicuntur.

Oleum de croco.

Dioſc. accipit oleum præadſtrictum cum calamo, myrrha & cardamomo, deinde apponit crocum. Et uide ab eo, quia alia arte utitur quàm hic. Somnum facit ſecundum Dioſcoridem etiam in phreneticis ſi odoretur, aut infricetur naribus, ſuppurat, purgat ulcera. Dolori matricis.] Dioſcorides clauſioni, ma-

lignis ulceribus cum cera, croco, medulla, & duplo oleo. A Paulo aliud describitur longe hoc sicuti præstantius, ita & preciosius.

Oleum de piperibus.

Iusquiami albi.] Suspicor hic esse mendam. Quid enim operatur hoc loco hyoscyamus, præsertim in tam exigua portione? Hasach humidi.] Id est thymi, ut credo. Sextaria.] Græce ξέσται. Administretur ubi oportet.] Credo autoris intentionem fuisse, ut etiam biberetur, sicut & nonnulla de quibus sermo habitus est. Auicenna describit hoc sub nomine olei alchechengi.

Oleum de euphorbio.

Galenus ex solo euphorbio & oleo parat, euphorbiũ uel augens uel minuens, iuxta maiorem minorem ue indigentiam. Vide lib. 2. de cõpositione medic. secundum loca. Condisi.] Condes uel radicula, nũc paucis nota, quæ & struthion. Auicenna accipit costum, castoreum, calamentum, pyrethrum.

Oleum uulpinum.

Viuã sumit Paulus, & coquit in oleo. Olei antiqui ℔ss.] Videntur duæ cotylæ, ut suprà. Est enim mirabile balneũ.] Laudant Græci in oleo simplici decoctionis uulpis uiuæ. Oleum de serpentibus.

Viperas intellige, & elige ut in Theriaca, & abscinde caput & caudam, & ualebit elephantiasi. Oleum de scorpionibus.

Modus operationis eius alius.] Paratur nunc cum oleo antiquo, additis multis simplicibus medicamentis ad uenena laudatis: estq; mirabile in pestilentia & uenenis omnibus. Scio ego hominem qui hoc solo munitus, sæuissimam quãtumuis pestilentiam nihili facit: nec solum seipsum, sed & famulos secum ad uisendos pestilentia affectos accedentes, incolumes conseruat. Scio & ex sola inunctione aliquos liberatos, qui sæuissima biberant uenena.

Oleum de ranis.

Hoc uidi quosdam utentes in podagra: sed in ea nullum magis præsentaneum uidi auxilium & absq; periculo, quàm ut eam homo æquo animo ferat, expectans Hippocratis terminum.

Fiunt autem olea.] Tertius est tractatus qui à recentioribus maiori ex parte natus est. Qui quæ sunt occulta.] Hoc est chymistæ: hi enim cõpositas in quædam ueluti elementa segregant, quorum id quod igni respõdet, maximæ est potentiæ.

Oleum de ouis.

Mirum in modum aufert cutis fœditates, & cicatrices præcipue quæ post ustionem remanserunt: sed difficile est ita parare, ut non uehementer fœteat: minus tamen male olet illud quod per destillationem uel sublimationem fit.

Oleum de frumento.

Et hoc ualde in cutis infectionibus conducit. Feci ego quandoq; parari per descensorium, ut chymistarum uoce utar.

Oleum sinapinum.

Hoc nũquam usus sum. Est autem (ut puto) adeò efficax, ut ad extima trahens, materiam, id est ruborem, cuti inducat.

Oleum de iunipero.

Hic destillandi modus est, eliciendi à rebus succum quem chymici per descensorium uocãt, per quem olea ex lignis uel lignosis rebus extrahuntur. Vidi ego quandoq; extrahi ex pineis ad erugãdas mulierũ cutes. Vsus etiam sum eo quod è ligno Indico Guaiaco uocato, uel, quod melius succesſit, ex sancto. per eundem modum manauit, in Gallicis uel ulceribus uel doloribus: in quem usum & hoc scilicet ex iunipero factum, non parum conducit. Malo mortuo.] Ita uocant recentiores mala quædam ulcera in cruribus præcipue contingentia.

Oleum

Oleum Fraxini.

Non solum inunctum, sed etiam ebibitum confert lienicis.

Oleum de Gagatis.

Lapis hicà Dioscoride Gangites dicitur, quo sicuti & multis alijs rebus caremus. Quod uero de dæmoniacis dicitur, superstitiosum est, & à Christiano alienum.

Oleum philosophorum.

Philosophorum, chymistarum uidelicet: de quorum numero cum & ipse esset, ut pluribus ex locis colligi potest, ideo ei placuit hanc partem cum hoc oleo finire, quod & Perfecti magisterij uocauit, illorum loquendi modum sequutus. Vt uero ego scribam quid de hisce rebus sentiam, dicam, ubi opus est uehementer calefacere, & ad intima usq; accedere, nullam naturalem rem posse his oleis, per hanc uidelicet artem elicitis conferri, adeò ut etiã uim ignis & æquent & superent. Vidi enim his oculis guttam cuiusdam olei fortuito cadentem, lectisternia omnia, quæ multiplicia erant, momento penetrasse, & lecti fundum quod ex asseribus, inusſisse.

Quod fit à natura.] In montanis Mutinæ, ditioni Alphonsi principis nostri, qui propria uirtute ea loca ab hostibus occupata recuperauit, loco Gybium uocato, liquor certis temporibus manat, oleum montis Gybij uocant, qui ad longinqua loca, non sine magna recte eo utentiũ utilitate, deportatur. Est enim quoddam subalbidum.] De naphtha, ad quem proculdubio hæc referuntur, scribit Dioscorides, aliam esse albam, aliam nigram. Accipe ex lateribus antiquis.] Albuchasis in libro qui Seruitor dicitur, nouos lateres accipit quos aqua nõ tetigerit. Cuius opinioni ego potius adhæreo, quia oleum melius imbibent. In frusta.] Vnius unciæ, ait Albuchasis. Pone in cazola.] Id est, uase uitreo uel uitreato, tertia parte uasis uacua remanente. Cuius ignis sint prunæ.] Primo leuior, dehinc paulatim augeatur, qui tamen attingat fundum uasis. Vsquedum destillet oleum.] Primo enim exibit aqua, deinde oleum, quod per se collige.

ANNOTATIONVM IOANNIS MANARDI IN COMPOSITA MESVE FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca